
The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

SLAVORUM LITTERAE THEOLOGICAE.

CONSPECTUS PERIODICUS.



SEPARATA EDITIO SUPPLEMENTI
PUBLICATIONIS PERIODICAE CLERI BOHEMICI
„ČASOPIS KATOLICKÉHO DUCHOVENSTVA“.

DIRIGENTIBUS

Dr. JOS. TUMPACH, Dr. ANT. PODLAHA, AD. ŠPALDÁK
Pragae.

J. URBAN Cracoviae.
Dr. FR. GRIVEC Labaci.
Dr. LUC. JELIĆ Jadrae.

ANNUS III.

1907.

PRAGAE BOHEMORUM 1907.
SUMPTIBUS PROPRIIS. TYPIS AEP. OFFICINAE TYPOGRAPHICAE.
IN COMMISSIONE EIUSDEM TYPOGRAPHIAE PRAGAE I.-190.
(ROHLICEK & SIEVERS.)



Epitome.

BOHEMICA.

Jan Bělina: Spiritismus 1
Sborník historického kroužku (Ref. J. M. Černý) 1
Fr. Štědrý: Obrana sv. Jana Nepomuckého (Ref. J. Bartoník) . . 97
Časopis katolického duchovenstva 1906 (Ref. J. Ruprecht) 100
Dr. Alois Soldát: O jedinosti a nerozlučitelnosti manželství (Ref. Th. dr. Fr. Reyl) 107
Adolf Špaldák: Nauka katolická o milosti (Ref. dr. Kordać) . . 108
Jan Sedlák: Eucharistické traktaty Jana ze Znojma 110
Dr. Ioannes Nep. Sedlák: Wenceslai Francisci Coelestini a Blumenberg: A) Autobiographia, B) Acta capitularia 1646—1674 . . 110
Frant. Fryč: Chronologie života Páně (Ref. P. Franc. Reindl C. SS. R.) 110
Rádce duchovní (Ref. J. M. Černý) 111
František Vacek: Sociální dějiny české doby starší 115
Josef Wilpert: Malby v dřevní basilice sv. Klimenta 118
P. Frant. Žák T. J.: O modlitbě prosebné (Ref. F. Kubíček) . . . 205
Fr. Snopek: Studie Cyrillo-Methodějské 207
Dr. Ant. Podlaha a Kamil Hilbert: Metropolitní chrám sv. Víta v Praze (Ref. Dr. Aug. Stegenšek) 209
Dr. Fr. Kordač: Theologie v organismu věd universitních 211
Jos. Plaček: O starších klášterech česko-moravských, zvláště řehole benediktinské 301
Vlast 1905—6 (Ref. Aloysius Stork) 301
Adolf Špaldák: Člověk a zvíře (Ref. F. Žák) 301

BULGARICA.

Cъrkoven Věstnik 1906 2
Bibliotheca 120

CROATICA.

Katolički list 3
Vrhbosna 122
Hrvatska Straža (Ref. Fr. H. Žundálek) 304

PALAEOSLAVICA.

Martyrii s. Georgii et Periodorum s. Ioannis Apostoli et Evangelistae fragmenta glagolitica (Ref. J. Vajs) 123

POLONICA.

Ant. Wysłouch: Mistr z Nazareta (Ref. C. Feliś) 4
P. J. K. Podlasiak: Męczenstwo Unii na Podlasiu (Ref. C. Feliś) 5
Ks. St. Kujot: Kto założył parafie w dzisiejszej dyecezyi chelminskiej 5
Kwartalnik teologiczny 5
Rozprawy Akademii umiejętnosci w Krakowie 7
Libri theologici nuper editi 7
Ks. Dr. Franciszek Gabryl: Psychologia 143
Maurycy Straszewski: Filozofia sw. Augustyna na tle epoki . . 211
St. Zaleski T. J.: Jesuici w Polsce 213
Dzisiejsze zadania katolicyzmu w Polsce 213
Ludwik Kubala: Stanislaw Orzechowski i wplyw jego na rozwoj i upadek reformacyi w Polsce 214
J. Warminski: Andrzej Samuel i Jan Seklucyan 215
Tad. Troskolanski: Dzieje reformacyi polskiej w latach 1556—60 215
Libri recentiores polonici 215
Swiat Slowianski (Ref. Fr. H. Žundálek) 304

RUSSICA.

Pavel Giduljanov: Mitropolity v pervye tri věka ẖristianstva (Ref. M. Haluščynskyj) 7
Strannik 1905 (Ref. Dr. F. X. Grivec) 14
Strannik 1906 (Ref. Dr. F. X. Grivec) 15
B. I. Gladkov: Tolkovanie evangelija (Ref. C. Večeřa) 17
Trudy kievskoj duẖovnoj Akademii (Ref. M. Haluščynskyj) 19, 224, 326
Nikolaj Glubokovskij: Blagověstie sv. Apostola Pavla po ego proisẖoždeniju i suščestvu (Ref. C. Večeřa) 23
Věra i Razum (Ref. A. Palmieri) 36, 219
Izvěstija otdělenija russkago jazyka i slovesnosti Imperatorskoj Akademii Nauk 38
H̱ristianskoe čtenie 1905 (Ref. Frant. Jemelka) 39
Quaedam animadversiones de statu, qui nunc est, scientiae iuris canonici in Russia (Ref. Demetrius Jaremko) 40, 233

P. Pirling: Novye materialy o žizni i dějatel'nosti Jakova Rejtenfel'sa 41
Cerkovnyj Věstnik (Ref. Dr. L. Petr) 42
Prof. Th. Titov: Russkaja pravoslavnaja cerkov v pol'sko-litovskom gosudarstvě v XVII.—XVIII. vv. (Ref. M. Haluščynskyj) 44
Bogoslovskyj Věstnik (Ref. M. Haluščynskyj) 47, 240, 307
Cerkovnyja Vědomosti (Ref. Dr. L. Petr) 50
Libri russici a. 1906 editi 53
A. Prugavin: Religioznye otščepency 145
D. Skvorcov: Sovremennoe russkoe sektantstvo (Ref. M. Haluščynskyj) 145
E. Golubinskij: K našej polemikě s staroobrjadcami (Ref. M. Haluščynskyj) 215
Simeon Nikol'skij: Istorija cerkvej Antiohijskoj i Konstantinopol'skoj za vremja svjatago Ioanna Zlatousta po ego tvorenijam (Ref. M. Haluščynskyj) 222
K. Zaprudskij: Vselenskij sobor (Ref. Dr. Th. Leonini) 306
V. Sokol'skij: Evangel'skij ideal hristianskago pastyrja (Ref. Dr. Leonini) 310
Hristianskoe Čtenie 1906 315
Vladimir Solov'ev: Rossija i vselenskaja cerkov' (Ref. Fr. Žundálek) 323
Russkij Arhiv (Ref. Th. Leonini) 326

RUTHENICA.

De statu praesenti ecclesiae et litterarum theolog. apud Ruthenos (Ref. O. Voljanskyj) 58, 244

SERBICA.

Glasnik pravoslavne crkve 1906 (Ref. Demetrius Jaremko) 60
Bogoslovski Glasnik 249

SLOVENICA.

Fr. Kovačič: Doctor Angelicus sv. Tomaš Akvinski (Ref. Dr. A. Ušeničnik) 62
Voditelj v bogoslovnih vedah 1906—7 (Ref. Th. Lempl) 251
Dr. Michael Napotnik: Pastirski listi 255
Katoliški Obzornik 1906 257

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

Num ecclesiae orientales ab unitate catholica separatae habeant sacramentorum extremae unctionis. Dr. J. Kern 63
De miraculis acatholicorum. Dr. J. Pořícký 69

De sacramento poenitentiae. A. Špaldák 72, 332
De causa Papae Honorii. Dr. P. Sinthern 117
De motivis polemicae inter catholicos et orthodoxos. A. Palmieri . 258
Doctrina Russorum de canone Veteris Testamenti. Ad. Jašek . . . 264

EXTERNA, AD NOS PERTINENTIA.

Die Kultur 89
Zeitschrift des deutschen Vereines für die Geschichte Mährens und Schlesiens 89
Theologische Quartalschrift 90
Theologisch-praktische Quartalschrift 90
Revue ecclesiastique de Metz 90
Analecta Bollandiana 90
Études (Ref. O. Židek) 90
G. Hölscher: Kanonisch und Apokryph 194
A. Lehmkuhl: Probabilismus vindicatus 194
K. Gross: Die russischen Sekten 194
Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie 194, 273
La Civiltà Cattolica 197
Stimmen aus Maria-Laach 197
Revue de l'Orient chrétien 198
Revue Internationale de Théologie 198
ΝΕΑ ΣΙΩΝ (Ref. O. Židek) 276
La Ciudad de Dios 278
Rivista internationale 278
Bessarione 1905—6 278
Revue Bénédictine (Ref. O. Židek) 279
J. Knabenbauer S. J.: Commentarius in duos libros Machabaeorum (Ref. O. Židek) 280
J. B. Rebours: Traité de Psaltique 281
Memoria liturgiae slavicae in dioecesi Auxerensi (Ref. O. Židek) . 281
Ant. Malvy: La Réforme de l'Église russe. (Ref. O. Židek) . . . 281
Jos. Kern S. I.: De sacramento extremae unctionis tractatus dogmaticus (Ref. Ad. Špaldák) 364
Vlad. de Meester O. S. B.: Études sur la Théologie orthodoxe (Ref. O. Židek) 368
H. G. Voigt: Biographie des hl. Wenzel 371
Rivista storico-critica delle scienze teologiche 372
Jahresbericht der schlesischen Gesellschaft für vaterländische Kultur 372
Échos d'Orient (Ref. Dr. B. Spáčil) 373, 299
ἉΡΜΟΝΙΑ (Ref. Dr. B. Spáčil) 372
Bessarione 1906—7 (Ref. Dr. B. Spáčil) 374

RESPONSA AD INTERROGATIONES.

De purgatorio 92

De salute peccatoris morientis in attritione existentis 283
De valore absolutionis in ecclesia Orientali 286

MISCELLANEA.

De usu linguae slavicae in sacra liturgia 198
De Velehradensi conventu theologorum commercii studiorum inter Occidentem et Orientem cupidorum 287
Pius X. de sollemnitate centenaria s. Ioannis Chrysostomi 376

ALIORUM IUDICIA DE NOSTRO PERIODICO.

Čech 95
Cerkovnyja Vědomosti 1906 95
Revue de l'Orient chrétien 1907 299
Theologisch Tijdschrift 1907 299

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha. Ad. Špaldák. Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec. Labaci. Dr. Luc. Jelić, Jadrae.

Annus III. (1907) Pragae Bohemorum. Nr. 1.

BOHEMICA.

Jan Bělina **Spiritismus.** Praga 1906. Hlasů katol. spolku tiskového roč. 37. čís. 3. Cena 1 K 30 h, str. 211.

Prout in variis Europae terris, ita etiam in Bohemia, praesertim in districtibus montanis, spiritismus haud paucos habet in populo asseclas. Hinc saepe saepius iam tum clerus tum fideles librum exoptabant, in quo stylo populari facilique spiritismi natura delinearetur. Id quod praesenti libro factum est. Auctor, qui in regione curam animarum exercet, ubi spiritismus in floribus est, tum propria tum aliorum experientia ductus nec non clarissimorum virorum elucubrationes de eadem materia tractantes prae manibus habens, viginti capitibus clare ac perspicue exhibet omnia, quae huncce moderni temporis morbum respiciunt, non solum eiusdem historiam, sed etiam naturam sequelasque proponens.

Sborník historického kroužku. (Collectanea coetus historici.) Annus VI. 1905; VII. 1906 Pragae. Edendis praeest Dr. *M. Kovář.*

Hi commentarii eduntur ab anno 1893. In primo exordio suo usque ad annum 1900 octo fasciculi editi sunt, quorum ultimus duas in partes dispescitur. Ab anno vero 1900 singulis annis quattuor fasciculi eduntur. Hinc ab illo anno de novo incipit numerus singulorum annorum.

Materiae tractatae desumuntur ex historia ecclesiastica praesertim regni Bohemiae. Specialis vero cura adhibetur aetati reformationis, quae vocatur, et protestanticae et catholicae a saeculo XVI—XVIII. Editores huius Sborník hunc finem sibi proposuerunt singularem, ut ecclesiam et imperatores catholicos purgarent a calumniis de renovandae fidei catholicae in regno Bohemiae (a saeculo XVI—XVIII.) conatibus per rerum scriptores disseminatis. Itaque ostendere student a rerum scriptoribus multa exaggerata, alia omnio false descripta, alia, quae ad honorem ecclesiae et imperatorum catholicorum pertinent, silentio tecta esse. Ut igitur pateat, quid de his rebus tenendum sit, non solum commentationes, sed etiam documenta nondum typis exscripta edunt.

Singuli fasciculi et maiores commentationes lingua plerumque Bohemica scriptas, et documenta lingua originali exarata, et iudicia critica de libris quibusdam huc spectantibus, et alia minora continent.

In quattuor fasciculis ex anno 1905 indefessus et optime meritus Dr. Ant. Podlaha affert commentationem: Z prvých let činností arcibiskupa pražského Zbyňka Berky z Dubé. (Ex primis annis officii pastoralis archiepiscopi Pragensis Zbyněk Berka de Dubá) p. 1—5; 108—113, in quo archiepiscopum de ecclesia catholica bene meritum et pastorem fidelem ovium sibi concreditorum ex documentis authenticis depingit. Idem sub inscriptione »Rukopisný sborník Evermonda Jiřího Košetického (Collectanea manuscripta domini Evermondi Georgii Košetický) p. 20. 87. 181. 241; VII., p. 29. 189 pergit exhibere critice indicem



eius manuscripti. In commentatione eius inscripta: Z dějin katolické reformace ve století XVIII. (cuius pars iam antea edita est), describitur labor missionarius PP. Societatis Iesu saec. XVIII. (VI. p. 41—44; 119—121; 173—176); VII., 85—88; 202—5.

Alius non minus bene meritus auctor de hoc folio Dr M. Kovář hoc anno scripsit: »Praha za vlády Francouzů, Bavorů i Prusů roku 1742 až 1744. (De imperio Francogallorum, Bavarorum et Borussorum in urbe Pragensi ab a. 1742 usque ad a. 1744.) — F. Štědrý exponit de parochia Perucensi. (Farní osada Pe-rucká). — Dr. Ant. Lenz: Sv. Tomáš Aquinas a M. Jan Viklif o řeholích. (Quid senserint s. Thomas Aquinas et M. Ioan. Wicleffius de religiosis ordinibus?) Pars II.; (p. I. edita est a. 1904) p. 49—54; 154—7; 239—240; VII., 98—103; 205—8. Agitur de M. I. Viclef religiosorum (monachorum) adversario; consentiens de virtutum consiliorumque evangelicorum excellentia cum s. Thoma Aq. discrimen inter mandata et consilia sustulit omnemque hominem christianum paupertati, castitati, oboedientiae obligatum esse putabat, secum ipse (De civ. Dom. I., c. 23. 24.) discrepans. Causa impugnandi Mendicantes fuit, quod erroribus eius restiterunt (Conc. Lond. 1382). Per diabolum introductas esse novas »sectas« (sc. religiones) inde probat, quod scripturae de eis non loquuntur: »quia Luc. cap. 11. dicit Christus, qui non est mecum, contra me est.« De fundatione sectar. cp. 9.

Accedunt commentationes: J. Vávra, (Slezské zprávy o česko, moravských emigrantech (1626—1642) p. 177—9; 193—9. (De haereticis, qui e Bohemia et Moravia emigraverunt, nuntii Silesiaci); Fr. V. Peřinka, Zrušení kláštera panen benediktinek v Pustiměři p. 34—40; 102—107; 246—9; VII., 32—38) (De monasterio virginum s. Benedicti sublato Pustimerii in Moravia.) Jos. Černík, Kartusiáni na Moravě (De Carthusianis in Moravia) VII., 78—85 — Fr. V. Peřinka, Klášter cisterciácký ve Vizovicích (De monasterio Cisterc. Vizovicii [Smilheim, Velehradiensis filialis]) VII., 88—98; 113—123. — H. Gross, Václav z Rovného De Venceslao de Rovné † 1531) VII, 193—9.

In miscellaneis dr. Ant. Podlaha narrat de haereticis, qui in vineis circa Pragam sitis saec. XVIII. latebant.

Sborník optima affert ad religionem catholicam defendendam et unde cognoscatur, utri parti vis, minae, dolus exprobrari possint, catholicis an eorum adversariis. Quicumque igitur de rebus saec. XVI.—XVIII. scribit certe singulos fasciculos consulere debet. Sperandum est fore, ut mox index alphabeticus fasciculis editis adiciatur, ut res contentae facilius inveniri possint. *J. M. Černý.*

BULGARICA.

Crъkoven Vėstnik 1906, nr. 7—37.

Hr. I. Popov, Dvě proizvedenija na poslednija tъrnovski i trapezicki patriarh Evtimij (Duo opera Euthymii, ultimi patriarchae Ternobensis) nr. 6—9, 11. — De Euthymio patriarcha (a. 1375—1393) cf. Sl. l. th. II., 88—89. De Euthymii operibus litterariis Hr. I. Popov iam a. 1901 edidit opus »Evtimij, poslěden tъrnovski i trapezicki patriarh«; eodem anno prof. (universitatis Černoviciensis) E. Kalužnjacki publicavit opus »Werke des Patriarchen von Bulgarien Euthymius (1375—1393)«, qui duo opera Euthymii antea ignota affert. »Pohvalnoe slovo (panegyricum) sv. Ivanu Polivotskomu« et »Epistola (poslanie) ad Nicodemum Tismensem (monachum in monasterio Tismensi in Moldavia). Utrumque opus in Moldavia (Rumunia) inventum est. Euthymii opera stilo eleganti atque alacri excellunt magnumque ingenium produnt; Euthymius litterarum Bulgaricarum nationalium (secundum auctorem) conditor dici potest.

Bogoslovski pisma (Epistolae theologicae) nr. 14—15. — Versio ex opere Hettinger, Timotheus.

De propositione Archiepiscopi Menini (archiep. catholici Philippopolensis) nr. 16.

Archiep Menini gubernio Bulgariae proposuit (a. 1905), ut kalendarium Gregorianum suum faceret et ut »concordatum« cum Romano Pontifice conficeret; insuper addidit, unionem eccl. Bulgaricae cum Romano-cathol. faustam fore pro Bulgaris. Ad haec »synodus« Bulgarica »ministerio rerum externarum et cultus religiosi« hoc misit responsum (a. 1906): 1⁰ Unionem cum eccl. Romano-cathol. desideratissimam quidem esse, considerandum tamen, non eccl. Bulgaricam, sed Romanam schismaticam esse atque in erroribus versari. 2⁰. Kalendarium Gregorianum in Bulgaria induci non posse nisi id fieret in tota eccl. orientali. 3⁰. »Concordatum« cum R. P. (quo catholici, praesertim hierarchia et sacerdotes, iisdem ac schismatici fruerentur iuribus) componi non posse, cum numerus catholicorum in Bulgaria exiguus sit (22, 617, ex quibus 6,500 peregrini sunt); nec necessarium esse talem contractum internationalem, cum omnes cives Bulgarici libertate religiosa fruerentur.

De eadem re late agitur in nr. 22—29.

D. M., De institutione (ustrojstvo) orthodoxi seminarii clericalis in Dalmatia, nr. 35—36. — In Dalmatia seminarium clericorum Serbicum a. 1808 in Šibenik (Sebenico) erectum est. Cursus studiorum quattuor durat annos. Docentur: lingua ecclesiastico-slavica et Graeca, introductio generalis in theologiam, th. dogmatica, moralis, pastoralis introductio in s. script. et exegesis, liturgica, historia eccl., ius eccl., homiletica, catechetica, paedagogica. Auctor seminarium ut exemplare laudat.

P. Kuzev, De monasteriis Bulgaricis, nr. 37. — Auctor conqueritur monasteria Bulgarica e pristina gloria decidisse, disciplinam monasticam lapsam esse. Quapropter necesse esse, ut vita monastica reformetur, ut monasteria fiant asyla pietatis et misericordiae, scholae scientiae et morum.

CROATICA.

„Katolički List“ Zagrabiae 1906, nr. 1—41.

K. Dočkal, Moderno kršćanstvo (De moderna religione christiana) nr 1—5. — Fides, quae auctoritati Dei et ecclesiae innititur, ab iis, qui dicuntur »christiani moderni« non agnoscitur; iuxta eorum doctrinam alia auctoritas non est nisi rationis; ratio et conscientia independentes, autonomae sunt. Religio modernorum »scientiae« innititur; a »scientia« vero, quidquid supernaturale est, reicitur vel saltem ignoratur. Auctor ostendit religionem hanc modernam falsis principiis (praesertim subiectivismo) inniti. Deinde doctrinam »christianam modernam« iuxta librum J. Réville »Modernes Christentum, Tübingen u. Leipzig 1904« (versio facta ex originali Gallico) accuratius considerat ac refutat.

A. Dujmušić, Crkveni zakon i kamati (De lege ecclesiastica de usuris) nr. 4—5. — Ecclesia usque ad saec. XIX. catholicis severissime prohibebat, quominus usuras acciperent. Auctor breviter demonstrat ecclesiam omnino apte leges suas hac de re mutasse, cum tempore moderno pecunia iam non tamquam »res primo usu consumptibilis« habenda sit.

Dr *F. Zagoda*, De »Apologetico« Tertulliani; nr. 6—16. — Analysis et explicatio.

Dr. *K. Horvat*, De archivo Vaticano nr. 13—16. — Ex Croatis in archivo Vaticano in monumenta historiae Croaticae inquirebant: I. Kukuljević, Dr. F. Rački (cuius merito adscribendum est, a Theiner

collecta esse »Monumenta Slavorum meridionalium« I. t. Romae 1863, II. t. Zagrabiae 1875), E. Fermendžin, Dr. L. Jelić, Dr. M. Granić et novissime auctor huius articuli Dr. K. Horvat (a. 1904 - 1906) inquirens in monumenta saec. XIII, XIV et XVI.

Dr. *M. Pacher*, Tajna izpovijed (De confessione privata [secreta]) nr. 17—27 — Inter alios etiam Rabar, historicus Croata, in »Historia imperii Romani« (Povijest carstva rimskoga II., 35—37) sacramentum poenitentiae saeculo demum V. omnino evolutum esse affirmavit. Contra hunc aliosque adversarios auctor solida argumentatione (historico-dogmatica) demonstrat, confessionem sacramentalem institutam et ad salutem esse necessariam iure divino, et modum secreto confitendi soli sacerdoti esse Christi institutum et mandatum' (Trid. sess. XIV, c. 6.). De disciplina poenitentiali breviter disserit (nr. 17. 18). Ex s. Scriptura et traditione (ex patribus) demonstrat Christum instituisse sacramentum poenitentiae in forma »iudicii spiritualis« (nr. 20-22). Ex iisdem fontibus probatur institutio sacramenti poenitentiae in forma »confessionis privatae« coram sacerdote (nr. 23—26).

Dr. *J. Čenkić*, Parcelacija patronatskih dobara i pravo prezente (De »parcellatione« bonorum patroni et de iure praesentationis) nr. 33—36.

Idem, Položaj kapelana u svjetlu kanonskog prava (De condicione capellani in luce iuris canonici) nr. 40—41. *F. G.*

POLONICA.

Antoni Wysłouch, **Mistr z Nazaretu.** Warszawa 1905. str. 174. (Magister e Nazareth).

Auctor, innixus argumento, ex personis vel factis Novi Testamenti desumpto, in serie poëticarum descriptionum depingit varios characteres animae humanae, varia illius ad veritatem, ad amorem etc. suspiria, Christumque repraesentat ut fontem, qui solus haec animae suspiria quietare, solus humanum explere cor potest.

Primum, quod lectoris illius libri menti obversatur, est haec profunda sane personae Christi cognitio, quam raro in huiusmodi litteratura reperimus.

Obici forte possit, divinum in Christo elementum hic non sat forte apparere; est fatendum, esse perdifficile, in eiusmodi posticis imaginibus digne Christi divinitatem afferre.

Omnino vere et realiter auctor animam intellexit humanam, quae ibi in omni suae existentiae varietate apparet. Videmus hic eam ad summa atque optima eniti, sed et in pessima atque infima non raro delabi: atque in omni hoc statu, videmus, eam posse invenire auxilium in Christo, qui solus scit eam et in summis sustentare et ex infimis eripere. Dicamus, auctorem in anima rite depingenda bene versatum sese ostendisse.

Insuper placent crebrae et variae descriptiones naturae. Singularem merentur mentionem descriptiones in capitibus: „Verbum Caro factum est", „Nicodemus", „Et lacrimavit Iesus".

Stilus libri elegans, plenus profundarum reflexionum et aphorismorum. — Propter hanc suam indolem liber ille omnino meretur, praesertim nostris temporibus, singularem attentionem. *C. Feliś.*

Podlasiak P. J. K.: **Męczeństwo Unii na Podlasiu.** Kraków 1905. (375). — (Martyrologium Unionis in Podlachia.)

Quae quave constantia atque animi fortitudine tulerint ac perpessi sint mala „Unitae“, praesertim in Podlachia, quibus mediis Rossiae magistratus Unionis exitium intenderint — ecce thema, quod demonstrandum auctor in hoc libro suscepit. Paucis de tristi, tum politica, tum sociali et religiosa illius regionis post annum 1863 condicione praemissis, enarrat persecutionem religiosam cleri Latini (cap. I.), Graeco-catholici (cap. II.), ac denique totius Unitarum populi (pag. 97—375). Singulos decanatus percurrendo, quaecunque in illis notatu digniora acciderint, maximo cum amore clarus ille Unionis amicus accurate illustrat. In campo huius agonis maxima in luce conspicimus personas, tum perversissima malitia imbutas (Czerkaski, M. Popiel etc.), tum summa dignas veneratione (eppi: Feliński, Szymański, Kaliński etc.). Auctoris opera multa, hos insignes episcopos spectantia momenta bibliographica, conservata gaudemus.

Librum auctor iam anno 1883 typis imprimere voluit, sed casu quodam periit manuscriptum et usque ad an. 1905 mansit occultum.

Historicum quod attinet valorem, est liber ille omni fide dignus. Omnia auctor vel ipse testis, qua diuturnus illius regionis incola, vidit, vel a martyribus eorumque consanguineis accepit, multa denique authenticis comprobat documentis, quae illi episcopi, sacerdotes et non raro ipsi magistratus non denegarunt. Auctor diligentissime studuit, ne quid posterorum memoriam temporum praeteriret, quod nostrorum religiosorum heroum — sic enim eos apellare fas est — gloriam augere possit. Auctori itidem debemus, nos in illa hodierna universali pugna cum ecclesia, habere domestica exempla, quae nos doceant amorem fidei, amorem Matris Ecclesiae. *C. Feliś.*

Ks. St. Kujot: **Kto założył parafie w dzisiejszej dyecezyi chełminskiej** (Quisnam fundavit parochias in huius temporis dioecesi Culmensi), Pars II., Torun, 1905, sumpt. „Towarzystwa naukowego w Toruniu“, pag. 370, mag. 8⁰, pretium 6 mar.

Prima pars huius operis, quae apparuit aliquot abhinc annis de parte episcopatus Culmensis ad sinistram Vistulae ripam tractat. Haec secunda pars de parte episcopatus altera tractat imprimis de erectione episcopatus pruthenorum, quae quidem initio saec. XIII. locum habuit et in specie episcopatus Culmensis a. 1243. Deinde describitur status eiusdem episcopatus usque ad saec. XV., relatio inter episcopos et ordinem „Crucigerorum“, denique fundationes et dotationes singularum ecclesiarum in districtu qui Culmensis audit. Accedit index alphabeticus nominum rerumque. Totum opus fontibus historicis innititur, rem modo doctrinae proprio tractat: proinde ad historiam ecclesiasticam Poloniae et Borussiae non parvi est momenti. *β.*

Kwartalnik teologiczny, rocznik IV. (1905), zeszyt III. i IV. Warszawa, red. A. Szaniawski. —

Fasciculus hic, ex duobus coniunctus, septem mensibus seriusquam oportebat, editus est in lucem. Propterea etiam evenit, ut in

anno 1905, quem exhibet titulus libelli, citentur iam periodici et libelli, qui demum a. 1906 apparuerunt [cfr. pag. (8), (13), (14), (16)].

Ex articulis in Kwartalnik contentis, digni sunt qui adnotentur:

Ks. *St. Chodyński*: Biskupi sufragani włocławscy (Episcopi suffraganei Vladislavienses) (p. 1—16). De relatione suffraganeorum ad capitulum cathedrale tractat seriemque suffraganeorum exhibet sed nondum finit.

Dr *F. Gabryl*: Realizm i nominalizm v dziejach filozofii (Realismus et nominalismus in historia philosophiae) p. 17—33, reliquum sequetur.

Idem: Dusza w psychologii nejnowszej (novissima psychologia de anima) p. 101—129. Enumerantur interim variae theoriae de essentia animae humanae, reliquum sequetur.

Ks *A. Dębrowski*: O istocie przeistoczenia (De essentia transsubstantiationis) p. 130—136. Breviter exhibet novum conceptum transsubstantiationis in mysterio SS. Eucharistiae. Imprimis, iudicio auctoris, theoria peripateticorum de materia et forma substantiali omnino est derelinquenda, si volumus mysterium tremendum aliquomodo declarare. Physica Aristotelis, utpote ipsa obscura, non lucem sed maiorem obscuritatem affert doctrinae de Eucharistia. Invocanda est potius physica nova, quae corpora ex aggregatis atomorum, molecularum constare docet. Transsubstantiatio, quam Dr. Dębrowski mutationem hyperphysicam vocat, in hoc consistit, quod aggregata molecularum, quae panem, resp. vinum constituebant, quamvis peracta etiam consecratione maneant physice immutata, tamen non iam pertinent ad panem, sed ad Corpus Christi *). »Consecratione peracta Christus non solum potest, immo debet dicere: atomi, quae hucusque substantiam panis et vini constituebant, nunc vi legis a me constitutae non amplius pertinent ad substantiam panis et vini, sed meae sunt, utpote pertinentes ad substantiam mei corporis sacramentalis, quod pari modo assumpsi in unitatem meae personae, sicut olim naturam humanam in incarnatione cum divina coniunxeram«. . . . »De atomis fit hic iure plus minusve idem, quod de numismatibus fieri solet, cum ab uno possessore ad alium transeunt . . .« Suam theoriam confert pr. D. cum canonibus Concilii Tridentini, nihilque in eis decretum fuisse, quod theoriam suam excluderet, ostendit. — Proposita notio transsubstantiationis certe facillima est, attamen admitti nequit, utpote reapse, quamvis aliis verbis, renovans conatus Baymae et Rosminii reprobatos a S. Sede a. 1875 et 1887 (Cfr. Denz. Enchir. n. 1684—1686, 1764—1766). Etiam veterum explicationum Ruperti Tuitiensis et Ioannis Parisiensis, de unione hypostatica Verbi cum pane hic memoria animum legentis subit.

Ks. *J. Gołąb*: O tłómaczeniu Nowego Testamentu przez Jakóba Wujka. p. 137—153, finis.

Ks. *A. Szaniawski*: Najnowsze odkrycia w teoryi budowy psalmów (Recentissimae observationes de theoria constructionis psalmorum) p 176—198 Instituitur analysis ps. 45. Reliquum sequetur.

Reliqui articuli spectant praesertim historiam Polonicam (varia documenta) et asceticam. Pro nobis minoris sunt momenti. *β.*

*) „Po konsekracyi Chrystus nie tylko może, ale nawet musi powiedzieć: te atomy, które uprzednio stanowiły istotę chleba i wina, obecnie, na mocy prawa przeze mnie ustanowionego, już nie należą do istoty chleba i wina, lecz są memi osobiście, jako należące do istoty mego ciała sakramentalnego, które tak samo przyjąłem do jedności mej osoby, jakem uprzednio naturę ludzką połączył z Boską we wcieleniu." . . . „Z atomami dzieje się tu mniej więcej to samo, co z pieniędzmi, gdy one od jednego właściciela przechodzą do drugiego" . .

Rozprawy Akademii umiejetności w Krakowie. Wydział filologiczny, serya II, tom. XXVIII. Kraków, 1906.

Exhibentur duae dissertationes, quae illustrant historiam litteraturae theologico-polemicae in Polonia, nimirum :

1. Dr. *Cyryl Studziński*: Ze studyów nad literaturą polemiczną (p. 69–96) disserit de scriptis polemicis metropolitae rit. gr. cath. Hypatii Pociej contra schismaticos patriarchas Lucarim et Meletium Pegasium.

2. Dr. *Tadeusz Grabowski*: Z dziejów literatury kalwińskiej w Polsce (p. 250–488) multa habet, quae ad scripta calvinistarum contra catholicos et vicissim attinent. β.

Libri theologici nuper editi.

S. Garski, Materjalistyczne pojmowanie dziezów a etyka (De materialismo et ethica) Leopoli 78 p.

St. Kętrzyński, Kilka uwag o opacie Astryku — Anastazym. (De abate A. A.) Vars. 1905, 27 p.

Ks. Dr. Stefan Pawlicki. Żywot i dzieła Ernesta Renana (Vita et opera Ernesti Renani). editio III., tomi I et II. — Warszawa- Kraków, 1905, 8⁰ pag. XI + 228 + 232. pret. rb. 2,00.

Ks. Prawdzic. Wady kaznodziejstwa w spółczesnego (Defectus artis concionatoriae nostri temp.) Warszawa 1905, (31), pr. rb. 0,35.

Ks. Dr. Tadeusz Trzciński: Zbiór ustaw archidyecezyi gnieźnieńskiej i poznańskiej. Poznań, 1906, pag. VIII+526, mag. 8⁰. Continet decreta archiepiscoporum Gnesnensium et Posnaniensium, incipiendo ab archiepiscopo M. Ledóchowski usque ad nostrum tempus.

Jar. Wierzbicki, Trzy główne życiorysy św. Wojciecha. (Progr. gymn. in Zloczow) De tribus vitis s. Adalberti.

Ks. Walenty Załuski. Cudowne obrazy przenajświętszej Bogarodzicielki w dyecezyi płockiej (Miraculosae imagines Dei Genitricis in dioecesi Plocensi). Kielce, 1905, 8⁰, pag. 180 -- pret. rb. 0·20.

J. G. Materiały do dziejow akademii Połockiej i szkół od niej zależnych, zebrał . . . (Ad historiam academiae Polocensis, scholarumque ab ea dependentium. Pertinet ad seriem publicationis: Fontes et commentationes historiam scholarum superiorum in Polonia illustrantes.) Kraków 1905, str. 288.

W pięćsetnią rocznicę założenia klasztoru Bożiego Ciała w Krakowie. Szkic dziejów opactwa XX Kanoników regularnych lateraneńskich. (Ad historiam abbatiae Canonicorum reg. later. Cracoviae). Kraków 1905, 8⁰, str. 120, 9 illustr. pret. cor. 1,40.

RUSSICA.

Pavel Giduljanov: **Митрополиты въ первые три вѣка христіанства.** [Mitropolity v pervye tri věka ḫristianstva.] (Изъ исторіи развитія церковно-правительственной власти въ восточно-римской имперіи). **De metropolitis in primis tribus saeculis.** Moscoviae 1905. VIII.+377.

Cum res, de qua in libro citato agitur, toties iam a tot magni nominis viris tractata sit, ideo, cum librum prima vice perlustrarem, in eo nil nisi eorum, quae alii dixerant, repetitionem contineri, suspicatus sum. At liber diligentius inspectus suspicionem vanam fuisse ostendit.

Totus autem liber in quattuor dividitur capita. In fine libri tabella imperii Romani Orientalis in primis tribus saeculis secundum pe-

ritorum hac in re opera — quae auctor p. I. enumerat — adornata, adiecta est.

In introductione auctor de hierarchiae ecclesiasticae origine et evolutione agit (p. 1—24). Supposita divina episcoporum institutione episcopi ab invicem independentes et inter se aequales fuerunt quoad iura episcopalia (p. 1). Dependentia vero unius ab alios ecundum *G.* e triplici momento derivanda est: α) ab immediata quorundam episcoporum ab apostolis institutione; β) ab urbis episcopalis dignitate; γ) a receptionis principio. Receptionis principium in hoc consistebat, quod communitas christiana numero et aliis rebus inferior, instituta et praxim maioris communitatis acceptans, eo ipso se sub illius directionem subiecit. Huic receptioni multum in hierarchiae ecclesiasticae evolutione tribuit (p. 7 sqq.).

In secundo capite de ecclesiasticis districtibus loquitur. Praemissis variis de districtibus ecclesiasticis theoriis provinciarum civilium administrationem describit. Administrationis vero ratio non regebatur regulis systematice determinatis, sed secundum variarum regionum ad imperium Romanum annexionem evolvebatur (p. 31). Immo sicut in ipsa provinciarum divisione certa norma non servabatur, ita administrationis forma varia fuit. Alias enim provincias senatus administrabat, alias imperator sub sua directione habebat. Cum autem imperium Romanum gentes reipublicae subiectas secundum mores suos vivere permitteret, id quo in singulis provinciis in unitate continebantur, praefecti Romani auctoritas fuit. Hic, ut unicuique ius suum tribuere posset, per maiores provinciae urbes, quo populus ex regione propinqua confluebat, circumibat (p. 36 sqq.). Alterum elementum, quod varias nationes in provincia exsistentes in unum coniungebat, imperatorum cultus religiosus fuit. Ab Augusti nempe tempore societates religiosae in regalium sacerdotum collegium transformatae, ut imperatorum cultum promoverent et in eius violatores animadverterent, officium sibi commendatum habebant (p. 39 sqq.). Vinculum externum harum societatum Augustorum templa fuerunt (p. 46). Harum autem societatum divisio usque ad finem III. saeculi cum provinciarum civilium divisione non coincidebat, isque status rerum durabat, donec a Diocletiano nova provinciarum divisio peracta est (p. 52).

Descripta dein multiplici provinciarum civilium evolutione, quae a medio II. saeculo locum habebat (54 sqq.), ad metropoles ecclesiasticas describendas transit. Enarrata provinciarum evolutione ad hanc conclusionem devenit: provincias singulas variis constitisse gentibus, quae lingua, iure, moribus, cultu etc. ab invicem omnino differebant internamque vitam per earum in unam provinciam coniunctionem intactam mansisse, — verbo etiam singulas provincias in plures societates divisas fuisse.

Hisce suppositis arridet ei hypothesis metropolium christianarum evolutionem non civilium provinciarum evolutioni, sed illarum societatum evolutioni respondisse cum eaque coincidisse (p. 82 sqq.). Id quod duplici confirmat argumento: uno ex s. Pauli itineribus, quorum ordinem et chronologiam secundum Ramsay (The Church in the Roman Empire

before A. D. 170) proponit; secundo ex religionis christianae propagatione, qua in re Harnack ducem sequitur.

Dein metropolium christianarum usque ad initium saec. III.[i] evolutionem enarrat (p. 90 sqq.).

Cum primario Orientis ecclesiam describere intendat, transeunter tantum annotat, etiam occidentalis ecclesiae evolutionem non civilium provinciarum divisioni sed ethnographicis et historicis elementis respondisse (p. 105). Evolutione provinciarum civilium, collegii sacerdotum regalium et eccles. metropolium descripta, p. 106 sq. eorum, quae dixit, tabellam praebet.

Cum vero christianismi evolutio ab iisdem, atque collegium illud sacerdotum, ethnographicis, historicis etc. elementis dependeret, pugna (quam auctor late describit p. 108 sqq.) inter religionem christianam et collegia, quae diximus, inevitabilis fuit. Ideo Christiani ad sese defendendos idonea arma parare coacti, ut facilius hostem debellare possent, ipsius arma sibi propria fecerunt. Videlicet collegium sacerdotum regalium firmissimam organizationem habebat: in quolibet enim districtu caput totius collegii summus sacerdos, qui alios sacerdotes sibi subiectos habebat, constitutus erat. Hisce sacerdotibus praesertim saec. III., ut imperatoribus debitus cultus deificus tribueretur, invigilandi officium commissum fuit; proin ipsi laesi cultus reos iudicandi vel saltem ad forum civile deferendi ius et potestatem habebant (p. 109 sq.).

Sectatores cultus Augustorum speciali modo hierarchiae ecclesiasticae, cum in ea religionis christianae firmitatem positam esse conspicerent, ut eam funditus destruerent, bellum indixerunt. Cum autem fanatismus hic praesertim tempore congregationis sacerdotum regalium coniunctarumque cum ea festivitatum summum gradum attingeret, persecutionem christianorum vel episcoporum in urbibus principalibus — ubi collegium illud domicilium habebat — maiore vi quam in aliis locis saeviisse manifestum est (p. 111 sq.). Eam ob causam christiani eorumque episcopi certi districtus arctiorem inter se coniunctionem inibant hacque ratione evolvendae hierarchiae ecclesiasticae viam praeparabant ac sternebant. Organizatae scilicet hierarchiae paganae christiani, ut bellum ab hoste indictum melius sustinere possent, similem hierarchiae suae organizationem (Harnack, Lübeck) opponebant. Hoc modo episcopus principalioris urbis auctoritatem super alios episcopos accepit. Sicque, ut maiori vi hosti sese opponere possent, arma, quibus ipse pugnabat — organizationem nempe hierarchiae — ab ipso (at solum per antithesim) mutuarunt (p. 115 sq.). Hac itaque ratione apparent *πρῶτοι ἐπίσκοποι*, postea metropolitae nominati: quorum iura posteriore tempore synodis ecclesiasticis definita sunt (p. 116).

In secundo capite de synodis agit (p. 117—180). Quaestioni autem de synodis episcopalis dignitatis evolutionem praemittit. Temporis successu episcopus principalis eucharistiae (p. 117 sq.) confector, centrum ac fundamentum ecclesiae factus est, ita ut, qui cum episcopo esset, is cum Deo, in vera ecclesia (119 sq.) esset. Criterium autem legitimi episcopi veraeque doctrinae apostolicae episcopi origo considerabatur

(p. 124 sq.). Episcopi igitur, cum ipse sit sacerdos κατ᾽ ἐξοχήν, invigilandi, gubernandi ac iudicandi fideles ius atque officium est.

Itaque cum episcopus quivis legitimus per succesionem continuam ab apostolis originem ducat, etiam episcopus Romanus verus s. Petri successor eiusque iurium heres est. Sed cuius locum occupat s. Petrus? Non alterius, quam Iesu Christi. Ideo episcopus Romanus — vicarius Christi (p. 126). Cum igitur episcopus ab apostolis descendat, communitas christiana ipsum deponere nulla ratione potest; quam tamen potestatem antiquitus secundum auctorem, si episcopus in peccatum grave lapsus est, habebat (cf. p. 128). Ob has rationes episcopum locum Dei tenere eiusque voluntatem interpretari clarum est: ipse dimittendi peccata potestatem habet, ipse ecclesiae doctor ac propheta est; ipsi resistere peccatum est; immo qui in separatione ab episcopo usque ad mortem perdurat, salutis expers est (p. 128 sqq.).

Synodus vero duplicis generis erat: ordinaria et extraordinaria.

Extraordinaria (p. 133) ad novi episcopi electionem constituebatur: triplex autem elementum in episcopi electione distinguendum est: α) electio vel melius ostensio digni candidati a populo facta: β) iudicium episcoporum de praesentati qualitatibus eiusque approbatio: γ) consensus populi iudicio episcoporum superaddita (p. 137). Cum enim episcopi, qui convenerant, raro quidquam de eligendi dignitate scirent, ideo ad populum eiusque vices gerentem clerum, ut ipsis dignum ostenderent, sese convertebant.

Populus vero unum vel plures praesentare potuit; in utroque tamen casu episcoporum, utpote Dei sacerdotum, iudicium requirebatur. Quod iudicium, ut iustum esset, plures episcopi — saltem tres — necessarii erant (p. 137). Iudicium autem episcoporum Dei voluntati consentaneum fuisse receptio populi certum reddebat. — Generatim auctor, protestantismi principiis innixus voluntati populi divinam voluntatem indicandi ius et auctoritatem attribuit. Secundum haec etiam s. Cyprianum explicat. Si enim populus unanimiter solum unum ut dignum proponebat, episcopis nihil nisi ut praesentatum approbarent, relinquebatur. Episcoporum igitur hoc in casu iudicium significabat consensum, approbationem: — proin de nova ex parte populi approbatione sermo esse non potest (Hefele, Funk id respiciunt). Si vero populus plures candidatos proponebat, episcopi stricte iudicantes digniorem ex praesentatis eligebant. Quod episcopi cum fecissent, populus designatum recipiebat seu illum acceptabat (de hoc loquuntur Sohm, Beveregius; p. 142 sq.). Ad populum etiam inferior clerus (presb., diaconi) ut eius dux pertinebat (p. 143).

Electo candidato ceteri episcopi per principalioris urbis episcopum certiores reddebantur. Hac ratione successu temporis ad principalioris urbis episcopum ius approbandi neoelectum delatum est, quod ius Nicaen. c. 4. 6. sua auctoritate approbavit (p. 144).

Ex doctrina de apostolica episcoporum successione ortae sunt synodi ordinariae (p. 144 sqq.). Episcopi enim synodum Hierosol. I. prae oculis habentes variis de causis, ut communi consilio rem discuterent, certo loco congregabantur. Harum synodorum decreta ab aliis ecclesiis,

si placebat, receptionis via acceptabantur. A Commodi autem tempore synodi, cum maior in dies necessitas id exigat, crebriores fiunt.

Dein synodos saec. II.^{0} et III.^{0} peractas enarrat (p. 149 sqq.), quas, cum in principaliorem urbem convocarentur, tum centrum unionis fuisse, tum τοῦ πρώτου ἐπισκόπου auctoritatem auxisse, ex synodorum historia ostendit. Contra Hefele per fas et nefas demonstrare conatur synodis II. et III. saeculi omnibus etiam populum interfuisse, idque nonnumquam miro modo probare nititur (p. 157 sqq.). Decisionum in synodo factarum sicut in episcopi electione triplex elementum distinguit: α) populi seu cleri quaestionis propositionem deque ea disceptationem β) episcoporum decisionem γ) populi receptionem.

Sed quid significabat illa populi receptio (p. 166 sq.)? Cum secundum auctorem synodus tum oecumenica tum provincialis nomine Christi celebretur (at quanto cum discrimine!!) cumque utraque oecumenicum characterem habeat, nullum dicit fuisse discrimen inter synodum oecum. et provinc. eandemque utriusque esse auctoritatem (cf. p. 170 sq.). Cum porro secundum ipsum nulla synodus (всякiй соборъ) auctoritatem iuridicam super ecclesiam haberet (?), ideo quilibet episcopus vel communitas christiana synodi decisionem recipere vel respuere potuit. Etenim „vopros o tom, Bog li govorit črez episkopov, rěšal ne sobor', no cerkovnaja recepcija. Ostjuda vsjakoe sobornoe opredělenie, čtoby polučit' faktičeskoe priměnenie, nuždaetsja v cerkovnoj recepcii i tol'ko naskol'ko ono bylo recepcirovano, polučalo objazatel'nu silu."

Initio aerae christianae receptionem quaelibet communitas christiana exercebat, — tempore autem procedente a principalioris urbis populo tantum fiebat: ideo in qualibet synodo populus cum suo clero (posteriore tempore etiam solus clerus tamquam populi dux) adesse debebat; omnis enim decisionum synodalium valor a populi receptione, quae eis auctoritatem iuridicam tribuebat, dependebat (p. 173 sq.). Receptione autem a principalioris urbis populo peracta etiam aliarum communitatum receptio praesumebatur: Ex hac autem praesumptione episcopi principalioris urbis auctoritas crescebat (p. 174 sqq.).

Primis saeculis sicut tempus, ita competentia synodi non fuit determinata. Generatim cum res a solo maioris urbis episcopo decidi non posset, vicini episcopi ad synodum convocabantur. Sessionis initium ex eo fiebat, ut convocationis causa et res tractanda proponeretur. In quaestione diudicanda tum clerus tum populus sententiam dicebat: dein cum res dilucidata esset, episcoporum suffragium sequebatur. Decisione facta populus de ea certior reddebatur, qui per clerum suum et consensum et receptionem exprimebat. Episcoporum dein vota in acta referebantur, quae ab episcopis vel eorum vices gerentibus, et nonnumquam a presbyteris subscribebantur. His peractis, episcopus maioris urbis, qui synodum convocaverat eique praesidebat, epistolam synodicam promulgabat (p. 179 sq.).

In tertio capite de metropolitis in primis tribus saeculis loquitur (p. 181—238). Christ. religionis propagandae ratione, praecepto de succurrendo proximo in necessitate constituto, ecclesiastica regula de receptione, persecutionibus christianorum suppositis synodi sicut fideles respec-

tivi districtus in unum coniungebant. ita causa hierarchiae temperandae fuerunt. Ad res maioris momenti peragendas synodi et principalioris urbis episcopus organon fuerunt. At sicut synodus ita *πρῶτος ἐπίσκοπος* initio nulla potestate iuridica seu coactiva instructus solum moraliter per populi receptionem influebat. Ipse enim minoribus communitatibus opem, si indigebant, ferebat: praesertim id faciebat in novi episcopi electione aliisque gravioribus necessitatibus. Primis religionis christ. decenniis hic primi episcopi in novi episcopi electione concursus solum consilium ex caritate praestitum dein consensum vel receptionem, denique approbationem significabat. Hac ratione successu temporis eo perventum est, ut *πρῶτος ἐπίσκοπος* appellationes ab aliis episcopis ad suum tribunal admitteret (p. 181 sqq.). At usque ad III.[i] saec. prima decennia principalioris urbis episcopo nulla iuridica potestas competebat, sed cum ecclesia persecutiones iam non pateretur, organizatio ecclesiae magis in dies evolvebatur, donec eo perventum est, ut synodus primusque episcopus iuridicam potestatem acciperet. Haec iuridica potestas per primorum episcoporum ambitionem magis dilatabatur, idque ita ut iam novi episcopi sine consensu *τοῦ πρώτου ἐπισκόπου* electio invalida haberetur vel *πρῶτος ἐπίσκοπος* ipse candidatum eligeret (p. 185 sqq.).

Ad singula descendens primo de episcopo Romano agit, qui secundum auctorem iam a. 70 post Hierosolymorum excidium universalem quendam characterem nactus est. Id autem sequenti modo factum est. Religio nempe christiana, cum pro omnibus hominibus instituta sit, universalitatem ambiens centrum aptum quaerebat. „Всемірная община, которая не заключала бы въ себѣ Рима, являлась противорѣчіемъ себѣ самой. Нѣтъ Рима, не можетъ быть и вселенной. Отсюда необходимость римской общины для древней церкви“ (p. 189). Romana autem ecclesia huic indigentiae eo satisfaciebat, quod *α*) opem materialem eis, qui indigebant, praestabat; *β*) etiam in spiritualibus laboranti ecclesiae succurrebat; *γ*) praeibat in dilucidandis religionis christianae dogmatibus. „Vsě velikie voprosy učenija, kotorye voznikaly vo II.—III. věkě nahodily v Pimě svoe rěšenie dlja vsej cerkvi“ (p. 190): *δ*) Roma denique organizationis et aliarum constitutionum exemplo aliis praecellebat: Romam ecclesiarum esse matrem, veram ecclesiam, extra quam nulla religio christiana sit, omnemque aliam ecclesiam adnormam Romanae constituendam esse dicit idque, eto ne est' ličnoe vozrěnie Irineja i Kipriana, naprotiv, eto est' uběždenie v s e j drevnej cerkvi (p. 192). Post haec tamen et alia allata dicit, hanc ecclesiae Romanae super alias ecclesias auctoritatem solum spiritualem (fraternum auxilium), non iuridicam fuisse, immo etiam super Italiae ecclesias primo demum initio III.[i] saeculi iuridicam factam esse. Verum argumenta, quae ipse affert, plus probare videntur (cf. 189 sqq.), cumque de Antiocheno et Alexandrino episcopis agit, paulum alia ratione de iisdem sentit.

Quod Alexandriam attinet, apostolica eius origo (saltem existimata), virtus missionis zelus, maioris urbis in Aegypto defectus id effecerunt, ut episcopus Alexandrinus auctoritatem super totam Aegyptum

acciperet. Quae auctoritas successu temporis e spirituali iuridica facta est (p. 199 sqq.).

Eodem modo res se habebat de Antiocheno episcopo, qui medio III.° saeculo iuridicam potestatem adeptus est (p. 223 sqq.). Simili ratione aliorum episcoporum per Asiam dispersorum auctoritas evoluta est (p. 225 sqq.).

Illi autem episcopi in principalioribus Asiae urbibus viventes initio ab invicem independentes erant, donec auctoritatem quandam episcopus Antiochenus acceperit (p. 227). Cuius rei sequentes causas adducit auctor: *a)* apostolicam originem (ss. Petri et Pauli Antiochiae commoratio); *b)* tertio saeculo accessisse hasce: res politicas tertii saeculi, scholam exegeticam, religionis christianae zelum (p. 230 sqq.).

In quarto capite (p. 239—378) de metropolitarum instituto secundum canones Nicaenos spectato disserit.

Imprimis autem divisionem provinciarum a Diocletiano peractam describit. Quae divisio secundum auctorem e duplici fonte idque non seorsim spectato, scilicet indice provinciarum Veronensi et catalogis Patrum Nicaenorum discenda est (cf. praesertim p. 246).

Per hanc Diocletiani reformationem effectum est, ut divisio provinciarum civilium cum metropolibus ecclesiasticis magna ex parte coincideret (p. 241 sqq. et 261). Hic status per edictum Mediolanense et per synodum Nicaenam legitime approbatus est. Etenim secundum auctorem haec de cc. 4.—7. tenenda sunt: — Per cc. 4 et 5 Nicaenae synodi nullam novam inductam esse praxim, sed veterem approbatam esse. Secundum hos canones autem primo episcopo ius synodum convocandi, praesidendi nec non novi episcopi electionem approbandi competebat (cum Lübeck contra Sohm.). Prior autem praxis haec erat: provincia civilis eiusque urbs principalis respondebat metropolibus ecclesiasticis primique episcopi residentiae; — exceptio vero a Nicaena syn. approbata in eo erat, quod metropolis Romana, Alexandrina, Antiochena plures provincias civiles comprehendebant sedesque primi episcopi aliquibus in locis non in urbe provinciae principali fixa erat.

Contra complures canonistas disputans multis argumentis ostendere nititur ante Nicaenam syn. non fuisse patriarchalem dignitatem ideoque nec a syn. Nicaena esse approbatam. (275 sqq. et 341).

Secundum auctorem canonis 6[i] sensus non e textu graeco, qui confusus est, sed ex versionibus eius canonis praesertim ab iis, qui synodo interfuerant, exaratis sumendus est. Sensus autem hic est: Sicut Romanus episcopus super Italiam et Alexandrinus super Aegyptum, Lybiam et Pentapolim, ita Antiochenus super Coele-Syriam et Augustam-Euphratensem iura metropolitana exerceat (non patriarchalia) (p. 351 sqq.); praeterea aliarum quoque ecclesiarum praecellentia approbatur, quia nonnullae, licet civilibus provinciis non correspondeant, iam antea dignitate metropolitana ornatae erant. Ideo c. 6. exceptionem a regula in c. 4. statuta auctoritate sua sancit.

C. 7. episcopi Caesariensis super Palaestinam auctoritatem approbans, minime dignitatem episcopi Hierosol. usu auctam tollit (p. 364 sqq.).

Quod librum ipsum eiusque indolem attinet, haec annotanda esse

videntur: opus a cl. auctore compositum multum ad rem, de qua quaeritur, illustrandam confert aliisque, qui hac de re tractaturi sunt, magno adiumento erit. At, ut sinceri simus, Protestantismi influxus magnus in citato opere cernitur. Etenim secundum auctorem voluntas populi est, quae episcoporum, immo conciliorum etiam oecumenicorum decisionibus auctoritatem formaliter iuridicam attribuit (cf. p. 115, 117, 128, 170, 171 sq. 174 nota, et passim): — dein secundum auctorem antiquitus populus episcopum in grave peccatum lapsum deponere potuit (p. 128) sacerdosque simplex episcopum consecrabat (p. 134).

Ulterius nullum fuisse discrimen inter synodum oecumenicam et provincialem, et discrimen, quod canonistae ponunt, nullo prorsus fundamento inniti, (praesertim cf. p. 171 sq.) multis rationibus, sed modo minime felici ostendere conatur.

Denique confusa, si non falsa, sunt, quae auctor de „receptione“ ecclesiastica dicit.

Index quoque realis et enumeratio operum in libro adhibitorum in fine vel initio libri — non sola citatio — desideratur.

M. Haluščyńskyj.

Странникъ — Strannik 1905 II. nr. 9—12.

Th. A. Kurganov, Čto takoe liberalizm (Quid sit liberalismus) II., 295—319; 514—528, 608—647, 814—862. — Prof. Kurganov, cuius opera historica »nimio rigorismo laborare« A. P. Lebedev (Cerkovnaja istoriografija[2] 548) dicit, initio de notione verbi »liberalis« apud antiquos, apud christianos antiquiores et mediae aetatis tractat (295—298). Tempore reformationis (saec. XVI.) liberalismus huius temporis initium cepit. Saeculis sequentibus omnibus in disciplinis sententiae liberales, religioni christianaeque legi inimicae praevaluerunt. Cum religio eiusque dogmata maxime adversentur liberalismo, liberalismus imprimis religionis fundamenta evertere conatur, libertatem atque uniuscuiusque independentiam praedicans (517); loco veritatis religiosae ponitur »conscientia« et »humanitas« (518). Cuius doctrinae noxia vi factum est, ut veritatis ac proximi amor, iustitia atque honestas evanescant (519). Doctrinae liberales in Europa occidentali in rebus religiosis et ecclesiasticis praecipue inter protestantes rationalismo viam faciebant (612); etiam in ecclesiam catholicam proposita et sententiae liberales (Lamenais, Lacordaire, Gioberti, Ventura e. a.) irrepserunt (614—616). In Russiam tempore Petri M. una cum cultu humano occidentali etiam liberalismo occidentali aditus datus est. Conciliatores et columina liberalismi in Russia semper nobiles (dvorjanstvo) erant. Nunc L. N. Tolstoj liberalismi religioni inimici caput est. Quae sequuntur, ad desiderium libertatis in rebus religiosis, ecclesiasticis, politicis in Russia pertinent. *K.* omnia desideria conatusque cleri Petropolitani, metropolitae Antonii, »ministri« Witte e. a. damnat (814—20). Liberalismum ad scientiam theologicam promovendam non esse necessarium, iam inde sequitur, quod in ecclesia catholica, quae liberalismum damnat, scientia theologica nihilominus floreat (643). Generatim Kurganov de rebus Russicis ecclesiasticis et politicis (814—830; 838—862) diiudicans rem verbis exasperat; quapropter ipsi qui commentariis »Strannik« edendis praesunt, fatentur omnibus eius opinionibus assentiri se non posse (814). — In fine *K.* exponit liberalismum non solum ab eccl. Romano-catholica sed etiam ab omnibus ecclesiis orientalibus damnatum esse (830—838). — De ecclesia catholica *K.* variis locis perperam iudicat, nihilominus in ea multa laudat. Auctoribus catholicis abundanter usus est, quia ipso fatente catholici rem optime tractant (833).

S. Runkevič, Metropolita Stephanus Javorskij eiusque cum Petro M. litterarum commercium. II., 320—336; 437—454; 662—675. Ultimus Russiae non patriarcha sed patriarchatus administrator Steph. Javorskij Petro M. carissimus erat. Cum autem indole sua ineptus esset ad Petrum M. in emendanda republica adiuvandum, nec ab eo iuvabatur nec ad bonum ecclesiae quidquam perficere potuit. »Synodo regente« instituta (1721) a munere suo remotus, a. 1722 mortuus est. Multae ex litteris nondum editae erant; nonnullas publicavit I. A. Čistovič in opere »Theofan Prokopovič i ego vremja« (Spb. 1868), quas *R.* multis locis corrigit.

P. M—v, Papstvo, ego ideja i istoričeskoe osuščestvlenie, po vozzrěniju Vl. S. Solov'eva (Primatus R. P. ad opinionem Vl. S. Solov'ev) II., 455—475. Vl. S. Solov'ev in operibus suis rationibus sublimissimis unionem ecclesiarum propugnat. (Ultimo tamen decennio vitae suae [† 1898] obscure hac de quaestione loqui solebat). Praeprimis primatum R. P. divinitus institutum, ad unitatem ecclesiae servandam necessarium, societati humanae perutilem esse dicebat; insuper quasdam significationes mysticas primatui attribuebat. P. M—v vero, unionis cum eccl. Romano-catholica inimicus, Solov'evio obicit: a) ipsius de primatu R. P. sententias esse abstracte-philosophicas neque cum veritate convenire; b) ipsum secum pugnantem negligere »degenerationem« primatus papalis post ecclesiarum orientalis et occidentalis discidium.

I. Gurij, Vethozavětnaja politika (De rebus politicis V. Foederis) II., 476—492. De Israelitarum foederibus politicis et prophetis V. F.

S. Runkevič, Ioseph, metropolita Pskovskij eiusque cum Petro M. litterarum commercium. II., 796—813.

E. A. A., De nostro papismo et protestantismo practico. II., 757—795. — Principalem ecclesiae Russicae morbum hic scriptor defectum conciliorum oecumenicorum, defectum »spiritus conciliaris« (duh sobornosti) esse existimat, cui oppositus est »papismus practicus«. Papismum practicum »protestantismus practicus« consequitur: dissensio inter clerum et fideles (laicos); perniciosissimus vero est protestantismus (infidelitas) multorum professorum academiarum spiritualium. Restitutio patriarchatus perniciosior ei videtur (propter periculum papismi) quam qua nunc res gubernantur »s. synodus«.

Dr. *F. X. Grivec.*

Странникъ — Strannik 1906, nr. 1—8.

A. Špaldák sub titulo »Iezuitskaja moral'« (I., 118—22) respondet ad aggressiones prof. Bronzov (cf. Sl. l. th. II, 114), qui denuo in eum invehitur articulo inscripto »Iezuitskaja bezzastěnčivost'« (I, 122—36); prof. Bronzov maiore vehementia innovat assertiones suas contra iesuitas et generatim contra catholicos multosque auctores pro sua parte affert. Articulum praesentem concludit verbis: »Catholicismus militans semper fanaticus est, non minus quam sectae muhamedanorum maxime fanaticae. Nec Sirenes »Pragenses nos seducent!«

B. G., Quid Ecclesia »sobornaja« (καθολική) in symbolo fidei significet. I, 100—103. — In symbolo Nicaeno-Constantinopolitano profitemur: πιστεύω . . . εἰς μίαν, ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν; in versione veteroslavica καθολική voce »sobornaja« (sobirati colligere: sobor = concilium) exprimitur. At termino καθολική respondet »vselenskaja«; qua ex ratione ergo translatores terminum »sobornaja« praetulerunt? Terminus καθολική = vselenskaja tunc temporis quo veteroslavica symboli versio adornata est, apud Byzantinos non universalitatem ecclesiae, sed eam tantum, quae finibus imperii Byzantini continebatur et patriarchae Constantinopolitano suberat, significabat. Quapropter translatoribus aptior visa est vox »sobornaja«, ut sic con-

fusionem καθολική vselenskaja Byzantina evitarent. Ita rem explicant A. Gezen (Istorija slavjanskago perevoda simvolov věry. Spb. 1884, 94 etc.) et prof. G. A. Voskresenskij (in recensione libri a Gezen conscripti — Spb. 1886, 16); idem innuunt redactio symboli glagolitica et manuscriptum ex saec. XIV—XV asservatum in Bibliotheca publica imperiali Petropolitana (O. p. I. 7.), quae termino »sobornaja« vocem Graecam originalem appositam habent. Patet ergo ex termino »sobornaja« argumentationem pro synodali ecclesiae regimine, vel pro regimine comitiis deputatorum in statibus modernis simili, desumi non posse; quod statuendum est contra Russos plurimos, qui termino »sobornaja« symboli innixi tale ecclesiae Russicae regimen desiderant vel postulant. Vox »sobornaja« in symbolo fidei cum voce Graeca originali (καθολική) comparata multitudinem fidelium in unum congregatam significat; ita ut multitudinem significet, unitatem autem adsignificet.

V. A. P., Quaestio de origine religionis christianae in systemate materialismi historici. I, 66—87, 180—200. — De opinionibus religiosis Marx-ii eiusque sequacium (marxistae) agitur.

S. Runkevič, Černigovskie arȟierei v iȟ perepiskě s Petrom Velikim (Episcoporum Černigoviensium cum Petro M. litterarum commercium) I, 41—58. — Ex archivio imperiali deprompta.

Idem, Arȟiepiskop Theofan (Prokopovič) v perepiskě (litterarum commercium) s Petrom Vel., I, 201—17.

Idem, Mitropolit Novgorodskij Iov v ego perepiskě s Petrom Vel. I, 369—98, 561—83, 717—33.

S. Sobolevskij, Sud nad Ȟristom i razpjatie Ego s točki zrěnija istorii i arȟeologii (De Christi condemnatione eiusque cruci affixione ex parte historica et archaeologica considerata) I, 233—56, 399—414 — *S. S.* prof. »philologiae classicae« in universitate Moskoviensi solida argumentatione historica iniustam Christi per synedrium condemnationem ostendit. Tempore Christi certe valebat processus criminalis in Talmud contentus, qui evidenter omnino iniustum in causa Christi procedendi modum ostendit (240—48). Pilati auctoritas apud Iudaeos et apud Caesarem propter incautum eius contra Iudaeos agendi modum tunc temporis iam labefactata erat; inde eius timor explicatur (252—54). Processus iudicialis apud Pilatum probabilissime lingua Graeca agebatur; crimen, propter quod I. Ch. iniuste condemnatus est, erat crimen contra rem publicam (256).

Gl. N—j., De »indice« (Index) et librorum censura catholica. I., 630—34. — Auctor laudat hanc eccl. catholicae institutionem, quae doctrinae et scientiae puritatem earumque cum potestate eccl. connexionem tuetur; etiam pro ecclesia Russica simile quid commendat.

A. I. Jacimirskij, De momentis quibusdam (něskol'ko momentov) ex historia mysticismi religiosi Russici saec. XIX. I., 734—47, 899-912. — De influxu Isaaci scriptoris Syri (saec. V.) in monachos Russos.

Prof. V. Kerenskij, De veterocatholicis a sac. P. Světlov defensis I., 297—317, 462 sqq. 646—666; II. 235—75. — Prof. *K.* acriter contra P. Světlov pugnat de veterocatholicorum doctrina: de ecclesia, »filioque«, eucharistia, de veneratione sanctorum, de veterocatholicorum cum ecclesia Russica unione.

Vl. Il'inskij, De psychologia ac vitae ratione Russorum saec. XVI., II., 172—81. — Giles Fletcher munere legati Anglici a. 1588 in Russiam venit; in Angliam reversus de Russis librum conscripsit, qui a. 1591 Londini editus est. Qui liber a. 1848 in linguam Russicam versus est, at anno demum 1905 publice edi potuit sub titulo: O gosudarstvě russkom ili obraz pravlenija russkago carja, s opisaniem nravov i obyčaev etoj strany (Spb. A. Suvorin). G. Fletcher deplorabilem populi Russici tunc temporis statum omni

ex parte ac vivaciter describit. Russos magnas quidem facultates naturales possidere, iis tamen non uti, pigritiae et ebrietati nimis indulgentes. Populum cum ab imperatore tum a nobilibus ad libidinem opprimi, nec resistere, sed omnia haec serviliter sufferre. Russiam esse terram servitutis et iniustitiae. — Liber hic etiam in versione Gallica extat: La Russie au XVI. siècle. Leipzic et Paris 1864. —

Prof. *A. Bronzov* II., 231—233 sub inscriptione „Odno iz dvuh« contra „Civiltà catholica« (1906, 21. aprile) distinctionem suam inter doctrinam moralem iesuitarum et catholicam defendit; p. 233 sq. vero contra »Sl. l. th.« scribit »Poslědnoe slovo ob iezuitah«. Ad quae id tantum respondendum videtur, distinctionem talem inter theologiam moralem iesuitarum et catholicam, qualem Bronzov defendit nec ab ecclesia nec a theologis catholicis agnosci; si doctrina iesuitarum tam perniciosa, falsa, a catholica diversa esset, certe a potestate ecclesiastica damnanda esset. (Cf. Strannik 1906 I., 630—34 de »indice«). — Auctores Hałušèyńskyj, Večeřa, Grivec nec iesuitae sunt, nec ullum ex auctoribus Russicis spernunt, sed e contra libenter de scientia Russica referent, modum vero pugnandi, quo nonnulli auctores Russici in pugnis scientificis utuntur, laudare non possunt.

Dr. *F. X. Grivec.*

B. I. Gladkov: **Толкованіе евангелія. Evangelii interpretatio.** St. Pb. — I. Tuzov 1906. pp. 686 VIII°. — Pr. 1·60 R.

Liber dedicatus est „laborantibus et oneratis, quos vocat ad se Christus“. Auctor operam suam prorsus gratuito, absque ullo stipendio praestitit. In praefatione exponitur, qui fiat, ut homines qui cultura intellectuali instructi sunt, a vita fidei desciscant, quum tamen materialismus aevi nostri in homine gnavo et probo taedium creare debeat et non animi quietem, rationibusque vel naturalibus vitae spiritualis et Christi amor commendetur. De quibus auctor expertus in se usuque doctus scribit.

In introductione (9—44) modo plano et perfecto quattuor evangeliorum authentia et fides firmissimo quoque allato testimonio probatur, nec non fidei christianae obsignatio, Domini N. resurrectio, Messiaeque in V. F. per vaticinia annuntiatio lectori subiciuntur.

Operis corpus 23 capitibus constat, in quibus vita D. N. ad ascensionem eius in coelum textibus e quattuor evangeliis depromptis et chronologice intra tria Paschata dispositis verbis scriptorum sacrorum consideranda proponitur. Accedit uberrimus commentarius, qui nexum restituit, dubia, quibus via ad Christum forte obstruatur, praeoccupat, recentissimorum studii biblici adiumentorum semper habita ratione, etsi omnium locorum explicationem probare non possumus.

Ut saltem unum locum notemus: In explicando Mt. 19, 9 G. tenet unitatem matrimonialem adulterio tolli et matrimonium fieri dissolubile: ideoque coniugi coniugem adulterum aversanti novi matrimonii copiam esse. „No tak kak eta nerastoržimost' braka vytekaet kak neobhodimoe slědstvie, iz sočetanija mužščiny i ženščiny v odno céloe, to ponjatno, čto razdvoenie ih dolžno lišat' i samyj sojuz ih značenija nerastoržimago . . . . Takoe (1 Kor. 7, 4) edinstvo ploti, osnovannoe na predostavlenii mužem svoego těla v iskljućitel'noe obladanie ženy, i ženoju svoego těla v takoe že obladanie muža, nesomněnno narušaetsja s pojavleniem tret'jago lica, zavladěvajuščago tělom

odnogo iz nih: proishodit razdvoenie cělago, raspadenie sojuza" (p. 218). Sed haec interna exceptionis ab insolubilitate matrimonii ratio non videtur posse cum ipsis Domini verbis conciliari. Nam *1)* Ipse eum, qui sine iusta causa uxorem dimittit, adulterii reum appellat (Mt. 5, 32) — sive quatenus auctor est actus, qui peccatum esset, si maritus peccato suo vinculum non solvisset, sive quatenus est auctor veri peccati: et certe non minus (nonnumquam manifesto magis, cum „tertia persona" cum consensu utriusque coniugis [ne loquar de polygamia Iudaeorum] intervenit!) ille contractum matrimonialem tollit, qui uxorem sine iusta causa dimittit, quam qui adulterium facit vel patitur. Iam hoc posito Christus certe dicere potuit: Qui uxorem iniuste dimittit, peccat, adulterii reus, adulter est, verum uxore dimissa aliam ducere peccatum esse potius negandum erat, quia ipsa dimissione matrimonium iam solutum fuisset. — *2)* Christi sententia, eum qui sine iusta causa uxorem dimittat, causative adulterium committere, generalis est, ideoque et ad eos, qui uxore dimissa aliam ducunt et ad eos, qui non ducunt, extenditur. Verum si (e sententia *G.*) novis nuptiis matrimonium prius solveretur, non posset bene ad omnes extendi, quia ille veri adulterii vera causa esse non posset, qui uxore dimissa statim aliam duceret. *3)* Neque illa sententia universaliter vera esset, eum, qui dimissa uxore aliam ducat, moechari: si enim commisso iam ab uxore dimissa adulterio aliam ducit, a G. moechari dici non potest. — Sensus igitur verborum Christi non potest esse: adulterio commisso utrumque coniugem vinculo matrimoniali liberatum esse Sed generatim nihil his verbis, non solum de praecipiendis („ne uzakonjaja razvod daže po vině preljubodějanija") sed nec de permittendis („vslědstvie grěhosposobnosti ljudej") novis nuptiis in casu adulterii esse s a n c i t u m, eas esse tantum t o l e r a t a s et tolerabiles iudicatas (secundum Grimm, Nisium, al. cf. Sl. l. th. I., 159) certum videtur esse. Sane, si quam solubilitatem matrimonii Christus sanxisset et non solum tolerasset, determinavisset necessario, cui novum matrimonium inire liceret: utrum solis iuste dimittentibus an etiam vel iniuste vel iuste dimissis: item utrum solis viris an etiam uxoribus. Sed, licet e Christi et Pauli verbis saltem uxores sive iniuste dimissas sive iuste discedentes a novis nuptiis prohiberi probari possit, quod et orientalis ecclesiae testimoniis (Io. Chrysostomi, Rabulae, Basilii) satis confirmatur, res tamen non est tanta claritate proposita, quae legem vel privilegium decet nec reliquis quaestionibus solvendis satis inde provisum est. Neque tale Christi decretum ab aliis evangelistis aut a Paulo praeteriri potuisset.

Stylus commentarii eiusmodi est, ut suavitate et firmitate Christi cognitionem atque virtutum eius amorem et imitationem omnibus, qui veritatem et pacem sincere quaerunt, familiarem reddere valeat. Vere coeptum Deo gratum et ecclesiae proficuum D. Gladkov suscepit! Cum liber totus quantus sit in cultura religiosa commendanda et fovenda, pluribus quaestionibus criticis discutiendis supersedemus, quamvis haud unum apte et acriter observatum s. scientiae cultores exinde depromere possint. Liber approbationem quoque s. Synodi nactus est. Quam plurimos lectores et fata prosperrima ipsi exoptamus. *C. Večeřa.*

Труды кіевской духовной Академіи (Trudy kievskoj duhovnoj akademii). 1905.

A. Dmitrievskij: V čest' kakoj ikony Kazanskoj Božiej Materi ustanovlen prazdnik 22 Oktjabrja? (In cuius imaginis Kazanensis Deiparae honorem festivitas 22 Octobris instituta est?), I., 188—219. —

Cum mense Iunio (resp. Iulio) 1905 imago Deiparae in Kazań ab aliquo fure ablata sit, quaestio oritur, utrum festivitas 8. Iulii et 22 Octobris in huius imaginis honorem constituta retinenda sit necne. Advertendum autem est multa esse hoc tempore, immo iam et prioribus temporibus authenticae et primariae imaginis exemplaria, spiski, quae variis miraculis conspicua sunt. Unum e talibus exemplaribus Moscoviae invenitur, in cuius honorem, cum ipsi Russi victoriam 22. Octobris a 1612 de Polonis adscribant, iam inde a nominato anno festum celebratur. V 1649 godu městnyj moskovskij prazdnik 22. oktjabrja v česť čudotvornoj ‚kopii' s javlennoj ikony Kazanskija Božija Materi dělaetsja, po ukazu carja Aleksěja Mihajloviča, — ipse enim generationem filii sui Demetrii 22. Octobris Deiparae interventui adscribebat — obščerossijskim že prazdnuetsja toržestvenno po vsej Rossii (p. 206).

Eiusdem imaginis aliud exemplar Petropolim, cum regum sedes illuc Moscovia translata esset, translatum est, ita ut imago Deiparae e Kazań imago familiae regiae fieret.

Itaque, mutato tantum aliquatenus officio, festivitatem 22. Octobris retineri posse dicit.

N. Stelleckij: Socijalizm — ego istorija i kritičeskaja ocěnka s hristianskoj točki zrěnija (Socialismus — eius historia et censura iuxta christianismi principia) I., 220—245, 576—597. Enarratis socialismi fatis in genere, iam socialismi in Russia evolutionem adumbrat. Iam inde enim a tertio decennio saeculi XIX[i] socialismi ideas iuventus Russica libenter accipiebat. E multis primus A. Gercen eminebat, qui potius Saint-Simon quam Fourier ideas sequebatur; summopere autem populi ‚libertatem' et tertiae classis interitum desiderabat.

Verum proprius socialismi in Russia pater M. Bakunin est. A quarto decennio saec. XIX.[i] socialismi fautor anarchismi theoriam a Proudhon delineatam maxime evolvit. Bakunin omnem auctoritatem, ipsamque regiminis notionem negabat, religionemque ut hominum figmentum reiciens, atheismum inter primos societatis novae articulos posuit. Bakunin quoque propter sua principia nihilismi princeps reputatur.

Quinto decennio socialismus in Russia maxime grassabatur. Inter eius sectatores inter alios P. Annenkov et Bělinskij numerabantur; praeter alios autem M. Petraševskij in socialismi ideis propagandis excellens exstitit. Ab a. 1845[o]. enim apud ipsum multi conveniebant deque sociali quaestione disputabant. Libentissime autem hoc tempore ideae a Fourier propositae acceptabantur. Dostoevskij quoque ad hanc pertinebat societatem. At regiminis 7. Aprilis 1849. interventus et repressio idearum a Fourier propositarum interitum ad tempus paravit.

Sexto decennio reformatio secundum socialismi prinicipia peragenda animos occupabat. Quorum conatuum principalis auctor N. Černyševskij erat. Licet principiorum Fourier novus propagator fuerit, in multis tamen ab ipso differebat: maiorem enim vim quaestionibus politicis tribuebat, erga religionem autem plus indifferentiae fovebat. Et quamquam scholae a Fourier conditae assecla fuit, semper tamen magis suo sibi iudicio utebatur. Eodem tempore rigidioris socialismi propagator N. Dobroljubov fuit, qui nihilismi in Russia pater censetur.

A. 1861. et 1862. regimen severius adversus socialistas procedere coepit; per quod tamen contra se motum excitavit. Animos maxime D. Pisarev sollicitabat; cuius studium fuit populo ‚absolutam' sub omni

respectu libertatem vindicandi. Sed quod socialistae intendebant, id omne Dobroljubov et Pisarev, nihilistarum, opus destruebat. E Pisarev, qui septimo decennio illo tempore vigentem rerum statum annihilare cupiebat, schola Zajcev, Lavrov, Tkačev prodierunt.

Octavo decennio elapsi saeculi multi utilitarismum et D. Pisarev ideas aversantes, populi utilitatem omnibus aliis anteponebant (‚narodničestvo'). Totum agmen ducebat sociologus Mihajlovskij.

Nono decennio Russicus idealismus novas subiit mutationes. Felicem successum doctrina L Tolstoj ‚de non resistentia malo' habuit. Eius auctoritate in societate nisus oritur, ut quod cultura attulit, removeatur; ipse ulterior nihilismi propagator merito censetur. Decimo decennio sententiae a Marx propositae propagantur, simulque bellum contra nationalismum octavi decennii geritur. Theoria haec omnia secundum materialismi principia explicans imprimis a Beltov, Struve, Tugan-Baranovskij, propagatur et in ephemeridibus »Načalo«, »Žizn'«, »Naučnoe Obozrěnie«, et aliis proponitur.

Simul cum praedicta theoria decadentismus suos habet asseclas; inter alios hic M Gorkij, et L. Andreev recensentur.

Descripta socialismi origine et progressu, ad placitorum eius censuram accedit.

K. Thomenko: Iaponia, I., 271—287. Qui sit hoc tempore rerum status in Iaponia breviter narratur. Populum Iaponicum atheisticum esse dicit, cum tres religiones, quae in Iaponia dominantur, ‚dogmatibus, precibus, cultu' (p. 278) destitutae sint. Populus tamen Iaponicus tolerantiae amator et a fanatismo alienus est. Humanioris vitae occidentalis auctoritatem in Iaponia paupertatis gliscentis causam esse queritur (p. 286). Miror, quod scholarum in Iaponia statum in eadem linea ac Turcorum scholas ponat et unde priscorum missionariorum saec. XV. et XVI[i] vitam nigris coloribus describat.

De Russica missione, quae a. 1861 erecta est, haec habet: numerus orthodoxorum 28230 est. Parochiae orthodoxorum numerantur 260. Clerus 39 membris constat, ex quibus tres, praepositus missionis, ep. Nicolaus, praefectus legationis (ambassadeur Russiae) et lector unus natione Russi sunt, alii e Iaponia oriundi.

J. A. Arhimandrit Antonij (arch. Antonius), I., 288—290.

D. Bogdaševskij: Poslanie sv. Apostola Pavla k Evrejam (epistola s. ap. Pauli ad Hebraeos) I., 325—359. Bogdaševskij de epistolae ad Hebraeos auctore, fine, lingua, argumento, verbo — omissa singulorum versuum exegesi — de eius authentia inquirit adversariorumque obiectiones rationibus breviter indicatis refutat.

Epistolam fuisse lingua Graeca conscriptam et usus verborum LXX et scribendi genus convincere videntur (p. 326 sqq.). Quod vero eius auctorem et authentiam attinet, inspectis Clem. Alex, Originis, Eus. testimoniis, eam genuinum s. Pauli fuisse foetum omnino tenendum est. Idem et ecclesia Romana ante saec. IV[um] tenuit, Eusebio enim teste »spory o poslanii Pavlovym iměli častnyj i dovol'no slučajnyj harakter« (dissidia de epist. Pauli particularia et omnino fortuita erant). Hippolytus R. et Caius presb. ideo epistolam admittere noluerunt, ut adversariis — Hipp. Theodoti asseclis, Caius Proclo — efficaciter resistere possent; fragm. Murator. vero omnino bene explicari potest (p. 328 sqq.).

Secundum auctorem dubitatio seria de genuinitate solum ex epistolae stylo repeti potest. Quod enim quidam ‚in hac sola epistola de Christi pontificatu (pervo-svjaščenstvě) agi' obicere non cessant, haec gravis difficultas censeri non potest; etenim in hac sicut et aliis epistolis de sacrificio s. Paulus fuse exponit — ubi autem sacrificium adest, illic et pontifex una adesse debet; — deinde propositum quoque epistolae. ut doctrina de pontifice intelligi possit, prae oculis habendum

est: Paulus enim figuras V. T. in Christo evasisse hac epistola ostendere intendit (cf. IX. v. 24 et alios).

Nec Philonimus hic ulla ratione invenitur. Verba enim, ,ἀπαύγασμα τῆς δόξης' ad Sap. VII, 25 sqq. potius quam ad Philonis locutionem alludunt. Dein Philonis ,λόγος τομεύς' nihil commune cum Heb. IV, 12., ubi de verbo, quod prophetae et ultimis temporibus Filius locutus est, agitur habet; cf. etiam V, 13. Verbo, haec et alia epistolae auctorem operum Philonis ignarum non fuisse, cum plurimum, ostendere possunt, cum aliae ideae eaeque satis diversae apud utrumque inveniantur Philoque ipse nihil de Verbi (λόγος) incarnatione sciverit (p. 335 sqq).

Quod difficultatem, quae ex epistolae stylo petitur, attinet, non maior dissimilitudo cum ceteris epistolis habetur quam inter apocalypsim et IV. Evang. Dein Pauli stylus pro rerum adiunctis variam subit mutationem et, cum nulla urgeat necessitas — nulla enim ad iudaizantes allusio fit (?) — maior diligentia in conscribenda epistola adhibita est (p. 341 sqq).

Difficultatem ex II, 3. haustam sic solvit auctor: s. Paulus citato loco non ab apostolis sed ab immediatis vitae Domini testibus sese discernit; — aliam difficultatem ex c. IX. petitam sic diluit: licet »dannago města poslanija my točno izjasniť ne možem« (hunc textum clare intelligere non possimus), probabilius tamen θυμιατήριον non de thuribulo, sed de altari thymiamatis explicandum est; alii eiusdem capitis difficultati ex 2 Par. V, 10. et Ioseph., Antiq. VIII, 4, 1. medetur. Inter epistolae auctorem et scriptorem non bene distinguit. Sic enim argumentatur: Si epistola haec s. Pauli non esset, nemo posset eius auctorem nominare; — id quod authentiae negativum argumentum censeri potest (p. 347.). Dein argumentis, quibus haec epistola Barnabae, Apollo, s. Lucae, Silvano, Priscillae, eiusque viro Aquilae adscribitur, refutatis eam non solum a Paulo conceptam sed et scriptam esse iudicat.

Verum tertium adhuc restat, de quo quaeratur; — etenim praeter auctorem, scriptorem, redactor quoque secundus a multis, v. g. Kaulen, Cornely ponitur, isque Clemens Romanus fuisse recte putatur. De hac opinione aut de s. Clemente Bogdaševskij ne mentionem quidem facit.

Epistolam eandem Romae esse scriptam cum ,οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας' tum subscriptiones multorum veterumque codicum: ,ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης' vel ,ἐγράφη ἀπὸ Ἰταλίας' suadent. Iudaeos in Palaestina lectores fuisse epistolae contextus persuadere videtur. Ut auctores catholicos saltem aequa ratione ac protestantes Bogdaševskij alleget desiderandum est.

N. Muhin: Magija i koldovstvo u Assiro-vavilonjan (De magia apud Assyrio-Babylonios) I, 405—427.

Textibus et documentis ex opere ,Cuneiform inscriptions of Western Asia' et ex operibus Lenormant desumptis doctrinam de magia apud Assyrio-Babylonios in unum systema redigit. Singulare est, quod p. 425 scribit: »Ni odin narod jazyčeskoj drevnosti nepohodil stol' blizko k biblejskim predstavlenijam o grěhě i o neobhodimosti pokajanija i smirenija v dělě primirenija s božestvom, kak assiro-vavilonjane.

A. Dmitrievskij: Triod Postnaja — učilišče blagočestija (Triodion, speculum iustitiae I., 428—444. Cum in alia sua oratione: »Triod postnaja — učilišče blagočestija 25 apr. 1904. de ieiunio secundum Triodion locutus esset, hic de ,precatione et poenitentia' ex eodem Triodio sermonem instituit.

Adductis de precatione et poenitentia ex Triodio sat multis textibus iisque paululum explicatis, ita concludit: Cum doctrina haec — ex Triodio deprompta — s. scripturae, ss. Patrum et scriptorum eccl. operibus innitatur cumque ex altera parte sat antiqua merito habeatur, eadem et in posterum ab orthodoxis firmiter tenebitur.

P. Stroganov: arh. David Naščin'skij, rektor Kievskoj Akademii vtoroj poloviny XVIII. stolětija (arch. David Naščin'skij, rector

Kioviensis Academiae descendente saec. XVIII) I., p. 445—458. Stroganov, documentis e historia monasterii Bèzjukov desumptis, vitam Davidis N. proponit completque. David N. (* 1721, † 1793) Academiae Kioviensis rector fuit ab a. 1758 61, deque ea id meruit, quod sub ipso professores secundum s. Io. Damasceni opera dogmaticam proponere debebant. Ab. a. 1761 archimandrita fuit in variis monasteriis.

David N. a. 1743. opera Theophanis Prokopovič Vratislaviae sub titulo ‚Miscellanea sacra' a. 1745 alia eiusdem opera: ‚lucubrationes ill. et rever. Theophanis Prokopovicz' edidit. Cum a rectoris officio liberatus esset, varia opera moralia componebat.

M. Posnov: K harakteristikě vnutrennej žizni poslěpiènnago iudejstva. (Ad vitam internam Iudaeorum post exilium melius intelligendam) I., 360—404.

Relata de ‚magna synagoga' Abr. Kuenen opinione notisque non raro sat gravibus ad eam vel potius contra eam additis, refutat eam et ‚magnae synagogae' exsistentiam defendit. Imprimis breviter annotatis argumentis, quibus ostenditur Esdram utraque potestate, civili et sacra vestitum fuisse peritosque ac doctos viros congregasse, de tempore subsequenti inquirit. Sed cum de synedrio constet, solum de tempore intermedio ad saec. II. quaestio esse potest.

Ne aedificium fundamento careat, per plures textus ex libris Esdrae, Nehemiae, Machabaeorum et Iosephi Fl. antiquitatibus demonstrat non fuisse a populi Iudaici moribus alienum, habere virorum congregationem, qui populum non ad tempus, sed permanenter regerent. Quibus suppositis de magna synagoga quaerit. Licet autem de ipsâ Talmudica testimonia praeter Pirke aboth sat brevia et obscura sint, eius tamen exsistentiam historica Iudaeorum evolutio necessario postulat exigitque. Quod ut ostendat, primum Esdrae actionem describit, dein ex Talmud aliisque id generis monumentis operis Esdrini continuationem enarrat. Quam historicam evolutionem in eo auctor reposuit, quod Esdra labefactatam ante sua tempora apud Iudaeos spem Messianam erexerit populoque eius a Deo electionem ante oculos posuerit eamque in lege Mosaica reconditam esse populo persuaserit. Inde mirum nemini esse debet, quod populus subsequenti tempore legem addiscere eamque observare omnibus viribus studebat. Tempus ab Esdra usque ad Machabaeos legi cognoscendae consecratum est tempusque nominatum, ‚sopherim' periodus aurea merito censeri potest. ‚Synagoga magna' 120 membris constabat et in duplicem classem dividebatur: unam, quae 35 membra et alteram, quae 85 numerabat; ad priorem pertinebant viri docti, ad posteriorem homines civiles ex variis populi classibus electi. Cuius ‚synagogae' actiones maxime ebabylonico Talmudo describit.

Adnotandum tamen videtur esse ea, quae auctor de ‚Sopherim' et ‚Sekenim' potestate iuridica loquitur, minus clara esse minimeque finita censeri posse. Confuse quoque de gentilium in libros quosdam sacros influxu scribit (p. 394 sq).

A. Glagolev: Sionitskoe dviženie v sovremennom evrejstvě i otnošenie etogo dviženija k vsemirno-istoričeskoj zadačě biblejskago Izraelja, (Actio sionistica apud Iudaeos huius temporis eiusque ad biblicum Israëlem relatio) I., 513—565. Actionibus et agitationibus, quae ultimis decenniis ad sionismum excitandum factae sunt, descriptis et enarratis, horum omnium motiva politica et oeconomica et non religiosa fuisse adnotat convenientibusque argumentis comprobat. Immo ipse ‚officialis' sionismus et sex sionisticae congregationes erga religionem omnino indifferentes sunt. Indole Iudaeorum depicta et circumstantiis hodie vigentibus enarratis sionismum quem ‚spiritualem' vocant prospera fortuna usurum esse dicit.

P. Kudrjavcev, professor Markelin Alekseevič Olesnickij (prof. Marcelinus Olesnickij * 1848 † 12 aprilis 1905) I., 675—704.

Ab a. 1873—95. de morali et paedagogica praelectiones in Academia Kioviensi habebat, ab a 1895. in eadem Academia de psychologia praelegebat. Olesnickij diligenter sese ad praelectiones praeparabat auctoresque de re, quam studentibus proponebat, tractantes continuo pervolvebat. Libri, maxime vero eius praelectiones eo excellunt, quod semper studiis suis sat amplam litteraturae in licem praemittebat; rem vero ipsam in systema redigebat. Eius meritum in eo positum maxime est, quod ipse eo tempore, quo de moralis reformatione in Russia cogitabatur quoque moralis exculta nondum erat, ita ut solum duo respective tria opera scientifica edita essent, (nempe »Pravoslavno-ȟristianskoe učenie o nravstvennosti« 1887. I. Janyšev ; »Načertanie ȟristianskago nravoučenija« Theophanis Zatvornik et ‚Opravdanie dobra' V. Solov'ev,) — ipse eo tempore opera sua systematice et scientifice, — ut dicunt eius recensentes — elaborata edebat.

In eius operibus protestantismi influxum inveniri extra dubium est; sed recensentes eius de huius influxus gradu non conveniunt: alii, ut Linickij et Jastrebov in malam partem explicant, alii ut Bronzov mitius eum interpretantur. Immo nec superiores eius immediati in Academia semper eius praelectiones approbabant, a. 1895⁰, cum metr. Ioannicius minus rem probaret, de morali praelegere interrupit, et usque ad mortem suam de psychologia praelectiones habebat. Secundum profess. Linickij et Glubokovskij sententiam Olesnickij ita moralem tractabat, ut »dolžno soznat'sja, čto vo vsem etom sobstvenno ȟristianskago poka ničego nět« (p. 690).

Quid Russi de ethica christiana sentiant, optime ex recensionibus de Olesnickij opere »Iz sistemy ȟristianskago nravoučenija«, quod ad doctoratus gradum obtinendum proposuit, editis elucet. Recensentes dissentiunt; quam dissensionem demonstrare, čto vzgljad na ȟarakter pravoslavno-ȟristianskago nravoučenija doselě ešče ne ustanovilsja v russkoj bogoslovskoj literaturě« (p. 692), Kudrjavcev dicit

Praecipua M. Olesnickij opera haec sunt: 1. Istorija nravstvennosti i nravstvennyȟ učenij'. Kiev. I., 1882, II, 1886; 2 Nravstvennoe bogoslovie. Kiev, 1892; 3. Iz sistemy ȟristianskago nravoučenija. 1896; 4. Polnyj kurs pedagogiki, 1. pars 1885, 2. pars 1887. —

M. Olesnickij operum censuram desideravimus

Absolvetur. *M. H.*

Nikolaj Glubokovskij, **Благовѣстіе св. Апостола Павла по его происхожденію и существу. (Blagověstie sv. Apostola Pavla po ego proishoždeniju i suščestvu.) De origine et genere evangelii s. Pauli Apostoli.** Quaestiones biblico-theologicae. Liber I. Spb., typogr. Montvid, 1905, LXX + 890.

Notus cum laude auctor primo hoc libro collectas de Paulo et Evangelio suas dissertationes ordinate lectoribus praebet. Crassius volumen duobus tractatibus constat, quibus introductio erudita praemissa est. De tractatu I. iam anno I. „Sl. l. th." p. 21-24 relatum est.

In introductione (I—LXX) dissertationis momentum expenditur. Gravissimae enim veritates religionis christianae cum argumento tractationis connexae sunt. „Sub omni respectu et quibuscumque etiam maxime oppositis tendentiis Paulus Apostolus clavis apparet esse ad integram historiam christianam" p. IV. Hinc mirum non est, quod criticismus Paulum doctrinis praeconceptis suis maxime adaptare studeat, quo Christum Pauli seu dogmaticum efficacius Iesu historico valeat contraponere. Quem in finem omnia Pauli in diversissimas partes distorquent, si modo aliqua ratione placita sua Pauli auctoritate sancire et auctoritatem divinam ex opere et persona Christi auferre possint:

pervertunt Pauli educationem, studia, historiam, sententias. Quod e copiosissimo huius farinae auctorum elencho et scriptis, maxime edictis sagacibus, eorum allegatis doctissime ostenditur. Quae hypotheses, quantumvis sagaces, cum vehementissimas contradictiones statuant, tamen a criticis retinentur et Paulus omnium errorum et ineptiarum magister et compilator audacter obtruditur. „Quoad originem subiectivum et quoad argumentorum structuram compilatio — Pauli evangelium exhibens indigestam disparatorum elementorum molem (Dr. Martin Brückner), scatebat multiplicibus contradictionibus (Louis Guilliny) et internis discrepantiis (O. Pfleiderer), quia auctor non omnia capita pari cum sedulitate disquisivit neque in harmoniam redegit et saepe varias concessiones admisit (Orello Cone) prout missionaria eius experientia exigebat aut prona erat (H. J. Holtzmann)" p. LXIV. Cum hic sit dissertationum criticarum tenor, facile conceditur utile, immo nesessarium esse, ut omnia argumenta novo examini subiciantur, quo periculo et rationi et conscientiae uniuscuiusque eluceat testimonii, quod Paulus sibi ipse fert, veritas, quia „Evangelium, quod evangelizatum est a me, non est secundum hominem" (Gal. 1, 11.)

In tractatu II. magnus ille exegeta, qui divinum in Pauli conversione interventum luculentissime evicit, idem et quoad Pauli evangelium demonstrandum suscipit; non audiendos esse Holsten, Fred. Rendall, H. J. Holtzman, A. B. Bruce, P. de Lagarde, Jules Bovon, Harnack et alios, qui sicut Pauli conversionem ita et evangelium naturali iudaismi evolutioni tribuunt, sed Apostolum, qui Philipp. 3, 7 protestatur: „Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta."

Capite primo (148—182) quaestio de Pauli eruditione rabbinica, dubiis rationalistarum multum distorta, iterum exponitur et quid de ea recte teneri possit, demonstratur. S. Paulus cum rabbinorum plausu sublimem scholasticam iudaicam cum omnibus subtilitatibus didicerat et omnium oculos et vota in se attraxerat. Quod cum ex testimoniis epistolarum eius non constet, certo colligitur ex Act. 22, 3, ubi Paulus Gamalielis (e schola Hillel) discipulum se dicit, cuius testimonii momentum A. Hausrath arbitrarie addubitavit, confirmatur vero quam maxime Talmudistarum de s. Paulo alto silentio, quod minime ad ignorantiam inculpatam (Samuel Weyler) sed ad oblivionem crasse affectatam referendum apparet, qua Paulus, olim gloria, postmodum formalismi et ritualismi inepti acerrimus oppugnator, oppressus est.

Neque umquam assertam Pauli ad Gamalielem relationem expugnabit Samuel Weyler ad litteras provocando, quas Paulus a summo sacerdote ad Damasci synagogas petiit et obtinuit. Contra omnia rerum adiuncta enim offendit, cum contendit Paulum litteras illas potius a synedrio postulare debuisse. Paulus enim procul dubio Theophilum, licet illegitime creatum, agnovit (Act 23, 2—5); Gamaliel, conspicuum quidem synedrii membrum (Chwolson), minime vero eiusdem collegii praeses fuit, quod a pristina iurisdictione prorsus exciderat. Ceterum, cum ne summus pontifex quidem iurisdictione in diasporam esset instructus, Damascenis autem persuasum esset, Paulum Christianos

captos ad summos sacerdotes (munere functos, qui in synedrio sedebant) ducturum esse (Act. 9, 21), apparet, quam legitime quoad magistratus iudaicos sese gesserit. Neque argumentatio quorundam (Renan, Hausrath) ex contrariis invicem ingeniis Pauli et Gamalielis petita melius procedit. Si enim Actuum scriptor Paulum per Gamalielem magistrum vafre commendare voluisset, hoc certe non semel tantum fecisset. Commemoratio Gamalielis minime ad conciliandos Iudaeorum animos a Paulo facta est, neque per moderationem sed furorem excepta est. Denique, et hoc caput est, Glubokovskij neque eorum sententiam suam facit, qui Gamalielem aliter in schola docuisse, aliter in synedrio prolocutum esse dicunt, neque eorum, qui Christianorum fautorem fuisse credunt, sed callidum christianorum inimicum, qui non ita synedrii membra sermone specie tenus ambiguo decipere, quam prudenti moderatione eorum impiis conatibus efficaciam addere studuit, prout sermo eius in synedrio prolatus recte explicatus docet. Quem orationis sensum resultare defendit iam exinde, quod „viri Israelitae" mentem Gamalielis approbarunt (v. 39), deinde nihilominus apostolos flagellarunt, neque eorum verberationi Gamaliel refragatus est; caedem vero apostolorum tamquam medium inconsideratum et superfluum reiciens, revolutionem illam, quam Christi mors excitaverat, mente quidem volvebat, misere tamen reticuit ducesque erroris recensere maluit, ut innueret, multum abesse, ut Apostolorum opus Dei opus esse agnosceret. Vv. 38—39 per expositionis decursum aliquatenus quidem illustrantur. Difficultatem vero, quae ex illis in hypothesi Glubokovskii sese oggerit, sequenti commentario expedit: „Impugnare eos cum propriae aequanimitatis dispendio superfluum est et imprudens. Hac ratione enim concederetur, in eorum praedicatione contineri elementa sana, vitalia, ruinae non obnoxia. Hac agendi ratione vis quaedam superior eidem inesse agnosceretur, qua concessa dilemma (!) exsurgit inevitabile. Si a Deo omnia eorum opera sunt, perdere impossibile. Iudices autem oboedierunt bono consilio (ἐπείσθησαν), verum omnino non (apparenter) ad mentem eius — „caesos Apostolos prohibuerunt vel loqui de nomine Iesu (Act. V., 40) . . ." Qua ratione Sauli cum Gamaliele consortium odia eius in Christianos minime implexa reddit sed potius explicat. Saulus enim notabiliter ante Stephani caedem Hierosolymam venerat, traditiones paternas, quae pharisaicae erant, excoluerat (Philipp. 3, 5) et vita sua exprimere accuratissime studebat (Gal. 1, 13), et quia legem scholasticis pharisaeorum placitis infectam tamquam vitae normam habuit, consequenter existimabat, se contra nomen Iesu Nazareni d e b e r e multa infesta agere (Act. 26, 9).

Quaestione sic illustrata ulterior quidem criticorum oppositio „in futilem verborum pugnam omni vi scientifica carentem" recidit, quaedam tamen diversorum obiecta *G.* tenui calamo perstringit. Cuiusmodi sunt citationes iuxta LXX a Paulo communiter factae, silentium de Gamaliele observatum (relatio Pauli ad G. nota erat, mentio vero Act. 22, 3 facta ad orationis scopum spectat), item controversia, num Paulus Christum in terris degentem viderit aut noverit (negative respondetur ex pluribus rationibus, quibus non sunt adversa 2 Cor. 5, 16, ut O.

Conc. C. Weizsäcker, O. Pfleiderer voluerunt). „*Ἀνατεθραμμένος*“ Act. 22, 3 (cum M. Chr. Wollio) de sedula et accurata eruditione explicat, quae stat, etiamsi Paulus neque a pueris neque continuo Hierosolymis degisse dicitur.

Capite secundo (182—232) ulterius iam procedens et maxime contra Jules Bovon, S. Schechter, E. Renan, A. H. Franke et Heinrici agens, quid de methodo Pauli exegetica recte teneri debeat, ostendit. H. S. Hirschfeld potissimum laudans exegeseos rabbinicae principia ad quinque capita revocat. Textus s. cum traditionibus consonus semper sit; quae directe non exhibet, mediate ex eo eruenda sunt, etiam mediis abstrusioribus internis, immo et combinationibus variis externis; biblia cum vigentibus observantiis consone semper intelligenda sunt. Quae principia quantum non Paulina sint, allatis exemplis, quantum satis est, evincit. E. g. mentio de Ianne et Mambre, cui quidam multum fidunt, exemplificatio est nil novi inferens et ipsa quidem traditione vulgari Tim. 3, 8 non rabbinica transmissa. Quae de spirituali petra, quae Christus erat, 1 Cor. 10, 4 leguntur non ineptae fabulae rabbinicae terrena sensa, sed sublimis Pauli de iugi et gratiosa Domini praesentia applicatio est. Neque ministerium angelorum (Gal. 3, 19) in lege ferenda per transennam commemorans cum rabbinis legem extollere intendit, sed ad mediatoris notionem animum convertens oppositum prorsus inde infert et legem abolendam fuisse probat. Legem porro de bove triturante a Deut 25, 4 in op. ad Cor. 9, 9. 10. adscribens minime dici potest agere contra sensum primum et proprium, qui moralis est. — Neque malam rabbinorum artem sapit Pauli contra iudaizantes argumentum ex eo ductum, quod „iustus ex fide vivit“ (Hebr. 10, 38, Rom. 1, 17, Gal. 3, 13), quia Habac 2, 4 simile dictum quod respicit, non evertit, sed prophetae monitum ad principium undequaque firmum evehit, quo processu umbram quandam mutationis vitare Apostolus non potuit. — Irriti quoque sunt criticorum conatus, si contendunt a Paulo in Gal. 3, 16 philologiam vapulavisse atque rabbinorum arbitrariam interpretationem adhibitam esse. „Nobis videntur, inquit *Gl.* p. 211, critici ipsi omnino offendere et multum desudare iis inveniendis, quae tali attentione et honore digna non sunt, quia dudum in communi notitia fuerunt. S. Paulus non minus illa quam moderni doctores cognita habuit, qui inani studio ipsum instruere satagunt.“ S. Paulus promissionem divinam e Gen. 13, 15; 17, 8 receptam et recte penitusque intellectam tamquam testamentum ad litteram interpretandum tractat et in Christo et a Christo impletum sistit; praeterea unicitas numerica quoad originem et unitas genetica in testamento transmittendo observata praeclare stricto termino „*σπέρμα*“ expressa est. — Post quas methodi Paulinae vindicias positiva exegeseos Paulinae principia statuit, quorum palmare ita habet: Historiam populi Israel, quae semper Messiana fuit, sensu christiano explicari oportet. Hinc mirum nemini esse debet, quod s. Paulus adiuncta historica — historice quidem sacrosancta — propter hunc finem Messianum non tanti facit, neque phrasim serviliter reproducit — quaestio de Scripturarum exemplari Paulino vix est definienda — de ratione Messiana, ut oportuit, exprimenda maxime sollicitus.

Capite tertio (233—278) subtilis quaestio de ratione existentiae Salvatoris antesaecularis tractatur, ex quo doctrinae capite Paulum rabbinorum pedisequum excutere quoque conantur. Praevie iam notat, quam labiles sint deductiones criticae. Fontes enim iudaici, e quibus N. Testamenti ideas evolutas esse volunt, in historicis tenui tantum auctoritate pollent, in dogmaticis vero traditionalismo immobili et sterili indulgent. Externae quaedam Evangeliorum et scriptorum rabbinicorum habitudines negativae cum interno influxu vicario non sunt confundendae, neque ut certum venditandum, quod remotam quandam possibilitatem non excedit. Exposito secundum W. Beyschlag criticorum systemate Paulino quod „Adamo coelesti" attingunt, quaestionem restringit eum in modum, ut in Christo non filiationem divinam, sed in genere eius proprietatem, qua mundum transcendit, considerandam suscipiat eamque sub duplici durationis respectu, quatenus ipsi humanitas prototypica ac dein praeexistentia quaedam asseritur quoad mundi constitutionem aut quoad mundi redemptionem a divina voluntate procedentes. Unde duplex typus prodit : hominis naturalis et hominis redimendi. Quae quaestio cum dogmatica sit non pleno calamo describitur, sed ad modum theseos e doctrina Pauli constituitur Christum extitisse ante Incarnationem suam personaliter, ex altera parte vero non minus firmum esse, praeexistentiam illam ne idealiter quidem humanam fuisse (Philipp 2. 6—7.) Sed neque ulla vera humanae praeexistentiae ratio e libris talmudicis et apocryphis Iudaeorum statui potest, qui Messiae nomen Torae subordinant et Messiam ipsum pro diversa rerum Israel vice diverse sibi fingunt. Desperatum quoque est ultimum Pauli rabbinici patronorum refugium, quo asserunt Messiam sicuti rabbinis erat idealis quidam homo, qui in populi Israel gloria se revelabat, ita Paulo esse idealem hominum typum, qui post resurrectionem demum verificatus sit. Si enim ad Gen c. 1 et 2 provocant, prouti a theologis iudaicis explicari consuevit, et apocryphos libros Henoch quoque adhibent, ut parallelismum istum instaurent, sciant critici et ab Hamburger et Ad. Franck (La Kabbala) discant, se statuere e locis illis, quod in eis non est. Theosophia cabbalistica vero seriore tempore, quam ut Paulus eam sequi potuerit, fatentibus viris gnaris ortum duxit, neque iudaicas sententias, sed dualistica emanatismi placita fovet Adam Kadmon emanaticus nil commune habet cum „homine secundo" I. Cor. 15, 47, qui e caelo est ob qualitates suas et originem essentiae, non vero secundum praeexistentiam. Quam arbitraria sit eorum agendi ratio, qui I. Cor. 15, 45 cum Gen. 1, 20, 21 nectentes inde duplicem hominis creationem colligunt, vix dici potest : de Gen. 1, 26 quidpiam dicere superfluum visum est. Paulus describit „Salvatorem divinum, qui fuit secundum ipsam humanitatem suam caelestis, alienum a mundi rationibus cosmicis, humano intellectui essentialiter incomprehensibilem" (I. Cor. 2, 7—8. 10 : II. Cor. 4, 6) p. 278.

Capite IV. (p. 279—451) dissertatio iam ad Messiae opus, redemptionem vdl. et iustificationem progressa conspicitur. Auctor primum Pauli, dein satis fuse rabbinorum doctrinas, quae ad argumentum propositum pertinent, quoad summa capita exhibet. Discrimina

potiora in quadruplici oppositione collocat: In systemate rabbinico iustitia a quolibet propriis viribus comparari posse traditur — contrarium habet Paulus; rabbini docent, redemptionis extraneae necessitatem statuendam non esse — quae assertio Paulo infamia est; neque redemptionem cum Messia necessario connexam tenebant, sed potius principium quoddam de aequilibrio iustitiarum et praevaricationum populi Israël statuebant, penes quem esset thesaurus iustitiarum superabundantium, quas peccatoribus a Iudaeis descendentibus appropriari credebant — quibus omnibus vehementer contradicit Paulus; tandem Messiae crux Iudaeis quidem scandalum, Paulo autem omnia erat. Qua ratione iam in antecessum firmum est, quod „in theologia rabbinica neque redemptioni neque iustificationi ullus locus relictus est, quia termini isti in ipsa omnino contra intellectum christianum explicantur“ (p. 301.) Quibus in genere praelibatis ad argumentum secundum singularia capita ex ordine evolvendum transit. Itaque expositis falsis rabbinorum de statu hominis originali commentis, acsi natura humana in bono et malo condita esset, contra Pfleiderer (der Paulinismus), A. B. Bruce (St Paul's Conception of Christianity), C. Weizsäcker et alios agit, quorum criticas in 1. Cor. 15, 45—48 divinationes castigat, item Rom 5, 13. 14. cum 6, 23. ab inanibus et praefractis multiplicis speciei opinationibus vindicat atque ostendit, integrae Pauli argumentationi catholicam de innocentia originali doctrinam subesse. Quae innocentia amissa est per personale peccatum Adae contra legem naturalem aeternam praevaricantis, cui legi aeternae supervenit „lex“, quae intendit quidem peccati culpam, sed etiam desiderium redemptionis. Christi autem opus et gratia vicit peccatum, et prout est intensum per „legem“ et prout est universaliter extensum propter legem aeternam. Quibus certissimis doctrinis si Pfleiderer et C. Clemen „schlummernde Unheiligkeit“ opponunt, non animadverterunt Rom. 7, 7—10 non referri ad statum originalem, sed evidenti nexu cum legislatione Sinaitica cohaerere, et quod ibidem sermo est de statu empirico, qui omni exceptione maior (Maria!) sit neque supremae quaestiones hamartologicae discutiuntur. Neque felicior fuit Sabatier in loci huius expositione (L'origine du péché), qui sanam quidem studuit tenere criticam, malam vero adhibuit logicam et dialecticam, cum categorias τοῦ esse et τοῦ possibile confundit et reipsa non Adamum tantum sed quemlibet peccatorem typum Christi dicere cogitur, quod multum abest a mente et verbis Pauli. Mortalitas quidem et peccati ratio nexu individuo cohaerent, ἁμαρτία et παράβασις quidem sunt simultanea, origine vero prior est παράβασις, sicut prior est Adae κρίσις quam omnium κατάκρισις. Rom. 7 Apostolus in luce revelationis evangelicae considerat personam humanam in genere influxui gratiae subtractam. Cum σάρξ, cui peccatum inhaeret, unum constituat cum parte hominis spirituali et homini simpliciter appropríetur, nequit esse mali causa vel sedes physice, sed moraliter tantum dicitur mala, quatenus vdl. in boni executione propter corruptelam generis humani peccato originali inductam ineptum instrumentum esse ostenditur. Σάρξ iners est et passiva totaque immutatio ipsius in eo est, quod ex instrumento spiritus fit instrumentum (et sub-

iectum) peccati. Ἁμαρτία et σάρξ essentialiter ab invicem differunt (p. 361).

Tota Pauli anthropologia prorsus aliena est a naturalismo dualistico et perfecte iam in A. T. prostat. Anima enim vivens Geneseos factum dicit, quo vita hominis in mundo incepit. Spiritus vero Dei exprimit principium immateriale, quo homo super creaturas visibiles omnes elevatur et ad Deum, spiritum perfectissimum, dirigitur. Qua directione hominis elevatio fit obligatio, psychologicum induit rationem ethici: anima enim (corr. σῶμα) libere est elevanda in spiritum (πνεῦμα) per νοῦν, quo processu σῶμα πνευματικόν producatur (1 Cor. 15. 44). In hac igitur Veteris Testamenti et Apostoli anthropologia statui innocentiae originalis locum facile concedi quisquis videt. Quia vero homo animam spiritui conformare et in Deum dirigere neglexit, factus est carnalis σαρκικός per peccatum, actu libero voluntatis suae. Peccati igitur origo immaterialis est.

Multum quoque distant a sana Pauli doctrina placita rabbinorum. Non quadrat in systema Paulinum imputatio pure iuridica et nationalis, non responsum ad axioma de non remittendis peccatis sine sanguinis vitulini effusione, non duplex Messias, non passiones eius personales et non dogmaticae et vicariae, non passiones, per quas ipse sibi meretur, quibus non omnia sed aliqua tantum onera populi sui et cum ipso suscipit et portat (— p. 412). Accedit et aliud grande discrimen. Cum apud rabbinos iustificatio non differat a redemptione, quae debitorum solutione et compensatione absolvitur, Apostolus recte utramque distinxit. Christus, hostia innocens, quae libere se obtulit, statum defectionis creaturae a Deo in mundo coram Deo reparavit (Gal. 3. 13.) et maledictionem Adae evacuavit atque in se suscepit. Sanctitas hostiae in Golgotha oblatae, per se universalis et in Christo tantum individualis, individualis quoque fit iustificatorum per fidem, quae per caritatem operatur. Quam unionem cum Christo per Spiritum sanctum restauratam sequuntur opera spiritus in eis, qui secundum spiritum ambulant. Porro gratia iustificationis bonum reale est non per fiducialem speculationem sed Virtute Fidei apprehendendum. In coronide quadam reicit systema Ritschl et scholae, quae a Ritschl dicitur. In systemate eorum vdl. caput quaestionis non attingitur.

Caput V. (452—646) de quaestionibus eschatologicis tractat. Primum e documentis ostenditur, quantopere diversum sit elementi eschatologici momentum in rabbinismo et apud Apostolum. Oppugnantur imprimis Dr. Ab. Geiger, Wilhelm Karl, E. Petavel-Oliff, Dr. August Wünsche, August Sabatier, Ad. Jülicher, Édouard Reuss. Ut affinitas aut aequalitas doctrinarum Pauli et rabbinorum statui posset, origo et momentum utrobique similia vel eadem esse deberent. Atqui germen eschatologiae rabbinicae sunt exspectationes prosperarum populi Israël rerum in futurum prorogatae, dubia de remuneranda legis observatione propter calamitates vitales orta, quae ex iuridica nomistarum theoria diluebantur consolatione venturae aliquando compensationis, antinomiae quaedam e vita quotidiana iustorum, qui cum rebus infaustis in hac vita affligerentur, post mortem resuscitati ad Messiae dapes vocandi statuebantur.

Momentum vero dogmaticum sententiis istis piis non competebat, ut v. gr. Sadducaeorum secta ob oculos demonstrat, quae omnia haec ridebat, quia eschatologiae consolationibus carere poterat, et tamen a coetu religioso exclusa non est. Cum quibus placitis si Pauli doctrina conferatur, maximum discrimen apparet. Pauli enim eschatologia anthropologica quoad essentiam in Redemptoris opere continetur et hinc valore omnino dogmatico instructa apparet. Quodsi ulteriores conclusiones considerantur, exulat apud Paulum color utilitarismi, quia ratio eudaemonologica secundaria est, resurrectio non causatur hominum meritis, sed postulatur propter vitae huius inanitatem et moralem hominis in terris degentis impotentiam. Porro fidei in systemate Pauli alia est ratio quam legis apud rabbinos. „Fides prorsus non coincidit cum lege. Lex enim medium erat ad evolvendum, quod iam praeiacebat, fides vero ipsum esse christianum condit (p. 476). Fides non est medium ad vitam, quae vicissim non est secundarium (благопріобрѣтенный) consequens. Haec duo ad amussim invicem coincidunt atque manifestantur inidipsum et simul. Fides in vita exseritur, vita per fidem sustentatur. Quae tamen omnia ideo sunt, quia ea ratione homines concrescunt cum Christo empiterne vivo et in ipso instruuntur qualitatibus vitalitatis aeternae, quae in ipsis haud aliter atque in Christo neque teritur neque moritur. Hinc opus eis non est ad aeternum tendere, quod in ipso praesenti habetur (p. 477). Mors tamquam momentaneum tantum opus cosmicum apparet . . vita non est remuneratio, sed inseparabilis fidei vis, aeternitas vero eius proprium, quod per Redemptoris resurrectionem tutum redditum est (p. 478)“. Quae firma Pauli principia, ut facile intelligitur, saeculi huius intolerantiam et impatientiam non inferunt adeo acrem, ut vehementi quadam Christi invasione fideles ab iis sint liberandi, cum potius spernenda appareant et liberatio ex iis certo ventura sit. „Aeternum enim sub velamine temporis per unionem cum Christo fluit (vel stat potius) neque ad frangendum debile elementum tendit aut inducit, sed illud spernit potius, et normali incremento infallibiliter consummatur“. (p. 480). Doctrina de parusia apud Paulum, ut ex principiis eius dogmaticis et philosophicis liquet, non terrenis aerumnis sed supernis bonis regitur. Et universim quidem hominum resurrectio in adventu Christi obtinebit. Singulorum vero hominum resurrectio determinata a vita gratiae pendet, quae pro unione cum Christo et divina providentia variat; utrumque tamen mysterium est.

Desiderium „dissolvi et esse cum Christo“ duo exprimit, quorum posterius a priore tamquam a condicione pendet, quae in Christifidelibus cum adsignificatione ethica accipitur.

Neque Ephesi degentis aerumnae neque ecclesiarum vitia posterius emergentia cogunt, ut „un grand changement“ vel „transformation décisive“ in eschatologia Pauli cum Aug. Sabatier statuatur. Paulus enim, qui haec omnia praevidere poterat, neque in vinculis Romanis (Col. 1, 23) neque initio (Thessalonicenses) animum despondebat aut mentem mutabat.

Reicit dein criticorum (F. Godet, Christ. Ewaldsen, N. F. Cartensen, H. W. Rinck, O. Pfleiderer, C. Bruston) dubia, quae potissimum

ad 2 Cor. 5, 3. alligantur. Contra quos rationibus e textu, contextu, lexicographia desumtis vindicat rectum difficillimi incisi sensum. „Habitationis coelestis nomine exprimitur in genere, post destructionem secuturam esse habitationem indestructibilem (p. 511) Γυμνοί est praedicatum characteris omnino moralis: percipitur in eo sollicitudo facile perspicua, ne forte, postquam ad coelicolarum regionem pervenerimus, ethice nudi inveniamur, indigni stolis aeternis" (p. 512).

Cum quaestiones eschatologicae sublimitate excellant, mirum non est abundare in hoc argumento criticorum subtilitates et errores, quorum praecipui recensentur. Ita fuse exponitur „recens apostolicae eschatologiae interpretatio", secundum quam resurrectio mortuorum et iudicium perficiuntur ante faciem Domini *(ἐν τῇ παρουσίᾳ)* immediate post mortem et quidem ea vice chronologica, qua terrestres nostrae habitationes destruuntur (C. Bruston; P. W. Schmiedel). Quam theoriam Glubokovskij ipsis eorum argumentis scripturisticis et philosophicis recte adornatis diluit. „S. Paulus ubique refertur ad ideam »praesentiae« Christi, quia principii rationem habet et fundamenti instar est in notione »parusiae«. In ea vero Paulus non sistit, sed logice ex ea momentum realis »adventus« Domini deducit. Radicalis criticismi error est ordinis inversio: assolent primum extollere secundarium et eo ipso a principiante illud divellere." (p. 548.) Opponunt etiam, parusiam studio recti boniqui obesse (Pfleiderer, H. I. Holtzmann): atqui, respondet Glubokovskij, praesentia Christi in his terris non est simpliciter impletiva sed exigitiva etiam boni operis et studii ethici (Phil. 4, 5. 8.) Item obiectio Paulum resurrectionem aliquorum tantum docuisse, immortalitatis quoque facultativae („posse non mori") hypothesis de peccatoribus annihilandis et interpretationes chiliasticae indicantur. Qualitates resuscitatorum quod attinet cum Rud. Cornely tuetur *Gl.* physicam coniunctionem resuscitati cum mortuo apud Apostolum comprobari. Qua physica coniunctione excluditur explicatio, qua *σῶμα* accipiatur de forma existentiae, prouti nunc relucet in corpore carnali — quod in futuro saeculo non subsistet (Ferd. Christ. Baur), tum acceptio eiusdem termini de specie corporali, omni, quam nunc habet, comprehensione, vacua (Aug. Sabatier), tum photographica repristinatio per os quoddam לוז residuum, ut Ed. Reuss post rabbinos sed contra sensum Pauli autumavit. „S. Paulus totum reducit ad voluntatem divinam absolutam et independentem ... neque fas est contendere materialem conservationem individualitatis nostrae necessariam esse, ut regenerari possit." p. 640. Elementum physicum erit analogum terreno, ex quo cum non excrescat naturaliter, renovatio miraculosa esse ostenditur, quae non indiget materiali caducae habitationis conservatione (p. 641).

Quodcumque eschatalogiae caput consideretur, duplex ubique elucet grandis inter Paulum et rabbinos differentia: eschatologiae Apostoli propria sunt 1. „sublimis character ethicus, qui a qualibet materialismi formalitate in processu resurrectionis describendo alienus est et 2. realismus animatus, qui numquam in abstrusum spiritualismum abit" (p. 644).

Capite VI. (647—815). Apostoli doctrinam de angelis et daemo-

nibus exponit continuo ad criticorum liberiores et falsas animadversiones prospiciendo. Et primum quidem monet. quo loco Pneumatologia in evangelio Apostoli collocanda sit. Fas non est eam instar accidentalis additamenti in doctrinali eius systemate habere. Est potius integralis pars theologiae Apostoli propter intimum cum Soteriologia nexum, qui opere Redemptoris mutationem subiit eo, quod, postquam immediata hominibus cum Deo communio parata est, mali potestas fracta est et media unionis cum Deo fovendae subsidiaria sublata sunt. Insuper Paulus eo quoque de hoc doctrinae capite aperte proloqui cogebatur. quod in V. T. paginis saepe de eo sermo recurrit.

Critici (Edmond Stapfer, Karl Müller, F. C. Conybare, Orello Cone, David Sommerville, George Matheson, Mr. Frothingam, A. Hausrath) ex hoc capitulo quoque conantur probare, Apostolum spiritu pharisaico regi et placita iudaica reproducere.

Itaque imprudens fuerit, qui statuerit Paulum nulla ratione iudaismo obnoxium fuisse. Secus enim et ille, qui Dei existentiam cum Iudaeis profitetur, rabbinismi reus statui potest (Act. 23, 8.) Futilis autem et arbitraria est assertio (Leonh. Usteri, Ad. Harnack) Iudaeorum fidem in spiritus non revelationi divinae sed cum ethnicis conversationi et naturalismo deberi. Rationes enim, quas alii (Dr. Aug. Wünsche) potissimum ex nominibus afferunt ad commentum comprobandum, illud ne probabile quidem reddere valent, quia spirituum nomina illa saltem fixo et firmo revelationis fundamento tandem aliquando supervenerunt. Neque Iosephi Flavii et Philonis, quorum neuter iudaismum genuinum exprimit, spirituum cum animabus confusio. quaestionis statum ullatenus afficit. Gratis quoque Veteris T. de Spiritibus doctrina ad divos semiticos (elohim) nectitur, qui numquam a s. auctoribus cum Spiritibus iunguntur, utpote ficti et vani. Veteris T[i] et Apostoli angelologia in divina revelatione stat.

Qua ratione vindicata breviter verbi revelati auctoritate divina ad rabbinismum proprium accedit. Refert quam plurimorum recentium theoriam, iuxta quam Iudaei in locum intermissae revelationis divinae frequens Spirituum ministerium substituerunt. Quam theoriam. si moderate applicetur, ad rabbinismum quadrare concedit. Paulus vero via prorsus opposita in negotio isto solvendo processisse conspicitur. Interrupto Dei cum hominibus commercio opponit Incarnationem Filii Unigeniti, qui per fidem in unum quasi confluit cum iustificatis iisque privilegium filiorum Dei conciliat. Quo sensu Christus unicus est mediator Dei et hominum (1 Tim. 2, 5) et in religiosa communione instauranda nullum admittit auxiliatorem. Universa quoque V. T. oeconomia de facto paedagogiae Filii manifestatio erat et a Domino absolvebatur ; qui est absolutus humanae salutis Sator. Quodcumque vero aliud in hoc negotio officium supervenit, adventicium praecise et subordinatum tantum esse potest et quoad motivum et quoad exercitium." (p. 667.)

Post quas generales observationes in specie tractat de spirituum natura, operationibus, proprietatibus.

Daemonum natura nil habet commune (apud Apostolum) cum numinibus et geniis ethnicis. Terminus δαιμόνιον (1 Cor. 10, 20) per se non habet adsignificationem entis maligni sed divinitatem veram, falso tamen ab ethnicis conceptam, exprimit (Gal. 4, 8). Hinc etiam 1 Cor. 10, 19 sermo non est de sacris diaboli sed de nihilo perversae gentilium mentis, cui sacrificatur. — Multum disputatur de „elementis“ mundi huius (στοιχεῖα) quae haud raro ad spiritus malos a criticis falso referuntur. „Στοιχεῖα comprehenduntur mundo et materialiter in ipsum ingrediuntur. Hinc entia intellectus esse non possunt, sed elementa sunt cum physica universi organismi natura connexa. Онѣ не могутъ быть величинами интелектуалными елементами физическаго организма вселенной. (p. 697.) Quae acceptio scientifice obligatoria dicitur. Critici (H. Quack, Ad. Hilgenfeld), qui exin „Elementargeister“ producere conantur, si sibi ipsis constantes esse volunt, studia legalistica et circumcisionem ipsam (Gal. 4, 21; 5, 2; 6, 12—13) ad phaenomena astrorum referre deberent. Generatim „convenientia cultus iudaici et ethnici apud Apostolum mere negativa est. Apostolus omnia considerat in splendore gloriae Paternae in Domino Redemptore. Iudaismus parem rationem atque hellenismus exprimit propter exiguum influxum suum, sub quo homines, si a Christo abstrahatur, non perveniunt ad aetatem filiorum adultam sed manent in servitute. (p. 712.)“

Spiritualem naturam angeli et daemones etiam spiritualibus produnt operationibus. Hinc falsum est spiritum esse materialem structuram omnis vitae supersensibilis (aeternae), ut O. Holtzmann opinatur, neque doctrina C. Holstenii de spirituum incarnatione ullum fundamentum apud Apostolum habet. Audaciam vocat auctorum quorumdam independentium (Eugène de Taye, W. Karl Samuel Mattras) materialisticam termini „δόξα“ explicationem. Δόξα „tropice repraesentat naturalem (?) angelorum praerogativam cum Deo conversandi—analogice ad excaecantem Patris in Filio splendorem atque a quibuscumque contactibus cosmicis longe abest“ (p. 716.) — Quaestionem „de materialisatione effectuum pneumaticorum“ uberrime exponit, et quidem non tantum quoad angelos, sed etiam quoad Spiritum Sanctum et Christum Dominum in iustificatis operantes, quorum divinitatem et personas in dictis operationibus vindicat (719—28 not.). Quod angelos attinet, laudari solent a criticis et conferri imprimis Gen. 5, 3; 2 Cor. 11, 2. 3; 1 Tim 2, 14. 15, ad quae Glubokovskij in sublimi lucubratione criticarum nugarum futilitatem fecit splendescere. „Vix, ac ne vix quidem, ita inter alia, lectores coniectando poterant assequi, quod commune notae speciei animal (serpens) organicas facultates habuerit ad carnalem passionem cum feminis explendam.“ Quod magis etiam vice versa absimile et stultum apparet. Illic et hic „rationes aderant unice spirituales et ex spiritualibus tendentiis promanantes et ad spirituales fines dispositae“ ut historice de Corinthiis sublimiora superbe scrutantibus constat. — Neque ex 1. Tim. 2, 14—15 delictum specialiter femineum suspicari, sed spiritualem regenerationem discere oportet. Trahunt huc etiam 1 Cor. 11, 10, ac si angeli muliebri venustate provocarentur. Verum violenter et inepte. Ἐξουσία est virtus subiectio-

nis sub viro mulieribus a Conditore imperata. Velamen est facti illius ad extra expressio et quasi adminiculum illius subiectionis, quae pretium habet ethicum, si ad modum Angelorum sollicite et pie observatur, qui sunt spiritus Creatori semper fideles. — Celebritatem maximam nactus esse videtur locus ille 1 Cor. 5, 5. Ad quem pari ratione ostendit, quod nullatenus materialismum pneumaticum redolet. „Traditio Satanae“ non erat nisi dira facinoris attestatio coniuncta cum ablatione obvolucri inconvenientis per epitimiam ecclesiasticam (p. 756). Censuram ab Apostolo latam Glubokovskij collocat in separatione poenali a coetu fidelium, qui cum Christo communionem habet. Peccator a fonte gratiae abscissus, per propria opera subditur carnalitati et servit ei peccatis suis, ita tamen, ut nausea affectus odium eius sit Deo adiuvante concepturus. Qua ratione rursus ad ecclesiae, sub cuius oculis et cura constitutus mansit, communionem admitti potuit (2 Cor.), quo illi „dies Domini“ revera illuxit. — Item „stimulus carnis (2 Cor. 12, 7) angelus satanae“ neque origine tenus neque secundum rationem ipsi propriam (seu characterem) dicitur, sed quia ansam dare potuit, ut revelationum gratia tamquam satanae fraus explicaretur. Infirmitas illa nervorum ingenitae dispositioni debebatur et nonnumquam satanicam in se suscipiebat fallaciam, qua recta sui conscientia in Apostolo turbaretur. Aequali modo mala Apostoli virtutem evangelii Galatis annuntiantis valetudo (febris malarica) apta erat, quae virtutem illam in infirmo praecone suspectam redderet.

E tertio huius capitis inciso, in quo contra indifferentiae spirituum moralis patronos antiquos et recentes sanum dualismum ethicum tamquam genuinam Pauli doctrinam evincit, memoratu digna sunt praecipue illa, in quibus quaestionis nervus quasi ostenditur. Quem quoad angelos bonos in Coloss 2, 15. 18 quaerendum esse putat. In principatibus et potestatibus videt Glubokovskij „subditos ordines melioris studii spiritualis“ (p. 778). Consentiendum esse cum auctoribus, qui credunt Apostolum reprehendere Colossenses propter imprudentem ministerii seu cultus angelici in cultu christiano imitationem, quae naturae humanae non conveniat. Et dum ad Christum caput fideles remittit, simul angelorum ad Eum et homines habitudinem adumbrat, quae hoc fere idearum nexu exhibetur: Angeli usque ad Christi adventum ipsi quoque non ex adaequatis naturae suae viribus operabantur. Sic ab hominibus quasi pendebant. Stupebant porro in Redemptoris opere incomprehensibilis dilectionis, semper tamen Deitati addicti: tandem in Ascendentis in coelum triumpho gaudent, ac iugo Legis ipsi quoque solvuntur (cf. p. 788). Simul vero et „Satanae catastropha per crucem consummata est in funesta eiusdem obstinatione morali et foede ingeminata spiritus eius fallacia coronatur“ p. 808. Absolvitur tandem caput hoc rabbinorum et Pauli doctrinis pneumatologicis secundum summa capita collatis p. 808—815).

Inquisitionibus de habitudine Paulum inter et scholas rabbinicas addidit auctor expositionem breviorem (815—888), qua relatio Apostoli ad scripta popularia a criticis nonnumquam asserta eliminatur. Qua in dissertatione canonem ecclesiae Russiacae sequitur. Respicit

quoque potissimum P. A. V. Smirnov, cuius sententias frequenter corrigit. Apocryphis apocalypticis vindicat momentum ad cognoscendam historiam sacram, influxum autem in orthodoxum rabbinismum scholarem ipsis propter eorum characterem haeretico-popularem denegat. Varios quoque ex Apostolo locos, qui ad Apocalypsim Esdrae, Assumptionem Moysis. librum Iubilaeorum, Apocalypses Baruch, librum Henoch pertinere a criticis suspecti sunt. refert et s. Paulo indepententer ab illis scriptis vindicat. Mentionem quoque facit commenti O. Pfleiderer. Paulum apocalyptica Messiae lineamenta nec non confusas de homine coelesti divinationes cum Domino, reali eorum subiecto coniunxisse, plurium quoque auctorum (E. Grünebaum, E. Hilgenfeld, St. D. F. Salmond, M. Friedländer) implexas refert iudaismi et rabbinismi et parsismi et buddhismi et paulinismi combinationes et librum concludit summam quasi studiorum ita exhibens: „Apostolo pretiosae erant divinae promissionum Israël praerogativae, populus vero ipse cum suis ipsius individualibus praesumtis iustitiis tristitia magna et dolor continuus cordi (Rom 9, 2). Iudaismus quoad omnia sua definitive eliminatus est, et quoad „Evangelium“ s. Pauli firma fixaque scientifice manet veritas intimae protestationis eius: Gratia Dei sum. quod sum (1 Cor. 15, 10.)“

Cum auctoris doctissimi laudes his foliis alio iam loco celebratae sint, ut aequi simus, hic loci, si quae castiganda forte restent, videndum fuerit. Et revera tacendum non est, meliorem forte libri formam externam esse posse eamque operi non sine magno emolumento futuram fuisse. Multum enim in libro molestum est, quod tractatus per ducentas paginas eadem semper typorum specie et ratione absque ulla logicae divisionis vel marginali annotatione visum et animum legentis, dum porro trahuntur, necessario defatigant. Speramus quoque auctorem curaturum esse, ut liber secundus indicem rerum et locorum e s. Scriptura conspectum adiunctum habeat, et quantum fieri potest partes polemicae a positivis distinctae appareant, quo pluribus libri utiliores reddantur, et libri virtutes clarius conspiciantur. Quod sententias in libro propositas attinet, multa sunt, quae libera manent et qua talia quoque recte exhibentur. Quaestiones cum catholicis controversae non aguntur, immo vitari videntur (purgatorium in eschatologia). Aliqua tantum expresse notanda videntur. Capite quarto optime quidem urgetur gratiae Salvatoris realitas, catholicorum vero doctrina Trid. sess. 7 c. 7 in dubium vocatur (p. 422 n. 444). Axioma „extra ecclesiam non est salus“ exponitur quidem et recipitur, attamen intima eius ratio dogmatica non videtur attingi; item catholica ad quaestionem de regni coelorum ad ecclesiam relatione responsio non omnino aeque tractatur, quia cum dicunt esse conceptus re identicos, non exprimunt identitatem simpliciter et sub omni respectu neque ex omnibus textibus sacris. Cap. quinto videtur Glubokovskij facilior esse quoad protestationis Iobi et τοῦ „οἱ πολλοί“ Danielis (p. 560) criticas interpretationes. — Ceterum dictae observationes absorbentur fere eximiis operis dotibus, sano praesertim et in Paulum pio sensu, qui ubique dominatur. Liber vere

dignus, qui ab omnibus, quorum est Apostolo studere, sollertissime cognoscatur.*)
Car. Večera.

Вѣра и Разумъ [Věra i Razum] (Fides et ratio). 1906 M. p. tr.

P. Anserov: Popytki k vvedeniju grečeskoj centralizacionnoj sistemy cerkovnago upravlenija v drevnej Rusi (Molimina, ut in veterem Russiam introduceretur systema Graecum centralizationis) V., p. 195—212. Quidam renovationem Russicae ecclesiae in eo reponunt, quod iterum ad vitam revocetur vetus systema administrativum ecclesiae Byzantinae. Hoc praecipue in Commissione ad parandas controversias, quae in proximo Concilio generali agitari debent, propositum fuit pluries a cl. viro I. Sokolov. Dubitat Anserov de felici exitu huius moliminis. Illud, quod proprium erat ecclesiae Byzantinae, non semper convenit Russicae ecclesiae. Huius in exordio non invenimus, exempli gratia, innumeras dioeceses quae in imperio Byzantino reperiuntur: Patriarcha apud Russos eandem non habet significationem, quam apud Graecos habuit; concilia Russica saeculi XVII. frustra tentarunt ecclesiam Russicam ad typum ecclesiae Byzantinae reducere, et nunc temporis valde difficile est, ut denuo reviviscat systema Byzantinum quod in ecclesia societatis civilis normas penitus sequebatur. Optat tamen Anserov, ut augeatur numerus eparchiarum, quae propter ingentem latitudinem nequeunt regi ab episcopis, ex quo provenit separatio fidelium a pastoribus: pariter divisio μητροπόλεων est adoptanda. Quod pertinet ad patriarchatum, praefatus scriptor necessarium censet, ut non solum sit titulus honoris episcopo civitatis, quae sedes est regiminis, sed etiam ut decus augeat hierarchiae, et unitatem praebeat in regenda ecclesia.

D. Brjancev, K reformě prepodavanija filosofskih̆ nauk v duh̆ovnoj seminarii (De reformatione in methodo tradendi disciplinas philosophicas in seminariis ecclesiasticis), V., p. 138—155 (Sectio II. philosophica). Synodus Petropolitana media in praesentia excogitat ad studiorum curriculum in seminariis renovandum et emendandum. Anno 1884 in seminariis statutum fuit, ut logica simul cum humanioribus litteris addisceretur; deinde adiuncta fuit ceteris philosophicis disciplinis ita ut eam philosophiae magister doceret; denique cum in seminariis accepti sunt etiam iuvenes, qui studiis absolutis scholarum parochialium regimini praeponerentur, philosophiae magistro etiam munus docendi paedagogicam demandatum est. Unus igitur magister tenebatur tradere historiam philosophiae, logicam, psychologiam et paedagogicam, quod fieri nequibat sine temporis dispendio; tempus autem cum non sufficeret, magister perfunctorie tradebat scientiam, quae nostra aetate maxime necessaria est. Brjancev exponit, quid faciendum sit, ut scientiae philosophicae rite in seminariis tradantur et discantur.

Georgius, (archimandrita), Izbranie episkopov v drevnej Cerkvi: istoriko-kanoničeskij očerk (Electio episcoporum in antiqua ecclesia: disquisitio historico-canonica). VI., p. 257–278. Auctor evolvit propositum sibi thema innixus auctoritati Novi Testamenti, et testimonio canonum apostolorum, conciliorum generalium et particularium, et scriptorum ecclesiasticae historiae praesertim Socratis, Sozomeni et Theodoreti Cyrensis. Plures scriptores de rebus ecclesiasticis favent sententiae, quae ius eligendi episcopos tribuit non tantum episcopis sed etiam clero et populo. Hanc doctrinam fusius exponit N. Aksakov in periodico academiae Mosquensis Bogoslovskij Věstnik (1905), eamque demonstrare conatur ex praxi veteris ecclesiae. Testimonia antiquitatis ad trutinam revocat archimandrita Georgius

---

*) Bohemica versio iam praeparatur.

ex eisque deducit, episcoporum electionem exclusivum ius esse ipsius episcopis concessum. Clerus inferior et populus potest quidem expromere desiderium ut aliquis ipsis gratus fiat episcopus, sed desiderium non est ius. Hoc ius neutri sancitur neque ex Novo Testamento, neque ex canonibus, neque ex historia ecclesiastica. Episcopi, nutriti pabulo coelesti, ait imperator Valentinianus, ceteris melius cognoscunt, quinam episcopali munere digniores habeantur.

A. Spasskij, Missionery dejstvovavšie v pervye tri vèka ḫristianstva (Missionarii qui primis tribus saeculis religionis christianae operam navarunt), VI., p. 279–298; IX., p. 462—478; XII., p. 640—657. Explicat primum sensum vocis apostoli apud scriptores inspiratos et patres antiquos: differentiam innuit inter apostolos, prophetas et doctores ac demonstrat triplicem hanc categoriam apud Iudaeos. Munera apostolorum recenset, eorumque electionem.

V. Nikol'skij, Kak nam byt' v pereživaemoe nami tjaželoe pereḫodnoe vremja (Quid nobis faciendum in difficillimis quibus vitam agimus temporibus). XI., p. 299–312. — Concessio libertatis per decretum (ukaz) 17 octobris 1905 incitat omnes ad enixe laborandum pro bono patriae. Hoc fieri nequit sine influxu religionis christianae, quae falso iudicio apud multos nostra aetate in caeremoniarum exteriorum cultu praecipue consistit. Necesse est igitur conscientia religiosa in Russia renovetur, antequam opus sumatur societatis civilis ad meliorem normam instituendae. Plura proponuntur media, quae ad bonum religionis et patriae conferentia, pacem iterum Russiae largiantur.

D. Brjancev, O postanovkè teoretičeskoj i praktičeskoj podgotovki k učitel'stvu v duḫovnyḫ seminarijaḫ (De praeparatione theoretica et practica eorum qui docturi sunt in seminariis ecclesiasticis), VI, p. 167—178. — Anno 1884 institutae sunt scholae vulgo dictae ecclesiasticae parochiales, quae gradatim magnum incrementum habuerunt. Earum magistri prodierunt ex seminariis. Quid ipsis addiscendum, ut melius suum officium adimplere valeant, exponit Brjancev.

A. Bèljaev, Vzgljad na samoderžavie episkopa Theofana i N. Th. Theodorova (Sententia episcopi Theophanis et N. Th. Theodorov de autocratia), VII., p. 313—331. Contra fautores seditionis in Russia necessitatem tutatur auctoritatis imperialis. Primum refert sententiam episcopi Theophanis (Govorov), qui praeclarus habetur a Russis mysticus. Iuxta Theophanem Antichristus lucem videbit quando sua vi auctoritas regia expoliabitur; sequitur sententia clarissimi scriptoris Nicolai Theodorovič Theodorov, qui scripsit de Autocratia in ephemeride Ashabad (1901), ac tenet hanc necessariam esse ad fovendam unionem animarum, atque imperatori duo praesertim attribuit munera, nempe munus gerendae curae totius exercitus, ac munus fovendae instructionis. Invehitur in praesentes magistros et alumnos universitatum, qui politicae magis quam scientiae dant operam, et proponit autocratiam atque fidem orthodoxam tanquam duo fulcra Russiae.

Th. Prohorenko, Russkaja duḫovnaja missija v Japonici (Missio ecclesiastica Russorum apud Japonenses), VII., p. 347—366; X., 508—514; XVII., p. 237–258.

Utiliores diligenter colligit notitias de recentibus progressibus missionis orthodoxae Russicae apud Japonenses; describit characterem fidelium, qui orthodoxam fidem amplexati sunt, labores apostolicos episcopi Nicolai, missionis huius institutoris, et libros recenset qui a missionariis editi sunt. Iuvat proferre hanc tabulam statisticam quae graphice statum ac progressum missionis depingit.

	Christ.	Communi-tales	Neophyt.	Presbyt.	Diac.	Catech.	Paroeciae
1877	15.541	.	1456	16	3	139	.
1888	16.195	215	2420	16	4	139	.
1889	17.614	215	1659	17	.	125	10
1890	18.635	216	1011	19	.	132	.
1891	19.600	217	912	22	.	137	.
1892	.	.	1738	.	.	.	.
1893	21.239	220	1182	20	6	159	17
1894	21.712	220	1089	.	.	154	.
1895	22.576	220	826	22	.	158	17
1896	23.153	225	837	22	5	165	17
1897	23.856	225	992	27	5	156	16
1898	24.531	226	970	28	5	149	16
1899	25.231	233	989	28	5	152	15
1900	25.994	257	1099	28	6	150	16
1901	26.680	259	983	28	8	149	14
1902	27.504	260	1103	30	8	144	13
1903	28.320	260	1036	28	8	146	12
1904	28.597	260	656	28	7	151	12

A. Palmieri.

Извѣстія отдѣленія русскаго языка и словесности Императорской Академіи Наукъ. [Izvěstija otdělenija russkago jazyka i slovesnosti Imperatorskoj Akademii Nauk.] Spb. 1905, t. X, kn. I—III.

A. I. Sobolevskij, Mučenie papy Stefana po russkomu spisku XV. věka. (Martyrium Stephani papae secundum versionem palaeoslavicam saec. XV.) Textus editur secundum Codicem Musaei Moscoviensis Rumjanceviani (saec. XV.) N. 232 et comparatur cum cod. monasterii Troickaja Lavra No. 680 (e saec. XVI. exeunte) et cum Latino textu (Act. Sanct. Aug. d. 2.) Kn. I, p. 105 135.

G. A. Il'inskij, Srednebolgarskie listki Undol'skago XII—XIII. věka. II. p. 284—294. Fragmentum, continens Lc 11, 28—43; 12, 24—42, quod in Musaeo publico Moscoviensi, a V. M. Undol'skij acquisitum, asservatur, denuo, plenius atque accuratius quam ab I. Sreznevskij, foras datur et describitur.

I. I. Ptašickij fuse refert de libro Władysław Abraham, Powstanie organizacyi Kościoła łacińskiego na Rusi t. I. Lwów 1904, quo agitur de studiis catholicismum in Russia propagandi (de legationibus pontificiis a. 979. 986. 988. 991. 1169, Vladimiri 973. 994. 1001 missionariis etc.) et de historia ecclesiae Latinae in Russia (a Kazimiro usque ad Jagellonem), de

quo, edito tomo II., et nos relaturi sumus. Aequitas et veritas iudiciorum prof. Abraham laudatur. (p. 395 419).

A. N.Nikol'skij, Skazanie ob obrětenii čestnyh moščej svjatitelja Nikity Novgorodskago čudotvorca. Nuntius de ossibus Nicetae Novgorodiensis, thaumaturgi, inventis III. p. 1–17. Vita huius sancti quadruplici modo descripta est. Ex ea, quae a Zinovio Monacho, (de quo Th. Kalugin scripsit: Zinovij Otenskij inok i ego bogoslovsko-polemičeskija i cerkovno-učitel'nyja proizvedenija Spb. 1894) composita est, exponuntur secundum codicem XVII. saec. de ossibus huius thaumaturgi inventis, quae ille, spectator et testis, memoriae tradidit. In fine editur incognita adhuc de eadem re relatio e manuscripto saec. XVI.

A. I. Sobolevskij, Iz oblasti drevnej cerkovno-slavjanskoj propovědi (Quaedam ex orationibus sacris palaeoslavicis) III. p. 130 9. Eduntur hic duae orationes, prior de tribus pueris Babylonensibus, posterior de patriarchis biblicis, quas S. Clementis Bulgari esse persuasum habet (ex internis rationibus). Tertia, antiquitate originis aeque eminens, non eadem fiducia Clementi B. tributur.

„Христіанское чтеніе“ (Hristianskoe čtenie) 1905. (Porro tract.)

P. S. Smirnov, „Novyj peresmotr uzakonenij o pravah raskol'nikov.“ Revisio legum iura „schismaticorum“ attinentium. (Fasc. Februarii). Ex parte et in sensu orthodoxiae impugnantur schismaticorum (razkolnikov) petitiones, ut ipsorum iura revisione legum die 12. Decembris 1904. a caesare imperatâ extenderentur.

S. Stavrov, „Sekta duhoborcev, eja prošloe i nastojaščee. Secta „duhoborci“, eius historia et status hodiernus. (Fasc. Februarii et Martii.) Sectae huius characterem religioso-socialem statuens delineat auctor fata ipsius. E doctrina Quakerorum annis 1740—1750. in gubernia Har'koviensi exorta complures habuit propagatores: In gubernia Ekaterinoslavensi erat Siluan Kolesnikov (1750—1775), in gub. Tambov-ensi eodem tempore Ilarion Pobirohin, qui tandem in Sibiriam est missus. Exeunte saec. XVIII. exstitit proprius huius sectae organizator Savelij Kapustin, possessione omnibus communi introducta. Circa annum 1769. coepit persecutio sectae ex parte Imperii, ex qua demum sub Alexandro I. (1803) respiravit liberius. Suadente senatore Lopuhin (1804) transmigratio sectae facta est ad „Moločnyja vody“, ubi et ipse Kapustin in pago „Terpěnie“ habitavit. Sed iam anno 1839. coguntur „moločnyja vody“ relinquere et in Transcaucasia („mokryja gory“) novas quaerere sedes (circa 4000 hominum). Dimidium saeculi ibi commorati dirigentibus Petro Kalmykov, et deinde uxore eius Lukerja habuerunt pacem. Lukerja mortua (1886.) schisma est exortum; caput partis maioris (circa 700 familias), agnitus est Petrus Verigin. Ipso e Šěnkursk expulso fractio haec „postnikov“ (c. 4000 hominum) iterum emigrare cogitur. His in rebus adversis „postniky“, qui interea et Tolstoji principia sunt secuti, ex hac parte uti etiam a Quakeris adiuvantur. Biennio elapso 50 familiae „postnikov“ priores sedes rursum petierunt, cum ceteri omnes mallent Rossiam destituere. In Cypro insula primum volunt figere sedes, sed iam post 9 menses in Americam transvehuntur. Cum aliis similiter e Caucaso emigratis in Canada ad Tolstoji mentem intendunt „regnum Dei“ condere. Attamen graves et caeli molestias et regiminis vexationes experti a. 1902 numero circa 1600 homines equos et vaccas omnes dimittunt et derelictis domibus rebusque aliis fanaticam peregrinationem instituunt exspectantes secundum Christi adventum iam imminentem. A regimine tandem vi domum reducti sunt. Interest, quod ipse Tolstoj conamina „duhoborcev“ optima cum spe sit prosecutus, immo et publicus non solum defensor sed etiam adiutor ipsorum exstiterit.

A. S. Bulgakov, „Rimskij katolicizm vo Francii v poslědnee vremja.“ Res Galliae catholicorum describuntur inde ab initio persecutionis ex parte regiminis. Licet auctor francomurarios cum iudaeis

et socialistis coniunctos veros huius tragoediae actores nominet, tamen nonnullae eius adnotationes, ubi praesertim de iesuitismo et ultramontanismo loquitur inque Romae dominandi cupiditatem invehitur, produnt orthodoxum opinione praeiudicata ductum.

I. E. Evsěev, „O slědah evrejskago originala v drevneslavjanskom perevodě kn. Bytija." (mensis Mart. fasc.) „Vestigia influxus Hebraici textus originalis in Genesis versione veteroslavica." Est recensio similis tractatus prof. Th. G. Eleonskij in Hr. Čt. Fasc. pro mense Ianuario anni decurrentis. Quoad adductum ibi locum Gen. 2, 5 (πρὸ τοῦ γενέσθαι ἐπὶ τῆς γῆς . . πρὸ τοῦ ἀνατεῖλαι) negat recensens versionem veteroslavicam influente textu originali Hebraico esse confectam et ostendit exemplis tum ex V. T. tum ex Evangeliis sumptis constructionem πρὸ τοῦ, πρὶν τοῦ cum infinitivo ibi eodem modo verti prouti hoc fit in versione veteroslavica. Similiter et verba Gen. 2, 5 versionis veteroslav.: »vъsěkъ zlakъ... vъsěka trěva", quae Eleonskij tamquam nominativum sumens adhibet ad influxum Hebraicum etiam hoc loco attestandum, non nominativi, sed archaicam accusativi formam esse Evsěev affirmat.

Theodor Eleonskij, „Drevneslavjanskij perevod Ish. I. 7. i III. 4." „Veteroslavica Exod. 1, 7 et 3, 4 versio." (Fasc. April.) Antiquiores versionis veteroslavicae textus testantur etiam librum Exodi nonnullis locis ad textum Hebraicum esse versum. Hoc videt auctor in fine vers. 7. capitis 2. Exod; ubi forma passivi e textu Hebraico prodiit. — Exod. 3, 4 habet praeter versionem e LXX et aliam ad textum Hebraicum concinnatam. Nonnulli manuscripti versionis Graecoslavicae (e saec. XV.–XVI.: Rumjancevskago muzeja No. XXVII. et No. XXVIII., item manuscript. „Kirillo-Bělozerskoj biblioteki No. $^3/_8$. supplementa secundum textum Hebraicum comparata produnt. Sic ibi Exod. 1, 19 influxus versionis Chaldaicae, Exod. 2, 21 Hebraicae apparet. — Exod. 3, 14 habent illi manuscripti Hebraica verba: „ehje ašer ehje" sicuti Pešito. — Hoc studium supplendi textum veteroslavicum ita, ut cum fontibus auctoritativis (hebraic., chald., syr.) magis conveniat, auctor ducit testimonium excellentiae ipsius versionis. *František Jemelka.*

Quaedam animadversiones de statu, qui nunc est, scientiae iuris c nonici in Russia.

A. S. Pavlov (mat. inst. p. tr.)

Initio Saeculi XVII. apparuit apud non-unitos Ruthenos nomocanon poenitentialis (s. d. Zakonopravylnyk vel epitymijnyk), qui continebat regulas, respicientes maiore ex parte disciplinam poenitentialem, minore autem ex parte reliquam disciplinam ecclesiasticam. Statim editus est a Kijoviensibus monachis: Pamva Berynda (I. ed. 1620), Zacharia Kopystenskyj (1624) et ab archimandrita Kijoviensis Lavrae Petro Mohila (deinde metropolita 1629). Haec editiones — sicuti etiam Leopolitana (1646) — erant privatae.

In Russia tamen Moscoviensi a patriarcha Ioasapho a. 1639 procurata est editio officialis et quidem non separata sed coniuncta cum alio libro ecclesiastico magnae auctoritatis scil. cum Euchologio (Trebnik). Iterata vice editus est ille nomocanon cum Euchologio sub patriarcha Nicone a. 1658., sed iam in breviore redactione. Exinde usque ad nostra tempora ille editio pluries repetita est.

De originali fonte huius nomocanonis usque ad a. 1872 nihil notum erat.

Illo anno apparuit prima vice opus A. S. Pavlov'i: Nomocanon

adiunctus magno euchologio editus simul cum Graeco originali hucusque ignoto et cum commentariis editoris. Odessae, 1872 (Nomokanon pri bol'šom trebnikě, izdannyj vměstě s grečeskim podlinnikom, do sih por neizvěstnym, i s objasnenijami izdatelja. Odessa, 1872.) Textus Graecus huius nomocanonis inscribitur: *Νομοκάνον ἔχον κάνονες κατ' ἐπιτομὴν τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου καὶ τῶν συνόδων.* A celeberrimo byzantologo Zacharia de Lingenthal (Die Handbücher des geistlichen Rechts aus den Zeiten des untergehenden byzantinischen Reichs. St. Petersburg 1881) inscribitur nomine primi editoris nempe Pavlov'i.

In prima editione nomocanonis a. 1872 utebatur Pavlov unico manuscripto Graeco, quem assecutus erat Odessae ab archimandrita E. Vulisma. A. 1897 subsecuta est secunda editio eiusdem operis (Moscoviae), in qua usus est praeter illum tribus antiquioribus et duobus recentioribus manuscriptis. Nihil igitur mirum, si alia commentaria aliam formam induerunt. Hoc opus Pavlov'i nihil dubii relinquit de origine et historia nomocanonis. Hic nomocanon, prout in introductione exponitur, prodiit medio saec. XV. in monasteriis montis Athos: saec. sequenti versus est in linguam Slavicam (Serbicam), quae versio deinde pervenit ad monachos Kijovienses.

Minus autem felix erat Pavlov in investiganda relatione nomocanonis Athonici ad eos nomocanones poenitentiales, qui inscribuntur nomine Ioannis Nesteutae. In utraque nempe editione operis opinatur et demonstrare studet illos nomocanones, qui inscribuntur nomine Ioannis Nesteutae seu Ieiunatoris, saltem in essentialibus partibus originem suum duxisse ab Ioanne Nesteuta primo oecumenico patriarcha (582—595). Deinde opinatur systema disciplinae poenitentialis in nomocanone Nesteutae et Athonico esse omnino simile.

Priori eius sententiae opposuit se N. S u v o r o v evincens pluribus rationibus, nomocanones Nesteutae demum saec. IX. in lucem prodiisse (Suvorov, K voprosu o zapadnom vlijanii na drevne russkoe pravo. Jaroslavl' 1893. — p. 104 sqq. — et — Vopros o nomokanoně Ioanna Postnika v novoj postanovkě. Jaroslavl'. 1898.)

Diversitatem autem disciplinae poenitentialis in nomocanone Athonico ab illa, quam praebent nomocanones Nesteutae, demonstrat B e r d n i k o v (I. S. Berdnikov, Po povodu vtorogo izdanija nomokanona pri trebnikě. Kazan' 1899 — p. 49 sq. —).

Iuvabit quaestiones de libris poenitentialibus ecclesiae orientalis ordine quodam systematico proponere et innitendo adductis operibus tamquam fundamento pertractare. (P. tr.)

Demetrius Jaremko.

P. Pirling [Pierling]. **Новые матеріалы о жизни и дѣятельности Якова Рейтенфельса** [Novye materialy o žizni i dějatel'nosti Jakova Rejtenfel'sa]. Moskva 1906 (24 p.) **Nova de materia de vita et gestis Iacobi Reutenfels.**

Iacobus Rejtenfel's (Reutenfels) catholicus in Curlandia natus, qui ab a. 1671—3 Moscoviae fuerat, varia suasit, quibus res catholica in

Russia iuvari posset. Rem tamen faciliorem existimabat esse, quam revera erat: unde sibi persuaserit ipsum Alexium Mihajlovič, imperatorem Moscoviticum, unionem cum Roma optare (De rebus Moschoviticis, Patavii 1680 p. 83) ignotum manet. Eius consilia eduntur hic cum versione Russica.

Inter alia suadet in „Brevi ad iter Moschoviticum manuductione" n. 7: Viri ad rem catholicam in Russia promovendam delecti „indumenta sacra et supellectilem aliaque suspicionem iniectura secum asportare nullo pacto attentent, cum omnia heic et singula multo quam accuratissime perquirantur": n. 8 „Moschuae omnium primo mores Europaeos, in omni rerum actu, necessaria quadam metamorphosi in Asiaticos transformare meminerint, ne, aliam ingressis viam, bene etiam cogitata, consuetudini forte contraria, pessime cadant. Hic enim ut in bello bis peccare non licet". n. 9.. Atque si usquam alibi . . inter Moschos certe lingua illis sit parca, mens clausa, frons vero non aperta . . ne quid sequius, in tam servili et suspiciosa gente, vel ex vultu nostro arguatur". n. 12 „Praecipuos Catholicorum e vestigio adeant eosque ad praestanda rebus silentia fideliter obstringant. Dominum Buchoven [Bockhoven] videlicet, Generalem, ut vocant, exercitus, natione Anglum, nec non Dominum Mainium [recte P. Menesium], Legatione nuper Italica perfunctum et Venetum illum fabrum Vitrarium [Lowisi Miolto?], ante alios, adventus et sententiae suae reddant certiores." n. 13. „Ductu amicorum, optimates aliquot, praesertim Artimonem Sergevitz [Matvěev] primarium hodie Zari ministrum donis initio statim sibi concilient. Ibi enim, si uspiam, muneribus corrumpere et corrumpi solemne est." 14. „Ipsi etiam Zaro munusculum, quod raritas potius quam pretium commendet, utiliter aliquando, ex privata liberalitate offeretur, ut mercatores hosce novos tanto benignius agnoscat. 28. Atque ita interius benevolentiam Zari variis modis aucupando, privati quidam apud Principem gratiosi, ut clandestinum saltem religionis exercitium precibus exprecentur, erunt animandi, ut Moschi hoc medio connivere illis pedetentim assuescant. Nam publicae vel maximorum Principum legationes, propter ipsam rei molem metumque consecuturi periculi, frustra, procul dubio erunt". n. 29. „Opportunitate tamen sic ferente, Pontificem Maximum exorent, Legatos, aut primo saltem literas, plenioribus cum titulis, ad Zarum mittat, ipsumque ad foedus aliquod perpetuum, contra Turcarum hostem omnibus Christianis communem, mutuo iurandum invitet. Nimirum Zari titulo, tanquam Eridis pomo tradito, reliqua non poterunt non esse in proclivi . . .".

Церковный Вѣстникъ. (Cerkovnyj Věstnik) (Nuntius ecclesiasticus) 1905. No 32—52.

N. Aksakov, Minuta vysokago ozarenija, p. 1002. (Momentum sublimis illuminationis). In Birževnye Vědomosti comitis L. N. Tolstoji quidam sermones publicati sunt, quorum altero enarratur verba Evangelii »Diliges proximum tuum sicut te ipsum« semper quandam aversionem in comite Tolstoj excitavisse, propterea quod in eis internam contradictionem videre opinatus sit. Hinc non parvam fuisse eius satisfactionem, cum in Griessbachi comentariis ad Evangelia legisset, in antiquioribus codicibus non verba ὡς σεαυτόν (sicut te ipsum) sed ὡς ἑαυτόν (sicut eum ipsum, Deum scilicet) occurrere. In hac ver-

sione Tolstoj unitatem praecepti demum conspicit. Aksakov accurate et exquisite argumentis internis errorem huius opinionis L. N. Tolstoji illustrat. —

Episkop i pastva p. 1121. (Episcopus et dioecesani). Auctor maiorem episcopi ad ipsius dioecesanos appropinquationem commendat, cum hodiernus modus vitae episcopalis exclusive fere administrativae et cancellariae in dies magis eum a dioecesanorum animis removet —

Sudebnaja justicija i duhovnyj sud p. 1153. (Judicialis iustitia et iudicium spirituale). Decreto imperiali de 12. Decembris 1904 specialis commissio ad revidendam saecularem legislationem iudicialem creata est. Cum iudicium spirituale in multis cum saeculari cohaereat, auctor similem commissionem spiritualem constituendam proponit. Adumbratur historicus conspectus conaminum, quibus per aliquot decennia reformatio iudicii spiritualis tentata est, ostenduntur que principales huius iudicii defectus, ex quibus emendationis necessitas eo luculentius pateat.

O malorusskom perevodě Svjašč. Pisanija; p. 1185. (De malorussica versione Scripturae sacrae). Enumerantur causae, ex quibus malorussica translatio Scripturae sacrae in Ukraina initio septimi decennii saec. recens elapsi admissa non est, atque ministeriale edictum de 12. Dec. 1904, quo omnes prohibitiones versionum Scripturae sacrae in linguam Malorussorum sistuntur, enixe comprobatur.

Galahov, Voprosy, trebujuščie sobornago rěšenija, p. 1193. (Quaestiones synodali solutione indigentes). In praesentibus motibus socialibus, quibus Russia agitatur, clerus Russiae consilii inops erat, utpote principiorum in gravi hac quaestione sociali sacerdotibus orthodoxis tenendorum ignarus. Ad instar ecclesiae catholicae, cuius pontifex specialem encyclicam de quaestione sociali publicavit, etiam instanti concilio Russico de eiusmodi principiis deliberandum erit prouti de aliis quaestionibus gravissimis: de causis mutuae alienationis inter ecclesiam et classem laicorum eruditorum, de educatione cleri, cuius eruditio obsoleta novorum temporum officiis pastoralibus iam non sufficit, de inopia et vilitate litteraturae spiritualis, de rationibus magis benevolis ecclesiae orthodoxae cum christiano Occidente inchoandis ad uniendas vires adversus communem hostem infidelitatis, de liturgia etc.

Nužna-li cenzura propovědej? p. 1249 (An necessaria sit censura contionum). In Russia contiones censurae ecclesiasticae praeventivae vel saltem accedenti subiciuntur. Exercetur haec censura a decanis districtuum (blagočinnymi), quibus secundum hodiernam praxim sub finem anni contiones anno elapso habitae vel saltem earum sucus proponuntur. (Sciendum tamen, morem nostrum singulis diebus dominicis et festis contionandi in Russia non vigere). Libertatem verbi divini promoturus auctor hancce contionum censuram prorsus abolendam esse suadet.

Arhim. *Mihail,* Preljubodějanie, kak povod k razvodu, p. 1287. (Adulterium tamquam divortii causa). Tractatus iuris matrimonialis, quo contra leges exsistentes maior benevolentia ad divortium ex causa adulterii concedendum commendatur.

K. C., Patriarh i mitropolity po kanonam, p. 1480. (Patriarcha et metropolitae secundum canones). Collegium 32 sacerdotum Petropolitanum (gruppa 32) primo loco propositionis suae de ecclesia reformanda ad s. Synodum missae pro dignitate patriarchali et metropolitana postulat, ut Russia in provincias ecclesiasticas dividatur, quae a metropolitis regantur, quorum sit synodos provinciales convocare et quibus a centrali munere dirigente quaedam pars agendae cedatur. At hoc modo metropolitae una ex parte officiales superioris muneris ecclesiastici apparerent, altera ex parte in episcopos suae provinciae iusto maiorem potestatem acciperent. Ostenditur eiusmodi novitatem canonibus contradicere.

Otmèna duhovnoj cenzury, p. 1505. (Commutatio censurae spiritualis). Decreto 24. Novembris 1905 aboletur spiritualis censura operum periodicorum. Recensetur nova haec ordinatio tamquam iusta et utilis, simulque spei locus datur, etiam legem libros spectantem subsecuturam esse.

Arhim. *Mihail*, Žestokoe obraščenie, kak brakorazvodnyj »povod«. p. 1513. (Vexatio tamquam divortii causa). Proposita lex civilis hanc novam causam divortii admittens in Russia plane necessaria declaratur, ostenditurque antiquis canonibus hanc divortii causam non fuisse ignotam.

O monašestvě v otnošenii k episkopstvu, p. 1537. (De relatione status regularis ad episcopatum). Ex quo Athanasius Alexandrinus turbulentis temporibus crescentis Arianismi consueverat potius e monachis et eremitis, utpote magis liberis et minus cum vitae temporalis vicissitudinibus iunctis episcopos creare in ecclesia orientali monachi adeo frequenter dignitate episcopali induebantur, ut in Russia exinde quasi lex evaserit et episcopus e clero saeculari electus ad exceptionem prorsus singularem constituat. E canonibus tamen (vide v. gr. c. 12. concilii oec. VI.) tantummodo status caelebs, non vero monachalis ad episcopatum exigitur. (Quam crebro in omnibus hisce reformationibus ecclesiae Russiacae propositis vestigia institutionum ecclesiae catholicae premuntur, lectori facile patet).

Ad quaestionem de participatione cleri et laicorum in instanti concilio totius Russiae tractatus k voprosu ob učastii mirjan v cerkovnom soborě, p. 998, V ožidanii sozyva cerkovnago sobora p. 1173 et Cerkovnyj sobor i mirjane p. 1378 affirmative respondent. Tractatus O sostavě ožidaemago črezvyčajnago pomèstnago sobora russkoj cerkvi, p. 1608, principaliter quidem hocce ius participationis cum voto decisivo sacerdotibus et laicis negat, attamen in statu extraordinario, quo hodie ecclesia orthodoxa versetur, optabile esse declaratur, ut exceptione data praeter episcopos etiam parochi et laici ad concilium admittantur.

Scholas spirituales reformandas spectant articuli: Svoeobraznoj proekt duhovno-učebnoj reformy, p. 1124. Želatel'nyja izměnenija v ustavě duhovnych akademii, p. 1159, (Disquisitio de academiis spiritualibus primum ratione iuridici status professorum docentium (docent), dein ratione materialis condicionis omnium professorum, denique ratione graduum academicorum assequendorum), K voprosu o specializacii duhovnoj školy, p. 1283, Suďby duhovnoj školy, p. 1345, K voprosu o specializacii duhovnoj akademii, p. 1381, Komu vědať suďbu duhovnoj školy?, p. 1409, K reformě duhovnoj školy, p. 1475, Pochod protiv cerkovno-prichodskoj školy, p. 1475, Predpoloženija o vyššem cerkovnom upravlenii, pravah i objazanostjah duhovenstva i duhovnych školah, p. 1524 et Načalo obnovlenija duhovnoj školy. —

Sub titulo Lětopis' cerkovnoj i obščestvennoj žizni v Russii (Annales vitae ecclesiasticae et socialis in Russia) et Lětopis' cerkovnoj i obščestvennoj žizni za granicej (Annales vitae ecclesiasticae et socialis extra Russiae fines) graviores eventus vitae ecclesiasticae et socialis in Russia et extra Russiam exponuntur ac recensentur. Dr. *L. Petr.*

Prof. *Th. Titov*: **Русская православная церковь въ польско-литовскомъ государствѣ въ XVII. -XVIII. в.в. (Russkaja pravoslavnaja cerkov' v pol'sko-litovskom gosudarstvě v XVII.—XVIII. vv.)** Tom. I. **Западная Русь въ борьбѣ за вѣру и народность въ XVII.—XVIII. вв. (De Russiae occidentalis certamine de fide et moribus domesticis)** Pars prior. Kiev 1905. 3 rub.

Titov ecclesiae orthodoxae ab a. 1654 ad 1797 historiam, quae, ut recte ipse annotat, terra incognita est, enarrare intendit. Totum autem

opus magna ex parte documentis, quae ipse partim iam edidit, partim editurus est, innititur. De horum documentorum argumento et indole, auctor in praefatione ad 1. tomum: „Pamjatniki pravoslavija i russkoj narodnosti v XVII.—XVIII. vv.“ fusius tractat (p. VI.).

Primus tomus usque ad a. 1797. excurrit pugnamque pro religione orthodoxa et natione Russiaca describit; — II. tomus historiam metropolis Kioviensis in saec. XVII.—XVIII., III. t. historiam monasteriorum orthodoxorum dioecesis Kioviensis in Polonia exsistentium enarraturus est. Primi tomi prima pars, quam prae manibus habemus, Petri Magni morte terminatur (1654—1725.). Quae pars dupliciter dividitur: *α*) Parva Russiae cum imperio Moscovitico coniunctione usque ad metropolis Kioviensis patriarchatui Moscoviensi subiectionem (ab a. 1654—1686) (p. 1—110): — *β*) a tractatu a. 1686[1] usque ad Petri Magni mortem a. 1725. (p. 111—350). Auctor in prima hac parte primo iniurias catholicorum et unitorum orthodoxis illatas, dein orthodoxorum defensionem describit.

A. 1654 Parva Russia trans sinistram ripam fluminis Dnipro exsistens cum regno Moscovitico coniuncta est. Coniunctionis tempore quattuor erant in republica Polonorum episcopi orthodoxi, — cathedra metropolitana Kioviensis vacabat. Alexius imperator magnam partem Lithuaniae et Albae Russiae patriarchatui Moscoviensi subiecit (p. 43 sqq.). In Austro pro ecclesiae orthodoxae propagatione Bohdan Chmělnickij multum fecit.

Ut vero orthodoxi in suae religionis professione tuti essent, iam inde ab a. 1653. legati imperatoris Russiaci ad Polonorum regem mittebantur (p. 49 sqq.). Ipsi non solum religionis orthodoxae tolerantiam — ut dicunt — sed etiam unionis suppressionem omnibus viribus assequi conabantur (p. 59 sqq.). Inde ab a. 1674. speciales legati, qui ‚residentes‘ vocabantur, in Poloniam ex Russia veniebant. Per hosce legatos Russi etiam rebus regni Polonici sese immiscebant (p. 71—74). In prima periodo orthodoxi in Polonia exsistentes in fraternitatibus, quarum auctoritas non solum apud suae religionis populum, verum etiam coram regimine Polonico multum valebat, auxilium inveniebant (p. 74 sqq.). Sub harum fraternitatum auspiciis typographiae et scholae pro orthodoxis erigebantur; inter scholas maxime eminebat Kioviensis, quae a. 1615. fundata et brevi postea ad Academiae gradum evecta est (81 sqq.).

Russorum rex, cum metropolis Kioviensis, proindeque tota ecclesia orthodoxa in Polonia exsistens, patriarchatui Moscovitico subiecta esset, magis etiam sese rebus Polonorum immiscere coepit, licet orthodoxorum numerus non tam magnus fuerit (cf. E. Likowski, Dzieje Kościoła Unickiego na Litwie i Rusi w XIX., XVIII. wieku Poznań, 1880, p. 23).

Petrus M., cum per tractatum anni 1686 hoc ius interveniendi quasi confirmatum esset, magis in dies auctoritatem suam super orthodoxos in Polonia exsistentes tamquam eorum protector extendebat, ita ut de qualibet iniuria orthodoxis illata, per residentes suos certior factus, satisfactionem exigeret (p. 111 sqq.); cf. tamen Likowski o. c. p. 23. Petri Magni tempore tres dioeceses, Leopoliensis, Peremyšlensis et dioe-

cesis de Luck cum Romano Pontifice — secundum auctorem vi coactae (p. 147 sqq.), — unitae sunt.

Summum vero gradum Petri M. in Polonia auctoritas nacta est, quando cum eius auxilio Augustus II., elector Saxonicus rex Polonorum est electus. Ob hoc et alia subsidia a Petro M.° ipsi praestita Augustus II., eius desideriis obsecundabat (p. 251 sqq.).

Etiam in hac periodo orthodoxae fidei propagandae et defendendae multum inserviebant monasteria et confratermitates cum suis scholis (p. 288 sqq. et 312 sqq.). Praesertim per dioecesis Mohileviensis resuscitationem orthodoxi multum in religionis suae professione aucti et confirmati sunt (p. 317 sqq.).

Sed quid de ipso auctoris opere deque iniuriis orthodoxis illatis, quas fuse auctor enarrat (cf. praesertim p. 5—40, 111—238), dicendum est? Multas iniurias orthodoxis factas esse nemo veritatis amans negabit, at auctorem rem nonnihil exaggerasse sequentia manifestum reddent:

P r i m o: Generatim de Russorum male gestis silet, solum adversariorum facta minus recta depingit: sic autem a veritatis tramite paululum receditur.

S e c u n d o: Quid Russi cum suis promissionibus erga Parvo-Russos a. 1656. factis, fecerint, silentio tegit (cf. p. 5 sqq.).

T e r t i o: Russos in suis erga Polonos actionibus solum motivo religioso nec non motivo defendendorum iurium orthodoxorum ductos fuisse nobis persuadere studet (cf. 40 sqq. et 238 sq.).

Q u a r t o: Non attendit rempublicam Polonorum iam tempore, de quo agimus, infirmitate magna laborasse; edebantur enim decreta, quorum observationem nemo curabat: — dein cum regnum Polonicum catholicum esset, quicunque aliam religionem profitebatur, secundum temporis opinionem reipublicae inimicus putabatur.

Q u i n t o: Ex scripto unius omnes coaevos eadem ratione sensisse concludit (cf. 132 sqq., 193, 213).

S e x t o: Etsi catholicos nonnumquam minus recte processisse libenter fatemur, tamen persecutio haec minime eundem gradum assecuta est, quem persecutio adversus unitos a. 1839 et 1875.

Dein clerum catholicum fanatismo obcaecatum fuisse (p. 56), fraternitates autem orthodoxorum s o l u m l e g a l i b u s m e d i i s (isključitel'no mirnymi sredstvami p. 75) usas esse cum in se minus credibile est, tum factis historicis nonnihil repugnat (cf. mortem s. Iosaphat Kuncewicz: Gnépin O. S. B. St. Josaphat, Archevêque de Polock et l'église grecque unie en Pologne. Poitiers, 1874). Etiam quid sit unio cum Romana sede, sicut alii Russi intelligere non curat (cf. 237 sqq.).

Porro etiam quae de episcopi Vinnickij ad necem suasionibus (p. 153), deque Dionysii Zabokrickij ab irregularitate liberatione (p. 187), enarrat, exaggerata esse putamus. — Sed de hac re alias.

Quae tandem de Petri Magni in Polock a. 1705 gestis dicit, refutatione non indigent, cum testes etiam oculati aliter testentur (cf. Likowski o. c. p. 12 sqq. et auctores ibidem citatos).

His tamen non obstantibus liber auctoris cum ob litteraturae copiam tum ob ipsum argumentum — huius enim temporis historia,

ut iam cum cl. auctore annotavi, terra incognita est — magni pretii est iisque, qui huius temporis gesta descripturi sunt, eum negligere minime licebit.

Tandem ne veritatem laedamus, ut iam supra diximus, orthodoxis multas iniurias factas non negamus, sed res, ut notavimus, nonnihil moderanda est. *M. Haluščyńskyj*, O. S. B. M.

Богословскій Вѣстникъ. (Bogoslovskij Vĕstnik) 1906. 1. 2.

V. Sokolov: Možno-li i dolžno-li nam molit'sja v cerkvi za usopših inoslavnyh (Num liceat et debeat pro mortuis aliam religionem sequentibus in ecclesia orari) I., 1—32.

Cum post decretum s. ‚synodi' a. 1797 emissum sacerdotibus orthodoxis funera non-orthodoxorum, si deest eorum proprius sacerdos, in vestibus sacris cantante choro ‚Trisagion' comitari permissum sit, iam quaerit auctor, quamnam ob causam orationes publicas pro eis peragere non liceat. Cum autem huius decreti argumenta metr. Moscov. Philaretus in celebri epistola ad procuratorem ‚s. synodi' 25. febr. a. 1847. missa congessisset (scilicet apost. can. 10; 2. can. Antiochenae synodi; c. 6. Laod. et c. 33. Laod. synod.) (p. 4), — quidnam canones nominati praescribant, Sokolov inquirit illosque solum orationem cum haereticis et schismaticis prohibere ostendit.

Alia argumenta, quibus pro omnibus orandum esse ostendere nititur, haec adducit: α) id exigit caritas christiana; β) id quoque praxis ecclesiarum particularium (orthodoxarum), quae pro principibus non-orthodoxis orant, suadet; γ) id ipsum s. Paulus, Patres et antiquae liturgiae docent.

Ut autem scandalum populi praecaveatur, ritus funebres pro non-orthodoxis mutandos nec non in liturgia speciales pro iis orationes addendas esse consulit (p. 31).

Auctor, ut videtur, non distinguit inter orationem ecclesiae publicam et singulorum orationes. Ut caritas christiana salvetur, sufficit si privatim pro iis orare licet; — immo, — in ecclesia catholica — liturgia occulte pro iis, qui bona fide mortui sunt, (at pro iis tantum) probabiliter offerri potest. Et licet praeceptum, quod pro mortuis alienae religionis orationem prohibet, disciplinare sit, tamen cum ecclesia catholica tum orthodoxa aegre id mutatura est. Ecclesia enim, cum extra ipsam nulla sit salus (exceptis qui bona fide fuerunt) pro foro externo iure eos damnatos esse iudicat.

Quae vero auctor de mutuo singularum confessionum in dies crescente, amore loquitur (p. 13), haec ex indifferentismo provenire videntur.

M. Muretov: Iuda predatel' (Iuda proditor) I., 32—68, 246—262.

Nominati articuli longioris de Iuda inquisitionis continuatio (nondum finita) sunt. Auctor e textibus s. scripturae, quae tempore ultimae cenae acciderunt, colligit eaque, ubi opus est, e Talmude explicat. Pedum lotionem per Christum peractam ut symbolicam actionem concipit; immo, sincerus esse cupiens, s. Petro quemdam primatum (intelligit non aetatis primatum) adscribere non timet (cf. p. 42, 43, 51, 55, 56).

At quaedam adnotanda videntur: α) Auctor in hisce duobus articulis, nullius auctoris, ac si nemo hac de re ante eum scripsisset, mentionem facit; Talmud autem solus omnia explicasse non videtur; β) Dubitari etiam licet, num Iuda ideo, quod apostolorum oeconomus fuit, ultimo loco ponatur (cf. 57); γ) Quae de λάβετε et δέξασθε loquitur (cf. p. 67 et 246), minus recta videntur esse.

M. Tarěev: Živyja duši. Očerk nravstvennyh sil sovremennoj Rossii. Homines viventes. Quaedam de ethica nunc in Russia vigente I., 69—89. Tarěev, Gogol imitans, mores in Russia nunc temporis

dominantes describit. In recenti articulo studia sua continuat. Cum de unitis agit, maior desideranda est obiectiva rei descriptio.

A. Elčaninov: Misticizm M. M. Speranskago (De M M. Speranskij mysticismo) I., 90–123, 207 -245. A. Elčaninov, magni mystici, qui initio saec. XIX fuit, opera omnia edere cupiens, quandam praefationem praemittit, qua lectorem ad Speranskij systema intelligendum manuducere intendit. Consideratione digna sunt, quae auctor de contradictionibus scribit, quas Speranskij in suis ideis admisit. p. 244 sq.

Grati tamen essemus, si auctor editis Speranskij operibus totam eius theoriam systematice proponeret.

N. Zaozerskij: Proekt organizacii Cerkovnago Ustrojstva na načalah patriarše-sobornoj formy (Propositio ad organizandam ecclesiae constitutionem super principiis collectivo-patriarchalibus) I., 124–144.

Sicut in rebus civilibus Russiae constitutio mutanda speratur, ita et in rebus ecclesiae Russiacae multi mutationem merito exoptant. Eodem desiderio et Zaozerskij imbutus, ad hanc ecclesiae Russiacae organizationem peragendam prospectum proponit.

Cum ecclesia sit societas perfecta, suum regimen habeat necesse est. Secundum auctorem regimen hoc dupliciter in Russia dividendum est: 1) in collectivum et 2) in individuale.

Ad collectivum pertinent: 1. particulare concilium (sobor) totius ecclesiae Russiacae, — eius permanens organum executivum: patriarchalis synodus (synod); 2. metropolitanum concilium — eius executivum, permanens organum: metropolitana synodus; 3. dioecesana synodus — eius executivum, permanens organum — dioecesani consiliatores; 4. districtualis episcopus et eius districtuales consiliatores; 5. parochialis congregatio — eius executivum organum: parochiales consiliatores.

Ad individuale regimen ut in nominatis synodis praesidentes pertinent: patriarcha, metropolitae, archiepiscopi, chorepiscopi (districtuales episcopi), parochi; et in monasteriis archimandritae, hegumeni — respective hegumeniae.

Haec deinde auctor latius evolvit, quis ad singulas synodos pertinere debeat, quodque sit synodi officium enarrat

Quaedam tamen animadvertenda videntur: imprimis ratio, cur in singulis synodis tot laici idque cum voce decisiva (excepto concilio particulari totius Russiae, ubi solum consulere possunt) manifesta — ne plus dicam — non est; — dein id quoque, cur laicis iudicandi potestas episcopos vel synodo permanenti ius iudicandi suum episcopum concedatur, non patet.

Quo autem ducere possit id, quod reis permittatur eligere sibi aequum iudicum numerum, ac designati sunt, videant alii.

V. Myšcyn: Političeskija partii i ih idealy (Factiones politicae earumque principia) I., 145–177, 284—322. Rerum mutatio, quae in Russia ultimo tempore facta est, animos imparatos invenit. Ideo auctor enarratis variis theoriis, praesertim descriptis variis socialismi theoriis, concludit optimam formam regiminis esse democratico-constitutionalem. Res nondum finita est.

S. Bratkov: Pravlenie Pija X. i reformy rimskago katoličestva. (Regimen Pii X. et reformationes Romani catholicismi) I., 178—194.

Bratkov Leonis XIII. et Pii X. conamina ad invicem comparat. At ex variis ephemeridibus, quas non semper citat, nigris coloribus Pium X. describit. Nonnullae criminationes tam apertae sunt, ut ad haec respondere opus non sit (cf. v. g. Pium X. studiis exercitationes corporales praeferre dicit p. 184.). Rem prosequetur.

N. Myšcyn: Iz periodičeskoj pečati (Ex periodicis foliis). 1. Pravo rěšajuščago golosa i pravo bol'šinstva na cerkovnom soborě. — K reformě bogosluženija. I., 195—204 — 2. Političeskaja rol' duhovenstva. — Sojuz hristianskoj politiki, I., 380—391.

Myšcyn in primi articuli prima parte inquisitioni a Zaozerskij propositae ad reorganizandam ecclesiam (cf. Bogoslov. Vèstnik, 1906, I. p. 124 sqq) addit: laicos etiam in concilio totius Russiae ad vocem decisivam admittendos esse, cum id α) condiciones Russorum exigant, β) et exemplum concilii apostolici id suadeat. Sed ad decretum condendum vocum unanimitas magis conveniens est, — id quod fidei ratio consulit et multi codices civiles (ex variis temporibus) ,sanior pars' commendant. In secunda parte cum Sophia Blagodušna proponit: officium divinum abbreviandum, — Vetus T. cum Novo permutandum, — verba obscura in nova, clara mutanda, et arcanum ex liturgia (clausio ianuae regiae tempore liturgiae) amovendum esse.

In secundo articulo: in prima parte etiam clerum hucusque inertem rebus politicis se immiscere debere demonstrat; in secunda parte, ut factio christiana, quae fines christianismi prosequendos sibi proponat, instituatur, suadet.

N. Dobronravov: Učastie klira i mirjan na soborah v pervye devjat' věkov hristijanstva (Participatio cleri et laicorum in synodis IX priorum saeculorum christianismi) I., 263—283.

Dobronravov ex synodorum IX priorum saeculorum historia probare conatur etiam laicos et clerum inferiorem synodorum sessionibus affuisse idque cum voce consultativa. Et quidem primis tribus saeculis maior populi et simplicis cleri frequentia habetur, quam posterioribus.

At, ut videtur, haec auctor ostendere debet, quo numero, quo iure et a quo convocatus populus et inferior clerus synodi sessionibus interfuerit. Dein, licet episcopis vocem decisivam concedat, tamen scribere audet: »Sobory ne sostavljalis' iz odnih episkopov, inače oni ne predstavljali by soboju vsej cerkvi«. (Ut episcopi totam ecclesiam repraesentare possint, etiam aliorum [cleri et populi] praesentia requiritur) (p. 282). Simili modo et sequenti pagina de episcopis dicit. Quo iure haec dicantur et quomodo haec cum theologicis principiis cohaereant, non patet.

N. Romanskij: Institut blagočinnyh i vybornoe načalo v priměnenii k russkoj cerkovnoj administracii (Status decanorum et electionis principium in Russica administratione ecclesiastica) I., 323—344. Decanorum instituti evolutione descripta concludit meliorem modum esse, ut decani (blagočinnye) a clero eligantur. Clerus enim ad decanum ab ipso clero electum maiorem fovebit fiduciam; ipseque decanus officio suo cum maiore fructu fungetur. Etiam, ut consistorii membra eligantur, valde exoptat.

S. Bulgakov: O neobhodimosti vvedenija obščestvennyh nauk v programmě duhovnoj školy. De necessitate introductionis universalium disciplinarum in ecclesiasticis scholis). I., 345—356.

Ut quae a clero nunc temporis exiguntur, ipse praestare possit, necessarium esse, ut disciplinae naturales in scholis ecclesiasticis tractentur auctor ostendit. Bene. Sed ne theologia damnum patiatur, etiam videndum est.

S. Bratkov: Vopros o reformě duhovnyh seminarij v Italii (De reformatione scholarum ecclesiasticarum in Italia) I., 357—372.

Auctor in seminaria, in quibus iuvenis recipitur neque prius inde emittitur, quam sacerdos factus sit, invehitur. Quod clerus cum fidei detrimento parum alicubi (Galliam intelligit) cum populo conversetur eiusque necessitatibus etiam temporalibus non multum satisfaciat, hoc non ex istorium seminariorum qualitate, sed aliunde (c. statum cleri in Russia) provenire videtur. Et quae de linguae apud sacerdotes imperitia loquitur, parum veritati consona sunt.

S. Šumov: Něskol'ko slov po povodu stat'i g. N. ,O revizijah duhovno-učebnyh zavedenij' (Quaedam de articulo N., de visitatione ecclesiasticarum scholarum) I., 372—379

I. Popov: Bibliografija. Bogoslovskie fakul'tety (Bibliographia. Theologicae facultates) I., 392—401.

Popov argumento libri P. Světlov O neobhodimosti bogoslovskih fakul'tetov v universitetah. Kiev 1906. g. relato cum Světlov in eo consentit, quod, si academiae ecclesiasticae ut facultates theologicae universitatibus coniungantur, inde pro ecclesia, gubernio et ipis universitatibus commodum non spernendum sequi existimet; — at secundum Popov Russicae universitates non facile id admissurae sunt, immo nonnulli episcopi, de eruditis hominibus parum solliciti, adversabuntur hisce conaminibus. Ideo melius fore Popov putat, si studentibus tum Academiarum tum universitatum, quando placuerit, lectiones utrobique frequentare permittatur Tali modo facilius ad finem intentum perveniri potest.

A. Kirěev: Episkop starokatolikov Germanii Dr. Theodor Veber (Episcopus vetero-catholicorum Germaniae Dr. Th. Weber) I., 402.

Kirěev, notus vetero-catholicorum amicus, post mortem Dr. Weber necrologum eius scripsit eumque ut veritatis defensorem laudat.

M. Haluščyńskyj.

Церковныя Вѣдомости. (Cerkovnyja Vědomosti) Petropoli 1905. No 18—52.

Prof. M. Krasnožen, O svobodě sověsti i o věroterpimosti. (De libertate conscientiae et tolerantiae in rebus fidei). Decretum imperatoris de I die Paschae 1905 laeto cum animo salutatur terroresque ex eo nascentes discutiuntur. Veritas lucem non timet. — N. Subbotin, Mitropolit Filaret v ego rezoljucijach. (Metropolita Filaret in suis resolutionibus). Recensetur editionis secundi tomi »Perfectae collectionis resolutionum Filareti« illa pars resolutionum, quae a metropolita tempore cholerae a. 1830 et 1831 clero eius sunt intimatae. — Ob obščem imuščestvě. (De communi bonorum possessione). Monita respectu doctrinae de communi possesione bonorum, de usurpatione et possessione universi peculii. — N. Subbotin, Vospominanija. Memoria et recordatio professoris historiae biblicae et exegesis in academia Vladimirensi M. V. Tihonravovi et professoris philosophiae in seminario Vladimirensi A. M. Buharev. — N. I. Subbotin. (Н. И. Субботинъ). Necrologus. — E. Poseljanin, Pskov i ego svjatyni. (Pskov eiusque loci sacri). — Novějšija dannyja o dějatel'nosti moskovskago mitropolita Filareta. (Recentiora data de activitate Moscoviensis metropolitae Filareti). — S. Zvěrinskij, Rimsko-katoličeskija i protestantskija missii (Romano-catholicae et protestanticae missiones). Reproducuntur data patris I. B. Piolet in ephemeride »Le Correspondent« publicata de missionibus catholicis et protestanticis. Protestanticae societates missionum 558 contra 200 catholicas numerantur. Ratio annua societatum protestanticarum 108.000 fr. efficit, octies vel novies catholica ratione plus. — O sostojanii rossijskoj duhovnoj missii v Pekině za 1902—1903 g. g. (De statu Russicae missionis spiritalis Pekini (in China) a. 1902—1903). Sub fine a. 1903 missio Pekinensis ecclesiam Charbini, 9 scholas ecclesiasticas ad viam ferream Chino-orientalem, duas domus orationis Dalnyi, monasterium cum tribus ecclesiis et currum ecclesiasticum Tańczini, 4 capellas habuit cum missionum praefecto, archimandrita, 9 hieromonachis, 11 sacerdotibus etc. — V. Samuilov, Sězdy eparhial'nago duhovenstva v drevnej Rusi. (Congressus cleri dioecesani in antiqua Russia). In antiqua Russia quotannis I. Dominica Quadragesimae congressus cleri ad cathedram episcopi fieri solebant. Ad instar scholae erant, in qua episcopus magister erat, sacerdotes discipuli. In Russia occidentali adhuc initio saec. XVII. habebantur. — E. Poseljanin, Svjaščennik O. A. V. Roždestvenskij (Sacerdos A. V. R.) Necrologus. — Izvlečenija iz predstavlennyh eparhial'nymi preosvjaščennymi Svatějšemu Synodu godičnyh otčetov

sostojanii duḩovnyḩ seminarij i učilišč za 1903—1904 učebnyj god. Secundum relationes episcoporum ad s. Synodum de statu seminariorum et spiritalium institutorum pro anno 1903—1904 degunt in 57 seminariis Russiae 18.702 alumni (maximus numerus 702 est in seminario Rjazani) et 28.620 participantes in institutis spiritualibus. — P. Nečaev Dvuḩrodnoe i treḩrodnoe svojstvo, kak prepjatstvie ko vstupleniju v brak (Affinitas secundi et tertii gradus tamquam impedimentum matrimonii ineundi). In matrimoniis ineundis in posterum ab impedimento affinitatis secundi et tertii gradus facilius dispensandum erit. —

A. Djakov, Sovremennyj katolicizm s točky zrěnija principov meždunarodnago prava. (Praesens catholicismus quoad principia iuris internationalis). Referuntur principales ideae illius partis operis Ernesti Nys »Principes de droit national«, qua problema, an papa tamquam obiectum iuris internationalis considerari possit, pertractat. Respondetur negative. Papa, qui inde ab anno 1870 non est amplius monarcha, nec ullam condicionum implet, quae apud quemlibet principem relationes diplomaticas cum aliis statibus sustentantem, supponuntur. Papa proprio territorio, militia, subditis civilibus, civilibus legibus ac propriis earum defensoribus carens, papa, qui nuntiis regiminum securitatem non potest praestare, prouti id iure internationali desideratur, non potest huiusce iuris esse obiectum. Nec sedes apostolica nec ecclesia Romana id esse potest. Cum ecclesia non sit societas politica, ipsius nuntii vel legati solius naturae spiritalis emolumentum habere possunt. Concordata non sunt internationalia foedera veri nominis. Recensens spe laetatur, theorias hasce in praxin modo esse transituras, eumque inde faustum eventum sibi promittit, quod ecclesia catholica terrestri potestati suae consulere desinens vitam internam intensius promovebit et sic ipsa gravissimum illud impedimentum auferet, quo ab ecclesia orthodoxa separatur. —

M. Krasnožen, Granicy vèroterpimosti. (Limites tolerantiae). Tolerantia in rebus fidei certe aequa et iusta est. Ea tamen admissa non ideo relationes regiminis politici ad quamcunque confessionem aequales sint oportet. Tolerantia christiana bene ab indifferentismo adversus veritatem et errorem distinguenda est. Regimen nullo modo cum absoluta aequalitate sectas tractare potest, quarum doctrina cum ethica rei publicae non potest conciliari (Skopci, Mormones) vel quarum principia principiis ordinis moralis ac socialis, quae respublica tuetur, contraria sunt In foro personalis persuasionis religiosae libertas conscientiae certe est asserenda, ab ea tamen libertas publici cultus et libertas societatum religiosarum debent discerni. Eiusmodi societates extra regiminis custodiam condi non possunt. Nec ecclesia orthodoxa eiusmodi indifferentismum admittere poterit, eo minus libertatem transgrediendi ex una confessione in alteram. In Occidente status quidem hunc transitum admittunt, nullo modo tamen ecclesiae. Huius generis indifferentismus non est nisi periculosissima forma mutuarum inter religiones inimicitiarum.

I. B., Inkerman. Descriptio magni monasterii s. Clementis martyris in Chersoneso prope Sebastopolin siti. — O ḩristianskom brakè i semejstvě p. 1513—1519. (De christiano matrimonio et familia). Cum matrimonium et familia societatis fundamenta constituant, nil mirum, si damna defectu fidei procreata in hisce fundamentis praeprimis apparent. Considerantur ideo et comparantur matrimonium et familia sub influxu et fidei et modernae infidelitatis et quidem *a*) in suo origine *b)* in sua auctoritate. — Predèly kazanskoj eparḩii, p. 1523—1528. (Limites dioeceseos Kazaniensis a tempore erectionis (1555) usque ad saec. XX.) Adumbratio historica ad 350. anniversarium eparchiae, cuius territorium a. 1552 armis Russorum recuperatum est. — A. C., Iz Galičiny, p. 1549—1552. (E Galicia). De ecclesiastico statu catholicorum et unitorum Leopoli. — E. Poseljanin, Odin iz proektov duḩovno-

učebnoj reformy, p 1644—1661. Proponuntur quidam modi reformandorum seminariorum et scholarum spiritualium. — I. V., S Vostoka, p. 1676—1678. Gazeta Πατρίς insistit universitati Graecae Constantinopoli erigendae atque e collectis et donis Graecorum philanthroporum sustentandae. Eidem operi iam patriarcha Ioakim (1878—1884) intentus erat. — S. G, Ob usynovlenii, kak prepjatsvii k braku, p. 1695 -1705. (De matrimonii impedimento quod ex adoptione oritur). Collectio materiae ad quaestionem huius impedimenti solvendam.

V zaščitu staroj duhovnoj školy, p. 1731—1734. (In tutelam antiquae scholae spiritalis). Auctor pristinam scholam spiritualem contra contemptum et calumnias modo saepe saepius iteratas tuetur. Magni legum exaratores (Speranskij), egregii oratores, scriptores, publicistae (Dobroljubov), quibus Russia in saecula gratam memoriam servabit, ex hacce schola egressi sunt. Fere omnes eius discipuli idealistae erant magna vi morali praediti et singulari eruditionis concentratione imbuti. Si schola spiritualis modo reformanda ad instar antiquae eiusmodi viros educabit, tunc demum laus ei erit attribuenda.

P. Gorjučko, Cerkov' svjatago Klimenta v Rimě, p. 1749—1750. (Ecclesia s. Clementis Romae). Rectificantur quaedam de basilica s. Clementis minus accurate exposita in articulo C. Thomenko »Pamjati Bosnijskago episkopa Iosifa Štrossmajera«, Cerk. Věd. No 35). — V. Samuilov, Rjasofor, p. 1784—1789. De iure habitum regularem ante consecrationem monasticam (postriženie v monahi) gestandi tractatus historicus. — O preobrazovanii cerkovnago upravlenija v Rossii na sobornom načalě, p. 1897—1905 (De transformatione ecclesiasticae administrationis Russiae secundum principium synodale facienda). Collegium S. Synodi dirigentis oecumenico concilio Russiae convocando favens, quaestiones maxime urgentes in ipso pertractandas praeparavit. Quae hic enumerantur. Ob temporum iniurias tamen, quibus Russia agitatur, imperator concilium ad aptius tempus prorogavit.

A. Mal'cev, K istorii starokatoličeskago dviženija v Pragě v Bogemii, p. 1905—1915 (Ad historiam veterocatholici motus Pragae Bohemorum). Veterocatholica societas Pragae preces S. Synodo dirigenti Petropolitanae proposuit, quibus sub certis condicionibus receptionem in ecclesiam orthodoxam postulavit. S. Synodus hac in re societati veterocatholicae Pragensi litteras misit, quae interpellationi (protest) eiusdem societatis ad S. Synodum directae ansam dederunt. Societas declarat preces istas nonnisi a quibusdam membris societatis ab orthodoxo sacerdote Ryžkov Pragae degente instigatis suppositas fuisse. Quadraginta octo vetero-catholici interea in ecclesiam orthodoxam ingressi, cum certiores facti fuissent, petitionem ad S. Synodum non a societate veterocatholica Pragensi provenisse, ut ad societatem regredi liceret, postularunt. Interpellationis genesin in speciali articulo alumnus academiae Kioviensis, hierodiaconus Savvatij (Brabec) natione Bohemus illustrat et in genere querimonias in sacerdotem Ryžkov a societate prolatas iustas esse confirmat. Interpellatio et litterae hierodiaconi Brabec ad praesidem ecclesiae orthodoxae Berolinensis Alexium Mal'cev missae sunt; is in litteris ad metropolitam Petropolitanum Antonium directis interpellationem societatis veterocatholicae Pragensis acri criticae subicit.

Ob ustrojstvě i upravlenii pravoslavnoj Cerkvi v knjažestvě Černogorskom, p. 1922—1925. Organizationis et administrationis orthodoxae ecclesiae in Montenegro brevis adumbratio. — Pastyrstvo i narod p. 2109 -2121. (Clerus et populus). Officium pastorum spiritualium in praesentibus motibus agricultorum delineatur. Eundem finem (agricultores pacandi) articuli O sobstvennosti (De proprietate) et Čto nam dělat' v vidu narodnih volnenij? (Quid nobis respectu motuum populi faciendum?) prosequuntur. — S. V., Arheologočeskija raskopki v Palestině, p. 2157—2158. (Archaeologicae excavationes in Palaestina factae). Describuntur effossiones, quae duce Schumacher in oppido

Ležžun, biblico Megiddo, in valle Ezdrelonensi, quo Kison fluit, sito et a Salomone quondam muris cincto.

Congressuum et synodorum relationes: Congressus cleri Finniensis in insula Valaam No 36, congressus Kazanii No 44, synodus dioecesana Rigae No 44 et 48, Stavropoli No 45, Ḫarkovii No 48, Podoli No 49 et Kioviae No 50.

Litterae pastorales No 38 et 43.

Biographia: Preosvjaščennyj Dimitrij (Muretov), arḫiepiskop Chersonskij i Odesskij No 37, Konstantin Petrovič Pobědonoscev, s. Synodi dirigentis supremus procurator No 44, Protoierej Ioann Il'ič Sergiev (Kronštadskii), ad 50. anniversarium sacerdotii Ioannis Kronštatiensis No 49 et Svjaščennik A. B. Gumilevskij, osnovatel' priḫodskoj blagotvoritel'nosti v S. Peterburgě No 50.

Necrologi: Petr Ivanovič Nečaev No 45, Doktor bogoslovija i filosofii Iosif Ḫristoforovič Overbek, linguista et philosophus, auctor multorum (60) operum theologicorum No 50, Petr Andreevič Gil'tebrandt, archaeologus et palaeographus No 50 et P. V. Koškarov No 48.

Dr. *L. Petr*

Libri Russici a. 1906 editi.

ep. Agathodor. Voskresenskij ḫram i ego priḫod, Myškinskago uězda, Jaroslavskoj gubernii. (Istoriko—arḫeologičeskoe opisanie). Stavropol' 1906 [*De templo et parochia in Myšk.*]

Konst. Aggeev. Ḫristova věra. Č. I. Spb. 1907 (60+11+II) 0·60 r. (rec. Kapralov in Trudy 1906, 10, 209—16) [*De fide Christi*].

E. Akvilonov, O Spasitelě i o spasenii [2] Spb. 1906 [*De Redemptore et de redemptione*].

arḫiep Antonij (Volyn.) Ḫrapovickij, O pravoslavnom pastyrstvě. M. 1906 (130) 0·80 r. [*De munere pastorali orthodoxo*].

Miḫail Benemanskij. 'O proḫeiros Nomos Imperatora Vasilija Makedonjanina; vyp. pervyj. Sergiev Pos. 1906 (XIV + 557) 3 r. [*Basilii Macedonis ὁ πρόχειρος νόμος.*]

V. N. Beneševič, Drevne-slavjanskaja Kormčaja XIV titulov bez tolkovanij. Tom I. (Izdanie otděl. russk. jaz. i slovesn. Imp. Akad. Nauk. Spb. 1906 (VI+228) 1·40 r. [*Kormčaja veteroslavica XIV tit.*]

N. Bogačev, Oblast' nauki i oblast' věry. M. 1907 (24). [*De parte doctrinae et de parte fidei.*]

A. Ja. Bogorodskij, Načalo istorii mira i čelověka po pervym stranicam Biblii Kaz. 1906. 2·25 str. VIII+442. [*De initio historiae mundi et hominis sec. Gen.*]

A. Ja. Bogorodskij, Evrejskie cari[2]. Kazan' 1906 (VIII+381) 2 r. [*De regibus Hebraeorum*].

I. Borkov, O znamenijaḫ vtorogo prišestvija Gospoda Iisusa Ḫrista po evangeliju i poslanijam sv. apostolov. Kazan' 1906, 2 r. [*De signis secundi adventus Christi sec. evangelium et epistolas apostolorum*].

A. Brojakovskij, Sputnik Pastyrja. Sbornik statej i zamětok po voprosam pastyrskago služenija [2]. Vyp. 1. Kiev 1906. [*Comes pastoris. De quaestionibus pastoralis muneris*].

S. D. Bulgakov, Nravstvennoe učenie, raskryvaemoe v knigě premudrosti Iisusa Syna Sirahova. Kursk 1906 (27) 0·20 [*De doctrina morali in libro Sap.*]

S. N. Bulgakov, Religija čelověkobožestva u L. Fejerbaha. (80 p.) 0·30 r. [*De religione hominis—dei ap. L. Feuerbach.*]

N. P. Čel'cov, Hristianstvo i politika Spb. 1906 (45) [*De nexu inter rem christianam et civilem.*]

A. Th. Čerpjavskij, O vavilonskom stolpotvorenii i směšenii jazyka stroitelej, Kišinev 1906 (34) c. 0·20 r. [*De turris Babel aedificatione et linguarum confusione.*]

ierom. Damian, Nedostatki russkoj ikonopisi Spb. 1906. [*De defectibus iconographiae Russicae.*]

A. A. Dmitrievskij, Episkop Porfirij Uspenskij, kak iniciator i organizator pervoj russkoj duhovnoj missii v Ierusalimě, i ego zaslugi na pol'zu pravoslavija i v dělě izučenija hristianskago Vostoka. Spb. 1906 (124) 0·75 r. [*De meritis Porphyrii Uspenskij episcopi de orthodoxia (* 1804, † 19. IV. 1885)*].

V. Faminskij, Religiozno—nravstvennaja vozzrěnija L. A. Seneki i otnošenie ih k hristianstvu. Kiev (III+479) 1906 2 r. [*De L. Senecae sententiis de religione moribusque et de earum ad christianam doctrinam relatione.*]

arhim. Georgij, Izbranie episkopov v drevnej cerkvi (Istoriko-kanoničeskij očerk). Har'kov 1906, (24 p.) [*Ius eligendi episcopos antiquitus non fuisse penes populum.*]

S. Glagolev, Materija i duh. Spb. 1906 (181) [*De materia et spiritu*].

E. E. Golubinskij, Arheologičeskij atlas ko vtoroj polovině toma istorii russkoj Cerkvi, M. 1906 (2·50 r.) [*Tabularum geographicarum volumen ad Historiae ecclesiae Russicae I. tomi 1. partem*].

V. Gomerov, Raskrytie evangel'skago ponjatija o carstvě Božiem. Kiev 1906 (89) 0·60 r. [*Notio evangelica regni Dei explicatur*].

I. Gurevič, Kto vinovat v raspjatii Iisusa Hrista. Spb. 1906, 0·20 (rec. S. Troickij in Cerk. Věd. 1906, 830—1) [*Quis commiserit, ut Christus crucifigeretur*].

V. P. Gur'janov, Dvě městnyja ikony Svjatoj Troicy v Troickom soborě Svjato—Troickoj Sergievoj lavry i ih restavracija. M. 1906 (e Mosk. cerk. star.) [*De duabus imaginibus ss. Trinitatis in eccl. monasterii ss. Trinit. prope Moscoviam*].

ep. Iakov Aksajskij, Istorija vselenskih soborov [2]. Spb. 1906 (408) 2 r. [*Historia conciliorum oecumenicorum*].

arhim Iona, Svět s Vostoka. Vyp. II. Spb. 1906 (42) 0·35 [*Ex Oriente lux*].

A. M. Ivancov—Platonov, Hristianskoe učenie o ljubvi k čelověčestvu sravnitel'no s krajnostjami učenij socialističeskih [2] M. 1906 (Stupin) 90 pag., 0·50 r. [*Christiana de amore erga homines doctrina cum immoderatis placitis socialistarum comparata*].

A. Jacimirskij, Iz istorii slavjanskoj propovědi v Moldavii (CLXVI + 125) Spb. 1906. [*Ex historia Slavicae instructionis (sacrae) in Moldavia*].

A. Jacimirskij, Iz istorii slav. pis'mennosti v Moldavii i Valahii XV—XVII. vv. (CXVIII + 176) Spb. 1906. [*Ex historia litterarum Slavicarum in Moldavia et Valachia XV.—XVII. ss.*].

I. Janyšev, Pravoslavno-hristianskoe učenie o nravstvennosti [2] Spb. 1906 2·50 r. [*Orthodoxa-christiana doctrina de moribus*].

A. Karašev, Otnošenie hristian pervyh treh věkov (do Konstantina Vel.) k voennoj službě. Rjazan' 1906 [*Quomodo christiani primorum trium saeculorum ad militiam se habuerint*].

A. Kirillov. Časovni, cerkvi i monastyri na Donu ot načala ih pojavlenija do konca XIX. v. [*De capellis, ecclesiis, monasteriis ad Tanain fluvium.*]

N. Kondakov, Licevoj ikonopisnyj Podlinnik Tom I. Ikonografija Gospoda Bogo Spas. naš. Iisusa Hrista. Istoričeskij i ikonografičeskij očerk s 116 risunkami . . . Spb. 1906, 25 r. [*Iconographia Dni n. I. Chr.*; cum 116 imagg.]

I. K. Kondrat'ev, Moskovskij Kreml'. M. 1906 (190+2) Vil'de 0·50 r. [*De Moscoviensi Kreml.*]

Al. Kremlevskij, Posobie dlja izučajuščih pravoslavnyj hristianskij katihizis. Spb. 1906 (rec. Věra i C. 1906. 6 7 (I. Solov'ev); Cerk. Věd. n. 47; Strannik 1906, 751—2) [*Adiumentum ad exponendum orthodoxum catechismum*].

A. P. Lebedev, Istorija razdělenija Cerkvej v IX, X i XI vekah s podrobnym ukazatelem russkoj literatury, otnosjaščejsja k etomu predmetu s 1841 po 1900 gg. Spb. 1906. (Tarov) 2 r. [*Historia ecclesiarum saec. IX—XI. cum bibliographia*].

A. P. Lebedev, Ob učastii mirjan na soborah. M. 1906 (47). [*Per episcopos constitui concilia*].

V. Lebedev, Poslanija sv. apostolov i apokalipsis. Kn. 3: 1 i 2 p-ija k Korinthjanam. Tambov 1906 (249) 1 r. [*Comm. in 1. et 2. Cor.*]

I. M. Lehnickij, Osvjaščennyj sobor v Moskvě v XVI.—XVII. věkah. Spb. 1906 (74) 0·40 r.

S. Lobačevskij Svjatyj Antonij Velikij. Odessa 1906. 1·75 r. [*De vita scriptis doctrina s. Antonii M.*]

N. Losskij, Obosnovanie intuitivizma. Spb. 1906, 2 r. [*Intuitivismus probatur.*]

A, Malcev. Pravoslavnyja cerkvi i russkija učreždenija za granicej. S. 86 risunkami Spb. 1906; (496+IV). 2 r. [*De ecclesia orthodoxa et institutis Russicis extraneis*].

A. Malevič. Kakimi pravami i preimuščestvami otličalis' episkopy v drevne-hristianskoj cerkvi. M. 1906. 0·45 r. [*De iuribus et praerogativis episcoporum in prisca ecclesia christiana*].

N. Malinovskij, O Bogě Iskupitelě. Dogmatičeskij očerk. Kamenec-Podolsk. 1906 (e Podol'skija eparh. vědomosti 1905) (359) 1·25 r. [*De Deo Salvatore*].

arḫim Mihail (Bogdanov), Preobraženie Gospoda I. Ḫrista. Opyt ekzegetič. izslědovanija 17. i 18. gl. ev. Mtth. Kazan' 1906. (410) 2 r. [*De transfiguratione Domini I. Chr.*]

ep. Mihail, Akademičeskija čtenija po Sv. Pisaniju Novago Zavěta. III. Rimskaja Cerkov' i Poslanie k Rimljanam. Tula 1906. [*De eccl. Romana et ep. ad Rom.*]

D. Mirtov, Nravstvennaja avtonomija po Kantu i Nicše. Spb. 1905 (66) 0·35 r. [*De autonomia morali sec. Kant et Nietzsche*].

Th. I. Miščenko, K voprosu o sostavě predstojaščago sobora russkoj Cerkvi. Kiev 1906 (62) 0·40 r. [*Ad quaestionem de constitutione proximi concilii ecclesiae Russicae.*]

V. I. Nesmělov, Nauka o čelověkě [3] t. I. Kazan' 1906 (418) 2·50 r. [*Doctrina de homine.*]

P. V. Nikol'skij, Voprosy žizni pri světě věčnosti. Publičnyja čtenija. Spb. 1906 (VII+161) (Rec. Strannik 1906. 131—3) [*Quaestiones vitae, aeternitate illustratae*].

G. Orlov, Igumen'ja Antonija, nastojatel'nica monastyrej Strastnogo i Aleksinskago. M. 1906. 0·40 r. [*De Antonia abbatissa.*]

G. S. Petrov, Zaprosy sovremennoj cerkvi. Spb. 1906 (111) 0.35 r. [*Quaestiones ecclesiae praesentis.*]

V. Th. Pěvnickij, Cerkovnoe krasorěčie i ego osnovnye zakony. Kiev 1906 (IV+296) 2 r. [*De arte dicendi christiana eiusque principiis.*]

E. Poseljanin, Svjatyja děti russkija i dětskie gody russkiḫ. Spb. 1906 (162) 0·30 r. [*De sanctis pueris Russicis* (ss. Ioanne, protom. Kioviensi, Iacobo Borovic. Artemio thaumaturgo Verkoliensi, Demetrio principe (carevič) *et de annis sanctorum Russicorum* (Boris et Glěb, ven. Euphrosynae princip. et al. beat. et vener.)]

M. Posnov, Iudejstvo Kiev 1906 (II+267) 1·50 r. (e Trudy 1904—6) [*De Iudaeis.*]

A. S. Prugavin, Religioznye otščepency. Vyp. I. II. M. 1906. (209+252) 0·75+0·75 r. [*De dissidentibus in religionibus*].

S. G. Runkevič, O dobroděteli i podvigaḫ po tvorenijam svjat. Vasilija Velikago. Spb. 1906 (166) 0·50 r. [*De virtute sec. s. Basilium M.*]

S. G. Runkevič, Arḫierei Petrovskoj epoḫi v iḫ perepiskě s Petrom Velikim. I. Spb. 1906. (194) 2 r. [*De litterarum commercio inter Petrum M. et sacerdotes principes.*].

arḫiep. Savva, Ḫronika moej žizni. Avtobiografičeskija zapiski: tom. VI, (1879—83) Serg. Posad 1906 (933) [*Chronica vitae meae*].

S. I. Smirnov, Duḫovnyj Otec v drevnej vostočnoj Cerkvi. Serg. Posad 1906 XXII+341 [*De patre spirituali* (*confessario*) *in prisca ecclesia orientali*].

P. A. Sokolov, V poiskaḫ pravdy žizni. Ekaterinoslav 1906 (IV. + 383). 1·50 r. [*In explorando vitae veritatem*].

P. A. Sokolov, Vojna s religiozno-nravstvennoj točki zrěnija. Eka-

terinoslav 1906. (36) 0·20 r. [*Quid de bello sec. religionem et mores statuendum sit*].

P. P. Sokolov, Problema věry s točki zrěnija psihologii i teorii poznanija. Sergiev Posad 1906. [*De fide quaestio psychologica et noëtica*].

V. Sokolov, Možno-li i dolžno-li nam molit'sja v cerkvi za usopših inoslavnyh? Sergiev Posad 1906. [*De facultate et officio precandi pro heterodoxis defunctis*].

A. Sosnovskij, Očerki religioznago soznanija[2] Novočerkassk 1906 (95) 0·50 r. [*De sensu religioso*].

N. Speranskij, Věd'my i vědovstvo. Očerk po istorii cerkvi i školy v Zap. Evropě. M. 1906 1·40. r. [*De magis earumque arte*].

N. Suvorov, Obem disciplinarnago suda i jurisdikcii cerkvi v period vselenskih soborov [2]. M. 1906 (XI+400) 3 r. [*De ambitu iudicii disciplinaris et iurisdictionis ecclesiasticae tempore concilior. oecum.*]

N. Suvorov, K voprosu o tajnoj ispovědi i o duhovnikah v vostočnoj cerkvi[2]. M. 1906. [*Ad quaestionem de confessione secreta et de confessariis in ecclesia orientali*].

arhim. Theodor (A. Buharev), O pravoslavii v otnošenii k sovremennosti. Vyp. I. Spb. 1906. [*Quomodo orthodoxia ad haec tempora referatur*].

M. Thivejskij, Duhovnyja darovanija v pervonačal'noj hristianskoj Cerkvi. M. 1907 2 r. [*De donis spiritualibus in prima ecclesia christiana*].

Th. I. Titov, Cerkov', pastyrstvo i obščestvo v sovremennoj žizni. Vyp. I. Kiev 1906 [*De ecclesia, pastoribus, societate in praesenti vita*].

Th. I. Titov, Kritiko-bibliografičeskij obzor novějših trudov po istorii russkoj Cerkvi. Vyp. 5. Kiev 1906 (32 p.) 0·30 r. [*Conspectus crit.-bibl. eorum, quae recenter de rebus ecclesiae Russicae scripta sunt :* De 1) Malinovskij, Starec Eleazarova monastyrja Filothej i ego poslanija, 2) Bělokurov, Iz duh. žizni Moskovskago Obščestva, 3) Krylovskij (L'vovskye stavropigial'noe bratstvo 4) De-Skrohovskij, ot mraka k světu 5) Porfirij Uspenskij, Kniga bytija moego. 6) Zavitnevič, Al. St. Homjakov.]

G. V. Tristram, Vostočnye obyčai v biblejskih stranah [2] 0·50 r. Spb. 1906 [*De moribus orientalibus in regionibus biblicis*].

S. V. Troickij, Cerkovnyj sobor i mirjane Spb. (20) [*Non e solis episcopis constituendum esse concilium*].

I. P. Vartagava. Istinnyj pastyr'. Svjatootečeskij ideal hristianskago pastyrja. Simferopol' 1906. 0·50 r. [*Verus pastor.*]

V. Veličkin, Očerk istorii inkvizicii. M. 1906. (304) [*Inquisitionis historia*].

N. Zaozerskij. Osnovnyja načala želatel'nago dlja russkoj Cerkvi učreždenija patriaršestva. Serg. Pos. 1906 (54) [*De principiis constitutionis patriarchatus, ecclesiae Russicae optandi*].

K. Zaprudskij, Vselenskij Sobor (Istoriko-kanoničeskij etjud). M. 1906 (91) 0·40 r. [*De concilio oecumenico.*]

N. P., Duša životnyh̯. Učenie slova Božija i sv. otcov Cerkvi. Riga 1906, 0·30 r. [*De anima animalium*].

Zapiski peterburgskih̯ religiozno-filosofskih̯ sobranij (1902—3 gg.). Spb. 1906 (Prirožkov) 4 r.

RUTHENICA.

De statu praesenti ecclesiae et litterarum theolog. apud Ruthenos.

II.

Conspectus publicationum periodicarum theologicarum apud Ruthenos.

a) **Місионар (Misyonar)** Rik X. 1906. Vyd. vydavnyctvo čyna s. Vasylyja V. Redaktor O. L. Berezovskyj. Vyh̯od. raz na misjac' v Žovkvi (1·20 K). (Missionarius). Cum supplemento Misyonarczyk (Missionarius pro parvulis) a Patribus Basilianis in Zovkva semel in mense editur. Pretium per annum 1·20 cor. N. 1—5. Pg. 1—160.

P. L. Berezovskyj continuat per omnes numeros descriptionem peregrinationis, quam in Terram sanctam suscepit, idque stilo populari; multa narrat de locis sacris, eorum natura, historia, cultura etc. Prior pars horum articulorum „U svjatu zemlju — in Terram sanctam“ inscriptorum iam in Missionario anni praecedentis publicata est.

P. A. Lozynskyj, olim Romae rector Collegii Ruthenorum, narrat ut testis ocularis de „Чудо сьв. Януария — miraculo s. Ianuarii Neapoli“ (pg. 78—80, 111—6).

In tractatu „Pro Cerkov H̯rystyvu“ (de ecclesia Christi) auctor quidam explicat dogmatice modo populari ecclesiam et primatum Romani Pontificis. Tractatus continuatur per omnes numeros folii.

A numero tertio incipit P. A. Lozynskyj suos „Obrazky z misyj“ — imagines ex missionibus.

b) **Католицкій Вехід. (Katołyckyj Vshid)** Organ russkoj katolyckoj molodižy. R. II. 1905. Vyh̯odyt' u L'vovi z pečatni OO. Vasylyjan v Žovkvi. Rično 5 koron. — Editur Leopoli a iuventute theologica Ruthenorum quater per annum. Annus II. 1905. Pretium per annum 5 coronas.

N. 1—4. Pg. 1—398 et 81—192.

In parte prima continentur dissertationes sequentes:

O. Voljanskyj, Hrystyjan'skyj i antyh̯rystyjan'skyj s'vitogljad a pryrodna nerivnist' i zavysymist' žinočogo pola. Naturalis imparitas et dependentia mulieris secundum christianam et antichristianam rerum humanarum philosophiam (n. 1—3). Ostenditur in reditu ad principia dogmatica et moralia ecclesiae catholicae solutionem faustam quaestionis de feminis consistere.

V. Fediv, Masony. — V. Fediv, De latomis (n. 1—3). Explicatur origo et tendentia ecclesiae inimica huius sectae perniciosissimae.

V. Fediv Strasnyj tyžden' u viršah̯ i pisnjah̯. De hebdomada maiore in poësi et carminibus vulgi (pg. 64—102). Exponuntur passi-

ones Salvatoris iuxta apocrypha pulcherrimae poëseos plena vulgi Ruthenici.

P. Štokałko, Čy zakydy protyv sv. s'vjaščenomučenyka Josafata sut' pravdyvi? Sintne obiectiones contra s. Iosaphatum martyrem verae? (pg. 105—9). Solvuntur obiectiones quibus sanctus ille et celeber unionis ecclesiarum martyr arguitur, quasi schismaticos dure et intoleranter tractaverit.

S. Biłyn'skyj Dolja ruskyh unïjativ v Holmšynï. De fatis unitorum Ruthenorum in terra Chełmensi (n. 3—4). Enarratur iuxta documenta historica persecutio crudelis unitorum Ruthenorum ex parte regiminis Russiaci. Quaestio haec actualis facta est propter decretum tolerantiae nuper in Russia editum.

M. Ščepanjuk, Pres'vjata Evharystyja. De ss. Eucharistia (n. 3—4). Disseritur de institutione, materia, forma, ministro, effectibus sacramenti altaris.

M. Ščepanjuk, Ta sprava. De re illa (pg. 363—8). Modo polemico et apologetico demonstratur existentia Dei et Christi divinitas contra obiectiones auctoris liberalis in foliis iuventutis academicae M. Ukraina.

In Bibliographia mentio fit conspectus Slav. lit. theol. (pg. 43—4) et adducitur reprehensio, quam professor celeberrimus scientiae physicae in academia technica Pragensi, Dr. I. Puluj, natione Ruthenus (qui etiam novum Testamentum in Ruthenicum vertit) contra Drem I. Franko profert. Ostendit nimirum professor doctus, doctorem Franko in poëmate de mundi creatione diletantico modo, temerarie et sine argumentis scientificis religionem oppugnare (pg. 391—6).

In parte altera Kat. Vshidu continuantur homiliae s. Chrysostomi super Matthaeum habitae, et quidem homilia IV.—X.

Katołyckyj Vshid (v. supra), Annus III, 1906.

N. 1—2. Pag. 1—197 et 173—256.

I. Kłyvak, Pro buddyzm. De Budhismo (pg. 4—18, 94—112).

Ostenditur contra budhophilismum modernum systema budhaisticum esse atheisticum, ascesim falsissimam fovere, progressui generis humani perniciossimum esse. Pulchra quaedam budhismi ex religione christiana originem ducere demonstratur.

A. Tverdohlib, Korotkyj vyklad molytvy Gospodn'oi. Brevis expositio orationis Dominicae. (pg. 30—47).

T. Pasičynskyj, Istoričnyj ogljad rozvoju cerkovnogo s'pivu na Rusy. Conspectus historicus cantus Ecclesiastici apud Ruthenos (pg. 55—65, 130—6). Enarratur historia melodici cantus liturgici in ecclesia Ruthenorum secundum quattuor periodos.

S. Biłynskyj, Kil'ka sliv pro ikonostas. Pauca de iconostasi (pg. 66—81). Exponitur origo, evolutio historica iconostaseos (tabula seu paries, quae imaginibus sanctorum ornatur et navem ab altari distinguit). Merito affirmatur, iconostasim cum propria Ruthenorum indole nexu arctissimo cohaerere.

M. Ščepanjuk, Adam vo grisih. Adamus in peccatis (pg.

140—169). Egregia dissertatio apologetico-historica. Ostenditur contra Drem I. Franko — qui in publicatione Literaturno Naukovyj Visnyk (Nuntius litterario-scientificus) versionem posuit articuli Dris Landau ex folio Vindobonensi Zeit — ecclesiam catholicam ex mandato divino teneri moralitatem publicam custodire, porro ecclesiam hoc munus splendidissime implevisse et implere.

In parte altera homiliae s. Chrysostomi continuantur.

Charactere scientifico non obstante Kat. Vsḫid etiam poësim religiosam colit. Mentione digna sunt pulcherrima et vere poëtica carmina a I. Zaveruḫa composita (II. A. n. 3—4 et III. a. pg. 19—29, 113—5).

Inveniuntur etiam carmina religiosa a M. Dorockyj ex lingua Bohemica versa (II. a. pg. 35, 103). *O. Voljanskyj.*

SERBICA.

Glasnik pravoslavne crkve. 1906. 1—8.

Č. Mitrović, Brakorazvodni uzroci u hrišćanskom zakonodavstvu — De causis divortii in legislatione christiana (orientali) p. 36 44, 126—36, 222—33.

Sententiae huius scriptoris sunt hae: Matrimonium natura sua indissolubile est. Debilitati humanae indulgens iam legislatio Moysis divortium ob causas graves admisit. Apud gentiles magna hac in re erat libertas. I. Chr. — iuxta auctorem Serbicum — in solo adulterii casu divortium permisit. Hanc Christi de divortio legem ecclesia usque ad saec. IV. severissime observabat. Imperatores christiani libertatem divortii restringebant quidem, tamen legislatio pagana ab iis respicienda erat (43—44); quapropter matrimonii separationem propria voluntate factam prohibuerunt, varias tamen divortii causas admiserunt (126 ss.). Legislatio matrimonialis civilis tempore Iustiniani definite ordinata est; divortium „cum damno“ et „sine damno“ („bona gratia“) distinguens varias divortii causas (127—33) sequelasque (134 36) enumerat. Alias divortii causas statuerunt Leo IV., Constantinus VI, Leo Philosophus, qui divortium propter amentiam unius partis admisit. Edito a. 1187. decreto imperatoris Isaaci II. Angeli, quod agit de divortii condicionibus in casu, si vir creatur episcopus, legislatio de divortio in imperio Byzantino absoluta est (225).

Secundum Dr. Č. Mitrović eccl. orientalis omnes has in legislatione civili statutas divortii causas admisit. Quod ecclesia iuste facere potuit (iuxta Dr. Č. M.); nam si Ch. divortium ob adulterium permisit, cur non possit dissolvi matrimonium ob alias causas matrimonio non minus quam adulterium nocivas (226). — Ad haec probanda auctor inter alia provocat ad „syntagma“ monachi Matthiae Vlastar a. 1335. editum a. 1349 in Slavicum translatum et ad Slavicam „Kormčaja knjiga“ (circa a. 1199—1207), quae legislationem matrimonialem Byzantinam suam faciunt (231). Cf. eiusdem auctoris (Dr. Č. M.) librum „Nomokanon der slav. morgenländischen Kirche oder die Kormtschaja knjiga“ Wien—Leipzig 1898. —

Ad haec pauca animadvertenda sunt.

Auctor Serbicus relationem eccl. orientalis (ante schisma) ad civilem in rebus matrimonialibus legislationem false exponit. Nec fontes sufficientes historicos vel canonicos ex temporibus ante schisma orientale pro suis assertionibus adducit, nec distinctionem inter separationem a toro et mensa et inter divortium facit.

Affirmationi D. Mitrović de acceptatis ab ecclesia legibus Iustiniani repugnant collectiones legum civilium ab ecclesia tunc receptarum: Collectio 87 capitulorum (inter a. 565 578 a Ioanne Schol. adornata cfr. *Milaš*, Kirchenrecht der morgenl. Kirche, Czernowitz 1897. p. 170)

continet sola excerpta ex Novellis Iustiniani; attamen neque Nov. 22. neque 117, quae sanciunt causas divortii et solubilitatem matrimonii, in hac collectione inveniuntur. Item Collectio 25 capitulorum (ex initio VII. saec. cfr. Milaš, o. cit. p. 171.) continet solas constitutiones ex Codice, et quattuor Novellas (137, 133, 120, 123) — minime autem Nov. 22 et 117. Item Collectio constitutionum ecclesiasticarum (sive Collectio tripartita sive etiam Paratitla — ex initio VII. saec. cfr. Milaš op. cit. p. 173.), quae continet omnes omnino leges Iustiniani in rebus ecclesiasticis, omnes quoque eiusdem leges de matrimonio — praeter Nov. 22. et 117.

Item Nomocanon Ioan. Scholastici (vel Nomocanon L titulorum — coaluit ex collectione canonum 50 titul. et ex superius memorata collectione 87 capitul.) nihil amplius continet ex legibus de separatione editis, quam quod Nov. 22. c. 14. et Nov. 134. c. 12. statutum erat de matrimonio uxorum militum, qui post decimum usque annum neque revertebantur neque ullum nuntium de sua existentia dabant. De legibus autem sancientibus solutionem matrimonii et causas divortii tacet sicuti priores collectiones.

Manifestum igitur est ecclesiam illius temporis hanc legislationem non recepisse, solubilitatem matrimonii non sanxisse, etsi inde nondum demonstretur, ecclesiam hunc usum ne tolerasse quidem, non tantum aliud suasisse (Cf. conc. Arel. I. Sl. I. th. II, 238.)

Verum tempore procedente status civilis tamen reformavit vel potius deformavit legislationem et disciplinam ecclesiasticam orient. In Nomoc. XIV Tit., 13. et 14. iam receptae inveniuntur leges Iustiniani de causis divortii, quae continentur in Nov. 22 et 117.

Nunc quaeritur, ubinam positum sit fundamentum huiusce receptionis vel agnitionis ex parte ecclesiae orientalis, quacum coniunctum est ius novi matrimonii post divortium idque lege concessum? Num hoc fundamentum ipse Christus eodem iure sancito [non exceptione dumtaxat tolerata cf. Sl. I. th. I., 159 s.] posuit, ut opinatur Mitrović? Certissime non posuit! Sed ultima ratio huiusce rei invenitur in ipsa miserrima conditione ecclesiae sub iugo imperii Byzantini degentis, — in eiusdem ecclesiae absoluta fere dependentia a statu civili, qui ore Leonis VI. Philosophi (in sec. dimidio saec. IX.) pronuntiare non abhorruit leges civiles canonibus ecclesiasticis praestare et praevalere, — in illis tristissimis igitur relationibus inter ecclesiam et statum civilem, quas nomine byzantinismi comprehendere solemus.

Breviter: causa doctrinae ecclesiae orientalis de solubilitate sacramenti matrimonii quoad vinculum est eadem, propter quam solutum est vinculum inter utramque ecclesiam: orientalem et occidentalem.

Demetrius Jaremko.

P. S. Protić, Hristos Bogočlovek (Christus Deus-homo) 9—31. — Eleganti stylo demonstratur Christum non solum verum hominem, sed et verum Deum esse; „apologia" ab Hettinger conscripta saepe allegatur.

M. N. Milutinović, Pastirsko služenje starozavetnih proroka (De prophetarum V. F. munere pastorali) 32—35, 215—21. Continuatio ex a. 1905; continuabitur.

S. Veselinović, Urzacije Singidunski (Ursacius ep. Singidunensis) 54—62, 146—59, 253—63, 338—51, 406—11, 498—506. Multis fontibus historicis innixus auctor tractat historiam huius episcopi ariani e saec. IV. Continuabitur.

P. Švabić, Gerasim Domini, metropolit šabački. 63—78, 160—64, 264—84, 352—68, 412—24, 507—23. — Gerasimus, natione Graecus, a. 1816—30 ecclesiae metropolitanae Šabacensi praeerat; in sacerdotes et populum severius agebat, quapropter apud omnes in odio erat. Insuper Turcarum partes sequebatur; quibus rebus coactus a. 1830. Serbiam reliquit. Auctor epistolas eius ad celebrem Serbiae principem Miloš affert.

M. Šiljak, Osnovi pastirske službe sveštenička (De funda-

mentis muneris pastoralis sacerdotum — secundum epistolas apostolorum) 108—25, 234—42, 326—37. Continuabitur.

S. M. Veselinovic, Detinjstvo Hristovo (De aetate Christi puerili) 95—107. — Reicitur exceptio criticorum contra Lc. 2, 47, Christum duodecim annos natum talem sapientiam, ut rabbini mirarentur, possidere non potuisse.

V. Čengić, Poslanica Grigorija IX. srpstvu i slovenstvu (Epistola Gregorii IX. ad Serbos et Slovenos). 165—68. Ex collectione „Monumenta Germaniae historica" affertur epistola, qua Gregorius IX. 13. Februarii a. 1234. superiores ecclesiasticos et populum Slavorum meridionalium invitavit, ut legatum suum benevole acciperent atque in convertendis haereticis Bosnensibus etiam armis iuvarent. Allata hac epistola auctor, qui a. 1905 sinum ecclesiae catholicae atque ordinem s. Francisci reliquit, odium suum in „Slavophobum montem Vaticani" effundit.

Vl. T. Stojanović, Krštenje Isusa Hrista (De baptismo Iesu Christi. Sensus et character huius mysterii) 188—96. — Reiectis sententiis rationalistarum, qui vel factum historicum omnino negant (Bauer) vel perverse explicant (Weiss, Hase, Renan) auctor ostendit Christum per baptismum humilitatem ostendere atque indicare voluisse munus suum messianum eo ipso tempore coepisse. Si Mc 11, 28—30 prae oculis habetur, patet baptismum Christi etiam momentum dogmaticum habuisse. — Inepte autem auctor rationalistas simpliciter theologos occidentales appellat, ac si etiam catholici rationalistae essent.

V. P. Bošnjaković, Nil Sinajski (De Nili Sinaitici vita et operibus) 197—214, 315—15. Continuabitur.

R. M. Grujić, Srpske škole u beogradsko-karlovačkoj mitropoliji (De scholis Serbicis in metropolia Belgradensi-carlovicensi a. 1718 39) 425—42, 524—28. — Dissertatio solide scientifica. Pars reliqua sequetur.

Supplementi instar edita sunt: 1. „Doctrina duodecim apostolorum" (e Graeca in Serbicam linguam translata ab A. Obradović). 2. *S. M. Veselinović,* Lectiones ex patrologia; pars tantum. 3. Vigouroux „Manuel biblique" in versione Serbica; pars tantum, cf. Sl. l. th. II, 123—4.) *I Ivačković* et *P. V. Markičević,* De litteris Serbicis theologicis a. 1904 et 1905; pars reliqua sequetur. *G R.*

SLOVENICA.

Fr. Kovačič, **Doctor Angelicus Sv. Tomaž Akvinski. (Doctor Angelicus S. Thomas.)** Maribor 1906. Pg. 67. Cor. 1·10.

Opusculum hoc, quod imprimis studiosae iuventuti acceptum erit, in duas dividitur partes. In prima auctor pertractat vitam Angelici Doctoris (pg. 1—50), in altera opera eius (pg. 57—66). De vita s. Thomae auctor accurate exponit omnia, quae fidi historici ex variis tabulis et chartulariis collegerunt. Iucunda erunt Slovenis lectoribus, quae auctor narrat de commoratione Angelici Doctoris in partibus nostris. Morabatur, ut traditum est ab annalium scriptoribus, per medium annum, in conventu Frisacensi (Breže) in Styria; hinc Vilacium (Beljak) in Carinthia perrexit ad visitandum s. Bonaventuram, quem ibi vitam S. Francisci Seraphici scribentem repperit dixitque illa verba: Sinamus Sanctum pro Sancto laborare. Quamquam auctor sobrie animadvertit haec nondum esse critico examine eliquata. In altera parte igitur agit auctor de operibus S. Thomae. Nempe enumerat omnia Angelici Doctoris opera, exponit breviter eorum summam, adnotat, si quae scientia historica nostrae aetatis pervestigavit, quae Thomam eorumque temporum

homines latuerunt (v. gr. de libro de causis, de operibus Pseudo-Dionysii aliaque). (Optarem, ut unicuique operi additum esset, quo circiter tempore opus conscriptum sit, quod quidem studiosis saepe non parum inserviret.) Praeterea enumerat editiones operum S. Thomae necnon graviores versiones. Haud pauci fortasse ignorant, aliqua S. Thomae opera in Graecum, Hebraeum, Armenum, immo Sinensem sermonem versa esse. Postremo enumerat etiam biographos S. Thomae, inter recentiores Fr. Jos. Ševčík, qui a. 1899 sermone Bohemico edidit librum de vita Aquinatis. Dr. *A. Ušeničnik.*

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

IX.

Num ecclesiae orientales ab unitate catholica separatae habeant sacramentum extremae unctionis.

Est dogma fidei, extra ecclesiam Christi non esse salutem. Novimus vero, per hoc dogma ne gentiles quidem a salute simpliciter excludi, multo minus haereticos et schismaticos materiales separatis coetibus religiosis sine propria culpa adhaerentes. At si perpendamus, Christum Dominum in veram ecclesiam, corpus suum mysticum, continuo largissima flumina gratiarum derivare, Spiritum sanctum, quo vivit et regitur corpus Christi, speciali modo illustrare et ad omnem virtutem ac sanctitatem movere membra unius sanctae ecclesiae, et nihilominus innumeros catholicos maximam partem vitae suae transigere in statu peccati mortalis: merito non audemus confidere, relative magnam partem eorum, qui ab unitate catholica sunt separati, versari in statu gratiae sanctificantis. Et quid in hora mortis? Seponamus protestantes, qui praeter baptismum nullum sacramentum habent ideoque tum in vita tum in morte remissionem peccatorum gravium post baptismum commissorum tantum per contritionem perfectam consequi possunt. Consideremus autem, num adsint momenta, quae praebeant ansam pie opinandi, multos Orientales sedi apostolicae non obedientes vitam finire cum sigillo praedestinationis. Plerosque laicos et multos sacerdotes eorum esse in bona fide, merito supponimus. Porro in periculo mortis quivis sacerdos, etiam haereticus et apostata, habet iurisdictionem pro tribunali poenitentiae. Non est, cur timeamus, ne Deus schismaticis materialibus ultimam absolutionem sacerdotalem petentibus deneget gratias necessarias, ut ex sua parte praestent omnia requisita ad fructuosam sacramenti poenitentiae, proinde etiam viatici perceptionem.

Verum Concilium Tridentinum in prooemio doctrinae de sacramento extremae unctionis nos instruit, »quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit

de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita extremae unctionis sacramento finem vitae tamquam firmissimo praesidio munivit.« Unde quaeritur, num Orientales habeant hoc firmissimum praesidium extremae unctionis sive, ut ipsi loquuntur, euchelaei (olei precum), quo muniti prosternant adversarium nostrum, qui maxime instante morte »omnes suae versutiae nervos intendit ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos.«

Forte lectori ipsa quaestio videtur esse otiosa, cum clarum sit, omnes Orientales tam unitos quam dissidentes possidere mysterium unctionis infirmorum. Nam eorum sacerdotes vi characteris presbyteralis habent potestatem perficiendi sacramentum; qua potestate per nullam auctoritatem ecclesiasticam, ne per summum quidem pontificem, privari possunt. Sacerdotes ecclesiarum dissidentium adhibent eandem materiam et formam quam sacerdotes ecclesiarum unitarum, in quibus vere administrari s. unctionem non potest negari nisi inepte et cum contemptu clarissimarum decisionum s. Sedis. Requisita in ministris intentio neutris deest.

At si rem accuratius inspiciamus, quaestio forte videbitur ex contrario ideo esse otiosa, quod appareat clarum esse, Orientales dissidentes non habere sacramentalem unctionem infirmorum. Nulla quidem est dubitatio de potestate sacerdotum, nulla de eorum intentione; certe recta utuntur forma. Verum videtur esse manifestum, eos non adhibere validam materiam; ubi autem deficit valida materia, nullum fit sacramentum. Materia extremae unctionis est oleum benedictione episcopali consecratum. Docet nos concilium Tridentinum: »Intellexit ecclesia, materiam [extremae unctionis] esse oleum ab episcopo benedictum.« Unde Paulus V. die 13. Ianuarii a. 1611 declaravit »Temerariam et errori proximam« propositionem, »quod nempe sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit.« S. Officium die 14. Sept. a. 1842 approbante Gregorio XVI. negando respondit ad dubium, »an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto.« Iam vero potestatem episcopalem consecrandi oleum infirmorum habent episcopi vi Ordinis sui. Presbyteri iique soli per suum Ordinem habent capacitatem, quibus dicta potestas per summum pontificem vel per episcopum cum consensu saltem tacito s. Sedis delegetur. Hanc vero delegationem secundum vigentem disciplinam Romani pontifices ipsi presbyteris latinis nunquam concedunt, multo minus episcopis latinis ius faciunt valide delegandi. Cum e. g. inter turbas Gallicas exeunte saeculo XVIII. Pius VI. rogaretur, ut presbyteris facultatem largiretur consecrandi oleum infirmorum, pontifex id recusavit. Per varia quidem decreta apostolica, quae hic referre ad finem nostrum non attinet, constat, presbyteros

orientales ecclesiarum unitarum potiri delegatione, de qua agimus. At nonne manifestam videmur enuntiare veritatem, si dicimus: »Romanus pontifex certe non permittit, ut presbyteri ab ecclesia catholica separati fruantur potestate tam extraordinaria, ut presbyteris latinis ne pro casu quidem summae necessitatis praebeatur? Est autem praxis universalis ecclesiarum Orientis dissidentium, ut presbyteri ipsi singulis vicibus, cum ministrant euchelaeon, oleum benedicant. Ergo etsi valida esset inunctio, si uterentur oleo a suis episcopis consecrato, de facto non conferunt sacramentum ideoque populi s. Sedi non adhaerentes carent fortissimo medio salutis.«

Nihilominus tuto licet statuere propositionem: Sacerdotes orientales etiam ecclesiarum ab unitate catholica separatarum gaudent potestate delegata benedicendi oleum infirmorum ideoque valide administrant s. Unctionem. — Diu ante schisma exortum per universalem disciplinam in Oriente vigentem presbyteri valide benedicebant oleum infirmorum; immo nullum extat testimonium, quo ostendatur, extra Occidentem illam potestatem unquam fuisse reservatam episcopis. Est igitur solum probandum, summos pontifices perfecto schismate presbyteris non ademisse immemorabile privilegium, quo fruebantur. Nihil sane faceret, qui ad contrarium evincendum ex nostro iure canonico colligeret poenas statutas in sacerdotes latinos deficientes ad schisma vel haeresim. Ecclesiae enim orientales semper proprio iure regebantur. Quis e. gr. asseret, quoties iam ante Michaelem Caerularium patriarchae imperii Byzantini schisma ad tempus excitabant, toties per Orientem suspensum esse sacramentum poenitentiae excepto casu periculi mortis et sacramentalem unctionem infirmorum? Sed ne ingrediamur generalem quaestionem satis spinosam de sequelis iuridicis schismatum orientalium; maneamus in nostra re. Poterant certe Romani pontifices permittere, ut presbyteri vetustissimo suo privilegio ultra fruerentur, quemadmodum pro articulo mortis omnibus sacerdotibus etiam apostatis dant iurisdictionem necessariam ad dandam absolutionem sacramentalem. Pontifices de facto presbyteris in schisma pertractis non sustulisse dictum privilegium, sequentes rationes, ni fallor, ostendunt.

1. Propter triste schisma s. Sedes nihil voluit mutare in antiqua disciplina vigente per totum Orientem. Omnes conatus summorum pontificum in id unum tendebant, ut tot populos ad unitatem catholicam revocarent. Quid etiam, quod nostram rem spectat, eos permovere potuisset, ut veteri praxi subtrahentes fundamentum iuridicum auctoribus defectionis, episcopis, solis reservarent potestatem consecrandi oleum infirmorum? Quin gravissimae rationes eis suadebant, ne quidquam maxime hac in re mutarent. Innumeri ex simplici plebe et ex laicis generatim de controversiis suorum praesulum cum episcopo Romano nihil sciebant; ne in mentem quidem eis venit, ut relicta ecclesia, in qua patres eorum vixerant,

coetui schismatico adhaererent: permanebant igitur simpliciter catholici. Plurimi alii existimantes, suos episcopos pugnare pro antiqua fide et legitimis iuribus, eos bona fide sequebantur: erant proinde schismatici mere materiales. Si vero pontifex presbyteros privasset delegatione ad benedicendum oleum infirmorum, hos omnes, catholicos et schismaticos materiales, privasset sacramento extremae unctionis et magno periculo perdendae salutis exposuisset sine ullo, quod assignari possit, commodo ecclesiae. Et tamen vicario Christi officium incumbit, ut pro viribus procuret aeternam salutem eorum, qui Christo Domino per baptismum sunt consecrati, imprimis eorum, qui corde et animo adhaerent verae ecclesiae. Summe autem efficax medium, ut morituri, etiam illi, qui sine propria culpa externo vinculo cum visibili capite ecclesiae non coniunguntur, ad aeternam beatitudinem pertingant, est sacramentalis decedentium unctio. Cura salutis tot populorum declarat, cur nullum extet documentum, quo s. Sedes revocaverit privilegium presbyterorum Orientis. Post defectionem Graeci episcopi et presbyteri nihil curassent talem revocationem ideoque sacerdotes sicut antea, sed iam invalide et cum sacrilegio aegrotos liniissent oleo benedicto a se et non ab episcopo.

2. Potestatem conferendi sacramentum confirmationis episcopi pariter habent vi characteris sui Ordinis; presbyteri pariter habent vi sui characteris capacitatem, ut eis potestas confirmandi delegetur. Hanc delegationem presbyteri orientales non minus quam ad benedicendum oleum infirmorum iam diu ante schisma possidebant. Coniungebant, quemadmodum adhuc faciunt, confirmationem cum ipso baptismo. Eandem delegationem confirmandi rarissime concedi presbyteris latinis saltem intra Europam, omnes novimus. Nihilominus s. Sedes presbyteris orientalibus post eorum defectionem non ademit generatim facultatem valide confirmandi. Exigebant per decursum saeculorum speciales conditiones quarumdam regionum, ut presbyteris ecclesiae catholicae non unitis privilegium ministrandi s. confirmationem auferretur. In talibus casibus delegatio presbyterorum illarum regionum expresse revocabatur. In aliis terris adhuc perdurat simplicium sacerdotum potestas confirmandi. Si quaeramus, cur Romani pontifices generatim non abrogaverint tantum privilegium presbyterorum, qui ab unitate catholica desciverant, oportet respondeamus, eos id fecisse, quia sine gravissima causa nihil volebant mutare in antiqua disciplina ecclesiarum orientalium et ob spirituale bonum populorum, qui revocata illa potestate debuissent carere mysterio chrismatis. Ergo cum sedes apostolica nunquam expresse abrogaverit eorundem presbyterorum delegationem ad benedicendum oleum infirmorum, a maiore dicendum est, eos adhuc potiri memorata delegatione. Maioris enim momenti ad salvandos christianos schismati implexos est sacramentalis unctio morte appropinquante collata quam sacramentum chrismatis infantibus datum. — In allato argumento omnia per se sunt clara excepta assertione,

presbyteros non unitos generatim adhuc frui potestate confirmandi. Sed etiam haec assertio per complura responsa s. Officii extra omnem dubitationem est posita. Ut unum exemplum proferamus, cum esset interrogatum, num schismatici conversi ad unitatem ecclesiae possint denuo sub conditione confirmari, s. Officium respondit 3. Iulii 1853: »Non expedire, quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem; et ad mentem.« Mens autem ea esse declaratur, ut in casibus particularibus episcopus se informet de loco, ubi conversi fuerint chrismate delibuti. Si fuerit in Bulgaria vel in Cypro, in Italia vel in insulis adiacentibus vel apud Maronitas Libani, vel in aliis locis, ubi talis facultas expresse sit revocata, debere absolute fieri reconfirmationem. Si fuerit in Valachia vel Moldavia, in Asia vel in aliis locis, ubi talis facultas non fuerit expresse revocata, acquiescat. Si dubitetur de loco, de modo vel de alia circumstantia consideratione digna, »recurrat in casibus particularibus et consulat Benedictum XIV. de synodo dioeces. l. VII., c. 7 ss.« [1]) Benedictus XIV. l. cit. c. 9, n. 2 inter alia scribit: »Asserere . . ., sacramentum confirmationis ab ecclesia Graeca nunc penitus exulare, multis nominibus absurdissimum recte ostendit Goarius in suis notis ad Euchologium Graecorum p. 567. Equidem ex Concilio Florentino certo conicimus, Graecorum confirmationem, etsi a simplici sacerdote administratam, a Latinis Patribus ratam habitam. Cum enim Graeci inter 11 quaestiones sibi a Latinis post unionem propositas ad hanc quoque iussi sint respondere: ,Quare episcopi non inungunt sacro chrismate, sed sacerdotes, cum hoc pontificibus sit datum?', t. 9. Collectionis Harduini col. 430 plene quoad hanc per Mitylenensem praesulem Latinis satisfecisse, ex eadem historia colligimus ec.« — Concludamus hanc secundam rationem verbis eiusdem Benedicti XIV., qui scribit (De synodo dioeces. l. VIII., c. 1, n. 4): »In ecclesia orientali mos viget a mille et amplius annis in ea receptus, ut ipsimet presbyteri, cum se accingunt ad infirmum inungendum, oleum in ea sacramentali unctione adhibendum benedicant. . . Hanc autem Orientalium consuetudinem ecclesia Latina non solum non improbavit, sed ratam habuit: refert quippe Goarius, a s. Congr. de propag. Fide approbatam eiusque impensis Romae editam synopsim vernaculam Neophyti Rhodini, in qua haec habentur: ,Materia sacramenti extremae unctionis est oleum oliva expressum, a pontifice vel a sacerdotibus, qui praesentes fuerint, iuxta ecclesiae morem benedictum.'« Nullibi, ubi doctissimus pontifex de nostra quaestione tractat, statuit discrimen inter presbyteros orientales unitos et nonunitos, quod attinet potestatem benedicendi oleum infirmorum.

3. Notum est, quantopere protestantes dignitatem sacramentalem extremae unctionis ideo oppugnent, quod non efficiat sani-

[1]) **Nonnulla alia huiusmodi responsa Romana licet videre in „Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide" (Romae 1893) nn. 674 ss.**

tatem corporalem. Ritum a s. Iacobo praescriptum ordinatum fuisse ad restitutionem pristinae sanitatis. Quare cum nunc olei unctio non expellat morbum, dicendum esse, unctionem, de qua agit s. Iacobus, vel fuisse symbolum curationis per charisma miraculorum, quo gaudebant primi christiani, vel ad summum fuisse sacramentum temporaneum iam dudum extinctum. Scribit e. gr. Calvinus in Comm. ep. s. Iacobi: »Nihil absurdius quam sacramentum vocare, quod inane sit nec rem signatam vere nobis offerat. Donum sanationis fuisse temporale, fateri omnes coguntur, et res ipsa demonstrat; ergo signum eius perpetuum esse non oportuit: unde sequitur, non veros esse imitatores, sed simias esse apostolorum, qui unctionem inter sacramenta hodie reponunt, nisi effectum simul restituant, quem ante annos 1400 Deus mundo abstulit.« Iam vero theologi orientales non secus ac latini respondent, sacramentum non esse institutum, ut nos reddat immortales; attamen per experientiam constare, multos ope coelestis medicinae euchelaei a morbis suis liberari, et saepissime infirmos sacramentaliter inunctos manifestare saltem magnam alleviationem non solum spiritualem, sed etiam corporalem. Scribit e. gr. protohiereus Michael Arhangelskij in opere de evolutione ritus s. olei p. 244 s.: »Nunc quoque, quemadmodum tempore apostolorum et aevo subsequenti s. Unctio efficit plenam liberationem a morbo et perfectam sanitatem. Hoc testatur reverendissimus Macarius et de hac re varia testimonia scriptis sunt mandata. Idem quilibet cognoscere potest ex magno numero factorum, quae ministri sacramenti et subiecta vel alii, qui s. officio intererant, narraverunt. Si perfecta restitutio sanitatis non respondet consiliis Providentiae, tamen saepe magis minusve diuturna alleviatio a doloribus corporis vel animae aegroto contingit.« Facile quidem concedimus, in singularibus casibus posse subesse errorem, cum alleviatio post s. unctionem eveniens huic tribuitur. Sed si multi theologi, viri graves et veritatis studiosi, asserunt, saepe hunc effectum subsequi s. ritum, inepte quaereretur causa naturalis, quae toties per accidens concurrens unctioni felicem illum fructum produceret. Quare dicimus: Experientia teste euchelaeon a sacerdotibus ecclesiarum Orientis a centro unitatis separatarum administratum saepe restituit sanitatem vel saltem praebet alleviationem spiritualem et corporalem. Atqui sacramentum nullum fructum producit nisi valide sit receptum. Non reciperetur in Oriente valide euchelaeon, nisi presbyteri per consensum saltem tacitum summi pontificis haberent potestatem benedicendi oleum infirmorum. Ergo concedendum est, eos hac potestate insigniri.

Quivis videt, veritatem demonstratam gravem praebere rationem pie existimandi, multa membra ecclesiarum orientalium ab unitate catholica seiuncta, quae cum bona fide et sincera devotione recipiunt in fine vitae mysterium piissimae misericordiae divinae, feliciter esse perventura ad portum aeternae salutis. —

Dr. J. Kern.

X.

De miraculis acatholicorum.

Apud nos, catholicos, inter potissima praeambula fidei recensentur miracula. Hoc nomine appellatur factum externum, in quo habetur evidens manifestatio Dei. Concurrunt ad hoc et circumstantiae et ipsa natura facti.

Et primum circumstantiae. Etiamsi miraculum esset factum ordinis mere naturalis, productum ex integro naturae viribus, tamen propter speciales circumstantias et attenta Dei providentia posset prudenter haberi pro signo divinae voluntatis.

Quod signum tunc evadet certum et evidens, si natura facti transgrediatur naturales vires.

Cum igitur nostra disputatio versetur de veris miraculis in diversis religionibus, proderit primum stabilire, quando et quaenam facta possint proponi ut facta supernaturalia producta manifesto immediate a Deo.

Spectato quidem huius temporis scientiarum progressu periculosum sane est in medium adducere primam quamque visionem, extasim, aut sanationem muti, caeci et universim facta, in quibus agitur mera mutatio non destructio organi. Haec enim eveniunt ut plurimum naturali cursu, praecipue ut dicunt autosuggestione.

Eadem autem scientia quae circa talia facta compluria dubia movet, in aliis clare ostendit supernaturalem originem. Id praecipue de instantaneis sanationibus magnorum externorum vulnerum patet. His casibus monet Boissarie potissimum esse instandum. Attendantur igitur hae duae conditiones: ut 1. agatur de gravi visibili vulnere 2. sanatio fiat in instanti.

Eiusmodi miracula non esse imaginaria testatur opus eiusdem viri quod inscribitur: „Les grandes guérisons de Lourdes“: vel opus scriptoris Bertrin, Histoire critique des événements de Lourdes [10]; vel liber, cuius titulus est: Guérison subite d' une fracture. Récit et étude scientifique par L. van Hoestenberghe, docteur en médecine, E. Royer, d.e. m., A. Deschamps. S. I., d. e. m. et en sciences naturelles. Bruxelles 1900. Exempli gratia resumo brevissime famosum casum cuiusdam operarii Belgici, Petri de Rudder, cui anno 1867 truncus arboris rupit os sinistri pedis infra genu in tres partes. Partem mediam tractu temporis demortuam et 3 cm. longam medicus extraxit ita, ut remanentia ossa distarent inter se spatio 3 cm. Postea adiunxit se duplex vulnus, cancrema, quorum unum erat in poplite latissimum et profundissimum ita, ut in fundo cerneretur extremum utrumque fragmentum. Sic res mansit ultra 8 annos, vanam reddens quamlibet spem et curam medicorum. Demum anno 1875 in preregrinatione ad celebre sanctuarium N. D. de Oostacker Petrus orans coram statua Deiparae in instanti pristinam sanitatem recuperavit et prosiliens firmo gressu sine minima claudicatione adiunxit se processioni. Appellati medici explorarunt 1. utrumque cancrema evanuisse, 2. novum os 3 cm. longum accrevisse. 3. utrumque distans fragmentum cum eo coaluisse,

ita ut uterque pes paris longitudinis esset. Quod anno 1899 iterum comprobarunt medici facta exhumatione et inspectione cadaveris eiusdem Petri quatuordecim mensibus ante defuncti. Percelebrem hanc sanationem obiecit Dr. Boissarie calumniis noti scriptoris Zola. Si quis desiderat repetere inquisitiones in veritatem huius facti, convertat se vel ad Dr. Boissarie. (bureau des constatations à Lourdes) vel in patriam Rudderi quae est Iabbeke auprès de Bruges in Belgio.

Dixi in tali re manifestam esse divinam intercessionem, quod breviter sic probari potest. Ut succrescat novum os aut sanetur vulnus necessaria est nova materia, nova caro, qua pars deficiens restituatur. Quae nova caro formatur ex sanguine. Videlicet e cibo fit sanguis et e sanguine corpus — hoc est certum. Haec autem formatio non potest fieri nisi paulatim, nam sanguis transit per tenues venas exigua quantitate. Impossibilis igitur est naturali rerum cursu *instantaneo* sanatio, quae exigeret formationem maioris molis — ut in adducto exemplo. Impossibile, inquam, nam *non est, unde haec nova caro, novum os sumatur*. Cum id tamen fiat, idque invocato Dei aut B. V. auxilio manifestus est interventus omnipotentis Dei. Quae argumentatio utilis videtur praesertim pro practica apologia.

Ostensa existentia veri miraculi accedamus ad principale quaesitum: Utrum verum miraculum possibile sit in compluribus *diversis religionibus*. Considerationi nostrae hic non obicitur miraculum factum v. g. a B. V., cuius possibilitatem omnes concedunt, sed miraculum factum ab homine heterodoxo sive vivo sive mortuo.

Quaestionem hanc dissimulare non expedit. Etenim ex una parte quidem certum est inter Catholicos etiam nunc evenire vera miracula ad invocationem sanctorum a morte recentium. At ex altera parte idem deprehenditur etiam apud Orthodoxos. Adducatur e. gr. eremita Serafim, aut metropolita Filaret, qui floruerunt praeterito saeculo. Hoc autem tempore quis ignorat Ioannem de Cronstadt? Itaque quaeritur, quomodo id explicetur. Difficultas est obvia: Cum enim Deus sit verax, nequit approbare falsum cultum. Atqui miraculis id faceret. Nam miraculum ostendit rectum et verum esse modum, quo defunctus Deo servivit et ad salutem pervenit. Accedit quod miraculum attenta veracitate Dei certe est signum *obiectivae* et non solum subiectivae sanctitatis. Atqui ad obiectivam sanctitatem pertinet certe etiam recta fides.

Tamen videtur satis tuto concedi posse **non repugnantia** miraculorum apud heterodoxos et puto hanc unicam esse possibilem solutionem.

Consideremus igitur hunc duplicem casum:

1. Ad virum sanctum sed heterodoxum adducunt infirmum, ut oret super eum. Qui rem postulatam facit et hominem sanat. Fierine id potest? *Potest.*

2. Ad tumulum heterodoxi sancti aliquis orat et continuo sanatur a gravissimo vulnere. Potestne id fieri? *Potest.*

Ratio utriusque rei est quod Deus sic approbat bonam vitam, nequaquam fidem — saltem non dogmata, quibus heterodoxi a nobis differunt. Quod **probo:**

1. Miraculum respicit directe vitam et non fidem. Hoc est certum; nam etiam nos invocamus Deum propter merita sanctorum et non, quod crediderunt. Respondet id verbis D[ni] dicentis: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine etc.

2. Fides igitur solum indirecte approbatur, in quantum erat radix sanctae vitae.

Atqui ad bonam vitam non ducit totum depositum fidei, sed solum pars eius practica, doctrina moralis, complectens potissimum dogmata de immortalitate animae, de redemptione, Deo retribuente et iustificante, decalogum eiusque evolutionem, consilia evangelica etc.

3. Ergo sequitur, ut — supposita sane bona fide, quae de cetero facile habetur — homo agere possit vitam vere sanctam etiam in cultu falso, dummodo hic retinuerit salvam christianam doctrinam moralem, licet in aliis dogmatibus magis speculativis erret.

4. Et vice versa: Miraculum approbans vitam approbat solum hanc doctrinam moralem et nihil amplius. Haec autem moralis doctrina habetur integra etiam apud aliquos cultus heterodoxos.

Ergo potest apud eos miraculum fieri sine ullo praeiudicio veri cultus.

Confirmo. Providentia et bonitas Dei exigit miracula etiam inter acatholicos — in sensu quidem nuper descripto.

Deus enim vult omnes salvos fieri. Ergo vult, ut etiam acatholici bene vivant. Atqui unicum absolute efficax medium ad incitandos homines ad vitam salutarem est favor, quem Deus ostendit sancte viventibus, seu miraculum. Convenit igitur, ut etiam apud illas nationes Deus modo extraordinario exaudiat preces hominum sibi devotorum, etsi bona fide in quibusdam rebus, quae in cognitione potius quam in agendo positae sunt errantium, et faciat miraculum.

Obicitur. Miraculum debet esse signum obiectivae et non solum subiectivae sanctitatis. Atqui ad obiectivam sanctitatem etiam recta fides exigitur.

Respondeo per distinctionem. Miraculum obiectivam sanctitatem eminentem sive in gradu perfecto sive etiam minus perfecto et incompleto significat — concedo. — Miraculum est signum obiectivae sanctitatis in gradu solum perfecto — nego.

Homines absolute sub quolibet respectu sancti sunt admodum pauci. Exempli instar sit B. V. Ceteri fere omnes etiam erroribus et defectibus obnoxii erant et Deus tamen eos glorificat etiam magnis miraculis.

Distinguo igitur minorem propositionem: Ad obiectivam sanctitatem recta fides pertinet: si agitur de absoluta sanctitate, concedo, si agitur de minus perfecta, subdistinguo: tum exigitur fides recta de toto deposito, omnibus dogmatis — nego. Sufficit enim — supposito inculpabili errore — ut sit vera et recta saltem in doctrina morum. Si enim non obstant miraculis ceteri morales defectus non potest obstare invincibilis error de dogmate speculativi ordinis. — Itaque veracitas Dei certe ad miracula obiectivam sanctitatem exigit,

Quae tamen variis defectibus non repugnat, inter quos etiam heterodoxia esse potest.

II. Obiectio. Huiusmodi miracula confirmant heterodoxos in errore.

Respondeo: Hoc fit solum per accidens et ex iusta causa, ut dictum est supra. Sic autem Deus permittit tot alia mala, non est igitur, cur hoc permittere non possit, praesertim cum data occasione cognoscendi veram fidem, quae etiam habet et longe plura miracula, error hic statim evanescat.

Corollarium. Itaque sedulo est distinguendum inter miracula ordinaria, quae fiunt a Deo sive ad glorificandum hominem iustum sive ad praemium fiduciae, et inter miracula facta expresse ad confirmationem religionis. Non enim quodlibet miraculum est testimonium verae fidei. — Hi casus rariores sunt et diiudicantur ex circumstantiis. Huc imprimis miracula Apostolorum et Martyrum spectant, nostris autem temporibus miracula facta in Lourdes, quae sunt in intimo nexu cum infallibilitate Romanae Ecclesiae.

Placet concludere verbis professoris Lépicier, ubi fit mentio miraculorum Ioannis de Cronstadt:

„Questi miracoli, se pur sono da considerarsi come autentici, di diritto appartengono alla Chiesa cattolica, poichè non sono diretti a conferma della dottrina degli ortodossi, bensì di una santità che è appunto in armonia con i principii cattolici.“ (Miracolo, pag. 202 annot.) *J. Pořícký.*

V.

De sacramento poenitentiae.

Quaestio II.ª De necessitate usus potestatis clavium.

Thesis III.

Ut certo valide baptizatis gravia peccata remittantur, subiectio potestati ecclesiae in re vel saltem in voto implicito necessaria est necessitate medii ita, ut et votum determinate sit necesarium necesitate stricta, et ipse usus potestatis remittendi sine ullo praecepto novo superaddito sit necessarius determinate necessitate privilegiata. [1])

Declaratio. „Necessarium necessitate medii illud dicitur, sine quo, etiamsi nulla obligatio moralis violetur, finis nequit obtineri“ (Palmieri, De poen. th. 10, IV), vel clarius: necessarium necessitate medii est id, quod per modum causae positive ita ad salutem confert, ut sine illo salus obtineri nequeat. „Oritur enim ex relatione (obiectiva),

---

[1]) Praeter libros infra afferendos magna utilitate adhibuimus hic etiam tractatum nondum publicatum Ant. Straub, De sacramento poenitentiae.

qua unum ad alterum tamquam medium ad finem consequendum refertur, ideoque spectat ad ordinem ontologicum et obiectivum, cui etiam obnoxia sunt entia irrationalia; et quia hic independens est a nostra cognitione, ignorata non excusat [neque enim medii causalitas, neque ipsa ratio condicionis pro effectu postulatae per operantis ignorantiam suppletur]. Neglecta vero non semper fundat culpam (poenamque: contra Anastas. Sin., Interrog. 130), sed aliquam impotentiam consequendi finem intentum. — Multiplex autem est necessitas medii. Si enim unum sine altero obtineri quidem potest, sed cum magna difficultate, habetur necessitas medii latiore sensu accepta seu moralis, quae iterum suos habet gradus. Si vero unum sine altero simpliciter obtineri nequit, habetur necessitas medii proprie dicta; et haec est vel metaphysica, quae oritur ex essentiis rerum (e. gr. necessitas causae ad effectum habendum) vel physica" (Hurter, Th.dogm. compend. t. III. th. 196) e. gr. iurisdictio ad peccata remittenda —, quae vel ex naturis rerum oritur, vel ex libera Dei institutione, sc. eius, cui est potestas finis alicuius adeptionem cum certo quodam medio connectendi.

Praeterea eadem necessitas, quam oppositam morali appellamus propriam, in necessitatem stricte dictam et in necessitatem latius dictam (seu privilegiatam) et ipsa dispertiri potest. Prior illa urget, cum medium, de quo agitur, re ipsa seu actu in se adhibendum est; talis v. g. est necessitas gratiae pro salute sempiterna, fidei pro iustificatione adultorum. Altera adest, cum medium ita necessarium est, ut applicare illud interim sufficiat in voto, i. e. in seria animi voluntate: qualis v. g. est necessitas baptismi. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi voluntas sola applicandi medii pro iustificatione instituti etiam interim sufficiat, sed quod desiderium medii recipiendi et propositum eiusdem expetendi sufficiat coniunctum alteri actui, ut caritatis vel contritionis: in quo altero actu votum, de quo agitur, implicitum quoque esse queat, quatenus qui vere Deum diligat, paratus eo ipso sit ad usum medii ex institutione Dei pro iustificatione assequenda requisiti (Cf. A. Zamjatin, Pokajanie p. 31; Sl. l. th. I, p. 112).

Necessarium necessitate praecepti illud dicitur, quod ideo pro consequendo fine fieri debet, quia faciendum est satis morali obligationi; seu est actio, quam imponit ille, qui habet potestatem obligandi ita, ut peccemus hac actione non posita. Sic ad conservationem vitae necesse est omittere actionem, quae punitur morte. „Haec necessitas oritur ex voluntate (subiectiva) superioris obligantis, spectat ad ordinem moralem, et quia ligat voluntatem mediante ratione, qua praeceptum innotescit, ignorata excusat, neglecta vero fundat culpam" Hurter l. c.

Si finis appetendus praecipitur, manifestum est necessitatem medii simul esse etiam necessitatem praecepti. Id quod etiam in nostra quaestione locum habet, cum finis remissionis gravium culparum peccatori baptizato appetendus sane praecipiatur.

Subiectio in voto, quae in eo est, ut quis velit se actu subicere paratusque sit id facere, cum poterit, non est concipienda ut imponens

obligationem quam primum actu se subiciendi (quod putat Oswald. D. Lehre v. d. Sacr., 5. Th., § 6: „baldmöglichst"). Sufficit secundum explicationem ecclesiae, ut fidelis semel in anno actu se subiciat. Ceterum cf. Ballerini-Palmieri, Opus morale t. V, n. 1031. et infra Sch. 2.

Votum inclusum contineri potest et actu contritionis, et actu attritionis illo, sine quo reatum culpae nec per sacramentum ullum nec per martyrium donari peccatori aliunde noscitur.

Duplici autem modo unus actus alterum continere potest. Uno modo, quem vocare licet simplicis propositi, actus proponens seu iam nunc imperans continet implicite actum propositum seu imperatum: ita actus (quamvis inferior) ipsius attritionis continet implicite actum caritatis, ex obiecto suo nobiliore praestantiorem, sive suo tempore, sive e vestigio eliciendum. — Altero modo actus actum in se continet, quasi totum suam partem virtualem velut actus appetens cuiuspiam obiecti fugientem obiecti oppositi; ubi actus continens pro ipsa formalis sui obiecti amplitudine obiectum materiale actus contenti sive appetendum sive fugiendum implicite complectitur, neque aliud nisi vel notitia vel sola memoria obiecti materialis postulatur, ut propellente virtute obiecti formalis ipsius actus continentis facultas etiam explicite ad hoc obiectum materiale attingendum connaturaliter, necessario continuo se protendat; unde perfectio ipsa actus sic contenti in actu continente iam includitur; ita propositum servandae legis Dei universae continet implicite propositum non peierandi; vel actus caritatis formalem cuiusvis saltem gravis culpae detestationem.

Porro modo isto altero caritas elicita ab homine peccatore, sacramentum sive ignorante, sive hic et nunc non cogitante, perspicitur continere votum sacramenti; vis sc. praesentis actus caritatis ea est, ut, dummodo remedium culpae promptum in voto sacramenti animo occurreret, ex ipso motivo suo caritas expresse et continuo remedium illud arripiendo adhiberet.

Secundum Gratianum, Hugonem a s. Victore[2]), Alexandrum Alensem, Bonaventuram, Jansenium necessitas

---

[2]) De sacram. l. 2, p. 14, c. 1: Quare non similiter Christus praeceptum dedit hominibus peccata sua confitendi, sicut discipulis petestatem dedit confitentium peccata dimittendi? Audi quare: Voluit Christus, ut a temet ipso surgeres, ut non quasi extorta et coacta videretur confessio tua. Idcirco quod ad se pertinuit, officium suum discipulis iniunxit, ut medicorum more aegros ad se venientes exciperent et sanarent. Medicis ergo dixit, ut curarent, sed infirmis non dixit, ut ad medicos curandi venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quod aegri libenter salutem quaererent et se curandos offerrent, si medicos invenirent. Propterea solos medicos admonuit Infirmum enim ipse morbus suus sufficienter admonet, neque opus praecepto habet, si dolet. Tamen ipsi medici postea, quia negligentes in curatione sua aegrotos invenerunt, eos ad salutem quaerendam et admonitione sua excitarunt et praecepto attraxerunt. Confitemini, inquit apostolus Iacobus, alterutrum: . . . alter alteri, homo homini, non solum homo Deo, ... inter vos homines hominibus: oves pastoribus, subiecti praelatis, hi, qui peccata habent, his, qui peccata dimittere potestatem habent.

peccata clavibus subiciendi tantum ex praecepto ecclesiae provenit. Inter Russos N. Suvorov idem videtur sentire; qui et poenitentiam publicam disciplinarem fuisse pro criminibus, de quibus quis accusatus esset vel se ipse ultro accusavisset, eamque simul sacramentalem (cf. e. g. K voprosu o tajnoj ispovědi? M. 1906, p. 108) neque confessionem secretam antiquitus fuisse actum potestatis iudicialis sed meram animi contriti expressionem, de qua agatur Iac 5, 16, Io 1, 8—10, statuit (ibid. p. 112—3). Similiter S. I. Smirnov in Bogoslovskij Věstnik 1906, I, p. 614 iudicat, qui certe confessionem dicit non fuisse unicum peccatorum remedium, sed aequalem vim eleemosynam, lacrimas etc. habuisse. „Tol'ko v 12. v. tajnaja ispověd' stala obščeobjazatel'noj, tol'ko togda načala priznavat' nepreměnnym sredstvom proščenija vsjakago grěḫa vsěḫ ḫristian, a do togo vremeni byla liš' odnim iz sredstv proščenija grěḫov na rjadu s milostynej, slezami, proščeniem obid i proč". Etiam Al. Kremlevskij nuperrime (Posobie dlja izučajuščiḫ pravoslavnyj ḫristianskij katiḫizis. Spb. 1906) saltem obscure loquitur, cum dicit: „polučat' proščenie grěḫov čelověk možet i bez tainstva pokajanija“ (p. 80) et „tainstvo pokajanija ustanovleno dlja našego udostověrija v polučenii proščenija (p. 93).

Pars I. (Necessaria est).

Dub. 1. Necessitas haec deberet colligi ex essentia potestatis traditae; atqui Scotus, Medina, Gabriel, Caietanus iure negant eam ex Io. 20, 23 posse colligi. Nam *a*) princeps, cum iudices constituit, non prohibet subditos, ne ad se ipsum confugiant; ergo neque Christus tradita apostolis illa potestate fideles vetuit ad se immediate recurrere. — *b*) Retentio utique ad ea peccata tantum extendenda erat, quae sine praecepto de confessione imposito apostoli eorumque successores comperire poterant. — *c*) Potestas retinendi supponit peccata; peccata autem contritione perfecta delentur. Peccata vero deleta retineri ab ecclesia non possunt, quia neque Deus ea retinere potest; non potest igitur verificari de eis illud Christi: Quorum retinueritis, retenta sunt. Sin quoad illa peccata verba Christi vera esse non possunt, ergo ad illa non se extendit potestas eis verbis collata; cum autem ex eisdem colligatur obligatio subiciendi clavibus peccata, nequit his verbis demonstrari necessitas subiciendi se clavibus etiam pro iustificatis per contritionem. — *d*) Sicut efficacia potestatis clavium, quantum attinet ad actum remittendi peccata, cernitur in eo, quod per eam remittuntur peccata hominum habentium attritionem, sed non pertingentium ad habendam contritionem perfectam, ita efficacia potestatis retinendi cernitur in eo, quod non possint nisi per hanc potestatem dimitti peccata hominum non pertingentium ad habendam contritionem perfectam. — *e*) Retinere non solum significat non remittere, sed etiam aliquem positivum actum ligandi aut obligandi, ut ex vi et proprietate verborum constat. »Sacerdos non retinet aliqua nisi aliquo modo sibi accusata« (Scotus, In l. 4, d. 17 [q. un.] n. 12.). Ex verbo retinendi negative explicato non potest sumi efficax argumentum, quia, cum praecipue dicat actum positivum, inde solum potest haberi, quod sacerdos solverit vel ligaverit, solutum aut ligatum manere; cum hoc tamen stare poterit, ut quamvis ipse neque solvat neque liget, homo alia via solvatur vel ligetur. Cf. Jansenius, Concordia c. 147. — *f*) Potest sacerdos peccata venialia retinere et saepe retinet, cum poenitens non est rite dispositus ad absolutionem. Atqui tamen inde colligi non potest necessariam esse venialium confessionem; ergo nec ex eo, quod sacerdos mortalia retinere possit, illa necessitas inferri potest. — *g*) Potestas retinendi semper habebatur secundaria et minimi ponderis. Ideo neque

episcopis ordinandis tradebatur; sicut in baptismo potestas non baptizandi eo ipso ad est, cum aliquis baptizandi potestatem habet. Cf. Constit. apostol. l. 8, c. 5: Δὸς αὐτῷ, Δέσποτα παντόκρατορ," διὰ τοῦ Χριστοῦ σου τὴν μετουσίαν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὥςτε ἔχειν ἐξουσίαν ἀφιέναι ἁμαρτίας κατὰ τὴν ἐντολήν σου, λύειν δὲ πάντα σύνδεσμον κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔδωκας τοῖς ἀποστόλοις

2. Paulus apostolus 1 Cor. 11, 28 ab iis, qui in peccato sunt, aliud non requirit ante s. communionem, quam ut se ipsos probent, non vero, ut probentur ab aliis. Cf. Dionysius Alex. Ep 13 (ad Basilidem) in fin.

3. Si haec thesis vera esset, difficilior esset remissio in novo quam in vetere testamento.

4. Si sine usu clavium non constat salus, summo pontifici via salutis non patet, si peccat, cum nullum habeat in terra superiorem et iudicem, et tamen potestas clavium sit iudicialis Cf. thes. VIII., p. II., dub. 4.

Doctrina vera *1*⁰ ex ipso Concilio Tridentino colligitur.

Sess. 6. cn. 29: „Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento poenitentiae, prout sancta Romana et universalis ecclesia, a Christo Domino et eius apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit, anathema sit."

Sess. 14. De poen. cap. 2: „Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus."

Sess. 14. De poen. cap. 4: „Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam."

Sess. 14. De poen. cap. 5: „Dominus noster Iesus Christus e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ciciderint."

*2*⁰ ex Io 20, 23. Si quis peccata subiecit potestati clavium, et retinentur, non possunt deinceps independenter ab eadem potestate remitti. Nam alioquin *a)* non esset verum illud: Quorum retinueritis, retenta sunt: apostoli enim tamdiu retinent, quamdiu non absolvunt; *b)* potestas apostolorum retinendi peccata esset inutilis. Necesse est igitur, ille, cuius peccata retenta sunt, rursus eidem potestati ad assequendam remissionem se subiciat.

„At, si ita est, etiam antequam prima vice se ei peccator subiceret, iam tenebatur se eidem subicere, vi institutae a Christo huius potestatis remittendi et retinendi peccata. Nam necessitas adeundi rursus idem tribunal vel oritur ex ipso facto libero, quod nempe quis prima vice adiverit, vel ex aliqua speciali lege Christi superaddita institutioni huius potestatis, pro iis, qui se iam subiecerint, vel ex generali lege obligante omnes peccatores ei se subiciendi.

Atqui non primum; nemo enim per actum liberum, quo utitur aliquo medio libero, renuntiat iuri, quod habet ad usum aliorum mediorum, si prius medium inutile evadat.

Neque secundum; nam Christi lex ita concipi deberet: possunt quidem fideles peccatores independenter ab hac potestate assequi alio medio remissionem peccatorum, verum, quoniam hoc novum medium ego instituo, quod est certius, volo, ut qui eo uti voluerit, eius etiam incommoda, si qua sunt, patiatur, et idcirco, si quis hoc tribunal adiverit pro obtinenda remissione peccatorum, suorum criminum causa non nisi in hoc tribunali finiatur; ita, ut non possit amplius uti alio medio, quo independenter a potestate hac assequatur remissionem. Iam vero constat non exsistere huiusmodi legem, quae iis, qui sponte utuntur medio posito in hac potestate, adimat ius utendi alio medio communi, quo independenter ab ea potestate possit idem effectus obtineri. Quod *a*) patet a simili. Peccata enim venialia potest quis, si velit, subicere clavibus; sed etsi eorum absolutio negetur, non ideo debet ea rursus subicere eorumque remissionem ab hac potestate obtinere: cur vero? quia nimirum neque antea tenebatur propter ea peccata tribunal hoc adire: et idcirco integrum ei est, etiam postquam adierit, alia usurpare media, ea nempe, quae prius quoque erant in eius potestate. Ex quo colligitur non ita esse institutam a Christo hanc potestatem, ut, cum spontanea, non obligatoria, est subiectio, nequeat independenter ab ea potestate obtineri remissio peccatorum eius, qui se subiecit. Id quoque *b)* colligitur ex ipso fine institutae a Christo huius potestatis. Est enim a Christo haec potestas instituta in bonum fidelium, ideoque ita instituta, ut fideles rationabiliter allicerentur ad eius usum. Rationabiliter autem homines alliciuntur ad usum alicuius medii prae aliis, cum vel consecutio finis, quam homines desiderant, necessario nectitur cum usu eius medii, vel saltem usus eius medii est magis conformis modo naturali et communi agendi hominum. Atqui, si Christus eam legem specialem tulit, fideles rationabiliter deterrerentur ab usu eius potestatis. Cum enim ex una parte certum [non enim esset dubium, si Christus specialem illam tulisset legem] sit aliud medium pro obtinenda remissione independens ab ea potestate, et ex alia parte *α)* haec subiectio sit per se molesta et difficilis humanae naturae, homines autem non soleant amplecti medium molestum, si alio possint eundem finem consequi: et *β*) fieri possit, ut ei, qui se subicit, negetur remissio ab eo, quem adit, ideoque homini poenitenti relinquendum esset id, quod est in sua potestate pro eo, quod non est [omnino] in sua potestate, quod nemo in re alicuius momenti facere solet, idcirco nemo vellet cum his periculis uti beneficio illius potestatis. Quapropter effectus illius legis esset deterrere omnes, ne adirent hanc potestatem a Christo institutam, quod prorsus repugnat eiusdem institutioni. — *c*) Ostenditur ex defectu rationis sufficientis huius legis, sine qua supponendum haud est Christum voluisse hac lege obligare fideles. Nam ratio nequit dici ea esse, quod quis peccaverit: haec enim communis est omnibus peccatoribus; neque ea, quod iam se subiecerit: cur enim propter opus bonum privabitur beneficio, quod alteri nihil tale agenti competit? Neque ratio dici potest haec esse, quia sc. medium hoc obtinendae reconciliationis certius est, quo qui uti velit, etiam eius incommoda subeat oportet; nam quid confert haec maior certitudo huius medii illi, qui absolutus

non fuit? In hac sc. hypothesi, cum ea non habeat locum, nequit esse ratio, cur ille poenitens ad aliquid amplius quam ceteri obligetur. Non est ergo, cur arbitremur hanc positivam legem superadditam fuisse a Christo institutioni potestatis clavium. — *d)* Tandem huius specialis legis nulla mentio occurrit in christiana traditione: in qua asseritur quidem lex Christi obligantis peccatores fideles ad subiciendum se potestati clavium, sed est lex valens ex aequo pro omnibus peccatoribus, et quae ex ipsa institutione potestatis colligitur. — Ea igitur lex Christi specialis admitti nequit.

Ergo ratio, cur teneantur idem tribunal adire peccatores, quorum peccata retenta sunt, ea est, quia etiam prinsquam adirent, iam se ei subicere tenebantur.

Iam vero, si etiam prius peccator tenebatur, obligatio haec orta est cum ipso peccato: nam nullum aliud initium eius originis pro singulis peccatoribus assignari potest. Et sane liquet quod propter ipsum peccatum tenetur fidelis se subicere clavibus: cum ipso ergo peccato oritur haec obligatio. Subsunt ergo huic obligationi peccatores omnes eo, quod peccaverint, et haec obligatio praevertit quemcumque actum poenitentiae, quo peccator postea reconcilietur Deo.

Porro duplici modo potest ei fieri satis, sive duplici modo potest peccator se subicere potestati clavium: nempe tum re, tum saltem voto. Haec autem subiectio saltem in voto est necessaria; si enim peccatum remitteretur alio medio independenter ab hac potestate sine obligatione subiciendi illud clavibus, frustraretur institutio Christi. Cum autem cum hac subiectione conserta sit obligatio reapse illud praestandi, quod in voto habetur, cum occasio se dederit, non potest ita satisfieri, ut non amplius debeas, si potes vel tunc vel postea, te subicere actu." Palmieri, De poenit. th. 10: cf. Suarez, Disp. 17, s. 2, n.. 20.

Idem confirmatur ex verbis Pauli 2 Cor. 5, 18 s. Cf. Hurter, Comp. t. III, thes. 247.

3⁰ Idem testantur Patres. [Augustinus], Serm. 392 (hom. 49 inter 50), n. 3: „Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo? Ergo sine causa sunt claves datae ecclesiae? Frustramus evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat?" Cf. Serm. 351 et Ep. 228 ad Honorat. („Quantum exitium sequitur illos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati", quem locum non posse accipi de sola exhortatione [cf. Collet, De poen. p. 2, n. 668] patet ex contextu, ut iam supra innuimus th. 2, p. IV. prob. min. fin.) — Leo, Ep. 108 (ad Theodor.) c. 2: „Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Iesus hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et

eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent." — Fulgentius, De remiss. peccat. l. 1, c. 24; „Soli enim illi [ecclesiae] Dominus ligandi solvendique tribuit potestatem dicens: Tibi dabo claves regni caelorum etc. Quod ergo sancta ecclesia in hoc saeculo non solverit, ita insolubile manet, ut etiam in futuro solvi nullatenus possit. Ligatus est autem omnis homo, quem ista non solverit, nec consequetur aliquod solutionis beneficium, qui non conversus ad poenitentiam in ecclesia sibi dandam speraverit indulgentiam peccatorum." — Cf. etiam Caelestinus I, Ep. 4. ad episc. prov. Vien. et Narbon. n. 3 (th. 2, p. III. ad 10, A); Dionysius Alex., Ad Cononem; Aphraates, Dem. 7, c. 11; c. 5.

Attendenda quoque est tota argumentatio patrum contra Novatianos, qui desperationem esse sequelam talis doctrinae contendunt. Cf. Pacian. (Ep. 3, n. 1): „quod post baptismum poenitere non liceat"; Hilar. (In Ps. 137, n. 8): „peccatis poenitentiam, veniam et solatium non relinquunt" etc. Sed, si praeter claves ecclesiae alio modo remissio peccatorum impetrari potuisset, nulla fuisset ratio desperandi. — Adde traditionem in variis ecclesiis.

4⁰ Idem probat usus in vetere ecclesia. Constat enim *a)* „ecclesiam antiquitus plures edididisse canones poenitentiales, quibus pro auctoritate condiciones ecclesia constituebat, quas servari a fidelibus oporteret, ut certorum criminum veniam a Deo per ministerium suum consequerentur; *b)* has condiciones non statuisse cum hac limitatione, si nempe fideles vellent uti hoc speciali medio ad remissionem obtinendam peccatorum, exercitio nempe suae potestatis; sed simpliciter omnes, quoscumque ea crimina peccantes iis condicionibus obligasse, si vellent, quod certe velle debebant, consequi remissionem suorum peccatorum coram Deo; *c)* illis condicionibus non servatis et negatam fuisse reconciliationem per ministerium ecclesiae et creditum fuisse negari eam quoque a Deo, unde et altaris participatio negabatur. Atqui praxis haec ostendit ecclesiae persuasum fuisse, quod usus suae potestatis sit necessarius fidelibus omnibus, etiam contritis, pro consequenda remissione peccatorum. Si enim ecclesia censuit (alterutrum vero censere debuit), esse liberum fidelibus uti eo medio, nullamque esse legem Dei, qua ad id obligarentur, ac contritos saltem eximi ab hac obligatione, et idcirco posse fideles alio medio independenter a sua potestate consequi remissionem peccatorum suorum, ecclesia non censuisset indignos esse communione dominica eos, qui illis suis legibus non fecissent satis; atque leges illae fuissent latae praeter auctoritatem ecclesiae concessam a Deo: in negotio enim remissionis peccatorum coram Deo ecclesia nihil potest nisi ex divina delegatione, et non potest efficere, ut inutile sit aliquod medium, quod Deus voluit esse sufficiens, quemadmodum nequit efficere, ut contritio perfecta non sit dispositio sufficiens ad iustificationem." Palmieri, De poen., th. 10, VII.

Adde quod etiam peccata ultro revelata publice luenda erant id quod testatur Gregorius Thaumat., can. 8 et 9 etc.: v. Th. 2, p. IV, ad 6. „Wenn Irenaeus, Tertullian und die älteren Kirchenväter

überhaupt lehren, die Weigerung, für ganz geheim gebliebene Sünden die kanonische Buße zu übernehmen, führe in die Hölle, so konnten sie gewiss nicht ahnen, dass man ihnen einst die stillschweigende Beschränkung unterschieben würde, falls jemand nämlich so dumm ist, diese geheimen Sünden zu bekennen." Bickell in Zeitschrift f. kath. Theol. Oenip. 1877, p. 417.

„Constat denique fideles, qui in crimina lapsi essent, cum periculum mortis urgeret, petivisse ab ecclesia veniam et reconciliationem, eamque veniam, quae per actionem poenitentiae dabatur, petivisse sollicite et vehementer; abhorruisse quidem plures a labore poenitentiae, nunquam vero excepisse (exceptione, quae rationabilis visa sit) iniuste ab ecclesia condiciones statui pro concedenda reconciliatione, et posse se, citra ministerium ecclesiae, veniam consequi suorum peccatorum. Patent haec ex testimoniis Coelestini et Leonis et ex historia poenitentiae canonicae priorum saeculorum et ex epistolis s. Cypriani, quae ad lapsos spectant. Non pauca quidem ex his immediate spectant ad ea crimina, pro quibus publica poenitentia agenda erat, quae erant crimina graviora et manifesta; at, si necessarium fuit ecclesiae ministerium pro remissione eorum, dicendum est, habitum fuisse necessarium pro ceteris quoque peccatis; nam unicum discrimen inter haec et ea graviora crimina in hoc positum erat, quod pro his certa esset statuta et publica poenitentia agenda, pro reliquis permitteretur arbitrio sacerdotis excipientis confessionem determinatio poenitentiae." Palmieri, de poen. th. 10, n. 7.

Nota: Idem probabitur domonstrata necessitate confessionis ex traditione.

Ad 1. *a*) patet responsum ex primo argumento.

b) Non sola peccata ecclesiastica posse remitti iam ante ostendimus. Cf. thes. 2, p. II, d. 7 etc.

c) Potestas retinendi potest spectari in tota sua amplitudine seu complete, prout analysi instituta verborum Christi cognoscitur, et incomplete, id actu efficiens, ut peccatum actu maneat ideoque et hoc titulo perduret obligatio redeundi. Complete spectatam novimus ipsa sua institutione seu exsistentem in actu primo exigere, ut omnia peccata mortalia post baptismum commissa, sibi directe remittenda subiciantur. Manifestum est hanc functionem exigentiae porrigere se ad omnia peccata mortalia admissa. Cf. Palmieri, De poen. th. 10, III.

d) »Dicere potestate clavium non posse retineri nisi peccata mortalia hominis baptizati non pertingentis usque ad habendam contritionem perfectam, idem est atque dicere haec peccata non posse retineri nisi dependenter ab hypothesi, quod is, cuius peccata retinentur, nolit recurrere ad medium contritionis perfectae. Quod si verum esset, iam consequenter asserendum esset, non per actum habentis potestatem clavium, sed per actum illius, cuius peccata retinentur, contingere, ut remissio horum peccatorum retenta maneat potestati clavium«. De San, De paen. n. 277.

e) »Dicimus antiquos patres illam retentionem per negationem veniae explicasse, ut videre licet in Cyrillo, Euthymio, Ruperto et aliis et non posse aliter exponi, si verbum retinendi referatur immediate ad ipsas culpas, sicut verbum remittendi, quia culpa ipsa non potest directe per actionem positivam retineri: quamquam iudicium ipsum, quo aliquis iudicatur indignus absolutione, actus positivus sit, quem

Concilium Tridentinum appellavit ‚proferre sententiam retentionis'. Hic autem actus positivus non impedit, immo confirmat consecutionem factam; nam, cum sacerdotes ex vi huius potestatis habeant ius ferendi hoc iudicium remittendi vel retinendi peccata, iuxta merita causae, necesse est, ut poenitentes coram illis compareant«. Suarez, disp. 17, s. 2, n. 18.

f) »Quando sacerdos retinet peccatum mortale, efficaciter, ut sic dicam, retinet, non solum quia, si clavis non erret, culpa vere manet, sed etiam, quia licet fortasse erret, semper manet obligatio procurandi absolutionem in illo foro; quando vero sacerdos negat absolutionem peccati venialis, solum retinet illud secundum quid, sc. quoad hoc, ut sacramentaliter non remittatur; non vero ita retinet, ut maneat necessario subiciendum illi foro«. Suarez l. c. Unde vero haec differentia colligatur, ostendetur infra Thes. 7, p. IV.

g) Sufficit nonnumquam exprimere tantum id, quod est primarium.

Ad 2. Consuetudo ecclesiastica declarat probationem ad communionem requisitam esse usum clavium. Hinc legimus in confessione s. Fulgentio adscripta, quae habetur in sacramentario s. Gregorii: »Ego corpus Domini et sanguinem eius polluto corde et corpore sine confessione et poenitentia sciens indignus accepi«. Idem invenies in libris poenitentialibus Alcuini et Egberti, in sacramentario Turonensi. Cf. Frank, Bußdisciplin der Kirche 2, c. 5; cf. Thes. 2, p. IV., A.; Thes. 10, p. II. ad 1.

Ad 3. Advertendum est, quod per illum eundem actum caritatis aut contritionis, quo remissio statim obtinebatur ante institutum sacramentum, etiam modo in nova oeconomia obtinetur, quin alius actus sit necessarius; ergo eadem vis, quae caritati aut contritioni prius competebat, etiam nunc manet. Probatur antec. Etenim, ut actu obtineatur nunc remissio peccatorum, non requiritur praeterea nisi votum sacramenti: hoc autem votum non est actus distinctus ab ipsa contritione; est enim voluntas faciendi quod Deus vult, quae ad contritionem spectat, est enim pars propositi; eademque est in se ac illa voluntas, quae prius necessaria erat, terminative tantum differens: sicut enim haec voluntas prius referebatur ad ea omnia, quae ex lege naturae aut institutione Dei facere aut velle oportebat pro obtinenda remissione peccatorum, puta quaedam sacrificia pro peccatis, ita modo posita institutione sacramenti, ad ipsum, non ad alias institutiones abolitas refertur, ipsumque complectitur. Obligatio vero confessionis, quae manet, non suspendit efficaciam contritionis, statim enim iustificatio confertur.« Palmieri, De poen. th. 10, n. VI. — Ratio vero huius obligationis est haec: »Vult Deus, ut quae praeter ordinem a se statutum via quasi extraordinaria benignus confert, rata veluti habeantur ab ecclesia: non quod sine huiusmodi approbatione irrita forent, sed quod eam vicariam constituerit suam nosque ab illa ut filios a matre voluit pendere, ut spiritui privato viam praecluderet, illusiones illius, qui se in angelum transfigurat lucis, praepediret, oboedientiamque foveret et humilitatem. Ideoque ipse Christus illos, quos a lepra sanaverat, ad sacerdotes misit (Lc 17, 14) etc. Alia ratio est bonum commune. Alioquin enim potestas clavium frustraretur, cum quilibet facile contritum se esse sibi persuaderet«. Hurter, Theol. dogm. comp. III., th. 245, Schol. 2. Alia ratio — certitudinis de contritione perfecta; cf. Thomas Aq., Suppl. q. 5, a. 2, ad 1; q. 8, a. 2, ad 3; Lychetus, In Scoti prol. q. 1, n. 19 etc. — infirma nobis videtur esse.

Pars II. (Necessitate medii).

Dub. 1. Restitutio non est necessaria nisi necessitate praecepti; atqui usus clavium non est magis necessarius, quam restitutio. Nam

etiamsi quis ignoret necessitatem huius usus, potest consequi salutem, si habeat actum contritionis.

2. »Si absque omni alio praecepto positivo usus clavium [De L. loquitur de baptismo], Christus instituisset in necessarium remedium disiunctum illud ex usu clavium et voluntate huius usus, non posset homo per solam contritionem quantumcumque perfectam, disponi proxime ad iustificationem, quia contritio, non esset tunc voluntas actualis usus etiam implicite, sed solum esset implicite voluntas illius disiuncti necessarii ad salutem, sc. vel actualis usus vel voluntatis usus; ergo, si homo iustificaretur cum sola contritione absque alia voluntate determinata usus clavium, iustificaretur cum sola contritione absque alia voluntate determinata usus clavium, iustificaretur absque actuali usu clavium et voluntate usus, quod esset contra id, quod supponitur Deum statuisse neminem iustificare absque usu clavium vel voluntate eius usus. Fatendum ergo est necessitatem usus clavium in re vel in voto oriri ex praecepto positivo divino, quo usus clavium in re praeceptus est omnibus; ex quo praecepto oritur, quod nemo possit iustificari absque usu clavium, vel saltem voluntate usus; cum enim non possit extra sacramentum iustificari absque contritione, quae includit voluntatem servandi omnia praecepta, quorum unum est de suscipiendo sacramento, hinc fit non posse iustificari absque sacramento, quod Deus voluit habere virtutem iustificandi, vel certe absque voluntate sacramenti, quae necessario includitur in omni contritione, cum detur praeceptum de suscipiendo sacramento«. De Lugo De Euchar. disp. 3, s. 1 (Migne, C. th. t. 23 col. 76). Ita sentit inter alios Platelius, Synopsis p V., n. 629. Sasse, De poen. th. 17 schol. Stentrup, De sacr. in gen, th. 38, Dicastillo, de sacr. poen. disp. 4. n. 132 ss. et alii multi.

3. Actualis usus clavium non est necessarius necessitate medii, si peccata iam remissa sunt; sed per contritionem cum voto statim remittuntur.

4. Ex conc. Tridentino constat sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ita esse necessarium sicut baptismus ipse nondum regeneratis; sed infantibus certe votum baptismi non est determinate necessarium.

Verum esse etiam quod in hac parte statuimus, ita probatur: Nullum aliud medium iustificationis (post baptismum) indicari potest praeter haec:

1. Ipse actualis usus clavium
2. Opus operantis peccatoris, quale est contritio vel caritas
3. Unctio infirmorum
4. Aliud sacramentum per accidens, ut Eucharistia
5. Martyrium ex singulari privilegio.

Atqui si nullum medium praeter haec est ad iustificationem, his omnibus inculpabiliter omissis nova quidem culpa evitatur, sed prioris venia obtineri nequit. Iam vero in his omnibus votum saltem implicitum utendi clavibus requiritur sive tanquam elementum essentiale, sive tamquam necessitate medii praemittendum. Ergo votum utendi clavibus est determinate necessarium necessitate medii ad gravia peccata post baptismum remittenda. Prob. min. Ad validam absolutionem per claves requiritur in suscipiente sicut in aliis sacramentis adultorum voluntas aliqua, per quam ipse sacramentum suscipere velit: atqui volitio haec est necessaria necessitate medii; nam quaecumque inter praesentem statum rerum et futurum finem adducendum interserere

opus est, recte appellantur media necessaria; neque sane sine illa voluntate remissio haberi potest, neque necessitatis huius ignorantia excusat, neque concurrit eadem voluntas solum negative seu removendo prohibens peccatum. Adde quod etiam ipsa contritio vel attritio, quae in usu clavium requiritur, si ad partes essentiales sacramenti pertineat, per actum voluntatis dirigi debet ad absolutionem accipiendam; et voluntate saltem implicita in actu doloris sufficientis vel hypothetica subduntur etiam illa gravia peccata clavibus cum fructu adhibendis, quae hic et nunc memoriae non occurrunt vel gravia non censentur vel olim rite subiecta existimantur. (Cf. De Lugo, De poen. disp. 14 s. 1, n. 4). — Sicut hoc medium usus clavium, ita et reliqua enumerata, ut cum fructu adhibeantur, necessario includunt aut supponunt votum peccatoris subdendi se clavibus, sive explicitum sive implicitum. Id patet ex I^a^ parte huius thesis.

Votum igitur utendi clavibus est necessarium necessitate medii. Iam vero hoc votum, utpote serium, fine careret, si res ipsa non similiter exigeretur, cum per praeceptum exigi nondum supponatur. Nec sane quisquam prudens legem ferens societati, sinceram rei aliquando çapessendae voluntatem ut necessariam praestituit ita, ut rem ipsam tamen ommittere liberum maneat; „unde necessitates illas duas separare videtur prorsus idem atque intolerandam quandam repugnantiam consiliis divinae sapientiae inferre"; ergo necessitas obiectiva voti eliciendi sine neccessitate rei esse non potest. Praeterea non potest esse voluntas seria et constans, quin actio externa, quae voluntatis obiectum est, ponatur. Ergo necessitas actualis usus clavium vi ipsius institutionis mediorum ad remittenda peccata inducta est.

Quae necessitas non est mera necessitas praecepti seu necessitas praecepti ad institutionem mediorum superadditi; nam per eandem institutionem iam existit; neque potest primo et per se esse necessitas praecepti. Sed „inde est in praecepto quia medium necessarium" Cano, Relect. de poen. p. 5. Praeciperetur enim vel sola subiectio vel ipsa absolutio. Sed repugnat alicui praecipi illud, quod ab eo non dependeat; atqui absolutio vi clavium, sita in libero arbitrio sacerdotis, ab eo non dependet; nec sola subiecto actualis sine absolutione sufficit ut patet ex parte I^a^.

Neque est necessitas medii stricte dicta. Remissio enim peccatorum potest etiam per sola media secundaria obtineri, et si claves adiri non possunt, ipsa salus, ut in sequentibus thesibus partim ostendemus.

Usus potestatis clavium est igitur medium necessarium primarium, et tantum necessitate privilegiata necessarius. — Cf. Duns Scotus, In l. 4, dist. 17 n. 13.

Ad 1. Votum rei tantum praeceptae est votum per se actus subiectivi ponendi a vovente; votum vero sacramenti est votum per se operis obiectivi recipiendi a vovente, quod sc. ne potest quidem ipsi imperari. Quocum cohaeret alterum discrimen; sc. votum rei cuiuspiam praeceptae, quamvis ipsum ut propositi proindeque contritionis elementum conferat de congruo ad veniam culpae, est tamen votum rei, quae ipsa, si libere ponatur, ad remissionem seu gratiam

primam efficiendam non conducit nisi *negative*, i. e. peccatum novum excludendo, vel *remotius* positive, peccatori actualia auxilia ulteriora et uberiora conciliando, vel, si res praecepta sit actus caritatis, quodammodo *per accidens* neque etiam instar perfectae et condignae causae gratiam remissionis exigendo, sed potius de congruo merendo; contra autem votum baptismi vel sacramenti poenitentiae est votum rei, quae veniae gratiam producit *positive, immediate, per se* vel *ordinata ex proprio ipsius institutionis suae fine* ad gratiam potius abolito peccato inducendam primum quam augendam, eandem postulando velut causa instrumentalis quidem, sed perfecta et condigna. Tertium est, quod votum rei praeceptae est votum rei; quae licet possit aliquando esse modo suo medium ad remissionem consequendam, ut actus caritatis, non tamen est dicendum *medium* per se necessarium; at votum sacramenti alterutrius memorati est votum medii non solum eminentis, sed etiam necessarii, idque non tantum materialiter nec divise necessitate qualicumque, ut simplicis praecepti, verum et formaliter et sensu, qui compositus vocatur, quod sacramentum pacto quodam vero est medium in medii ipsius ratione necessarium; neque enim secundum disputata ideo exsistit necessarium, quia est praeceptum, sed ideo praecipitur petitio eius, quia ipsum necessarium est, utpote per institutionem Dei exstans medium unicum primarium idque independens ita, ut secundarium quodvis non sufficiat nisi cum ordine ad medium primarium pro opportunitate adhibendum. — Accedit discrimen quartum, quod votum, iam etiam in se spectatum, rei praeceptae exterioris quidem pro facto reputatur secundum huius vim moralem totam, cum votum sacramenti non afferat effectus sacramenti omnes. — Est denique discrimen quintum, quod votum rei praeceptae cuiuscumque ideoque et ipsius rogationis sacramenti ad dispositionem illam pertinet, quae quadam sua congruentia allicere possit Deum ad gratiam remissionis, si velit, concedendam; sed votum sacramenti ut medii primarii, prout ab illamet dispositione per rationis saltem distinctionem internoscitur, gradum condicionis obtinet, qua non impleta Deus dispositionem qualemcumque pro venia donanda loco medii primarii reapse nequaquam acceptaret. (Straub).

Ad 2. Inutile agnovimus praeceptum positivum, quia ex modo ipso, quo Deus media instituit, praeceptum procurandi usus actualis clavium consequitur. Quare post institutam clavium potestatem omnis vera perfectaque contritio vel caritas peccatoris baptizati ad usum potestatis huius non minus quam ad res praeceptas ceteras referri intelligitur. Hinc per se votum usus talis implicitum coniunctum sibi illa habet, immo ab hoc voto realiter non distinguitur, cum sane sit in se voluntas custodiendi legem Dei ideoque insumendi media saluti necessaria et fugiendi culpam omnem saltem gravem; cuiusmodi propositum respiciens ex se omnia, quae Deus fieri vult, a lege nova condita iam etiam ad sacramenta per Dei voluntatem in re suscipienda terminatur; nec si votum sacramenti expetendi explicitum accederet, hoc, ad contritionem quidem, aliud exsisteret ac pars propositi eadem contritione comprehensi; qua in ratione cum aliis votis explicitis concineret. Similiter et attritio sufficiens ad reliqua media veniae secundaria cum fructu capienda, ut quae excludat peccandi (saltem graviter) voluntatem, votum exquirendi saltem sacramenta praestituta, si non explicitum, implicitum tamen in se contineret. Deinde autem praecipi homini peccatori ipsum sacramentum etiam *repugnat*; ergo si contritio tantum ad praecepta referretur, nunquam foret votum ipsius sacramenti, ideoque nodus solvi nunquam posset. Quamobrem potius dicendum, praecipi determinate homini peccatori voluntatem interiorem et petitionem sacramenti exteriorem, donec res petita obtineatur perseverantem; unde sit contritio implicite saltem votum, i. e. propositum huius voluntatis interioris et petitionis exterioris sacramenti; atqui

tale votum, h. e. propositum est necessario votum, h. e. desiderium ipsius sacramenti: nam qui vult nunc velle et petere tempore futuro obiectum aliquod simplex, iam nunc vult duo: et actum futurum, et aliquatenus obiectum illud unicum materiale aliquando obtinendum, in quod futurus actus tendat. Immo actus perfectae contritionis seu caritatis ex mente quidem nostra, implicitam ipsius sacramenti voluntatem comprehenderet, etiamsi usus actualis sacramenti neutiquam praeceptus foret, dum disiunctive aut sacramentum ipsum aut contritio includens sacramenti votum ut medium necessarium remissionis constituta esset Nam actus verae et perfectae caritatis proindeque contritionis ex propria essent a sua talis est, ut intimam praesentem quandam cum Deo coniunctionem petat, ut ea omnia, quae summo bono graviter displiceant vel inimicum Deo hominem reddant, non solum tempore futuro evitare vel auferre statuat, sed, quantum quidem est in se, iam hic et nunc removeat, ut ob id ipsum cuncta illa implicite saltem cupiat, quibus cupitis protinus in gratiam cum Deo homo redeat. Atqui ex hypothesi medium, quamvis non praeceptum, tamen opportunum gratiae divinae recipiendae est sacramenti votum, idque est etiam medium unicum eiusdem gratiae iam s i n e u l l a m o r a obtinendae. Ergo etiam usu sacramenti non praecepto contritio perfectae caritatis voluntas implicita ipsius sacramenti esset. (Straub).

Ad 3. Non esset usus clavium iam necessarius, si liberum fuisset medium quodlibet eligere; sed quia constitutio mediorum, per quae ad finem remissionis homo veniat, a Dei voluntate prorsus pendet, contingere sane potest, ut medium quodpiam velut secundarium ad remissionem consequendam eatenus sufficiat, quatenus ad medium primarium quoddam ordinem aliquem secum habeat eumque exprimendum voto saltem implicito utendi, quantum fieri possit, deinde etiam medio primario; qua quidem institutione ipsa posita non potest quidem usus actualis medii primarii, sive post, sive ante usum medii secundarii, esse sub respectu omni necessarius ad veniam culpae obtinendam, proindeque non est necessarius necessitate medii stricta, verum usus ille necessarius est tanquam terminus connaturali, non praecise intentionali, appetentia postulatus ab ipso medio secundario interim adhibito, ad producendum terminum talem, ut complementum, per aliquod initium eius iam relato, et tanquam res, per se quidem maxime efficax, cuius explendae, quantum est in homine lapso, obligatio gravis etiam post usum medii secundarii perseverans intellegitur et postulatione illa et exinde, quod sine eius tempore suo exsequendae seria saltem voluntate vel ipsum medium secundarium nullam veniam attulisset.

Ad 4. »Sepositis parvulis martyribus, est omnibus hominibus necessitate medii ad salutem sempiternam necessarium baptisma, suscipiendum aut re ipsa, ut infantibus, aut certe voto implicito, ut adultis« S t r a u b, De Ecclesia Th. 11 n. marg. 350.

Schol. 1. Quaeritur, quid de eis dicendum sit, quorum baptismus est dubius. Eorum obligationem utpote dubiam (cum non baptizati non sint obligati: cf. Dicastillo, De poen. disp. 7 n. 11 ss.), nullam esse censuerunt D'A n n i b a l e, B a l l e r i n i - P a l m i e r i, B u c c e r o n i, G é n i c o t, ignorantes tamen declarationem s. officii ex anno 1869 (12. Iul.) Rationem huius obligationis hanc assignat N o l d i n, De sacram. 223.: „Qui certo subest iurisdictioni ecclesiae, certam obligationem habet sua peccata confitendi; sed qui baptismum suscepit (sive certo sive dubie validum) eo ipso certo subest iurisdictioni ecclesiae: qui enim ritu externo a Deo praescripto ingreditur ecclesiam, societatem visibilem, iure eius membrum censetur, subest omnibus obliga-

tionibus, quae in ea vigent, et ab ecclesia iure divino cogi potest, ut obligationibus satisfaciat, donec probetur baptismum fuisse invalidum."

Schol. 2. Quaeritur quando urgeat obligatio se actu clavibus subiciendi. Guilelmus Parisiensis, Angelus, Alex. Alensis, Collet, alii docent eum, qui letaliter peccaverit, statim, i. e. data prima loci, temporis et confessarii opportunitate teneri ad usum clavium. Rationes eorum sunt „1⁰. quia non licet diu contritionem post peccatum differre, ob innumera, quae dilationem hanc sequuntur pericula. Atqui eadem fere pericula confessionis dilationem sequuntur, quia difficilis et admodum rara est contritio, quae extra sacramentum iustificet. 2⁰. quia vel ipsa luminis naturalis prudentia dictat remedia, quae aliquando necessaria sunt, tunc adhibenda esse, cum nequeunt opportunius adhiberi. 3⁰. quia opinio, quae uni tantum unoquoque saeculo ruinae occasio foret, vel hoc ipso mereretur abici. Atqui vix dubitare liceat annis singulis perire plures, qui confessionem distulerint, quia ad pascha usque citra piaculum differri posse crediderint." Collet, de poen. p. II. c. 5 n. 202.

„Haec tamen sententia communiter reicitur a theologis, quia nec praeceptum quidem contritionis obligat statim post peccatum [cf Thes. 4, schol. 3], ergo multo minus praeceptum confessionis, sine qua potest homo alia via iustificari. Et quidem stante decreto concilii Lateranensis, in quo solum praecipitur confessio annua, non videtur probabilis ullo modo illa sententia; nam exposuisset ecclesia gravissimo periculo peccandi omnes fideles praecipiens illis confessionem annuam, si ipsi haberent obligationem saepius confitendi, sicut, si episcopus aliquis conderet statutum, ut omnes audirent sacrum semel in mense, certe daret subditis occasionem cogitandi se liberos esse a frequentiore auditione sacri. [Quod contra hoc opponit Collet l. c. n. 204: »an quia vetat ecclesia, ne quis ultra annum in excommunicatione sordescat, ideo licentiam praebet anno toto in eadem remanendi" patet non esse ad rem.]

[Itaque] dicendum est, secluso praecepto ecclesiastico, obligare quidem praeceptum [validi (cf. Suarez, De poen. disp. 35 s. 4) usus clavium] in articulo mortis [si quis sibi mortalium conscius est], quia si tunc non impletur, exponit se homo periculo claro non observandi illud praeceptum. Sub quo casu comprehenditur ille, quando aliquis nunc habet copiam confessionis, quam postea non habebit per totam vitam. Est enim eadem ratio obligandi tunc ad confessionem, quidquid dicant aliqui, quorum sententiam probabilem dicit Ioann. de la Cruz, Direct. p. 2. de poen. q. 3. dub. 3. Et idem est si aliquis habet peccata reservata, a quibus adest nunc, qui eum absolvat, postea vero non habebit, a quo possit absolvi." De Lugo, De poen. disp. 15 n. 36 s.

„Extra mortis vero articulum videtur satis iuxta condicionem huius obligationis [praecepti] esse, quod ecclesia invigilet et obliget subditos, ne diu negligant aut differant confessionem. Ceterum immediate et per se non videtur praeceptum divinum aliquo determinato tempore obligare, nisi radicaliter, quatenus voluit obligare pro tempore ab ecclesia determinando" De Lugo, De poen. disp. 15

n. 39. Ita Suarez, Vasquez, Coninck, alii. — Gabriel, Dicastillo vero censent praeceptum divinum solum esse confitendi omnia peccata mortalia semel in vita; cf. Dicastillo, De poen. disp. 7, n. 34 ss. solventem argumenta contraria.

Dixi tamen ‚per se'; sunt enim aliqui casus, in quibus per accidens (secluso praecepto ecclesiastico) est obligatio peccata clavibus subiciendi. Primus est, quando sumenda est Eucharistia, ut constat ex Tridentino Sess. 13 cp. 7; quam obligationem ad alia sacramenta extendere voluerunt Paludanus et Adrianus; ad quae et suscipienda et conferenda digne sufficit certe contritio. Sed videri posset hanc obligationem esse non per accidens, sed per se, respectu praecepti divini confessionis ideoque per neglectum eius duo, ut putabat Cano, committi peccata; obligatio enim praemittendi confessionem non oritur velut ex sola natura rei propter dignitatem talis sacramenti, sed oritur ex speciali praecepto Christi. — Sed tamen „tali praecepto non per se et absolute praecipitur confessio, sed solum ut dispositio, si sumenda sit Eucharistia; tota ergo illa obligatio est propter Eucharistiam, et confessio non praecipitur nisi ut circumstantia Eucharistiae: . . . et ideo unum peccatum est talem actum sine debitis circumstantiis facere." Suarez, De poen. disp. 35, s. 3, n. 12. Cf. K. M. Ralles, *Περὶ τῶν μυστηρίων τῆς μετανοίας καὶ τοῦ εὐχελαίου,* Athenis 1905, § 7 p. 67—8.

Secundus casus est, quando confessio est medium necessarium moraliter ad superandam tentationem aliquam, quae aliter superanda non speratur. Tunc enim obligatio erit confitendi, sicut et ieiunandi vel orandi positis eisdem circumstantiis. Et, cum omnes simus in periculo peccandi mortaliter, si per annum differamus confessionem, videbatur Caietano et Petro Soto et aliis, sequi ex hoc teneri de facto fideles ad saepius confitendum per annum. Sed contra hoc est imprimis, quod ecclesia non ignorat plures ex Christianis confiteri solum semel anno: et tamen nunquam hunc „abusum" reprehendit aut insinuavit esse peccatum grave, solum praecepit confessionem annuam: per quod ostendit se non curare de frequentiore tanquam de re obligatoria. Deinde „obligatio illa frequentis confessionis ad vitandum periculum peccati mortalis vel esset obligatio confitendi venialia sola, antequam homo laberetur in mortalia, vel esset obligatio confitendi peccatum mortale primum, antequam laberetur in secundum. Neutrum dicendum videtur. Ergo non est asserenda talis obligatio. Minor quoad priorem partem probatur: quia dicere, quod omnes Christiani communiter obligantur sub peccato mortali ad confitenda venialia propter vitandum periculum, quod alias omnes communiter habent incidendi in aliquod mortale, imprimis novum est et contra omnium mentem et contra communem doctrinam, quae docet solum esse obligationem confitendi mortalia, quam doctrinam videtur universaliter approbare Tridentinum Sess. 14 cp. 5 dum dicit: Peccata venialia, quamvis utiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam posse. Deinde, si obligarentur sub mortali ad confessionem venialium propter illud periculum, obligarentur etiam sub mortali ad dolendum efficaciter de venialibus et ad proposi-

tum emendationis circa illa ... Quod tamen videtur esse durissimum et contra omnium sensum ac contra theologos, qui docent voluntatem committendi venialia multa non esse mortalem sed venialem: quare multo minus erit mortalis carentia propositi circa emendationem aliquorum venialium ... Licet vitatio venialium in genere esset medium necessarium ad vitandum periculum peccati mortalis, est tamen medium difficile satis eo, quod sit medium in communi, seu ablatio multarum causarum; media autem adeo difficilia non videntur ponenda sub mortali ad vitandum periculum mortalis. — Nunc iam probemus illam minorem supra positam quoad alteram partem. Scilicet . . iam confessio frequens non obligaret, ut vitaretur peccatum, si quidem confessio illo modo obligans iam supponeret hominem peccare mortaliter intra annum, non ergo obtineretur finis intentus, sc. impedire periculum peccandi.“ De Lugo. De poen. disp. 15 n. 49 ss. — Dices, impediretur saltem periculum frequentioris relapsus, si homo non exspectat post primum relapsum, quod transeat totus annus ut confiteatur. Sed etiam hoc excludit ratio tertia: sc. confessio frequens post peccatum ideo potissimum conducit ad impedienda alia peccata sequentia, quia nimirum qui confitetur, dolet efficaciter de peccato praeterito et proponit serio ac statuit firmiter apud se iterum non peccare. Tota autem haec utilitas et efficacia potest haberi sine actuali usu clavium. — Denique negari potest illa experientia, quod scilicet dilatio confessionis afferat secum illud periculum.

Restat quaestio num sit etiam obligatio confitendi propter periculum oblivionis; affirmant Io. Maior, Medina, Victoria, Dominicus Soto, Didacus Nugnus, Tournely alii. Sed „pauci sunt, qui non se exponant tali periculo quoad aliqua peccata differendo confessionem usque ad finem anni. Quare non videtur facile illa obligatio admittenda, licet omnibus consulenda sit frequentia confessionis. Dices qui postea carebit confessario, obligatur ad confitendum nunc, ne se exponat periculo non confitendi; ergo qui postea non recordabitur peccatorum, debet nunc ea confiteri, ne reddatur impotens postea implendi praeceptum confitendi sua peccata. Respondetur: imprimis satisfaceret illi obligationi scribendo nunc peccata, ut vitaret periculum oblivionis sequentis. Sed neque ad hoc tenetur [contra Vasquez, Cuniliati etc.], quia praeceptum est solum confitendi peccata quae nunc occurrunt memoriae praemisso examine humano modo; non est autem humanus modus illa exquisita et metaphysica diligentia observandi ac notandi omnia peccata et circumstantias prout successive fiunt et scribendi eas, ne memoria decidant, sed potius esset gravissimum onus et inutile, immo noxius valde laqueus conscientiae superadditus; quare non debuit praeceptum cum eo rigore imponi.“ De Lugo, De poen. disp. 15, n. 41.

Denique vix notatu dignum est contra Albertum M., qui B. Virginem apud s. Ioannem Ev. confiteri solitam putabat, non posse ab eo claves cum fructu et licite adiri, qui nullum peccatum commisit; patet tales et eos, qui venialium tantum conscii sunt, ab obligatione asserta esse exemptos.

A. Špaldák.

EXTERNA, AD NOS PERTINENTIA.

Die Kultur. 7. Jahrg. 3. Heft (1906).

Mar. Zdziechowski, Wladimir Solowiew. Ein Blick in das russische Geistesleben der Gegenwart. P. 304—322.

Allatis, quae Ehrhard de munere theologorum Austriae conferendi ad mutuam cognitionem atque reconciliationem dissidentium ecclesiae partium orientalis atque occidentalis sapienter monuit, *Z.* ad Solov'ev (1853—1900) transit, cuius »ganze Wirksamkeit bildet zugleich eine Brücke zwischen dem Osten und dem Westen« (p. 306).

Quae raro in uno homine inveniuntur, in eo coniuncta erant. Erat philosophus ingeniosus, qui doctrinam de mundo synthesi quadam comprehendere studebat; erat philosophus mysticus, qui quaerens ens absolutum persuasum habebat Deum a nobis immediate cognosci posse. Cuius mysticismi fundamenta profunda erant honestas et pietas, posita in persuasione vitam divinam, i. e. vitam voluntati divinae consentaneam, solam ducem esse ad Dei cognitionem. Unde doctrinae studium cum studio morum perficiendorum aptissime coniungebat, vitam agens monachi cupiditates frangentis. Idem praeclarus asceta vitae socialis erat spectator acutissimus, cuius iudicia tota Russia observabat. Idem asceta severus optima carmina amatoria scripsit, amoris purissimi et honestissimi expressionem.

Is, quamquam in slavjanophilismo, tunc in Russia Homjakov, Kirèevskij, Aksakov, Samarin auctoribus florente educatus erat, alia cum rebus magis convenire brevi sentire coepit: ecclesiam publica auctoritate in Russia praeditam status instrumentum esse, libertate carere, sine qua ecclesia, quod suum sit, efficere nequeat, cognovit; ecclesiae catholicae vim in ipsius universalitate sitam esse ratus salutem patriae in primatu Romani episcopi agnoscendo conspexit. Russiam magna esse praestituram et ius christianum ad effectum adducturam, si postpositâ officio suo nimia domesticorum admiratione ecclesiae catholicae uniatur.

Quae consilia cum effectu caruissent, Russiam, »Romam tertiam« quae sibi ipsa videatur, eodem modo superbiam suam expiaturam esse ac Romam secundam vates tristis cecinit (1894)

Maius tamen hoc periculum doctrinam tolstoismi existimabat, quam scripto ultimo (1900) acriter impugnavit, eis, quae antea exoptaverat, desperatis. Ubi Antichristi, in quo homine plus ingenii futurum sit quam nostra natura ferre potest, quique omni vitio careat, nisi quod praeter ceteros omnes se ipsum amet, non Deum, Tolstoj, magni alioquin a Solov'ev aestimatus, ipse exemplum est (Cf. de Vl. Solov'ev Sl. l. th. I., 71).

Zeitschrift des deutschen Vereines für die Geschichte Mährens und Schlesiens X.. Heft 1—2 Brünn 1906.

B. Bretholz, Zur Lösung der Christiansfrage, p. 1—81.

Contra prof. J. Pekař (in Český časopis historický XI., 267—300 et al.) et Fr. Sasinek (in Vlasť II., 114—8) *B.* tenet ea, quae »Christianus« de s. Venceslao et s. Ludmila scripsit, non saeculo X[o] orta sed e Cosmae chronicis (1125), cuius auctoritas in relatione de s. Adalberto p. 29—38 (contra eundem Pekař) defenditur, hausta esse ob eamque rem illum auctorem fide carere. Id cum argumentis aliorum optimae notae historicorum (J. Kalousek in Osvěta XXXIII. [1903], 108—27; 538—51; F. Vacek in Časopis musea království českého 77 [1903] et 78 [1904, 65—86], in Hlídka 1905 [cf. Slav. l. th. II., 86) tum propriis probat. Quae enim apud Christianum omissis eis, quae, ne falsarius se proderet, celanda erant, sensu careat, eisdem verbis apud Cosmam aptissime logiceque connexa occurrunt.

Die christliche Kunst. 1906 Juli.

Hub. de Dalberg, Die neue religiöse Kunst Russlands.

Theologische Quartalschrift. 1906. Tübingen Fasc. I.

W. Feierfeil, Die historische Entwicklung der glagolitischen Kirchensprache bei den katholischen Südslawen. P. 61—74 Lineamenta maxime insignia historiae liturgiae Slavicae describuntur. Notemus quae dicit p. 69: Dass das Neuslavische ausgeschlossen wird, ist der kirchlichen Praxis entsprechend, welche mit der einzigen Ausnahme der lebenden rumänischen Sprache — nur tote Sprachen als liturgische zugelassen hat; et p. 73: Eine etwaige Neueinführung des Glagolismus in Kirchen, wo er nicht bestand, wäre aber immerhin eine gewisse Entfremdung der lateinischen Mutterkirche gegenüber.

Theologisch-praktische Quartalschrift. 1906. Linz 1906. Fasc. I.

A. L. Hugo, Gedanken über das religiöse Leben in Rußland. P. 48—55. E commentatione doctissimi P. A. Palmieri (in Ciudad de Dios 1905, I.) hauriuntur quaedam de relationibus inter Russiam et ecclesiam catholicam. A. Malcev dissensiones inter theologos orientales et occidentales plurimas vanas esse, alias componi posse ostendit. A. Lebedev odium et levitatem Graecorum, qui contra Romam scripserunt, reprehendit nemine repugnante. Decretum patriarcharum Cyrilli (Cp.), Matthaei (Alex.), Parthemii (Hierosol.) a. 1756. de Latinis rebaptizandis (quod Philaretus Nikič patr. Russorum a. 1620 anticiparat) a Russorum theologis non agnoscitur. Ne de Filioque quidem doctrina ab omnibus aeque reicitur.

Revue ecclésiastique de Metz. 1906. N⁰ 9.

J. Hoffmann, Possibilité d'une union des schismatiques russes avec Rome, p. 545—554. Argumentum haustum e commentatione modo adducta.

Revue catholique des Églises. 1905. II

J. Turmel, Saint Cyprien et la papauté. P. 577—598.

Analecta Bollandiana tom. XXV. (1906) fasc. 1. P. 121—2 exponitur de libro *V Vasilevskij* et *M Nikitin*, Skazanija o 42 Amorijskih Mučenikah i cerkovnaja služba im (De XLII. martyribus Amoriensibus narrationes et carmina sacra) Spb. 1905 X.+305 pp. et copia rerum in commentario M. Nikitin laudatur.

P. 112—3 quarta editio Russica operum s. Macarii Aegypt. anonyma cum progressu temporis discrepare dicitur.

Études. 1906, 5. Juin.

Ant. Malvy, Publications sur les églises Orientales. P. 680—90.

De sex libris ad studia de ecclesiis orientalibus pertinentibus refertur. Primum de A. Malcev, Oktoichos (cf. Slav. l. theol. I., 32), qui unionis ecclesiarum studiosus docet episcopos Anglicanos et vetero-catholicos, cum non habeant plenam notionem sacerdotii catholici, non posse id valide conferre neque advertit, errorem ministri in doctrina non obesse valori sacramenti, modo habeat is intentionem faciendi quod facit ecclesia a Christo Domino instituta, nisi etiam ipsa verba vel forma ritus sacramentum (puta sacerdotium) catholicum excludant, quod in ordinationibus Anglicanis fit; intentio enim faciendi quod facit ecclesia a Christo instituta errore efficacior adesse non potest, cum sacramentum catholicum excluditur.

2. Deinde agitur de libro, quo sacerdos ritus Graeci, unionis accelerandae causa in Gallicum vertit liturgias Orientales et edidit: »Les saintes et divines Liturgies de nos saints pères Jean Chrysostome, Basile le Grand et Gregoire le Grand (liturgie des présanctifiés)« par le P. Cyrille Charon. Qui liber non solum continet nominatos tres ritus liturgicos conversos tum apud unitos tum apud non unitos usitatos, sed multas etiam annotationes spectantes ad praxim, quibus cognitis facilius missam Graecam subsequeris. Ritus hi, varii in diversis ecclesiis, expositi sunt sicut apud Melchitas catholicos in usu sunt.

Complures sequuntur appendices, continentes lexicon terminorum technicorum, preces post communionem, indicem festorum etc. Consilium auctoris, persequendi laborem coeptum, vertendique primum Archihieraticon sive pontificale Graecum plane laudanda est.

3. De legislatione canonica internaque forma scripsit ante 40 annos Dr. J. Silbernagl: »Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirchen des Orients«. Modo illud edidit denuo Dr. J. Schnitzer. Libri I. parte agitur de ecclesiis a Romana separatis, II. agitur de coniunctis cum Sede Apostolica. Licet opus pro tempore quo primum editum fuit, auctoritatem habuerit magnam, nunc tamen non levia desiderantur. Eorum, quae describuntur, observatio propria videtur satis deesse. E numero ecclesiarum omissae sunt Bulgarica et Georginica. De moribus ecclesiae Russicae fontes non idonei consulti sunt. In quaestionibus iuris canonici v. g. de forma s. Synodi errores graviores animadvertuntur.

4. N. Krasnožen, professor universitatis Dorpatensis, complures edidit de iure canonico libros, inter quos primum locum obtinet: Kratkij očerk cerkovnago prava (Brevis adumbratio iuris ecclesiastici). Jur'ev 1900. 8° 160 p. Licet modo, rebus iuribusque commutatis, non habeat nisi valorem historicum, tamen dilucide et breviter forma legislativa ecclesiae Russiacae ante hos magnos motus exponitur, descripta ex fontibus authenticis, qui sunt collectiones Byzantinae et decreta imperatorum ac s. synodi. Specialia capita dein tractant de confessionibus catholica, evangelica, armenica.

5. Selivanov, rusticus, mortuus a. 1832, sectam Russiacam »Skopcy« (castrati) dictam tamquam novus salvator condidit. Scripsit etiam epistolas ad electos Dei et suas »passiones«. Errata haec sensus religiosi edidit K. Gruss. (Die geheime heilige Schrift der Skopzen. Leipzig 1904. 78 p.) neque opera neque doctrina digna.

6. Intendi ab ecclesia Anglicana unionem cum ecclesiis Orientis praesertim Russica inter alia testatur societas, nomine »Eastern Church Association« ad eum finem condita. Haec ultimis annis complura edidit opuscula non solum vilitate pretii sed etiam rebus tractatis excellentia et imprimis christiani Orientis studiosis commendanda. Commemoramus: »The Ceremonial Use of Oil among the East Syrians« edidit Rev. Irving. De usu s. olei apud Nestorianos seu Syros agitur. Unctio quidem confirmationis fuit semper et est in usu. Sed non utuntur oleo mixto balsamo, verum puro oleo de oliva. Illud ab episcopo, cum nova ecclesia dedicatur, consecratur quidem, sed dein singulis baptismatibus augetur nova quantitate, benedicta a simplici sacerdote. Quo fit, ut oleum ab episcopo consecratum tempore procedente, si non evanescat, saltem minuatur, indeque scriptori Anglicano valor sacramenti dubius videtur. — De oleo unctionis infirmorum, cuius apud Nestorianos non est usus, neque est sermo inter septem sacramenta ipsorum, quae aliter sunt computata. *O. Ž.*

* * *

A. Berendts, Die Zeugnisse vom Christenthum im slavischen »De Bello Iudaico« des Josephus Lpzg 1906 (79 pp.). In versione Slavica Belli Iudaici saepe agitur de Christo et Christi religione (Ioanne Baptista, apostolis). Locos illos ex editione Aramaica (τῇ πατρίῳ γλώσσῃ) ipsius Iosephi, in Graecum versa, ab interprete Slavo redditos esse, Iosephum eos in libro Romanis destinato omisisse Berendts existimat et erudite probat.

M. Hruševskyj, Geschichte des ukrainischen Volkes. B. I. Urgeschichte des Landes und des Volkes, Anfänge des Kiever Staates. Lpzg (Teubner) 1906. 754 p.

J. Pargoire, L'église byzantine de 527 à 847 ². Paris 1905. XX.+405 pp. Agitur hic inter alia de primatu Romano et Byzantio (44–6; 189—193; 289—292), de liturgia, sanctis, monachis Byz. etc. Liber brevitate et rerum copia excellit.

R. de Watteville. Les protestants et le protestantisme en Russie. Paris (Rousseau) 1906. 45 p.

P. Juan Mir y Noguera S. I., La Immaculada Concepción X.+571. Madrid 1905. Pes. 9.

Ἀρχιμ. Καλλινίκου Δελικάνη, Πατριαρχικῶν ἐγγράφων τόμος γ' ἤτοι τὰ ἐν τοῖς κώδιξι τοῦ Πατριαρχικοῦ Ἀρχειοφυλακείου σωζόμενα ἐπίσημα ἐκκλησιαστικὰ ἔγγραφα τὰ ἀφορῶντα εἰς τὰς σχέσεις τοῦ Οἰκουμενικοῦ Πατριαρχείου πρὸς τὰς Ἐκκλησίας Ῥωσίας, Βλαχίας καὶ Μολδαβίας, Σερβίας, Ἀχριδῶν καὶ Πεκίου (1564—1863) οἷς προστίθεται ἱστορικὴ μελέτη περὶ τῆς Ἀρχιεπισκοπῆς Ἀχριδῶν Cp. 1905, p. 1107.

RESPONSA AD INTERROGATIONES.

(De purgatorio.)

Interr. Anno praeterito in responso ad quaestionem quandam exposita est p. 158—160 quaestio controversa de purgatorio: quod accuratissime factum est. Legenti et relegenti ea videtur mihi illud, quod Graeci positive docent, omnino defendi posse, licet non audeam dicere id e fontibus revelationis demonstrari.

Dicunt enim Deum etiam eis, qui in peccato gravi moriuntur, ignoscere posse et ignoscere vere, si pro eis preces fiant in terris: et verum est illa, quae e liturgia Romana pro defunctis ibi allata sunt, in hac sententia optime explicari. Res videtur autem hac ratione probari posse:

Ex doctrina de sacramentalibus novimus, ecclesiam posse impetrare etiam gratias, ad quas efficiendas Christus Dominus nullum instrumentum seu sacramentum instituit: novimus item ecclesiam, sponsam Christi, nec in re, quam orat, errare posse et, cum orat rem, quae impetrari potest, semper a Christo audiri. (Non enim frustra dictum est: „Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam“ [Io. 14, 13]). Nihil igitur obstat, quominus eis, qui in attritione seu contritione imperfecta decesserunt, prosint preces ecclesiae ad remissionem, et ut ita intelligantur illa verba, quae in missa pro defunctis occurrunt. Nec enim Deus quae attritioni hominis sani negavit, necessario attritioni hominis morientis negare debet.

Si quidam theologi insignes non soli contritioni ex caritate procedenti vim peccata remittendi ante absolutionem sacramentalem tribuerunt, sed etiam contritioni ex aliis motivis, cur non liceat hoc saltem in mortis articulo statuere et vim huius actus mutatam a precibus ecclesiae accedentibus repetere. An haec sententia teneri non potest?

Resp. Duo quaestio proponit, quae non satis clare inter se distinguuntur.

Et I° quidem sententiam saltem aliquorum Russorum docentium, animas hac vita in peccato gravi defunctas, pro quo dignos poenitentiae fructus afferre non potuerint, precibus ecclesiae ex inferni igne liberari, etiam post iudicium particulare iam absolutum (cfr. verba T. Seredinskij l. c. in Slav. litteris theol., vel confessionis orthodoxae qu. 64. apud Nilles. Kalend. man.², II. pg. 322) sustineri non posse, patet ex doctrina catholica tum de perfecta immutabilitate

sententiae in iudicio particulari latae, tum de aeternitate poenarum inferni.

At II⁰ in quaestione proposita urgetur non tam haec doctrina, quam quaestio, num attritio sine sacramento poenitentiae iustificet, etsi non sola, saltem accedentibus ecclesiae precibus. Quae quaestio posset adhuc dupliciter intelligi, videlicet

1⁰ de iis, „qui in attritione decesserunt" h. e. posset quaeri num ecclesiae precibus iuvari adhuc possint illi, qui statum viae iam reliquerunt. Porro de his duplex suppositio fieri potest, scl. eos decessisse peccato mortali nondum remisso et accedentibus ecclesiae precibus demum remittendo, et tunc sententia talis admittenda non est, redeunt enim superius dicta; aut eos decessisse in peccato veniali, quo in casu difficultas nulla est, cum tunc agatur de purgatorio.

Verum 2⁰ quaestio magis agit de anima „hominis morientis", de anima constituta „in mortis articulo", et de hac quaeritur, num in statu peccati mortalis exsistens iustificari queat sine actuali susceptione sacramenti vel sola attritione, quae hanc iustificandi vim habeat „mutuatam*) a precibus ecclesiae accedentibus". — At vero etsi „Deus, quae attritioni hominis sani negavit, necessario attritioni hominis morientis negare non debet", necessario, inquam, de facto tamen negat. Quod manifestum est ex verbis conc. Trid. sess. XIV. c. IV.: „Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur . . . . donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit". Concilium itaque affirmat, attritionem sine sacramento poenitentiae per se iustificare non posse, neque in hoc ullam distinctionem inter hominem „sanum" et „morientem" facit. Sed ubi concilium non distinguit, nec nobis distinguere licet. Neque attritio hanc iustificandi „vim mutuatam*) a precibus ecclesiae accedentibus" accipit. Talis enim mutuatio ignota est magisterio ecclesiastico (saltem quatenus explicite numquam proposita est), ignota omnibus theologis. Quare nec nos a priori possumus eam asserere, cum in speculatione veritatum dogmaticarum solidum fundamentum traditionis ecclesiasticae deserere periculosissimum sit.

Faciamus adhuc unam vel alteram animadversionem ad quaedam quaestionis puncta, quae nondum tetigimus hucusque:

1. Nequaquam verum est, „illa quae e liturgia Romana pro defunctis ibi allata sunt, in hac sententia" de vi contritionis alias imperfectae, cum precibus ecclesiae futuris sive iam antecedenter exauditis sive demum exaudiendis coniunctae „optime explicari". Precum illarum in liturgia Romana, praesertim Offertorii in missa de Requiem duplex potissimum datur explicatio. Prima quidem intelligit verba Offertorii

*) Interrog. habet „mutatam" (Red.).

de animabus in purgatorio exsistentibus. Ast fatendum est, terminos ibi coarcevate positos, scl. „de poenis inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, de morte transire ad vitam" nonnisi aegre intelligi de poenis purgatorii. Quare communior sententia terminos illos intelligit de poenis inferni atque explicat, ecclesiam orare, ut animae liberentur, h. e. praeserventur a poenis inferni. Nullatenus enim verba haec ecclesiae intelligenda sunt de animabus iam ex hac vita extractis atque in infernum iam delapsis — pro his enim ecclesia non orat, — sed de animabus in articulo mortis positis, iamiam in aeternitatem migraturis. Fictione itaque dramatica, plena pulchritudine et vi, animas iam ex hac vita profectas ecclesia quasi ad vitam revocat, sistendo eas in articulum mortis atque pro tremendo illo momento orans, ut Deus eas, mox rationem reddituras, liberet de poenis inferni, ut ne permittat eas absorberi a tartaro, cadere in obscurum inferni. Quae repraesentatio, ut patet, aptissima est ad concutiendos animos adhuc viventium, et simul etiam utilis pro animabus defunctis, quibus, si in purgatorio retinentur, tum ex precibus ecclesiae tum ex orationibus adstantium salutari timore concussorum instantioribus levamen et solatium affertur. Quae explicatio commendatur aliis ecclesiae precibus, quae sive in missa (Oratio in die obitus defuncti), sive in „Commendatione animae", sive in precibus exsequialibus (Libera me Domine) occurrunt. Sed haec per transennam.

2. Verum quidem est, „ecclesiam posse impetrare (per sacramentalia) gratias, ad quas efficiendas Christus Dominus nullum instrumentum seu sacramentum instituit": at verum non est, has gratias esse praecise illas, quibus „vis iustificationis attritioni mutuata a precibus ecclesiae" accedat. Hoc enim, ne petitio principii committatur, demum probandum esset; at probari non posse, ex supra dictis liquet. Idque praesertim, cum

3. verum sine distinctione non sit „ecclesiam, cum rem quae impetrari potest [i. e. quae verum bonum orantis est et promissione a Christo facta comprehenditur, in quo iudicando ecclesia est infallibilis] orat, semper a Christo audiri". Scilicet ecclesiae preces quoad impetrationem gratiarum qualiumcumque a Deo petitarum, ab orationibus christianorum in statu gratiae exsistentium essentialiter non differunt. Habent nempe etiam ecclesiae preces quoad exauditionem suam illam sibi condicionem appositam: dummodo gratiae tales ordini divinae providentiae sint conformes. Aliis verbis: Exauditur semper ecclesia a Christo Domino, at non sic, ut semper praecise illud obtineat, quod petit. Id quod patet v. gr. ex iis, quae theologi de indulgentiis docent.

4. Verum quidem est, quod „theologi insignes non soli contritioni ex caritate procedenti vim peccata remittendi ante absolutionem sacramentalem tribuerunt, sed etiam contritioni ex aliis motivis", puta ex motivo vel obedientiae, vel religionis, vel paenitentiae, (cfr. v. gr. card. de Lugo, de poenitentia disp. V. sectio I.): at pariter verum est, omnibus illis theologis sententiam de vi iustificante cuiuslibet verae contritionis sine sacramento sive seorsim spectatae, sive in coniunctione cum ecclesiae precibus fuisse alienam.

Dr. *M. K.*

Aliorum iudicia de nostro periodico.

Čech roč. XXXII. (1907) číslo 25:

Druhý ročník časopisu „Slavorum litterae theologicae, vydávaného vědeckým odborem Apoštolátu Cyrillo-Methodějského dokázal s dostatek, oč stojí klidná, nehlučná práce výše než nečinné deklamování. Všude po celé Evropě oceňují vědecké kruhy theologické tento podnik, který pomalu již i na Rusi nabývá vždy vetšího rozšíření. Směřuje k vzájemnému sblížení theologů slovanských, pravoslavných i katolických a k urovnání dávných sporů mezi východem a západem. Mezi příspěvky loňského roku vynikají práce barnabity Tondiniho a dra. Jeliče o sporných otázkách z oboru liturgie, dp. Jaška o sporné otázce z oboru úvodu do Písma sv. a dp. Špaldáka z oboru dogmatiky. Mimo to je minulý ročník (328 stran drobného tisku) naplněn instruktivními zprávami i posudky o veškeré slovanské literatuře theologické. O mnohých důležitých dílech by k nám nebyla pronikla ani zvěst, kterých obsah dosti podrobně se tu podává. Tím zajisté časem se stane, že naše theologie nebude na literatuře německé tak závislou, jak tomu dosud bylo. Za nynější chladnosti a netečnosti vůči theologickým pracím nejen se strany laiků, ale i u těch, kteří by nejvíce theologií se zajímati měli, je podnik, který Apoštolát na sebe vzal, zajisté podivuhodný a neocenitelný. Proto vřele doporučujeme rozšíření „Apoštolátu" po všech vlastech slovanských, zvláště pak po diecésích království. Jeho snahy jsou zajisté co nejušlechtilejší a dovedou si vedle jiných u každého horlivějšího katolíka získati vřelé sympatie. Čím více členů mu přibude, tím účinněji bude velezáslužné dílo moci podporovat a rozšiřovat.

Cerkovnyja Vědomosti 1906. No 50, str. 3140—1: »Журналъ старается знакомить своихъ читателей съ некатолическими вѣрованіями славянства, т. е. съ православными доктринами. А такъ какъ въ числѣ славянскихъ исповѣдниковъ православія первое мѣсто занимаютъ русскіе, то послѣднимъ и удѣляется преобладающее вниманіе. Въ этомъ смыслѣ напечатано уже не мало освѣдомляющихъ статей, напримѣръ, касательно взглядовъ русской догматики и русскихъ богослововъ о канонѣ Ветхаго Завѣта, о Церкви, таинствахъ и т. п. И нужно отмѣтить, что всѣ эти сообщенія отличаются объективностію и приводятся именно для ознакомленія, а не ради нарочитой полемики, которая иногда допускается. Къ сожалѣнію, редакція, гдѣ есть хорошіе знатоки русскаго и даже славянскаго языка, не располагаетъ всѣми необходимыми пособіями для всесторонняго освѣщенія тѣхъ или другихъ пунктовъ православнаго ученія, да и справедливо опасается невольной тенденціозности въ католическомъ изложеніи. Отсюда понятна ея просьба, чтобы сами православные русскіе богословы присылали ей соотвѣтственные рефераты, и она помѣститъ ихъ съ переводомъ (или въ переводѣ) на латинскій языкъ. Въ виду важности дѣла точнаго взаимнаго религіознаго ознакомленія крайне желательно, чтобы на этотъ призывъ откликнулось возможно больше русскихъ писателей и поддержало плодотворное осуществленіе доброй идеи чешскаго католическаго журнала. На ряду съ этимъ послѣдній ведетъ полную и тщательную библіографію литературы славянства, опять же особенно выдвигая русскіе труды . . . Всѣ эти отчеты стремятся къ безпристрастному обслѣдованію и удовлетворяютъ сему въ достаточной степени. Но и здѣсь сильно вредитъ успѣху недоступность русской литературы, со іненія которой трудно на западѣ узнать и — тѣмъ болѣе — добыть. По этому редакція и приглашаетъ русскихъ авторовъ, чтобы они присылали ей свои труды своевременно или, по крайней мѣрѣ доставляли объективныя сообщенія о содержаніи ихъ. Думаемъ, что и этотъ призывъ католическаго журнала заслуживаетъ самаго отзывчиваго удовлетворенія . . .

Проф. Н. Глубоковскій.

Velehradii in Moravia

unde per ss. apostolos Cyrillum et Methodium Slavis lux exorta est, ad sepulcrum s. Methodii

tempore feriarum (mense Iulio vel Augusto) proxime accuratius determinando

triduum

paratur exponendis nexibus inter ecclesiam Romanam et Graeco-Russicam.

Ut quam plurimi eo conveniant, qui praelectionibus intersint, rogamus.

Exponetur de tentaminibus unionis; de liturgia ss. Cyrilli et Methodii; quid theologi catholici praestare possint et debeant de ecclesia Rossiaca; de Russorum ad ecclesiam Romanam debita relatione et similibus quaestionibus.

Praelectores invitati sunt et magna ex parte iam promiserunt Dr. F. X. Grivec, M. Hałuščyńskyj, Dr. J. Pachta, F. Snopek, Dr. B. Spáčil, A. Špaldák, J. Urban. Quicumque alius *utriuslibet* ecclesiae theologus idem gratificari voluerit, rogatur ut brevi nomen dare velit.

Praeparantes conventum:

Dr. **A. C. Stojan.** Dr. **A. Podlaha.**

Въ **Велеградѣ** (въ Моравіи)

откуда чрезъ Преподобныхъ Кирилла и Меѳодія возсіялъ Славянамъ свѣтъ Святой Вѣры, у мощей Преподобнаго Меѳодія,

состоится съ **25аго іюля** текущаго года по **27ое** число включительно

съѣздъ лицъ интересующихся вопросомъ о связи между Церквами: Римской и ГрекоРусской.

Печатая настоящее объявленіе, мы выражаемъ наше горячее желаніе, да бы число участниковъ въ этомъ съѣздѣ было, по возможности, велико!

Предметомъ занятія съѣзда будутъ вопросы: „Попытки единенія“; „Литургія Преподобныхъ Кирилла и Меѳодія“; „Въ чемъ заключается обязанность католическихъ богослововъ по отношенію къ Русской Церкви“; „Нормальныя отношенія Русскихъ къ Римской Церкви“ и другіе подобные.

Въ качествѣ докладчиковъ (лекторовъ) приглашены Dr. F. X. Grivec, M. Hałuščyńskyj, A. Palmieri, F. Snopek, Dr. B. Spáčil, A. Špaldák, J. Urban, изъ которыхъ большая часть уже дала свое согласіе.

Если кто либо изъ богослововъ той, или другой Церкви пожелаетъ своимъ докладомъ посодѣйствовать великому дѣлу Единенія Церквей, онъ насъ до крайности обяжетъ, сообщивъ намъ (Прага-IV., 35) объ этомъ въ возможной скорости.

Dr. A. C. Stojan. **Dr. A. Podlaha.**

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach. Dr. Ant. Podlaha. Ad. Špaldák. Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Luc. Jelić, Jadrae.

Annus III. (1907) Pragae Bohemorum. Nr. 2.

BOHEMICA.

Fr. Štědrý: **Obrana sv. Jana Nepomuckého (Apologia s. Ioannis Nepomuceni.)** Pragae 1906, p. 30.

Auctor via ac ratione inquirit in nonnullas quaestiones de S. Ioanne Nepomuceno. Primum quaerit, fuerit-ne s. Ioannes et vicarius generalis una eademque persona a Venceslao IV. interfecta?

Quam quaestionem *Š.* solvit ad evidentiam: s. Ioannes Nep. et vicarius generalis est una eademque persona.

Omnes errores et difficultates in hac re ortae sunt ex Venceslai Hájek chronicis. Primus, qui huic auctori fidem negavit, fuit Athanasius a S. Iosepho O. S. A., nomine proprio Elias Sandrich. Invenitur enim in caesarea bibliotheca Pragensi (I. F. 19) opus eius manuscriptum ex a. 1747: „Dissertatio historico-chronologico-critica, in qua primo proponitur, an S. Ioannes Nep. sit unus idemque cum Ioanne de Pomuk vicario generali.“ Opinio identitatis proponitur tamquam probabilior et argumenta opposita enervantur. Attentione dignum est et bene notandum Eliam Sandrich hanc suam sententiam quinque annis ante iam defendisse, quam accusatio, qua Ioannes a Genzenstein Venceslaum regem apud papam Bonifacium appellavit, inventa est (Vatic. 1122). Sandrich effecit, ut Gelasius Dobner aliique chronica V. Hájek critice exponerent. Post eos Pelzel, Palacký, Ginzl, Höfler, Frind, Borový, T. Novák, Votka defendunt identitatem s. Ioannis cum vicario generali. Contra quos (praeter Berghauer, Pubitschka, Zimmermann, Svoboda, Schmude) eximius historiographus V. Vlad. Tomek, (Děj. Prahy III., 372) suam sententiam his defendit: 1⁰. Sedes apostolica in canonizatione s. I. Nep. noluit canonizare vicarium generalem, sed aliquem alium, ut ex actis patet. 2⁰. Hic alius erat ille, quem populus pia veneratione initio 18. saeculi prosecutus est. — Hanc argumentationem auctor noster ad evidentiam evertit.

Haec opinio V. Vladivoji Tomek vera esset, si fundamentum canonizationis fuissent soli testes saeculi 18. Sed hoc falsum est. Qui tantum acta canonizationis Pragae asservata legit, assentitur quidem necessario Tomek; sed si inspiciuntur acta Romae 1728 edita, res alia apparet. Prima et secunda pars horum (S. rituum congregationis canonizationis seu declarationis martyrii b. Ioannis Nep. positio) nihil quidem continet, quo opinio V. Tomek everti posset, sed tertia pars „animadversiones

promotoris fidei" scl. Prosperi Lambertini, postea papae Benedicti XIV., rem aliam ostendit. Quae paginae V. Tomek fugerunt: sed hoc, quod continent, eius argumentationem plane evertit.

Postulat enim ibidem defensor fidei „scriptores contemporaneos (scl. s. Ioannis) martyrium referentes, ut probatio subsidiaria sit in genere perfecta: ceteras alias probationes ex subsequentibus scriptoribus ac testibus desumptas" tamquam nullius momenti reicit omnes. Ex illis, scl. testibus contemporaneis, duos tantum agnovit martyrium referentes, de quibus testes iuramento testimonium fecerunt. Prior quidem horum, qui asservatur in archivo capituli S. Viti „1383 Iohanco de Pomuk submersus de ponte primus decretorum doctor," neque contemporaneus est neque annum martyrii verum enuntiat, sed quod ad rem attinet nihilo minus verus est. Certum est nunc fontem esse ex anno 1483; hoc iam Berghauer (Protomart. poenitentiae II.) 35 annos post canonizationem noverat. Sed quoad rem, sicut dictum est, fons veritate gaudet. Auctor probat formam „Iohanco" ducere nos ad vicarium generalem (voce diminutiva eum propter staturae parvitatem appellatum esse ipse Tomek dicit): item attributum, „decretorum doctor" illi soli tribui posse.

Alter fons contemporaneus, verba archiepiscopi Moguntini (Raynald. Annales 1400, n. 13), cum tantum generaliter rem referat, non multum ad probationem attulit. Sed nobis eo est pretiosus, quia ostendit, „doctorem Iohanco", cuius submersio in Germania bene nota erat, quam contemporanei scriptores Hagen (Dobner, Vindiciae 32), Ludolphus, abbas Zahanensis, (Losert: Arch. f. ö. G. Tractatus de longaevo schismate p. 419), Ioannes Posilgensis (Script. rer. Boruss. III. 187) multique alii ad annum 1393 notant, cum de Ioanne canonico anno 1383 interempto nemo sciverit, sanctum declaratum esse. Insuper notandum est congregationem his testibus non fuisse contentam. Nisi facta essent miracula, cum exhumaretur corpus s. I. Nep. in lingua eius, canonizatio non profecisset.

Ex quo patet, non illum Ioannem canonizatum fuisse, quem pia opinio saeculi 18. a vicario generali diversum putabat, sed illum, de quo loquuntur adducti fontes, qui ducunt ad Ioannem vicarium generalem. Pia opinio illa non fuit fundamentum canonizationis. —

De nomine huius s. Ioannis: fueritne de Pomuk an de Nepomuk — Š. docet collatis aliis exemplis nomen Pomuk monasterii Cisterciensis et oppidi antiquius esse; nunc autem evanuisse. — Tum Š. agit de opinione J. Lippert (Mitth. f. d. G. S. D. i. B. 1901, 28) Ioannem Nepomucenum non e Pomuk ortum esse: cuius argumenta nulla esse ostendit.

Fueritne natione Germanus an Bohemus, nondum est exploratum (p. 13).

Quod quidam s. Ioanni N. exprobravit, quod pecuniam mutuam dedisset modo improbando, Š. ostendit calumniam esse: eum, cum scriba esset, pecuniam sine usuris credidisse nec poena excommunicationis addita duriorem se praebuisse.

Quaestionem fuerit-ne s. Ioannes ideo aquis submersus, quia

sigillum confessionis laedere noluit, . omnium difficillimam exploratu esse confitetur, cum nullus fons domesticus contemporaneus adsit, quo haec causa confirmetur, attamen dicere non dubitat: confirmatio abbatis Kladrubensis erat ficta causa submersionis, propria et vera causa autem erat, quia sigillum confessionis servavit; id hoc modo defendit:

Si vera essent tantum ea, quae de Venceslao fontes contemporanei domestici narrant, inter maximos principes, de re publica quam optime meritos, referendus esset. Cur nemo historiographorum facta vitae eius omnia narrare ausus sit, certe non sine ulla causa factum est.

Rex Venceslaus IV. in matrimonio felix non fuit. Prima eius uxor Ioanna die 31. Decembris 1386. noctu subito mortua est. De eius morte fama spargebatur reginam a cane, qui in cubiculo regis semper dormiebat, suffocatam esse. Altera uxor regis erat Sophia, filia Ioannis, Bavariae ducis. Sed neque in hoc matrimonio feliciter rex vixit. Ipsam coronationem reginae distulit ex anno 1389 in 1400. ex causa nobis ignota — aliaque signa adsunt neque hoc matrimonium felix fuisse.

Causa, cur regina regi bene affecta esse non potuerit, invenitur in codicibus iussu Venceslai scriptis vel ei dicatis. (Vojt. Hrdlička Mittheilungen d. Inst. f. öst. Gesch. I. 105 „Die Sage v. Susanna u. König Wenzel). Hinc enim cognoscimus, regem mulierem quandam amasse. Quae certe erat una e causis discordiarum inter regem et reginam. Alias ipsa natura Venceslai suppeditabat. Quae, quamquam „secreta" publica erant, notare nemo audebat, ne furorem regis in se suosque excitaret.

Quae cum ita sint, nihil mirum est, si pia regina in suis necessitatibus apud confessarium solatium quaesivit et s. Ioannes regi iniustitiam obiecit. Valde etiam probabile est, regem has confessiones aegre tulisse et de iis interrogasse. Cum autem nihil regi responderetur, rex furore incensus confessarium interficere decrevit, occasionemque aptam expectabat. Quae, etsi parum reapse verum consilium tegere potuit, visa est ei confirmatio abbatis Kladrubensis contra voluntatem regis, cuius tamen interdictum ab iis, quorum intererat, ignorabatur. Ideo propria manu Sanctum, cum occasionem nactus est, vexabat, ideo ori eius lignum ingeri iussit. Nuntii de submersione s. Ioannis tales sunt, ut aliam ac fictam causam nobis indicent.

Fontes enim alii de causa silent, alii (cf. Höfler, Gesch. d. hus. Bew. I. 5) peccata regi obiecta indicant vel expresse detrectatam sigilli confessionis violationem afferunt (Ebendorfer, testis fide dignissimus, et P. Židek, cuius auctoritatem *S.* bonis rationibus defendit). —

Nürnberger tamen in Jahresbericht der Schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur 82. (1904) V. Abt. p. 30. e silentio Ludolphi abbatis de causa sigilli conicit ne famâ quidem tum (1417) eam notam fuisse et demum postea quacumque ratione fictam esse.

Ex eo, quod archiepiscopus in accusatione regis de confessione tacet, nihil sequitur, quia affert tantum causas publicas; neque silentium Sophiae reginae de vera causa aliud probat, cum nemo eis se iactare soleat, quae ipsi dedecori esse possint.

Unde concludendum est: quia nulla alia sufficiens causa mortis

S. Ioannis afferri potest, tenendum est, quod narratur, hanc fuisse sigillum confessionis.

Ab hac quaestione Š. transit ad quaestionem, quando s. Io. Nepomucenus vixerit et ostendit errorem in bulla canonizationis receptum de anno, quo submersus sit (1383, quo Paduam venit iurisprudentiae studiosus, loco 1393), nihil pertinere ad vim canonizationis.

Cultus s. Ioannis Nepomuceni testimonia antiqua satis multa extant: qui regem non respiciebant, non modo beatae memoriae virum appellabant, ut alii, sed martyrem sanctum, ut Ioannes de Genzenstein in accusatione regis et Ioannes O. S. A., qui huius archiepiscopi vitam scripsit (1400—2). Circiter a. 1480 in thesauro capituli ad s. Vitum calix erat, in quo legebatur: „in honorem beati Ioannis Pomuk“ Alibi (post a. 1510) legitur: „Beatus Ioannes de Nepomuk fecit,“ alibi agitur de altari contra sepulcrum, ubi beatus vir Io. de Pomuk positus est.

J. Bartoník.

Časopis katolického duchovenstva 1906.

Dr. Fr. X. Kryštůfek, Manželky Karla Velikého (De uxoribus Caroli M.) p. 468—474. Prima legitima coniux Caroli M. fuit Himiltruda (quam Eginhardus, Vita Caroli M. Monum Germ II, 453 vocat »concubinam« i. e. inaequali [morgan.] matrimonio iunctam); alteram — sive vivâ primâ, et tunc certe invalide, sive mortuâ — duxit Desideratam (filiam Desiderii, Longobardorum principis), antequam comperisset papam id fieri vetuisse; quam post annum repudiavit ut »ad propagandam prolem inhabilem, iudicio sanctissimorum sacerdotum« (Damberger, Synchron. Geschichte, II. Kritikh. 176). Himiltruda interim certe defuncta, Hildegardam tertiam uxorem († 783) duxit; tum quartam Fastradam († 794), quintam (inaequalem) ignoti nominis, sextam Luitgardam († circ 800), septimam Mathalgardim (inaequ.), octavam Gersuindam (inaeq.), nonam Reginam (inaeq.), decimam Adalindem (inaeq.). — Praecepta ecclesiae matrimonialia Carolus non laesit.

Dr. Fr. X Kryštůfek, Domitilly, římské mučednice (Domitillae, martyres Romanae) 313—8.

Duae erant Domitillae ex genere Flaviorum ortae, consanguineae invicem, simulque consanguineae Vespasiani, Titi, Domitiani imperatorum. Domitillae Senioris mater erat filia Vespasiani, Flavia Domitilla, maritus T. Flavius Clemens consul, cuius pater, Titus Flavius Sabinus tempore Neronis praefecturam Urbis gessit et valde clementem erga christianos vexatos se exhibuit. Filius eius, Flavius Clemens sub Domitiano ut christianus martyrium passus, uxor eius Domitilla in insulam Pandatariam (hodie Santa Maria vocatam) expulsa est. Alia fata eius ignoramus; quid libertinus eius contra Domitianum ausus sit, Philostratus, Vita Apollonii VIII, 25 narrat.

Domitilla Iunior nata erat ex sorore Flavii Clementis, Plautilla, quae a s. Petro baptismum suscepit. Domitilla Christum confessa in insulam Pontiam relegata est.

An. 1593. doctus Bosius repperit celebre illud coemeterium Domitillinum, in quo nuperrime vera imago ss. Petri et Pauli apostolorum inventa est. Quae et notae utriusque indoli convenit, et descriptioni Nicephori Callisti respondet (H. eccl. II, 37) et Iudaeos, non addito decore, exhibet. Pretiosam igitur rem familiae Flaviorum debemus.

A. Špaldák, Čemu učí východní Otcové církevní o posvěcující milosti P. Marie před smrtí jejího Syna. (Quae sit Patrum ecclesiae orientalis doctrina de gratia sanctificante B. Virginis Mariae ante ipsius Filii mortem) p. 161—5.

Notum est Patres Graecos (auctor citat etiam Augustinum Tr. in Ps. 91 et Afrem, Lamy I, col. 56) negasse Spiritum s. ante Christi

mortem in ullo homine inhabitavisse; gratiam autem sanctificantem, ad quam per generationem efficiendam Spiritus s. ut »principium coniunctum« hominibus conceditur, patet intime cum inhabitatione Spiritus s. cohaerere. Accedit quod s. Io. Chrysostomus concedit quidem Iudaeos gratia salvatos esse, sed non gratia Spiritus, quae apud eum secundum Katanskij (Hrist. Čt. 1901, I.) est, ubi ad sanctificationem refertur, ipsa gratia sanctificans. (Cf. In Io hom. 14, n. 2; in ascens. Dom. n. 13.).

Omissa quaestione, quomodo distinxerint illi Patres gratiam V. T. a gratia N. T. et adductis solum duobus locis, qui discrimini tali repugnare videntur (Athanasius, Or. 5; Origenes, Hom 7 in Lc) quaerit num saltem B. Virginem Mariam hoc donum Spiritus s iam ante Filii mortem habuisse probari possit. Exceptionem enim in tali re etiam ille poterit in B V. M. admittere, qui cum Graecis Patribus sentit; testis est Theophylactus. In praesent. Deip. n. 7.

Probatur autem B. V. M. habuisse gratiam sanctificantem iam ante Christi mortem 1º e locis ss. Patrum, qui ei tribuunt »gratiam Spiritus« — non ad charismata sed ad sanctificationem spectantem. (Theodor. Stud. Hom. 2. in nativ. Op. n. 7; Matthaeus Cantacuz., In Cant. 4, 10.); 2º e locis aliis, quibus manifesto B. V. M. gratia sanctificans antecedenter ad Christi passionem et mortem tribuitur. E. g. afferuntur Georgius, De b. Virg. in templum recepta, 1 (Pitra, A. s. 1, 275); Theodotus Ancyr., Hom. 6, n. 11; Io. Damasc., In nat. Deip., Hom. 1, n. 10; Sergius Constantinop., Acathistus I, 24 (Pitra I, 261); cf. Psellus ap. P. de Meester, Le dogme de l' immacul. conc. 1906, p. 57: λαμπρυνομένη ἐν ἁγίῳ πνεύματι τῇ κατὰ χάριν θεώσει.

3º e locis illis, quibus B. V. M. praedicatur ut creatura Dei vere similis, qua similitudine Adam privatus sit. (Photius, In nat. Deip. M. 102, 556, C). Quodsi nonnulli Russorum theologi negant Adamum Spiritum s. habuisse, manifesto testimoniis ss. Patrum (Macarii Aeg., Hom. 12, n. 6.; Cyrill. Alex., In Io 2, c. 1.; De Trin. dial. c. 4; Iren. Adv. haer. l. 3, c. 23; Basil., Adv. Eunom. l. 5. M. 29, 727; Serm. ascet. n. 1.) repugnant.

4º Cum propterea B. V. M. antonomastice vocetur ἡ θεόπαις (v. g. a Tarasio, In praes. Dp. n. 7) etiam hinc argumentari licet; item inde, quod natura ipsius dicatur esse supra naturam (Io. Geometra, In annunt. Dp. n. 10); immo vel inde, quod templum Dei vocatur, quod propter Spiritum s. iure fieri Cyrillus Alex. (In Io 7, 39) docet.

5º Si gratia sanctificante ornata non fuisset, »prima post primum« abstrahendo ab ipsius maternitate cum Isidoro Thessal. (In ann. Dp. n. 10) appellari non potuisset, nisi cum Primasio (In Rom. 8) Spiritum s. in angelis inhabitare negetur. Neque angelus ea conspecta gloriam Dei se videre putans a Germano I. (In ann. Dp.) fingi potuisset.

6º B. V. M. non solum antonomastice vocatur ἡ κεχαριτωμένη (Iacob. Mon., In visit. Dp. n. 33) sed propter hanc angelicam salutationem omnibus gratiis Spiritus s. impleta esse dicitur, etiam missi super apostolos Spiritus s. habita ratione ([Athanas.], In ann. Dp. n. 8; Io. Geometra, In ann. Dp. n. 10), et eis verbis, quibus Spiritus s. inhabitatio exprimebatur (ἐσφραγισμένην: Ἀκολουθία τοῦ ἀκαθίστου ὕμνου . . . Roma 1903, p. 48) designatur.

7º Afrem (Hymni et serm. ed. Lamy II. col. 588) expresse dicit Spiritum s. in B. V. M. inhabitasse ante Christi mortem.

Denique 8º additur argumentum quoddam a priori: Deum certe gratiam sanctificantem B. V. M. donare potuisse, et, si potuit, revera donasse (cf. Basil. Seleuc., Or. 39 in ann. Dp. n. 6.).

Ad. Špaldák, Námitky ruských theologů proti nauce o neposkvrněném početí Panny Marie. (De obiectionibus, quas Russorum theologi contra immaculatam Deiparae conceptionem adducunt). p. 50—6, 100—6.

Mirum est quod inter Russorum theologos non desunt, qui ne notionem quidem veram doctrinae de Immaculata Deiparae conceptione, quam reiciunt, habent; quod auctor ostendit ex arhim. Avgustin, Rukovodstvo k osnovn. bogosl. 1898, p. 257.

Obiectiones eorum sunt:

1. Si peccatum originale non habuisset, B. V. M. salvatrix mundi esset, Verbi incarnatione opus non fuisset.

Auctor respondens negat hoc ad notionem Salvatoris sufficere, ut sit homo sine ullo peccato; provocat ad Cyrillum Alex., Ep. 50 ad Valerian. et tractatus theologorum catholicorum de Verbo incarnato.

2. Christus omnes homines redemit; atqui, si B. V. M. libera fuisset a peccato originali, redimi non potuisset.

Ad hoc respondetur cum A. Ballerini (Sylloge monument. I, 202) etiam a Graecis vocari Deiparam servatricem regiae urbis, quam non liberavit occupatam sed a periculo occupationis.

3. Doctrina Romana repugnat scripturae s.: Rom 3, 23; 5, 10, Io 3, 6; Gal. 3, 22; Ps. 50, 7.

Respondetur traditione prohiberi, quominus Ps. 50, 7, Rom 5, 12 etiam B. V. M. comprehendatur; deinde A. Malcev citatur (Antwort auf d. Schrift des hochw. H. Domcap. Röhm. 1896, S. 68), qui omnino concedit nullam repugnantiam adesse.

4. (et principalis): »Novo dogmate nexus inter mortem et peccatum tollitur« (Homjakov); scilicet peccatum originale ab adversariis in ipsis culpae Adami sequelis ponitur.

Respondetur etiam Christum Dominum aliquo modo sequelas peccati Adami tulisse, cum non solum homo sed etiam caro factus sit; viam crucis, passionem non esse omnino necessariam ad salutem adipiscendam, ut patet in infantibus morientibus. Denique B. V. M. id accepisse ab origine, quod nos baptismo accipimus.

Porro fundamentum obiectionis exponitur et examinatur: doctrina de essentia peccati originalis. Quod a Russorum theologis ponitur vel in concupiscentia, vel in privatione integritatis et immortalitatis reiectae a solo Adamo, non a nobis (Philaretus); in quo cum baptismi effectu componendo Graeci theologi desudant (Andrutsos, Δοκίμιον συμβολικῆς 158). Itaque negant peccatum originale in nobis ullo modo culpam esse, quod, si non Augustinus, Cyprianus primus statuerit (Kremlevskij); ἁμαρτία Rom 5 idem esse atque »aliam legem« Rom 7, 11. 20. (Kremlevskij); ἥμαρτον idem esse ac »praebuerunt se peccatores«, ut Afrem, Io. Chrysostomus, alii rem conceperint (Kreml.); argumenta Augustini, etiam illud ex infantium baptismo ductum, vana esse; baptismum regenerationem esse, non semper ablutionem (Kreml.)

Hanc doctrinam auctor docet repugnare doctrinae Graecorum Patrum (Basilii, Or. de paradiso n. 4: τῆς ἁμαρτίας τῆς ἐμῆς, δι ἧς . . .; Sophronii, Or. in laud. s. Io. Bapt. n 4.: ὑπὲρ τῆς ἡμῶν παρακοῆς τὸ κατάκριμα; Germani Cp. II., Serm. in ann. Dp. n. 8: τῷ γὰρ ὄφει πάλαι πεισθέντες ἠπεισθήσαμεν) et libris symbolicis (Pravoslavnoe ispověd. kat. apostol. vost. cerkvi I, v. 24: cum Adamo omnes homines peccaverunt, cum in statu naturae integrae omnes in eo fuerint).

Si nulla culpa in posteris Adami esset, peccatum originale eis remitti non posset, quod baptismo fit; etiam huc pertinet obscuritas notionis remittendi peccata (cf. Slav. litt. th. II, 62—3). — Baptismum autem ablutionem significare et scriptura (Act. 22, 16) et Patres (v. g. Gregor. Naz., Carm. l. 1, s. 1, c. 9, v. 77—9) expresse testantur. Secundum synodum Constantinop. a. 1672 et Conf. Dosithei infantes non baptizati, cum eis non possit remitti peccatum originale, subiacent poenae aeternae peccati. Ipse Makarij (Bulgakov) docet baptismo fieri homines ex nocentibus, reis coram Deo, innocentes, puros; neque enim puros aut innocentes nasci. Ubi auctor notat verbum »puri«, cum epitheton illud B. V. Mariae tributum adversarii de castitate explicare soleant, quod hic de libertate a peccato originali adhibetur.

Peccatum Adami posteris secundum scripturaam s. imputari probatur secundum D. Palmieri e Rom 5, 12: mortem ibi statui esse poenam, non solum effectum peccati, cum s. Paulus dubitationem, num singuli pro peccatis suis personalibus moriantur, ratiocinio illo evertat: nemini imputari peccatum, ut pro eo puniatur, nisi lex, quam transgressus est, poenam transgredienti proposuerit; atqui homines morte iam ante legem Moysis mortem statuentem, morte punitos esse. Neque infantes propter personalem culpam mori; omnes tamen ex eadem causa mori: quia peccaverint omnes.

His tamen adversarii nondum confecti sunt. Admissam enim culpam in privatione gratiae sanctificantis consistere negare possunt: Adamo nihil supernaturale ademptum esse, quod nec accepisset, sed naturam eius esse corruptam.

Auctor ostendit autem et Adamum gratiam sanctificantem habuisse, auctoritati Macarii Aeg. (Hom. 16, 4) opposità auctoritate Cyrilli Alex. (M. 75, 1113, A), Athanasii, De Trinit. et Spir. s. 18, Severiani Gabal. Or. 5 de opif. mundi; neque naturale quicquam nos peccato illo perdidisse, quod et Patres Graeci (Cyrillus Alex. In Io. 7, 39) et concilium Hierosolymitanum a. 1672 clare docent. —

Non felicius adversarii negant traditione contineri doctrinam de immaculata conceptione, nimis urgentes quaedam verba s. Vincentii Lirinensis; quae vera sunt, quatenus traditione ipsa probantur et cum aliis eiusdem auctoris sententiis conveniunt; praeclara s. Gregorii Naz. verba Or. 31 (al. 37), n. 26 (M. 36, 161—2) omnino catholicam de evolutione dogmatis doctrinam exprimunt. Cf. Augustin., De bapt. c. Donat. II, 3. — Si quis negat quidquam superesse, quod definiatur, aut caecus est, aut ecclesiam infallibilem s. Scripturae interpretem esse non agnoscit. — Ceterum etiam inter Russorum theologos sunt, qui de evolutione dogmatum bene sentiant. E litteratura, quam auctor largam etsi non completam affert, omissis scriptis occidentalibus (Newman, Kleutgen, Franzelin, Tournebize, Dörholt, De la Barre, Bainvel, Prunier, de Meester, Perrone, Regnon, Urban, Anonymo [1])) iuvat afferre Russica: V. Solov'ev, Dogmatičeskoe razvitie cerkvi v svjazi s voprosom o soedinenii cerkvej (Pravosl. Obozr. 1885, N. 12); V. Solov'ev, Otvět anonimnomu kritiku po voprosu o dogmatičeskom razvitii v cerkvi (Pr. Ob. 1886, N. 5—6); Š., K voprosu o dogmatičeskom razvitii v cerkvi; otvět na »otvět« g. Vl. Solov'eva (Věra i R. 1886, I, N. 2); A. Kirěev, Něskol'ko zaměčanij na stat'ju Vl. Solov'eva o dogmatičeskom razvitii cerkvi, v svjazi s voprosom o soedinenii cerkvej. 1886; V. I. Kristi, Čemu učit teorija razvitija dogmatov (Prav. Obozr. 1887, N. 2); V. Nesmělov Dogmatičeskaja sistema sv. Grigorija Nisskago (Prav. Sobes. 1887, II); V. Solov'ev, Istorija i buduščnost' teokratii. Zagreb 1887, 28-58 = Sobr. soč. t. IV, 251—301; Anonyma (Volkonska), O cerkvi. Berol. 1888, 231—254; N. Běljaev, O katolicizmě. Kazan' 1889. p. 15—65; Ioann ep. Smolenskij, Bogoslovskija akademičeskija Čtenija Spb. 1897, 1—5.

Quod ad singula testimonia Patrum ab adversariis prolata attinet, respondetur Spiritum s. Lc. 1, 35 B. V. M. purificasse (Afrem, Iacobus Sarug.), ut »sanctior fieret, quae sancta erat« (Antipater Bostr., Ioannes Geom., Io. Euchait.; Ios. Hymnogr.); neque aliud intelligi potuisse, cum alioqui nemo in V. T. liber a peccato originali mortuus esset. Deinde solum Christum a peccato originali liberum fuisse (Antipater Bostr., Eusebius Alex., Eusebius Emissen., Leo M., Origenes, Ambrosius, Scotus Erigena) a catholicis vero sensu teneri potest, quem indicat Isidorus Thessal., In nat. Dp. n. 17: Christus solus ex se liber a peccato fuit; matrem autem simillimam ei esse decuit; unde unica exstitit ἄφθαρτος πάντως. Tum quod corpus B. V. M. caro peccati a nonnullis vocatur mirum non est; nam Christum quoque carnem peccati habuisse dicunt. (Tertullianus, Hilarius, Proclus, Theodotus, Greg.

[1]) La question religieuse en Orient. Paris 1854, 13—54.

Naz.) Denique, si quidam posteriorum (Ruperti, Godefridi Adm., Bernardi) loci difficiliores sunt, etiam alia dogmata similibus fatis obnoxia fuerunt.

A. Špaldák, Nauka katolické církve o milosti. (Doctrina ecclesiae catholicae de gratia). P. 397—408; 449 -467; 588—589; 638—649.

Auctor 11 thesibus ea comprehendit, quae in tractatu de gratia exponuntur, respiciens ad theologiam Russorum, qui fere totam doctrinam scholasticam de gratia reiciunt. Priore parte de auxilio divino ad actus salutares agit, altera de divina natura christianorum.

Thesis I^a est: Deus ipse in via ad salutem nos adiuvat, efficiens in nobis cognitionem illustratione et doctrinali et impulsiva. — Thesis IIa: Hanc cognitionem Deus in nobis producit nonnunquam immediate vel saltem fere immediate. Id probatur analysi textuum Mt. 11, 25 et Eph. 1, 16—19. — Thesis III.: Deus sibi obligatus est omnes iuvare, qui viribus naturalibus finem suum assequi non possunt Etiam hoc auxilium vocari posse gratiam triplici ex capite explicatur; non posse tamen Deum tale auxilium dependens facere a nostra eius petitione. E duabus sententiis in theoria de defectu aequilibrii arbitrii humani propositis approbatur ea, quae a priori libertatem elementum principale in idea hominis esse statuit, contra eam, quae natura humana a posteriori considerata neglectaque inquisitione de identitate naturae empiricae cum ideali hominem sine gratia supernaturali et indebita finem adipisci numquam posse ponit. Unde vel contra Russorum theologos (Malinovskij, al.) negandum est Deum corpus cum anima coniungere potuisse ita, ut concupiscentia evitaretur, vel inter naturam idealem et empiricam — turbatis condicionibus idealibus ante Adamum ortam — distinguendum. — Thesis IVa: Ad auxilium, quod nobis revera praebet, Deus obligatus non est; quia a) spectat ad filiationem divinam adipiscendam vel conservandam et b) quia saltem largior esse solet, quam opus est (Mt. 11, 25; Lc 22, 32).

Thesis Va: Aliquo auxilio divino indigemus de facto, idque 1) quia Deus nobiscum agit quaecumque agimus (August., De sp. et lit. c 33 - 4); 2) quia (ut sequelae peccati orig.) concupiscentiae obnoxii sumus; 3) quia alioqui non in coelum, sed ad summum in limbum puerorum perveniremus (Anselm., C. D. h. I., c. 22: propter diaboli potestatem super nos); 4) fortasse etiam ideo, quod Deus velit, ut ad finem supernaturalem nos disponamus; 5) certe non ideo, quod in quibusvis condicionibus etiam viribus (saltem remote) sufficientibus instructi peccaremus, nisi Deus sive ipso actu sive possibilitate actus concessa nos iuvaret; 6) sed etiam ideo, quia nemo nostrum (nisi B. M. V.) viribus sufficientibus instructus, reapse semper et in omnibus circumstantiis Dei partes sequeretur; 7) fortasse etiam, quia nemo nostrum actus praeparatorios ad iustificationem (actum fidei) in omnibus circumstantiis poneret; 8) immo fortasse etiam ideo, quia nemo reapse ullum peccatum vitaret, quod non in aliis circumstantiis, viribus sufficientibus instructus, committeret.

De necessitate auxilii propter concupiscentiam disserens auctor initio solum statuit auxilium (gratiam) vel sufficiens (ut homo non peccare possit) vel efficax (ne homines de facto peccent) esse necessarium, et quatenus concupiscentia sit naturalis, finem nostrum moralem esse supernaturalem (Gennadius). Quaestionem autem ingressus, sitne sufficiens necessarium difficultatem contra positivum responsum e conceptu obligationis petitam sententia de necessitate aequilibrii voluntatis restituendi solvere conatur.

Ubi de necessitate auxilii ad dispositionem ad finem supernaturalem agit, exponit rationes et partis affirmantis, quas cum Schiffini ratione et Patrum testimoniis solvit, excepto argumento ex analysi textus Io. 15, 1—6, et partis negantis (ad quam etiam Russi pertinent), quae sumuntur e modo Patrum certandi cum Pelagianis et Semipel., e proprietatibus auxilii contra hos haereticos affirmati, e rationibus

contra eos prolatis, e textibus Patrum opinioni partis adversae directe contrariis, denique ex inutilitate tendentiae formalis ad gratiam sanctificantem, ad quam quidem homo in nostro statu formaliter tendere debeat, sed per accidens, quia propter aliam causam filius Dei fieri debeat.

Inquirens causam mirae — si mathematice spectetur — rei, quod nemo hominum in omnibus circumstantiis Dei partes sequeretur, ita, ut a sola voluntate pendere posset consecutio beatitudinis (quae solum e rationibus 2) et 3) veri nominis gratia esset), statuit aut rationem in hac re quodam defectu laborare, quem explicari oporteat, aut posteros Adami e possibilibus hominibus scientia media praelucente electos esse, fortasse ne quis peccato originali oneraretur, quem a personali liberum evasurum in omnibus circumstantiis praescitum esset; qua sententia sola doctrinam s. Augustini de massa damnata deque libertate Dei in hominibus eligendis et reiciendis salvari, etsi non explicari. — Ea ratione necessitatis auxilii admissa nondum necessario statuitur causam praedestinationis esse in eo, quod peccatum praevisum ut condicionate futurum in aliis re eveniat in aliis non eveniat.

Duae ultimae necessitates auxilii divini in traditione potissimum fundantur. Contra Russos (Sergij) probabilitas etiam ultimae defenditur; aliae autem obiectiones — ex eo, quod ita non bene explicetur cur Deus aliquos condemnet, e persuasione sanctorum de existentia hominis nequissimi, ex inhonestate desiderii talis ordinis gratiarum, ut potius duo alii in caelum veniant, quam ego unus, e Lc. 16, 31 (vel etiam [arg Bovilli] ex Eccli 15, 11—2), e traditione (Io. Chrysost., Eph. Hom. 1, n. 2; Augustin., Ep. 102, n. 15 etc.) — in medio relinquuntur. Eis non obstantibus sententia haec amplectenda videtur, quia si erronea sit, non nocet, sed oppositum tenere, si verum non est, nocet.

His expositis latius explicatur Conc. Arausic. II, cn 7 triplici modo de necessitate gratiae stricte dictae; item Conc. Trid. S. 6, cp 5; ubi tamen verbis »Converte nos« non bene convenire explicationem de necessitate entitativae supernaturalitatis notatur, nec illud »abici potest« aut illud »movere se ad iustitiam« aliis sententiis obstare.

Thesis VI: Deus hominem ad divinam naturam elevare intendit. Hoc doctrinae catholicae caput a Russis neglectum probatur e scriptura et traditione, additurque argumentum rationis in sententia scotistica de idea creatoris et causa incarnationis Christi, cui theologi Russorum non favent (ep. Ignatij, N. Glubokovskij). — In quaestionibus adiunctis agitur de angelis, de quibus traditio non est concors (Io. Damasc., Primasius — Basilius, Ambros.); analogiam negatur esse bene fundatam. Deinde agitur in opinione positiva de eo, unde hanc elevationem nacti sint. A Christo angelos ditatos esse nonnulli Patres et theologi (Suarez) docent. Tum agitur de causa elevationis naturae humanae deque genuina notione supernaturalitatis. Licet per se in lapsu originali fundata esse possit elevatio, auctori tamen videtur (cum Basilio et al.) esse pars essentialis vel ipse »nucleus« ideae creatoris. Quo posito alii (cum s. Thoma, Bonavent., Al. Halensi) a priori (et ex eo, quod angeli lapsi de facto supernaturali sanctitate caruisse videntur) sentiunt »ultimam beatitudinem, quae facultatem naturae excedit« in idea purâ creatoris fuisse »naturae finem« et in fine concedendam. Alii (Basilius etc.) ex analogia cum homine angelos in gratia creatos esse coniciunt, quod argumentum (cum Suarez) infirmum iudicatur. Quodsi haec sententia tamen teneatur, negandam esse dispositionem ad gratiam in angelis, quippe quae e modo concipiendi priore (aprioristico) sumpta sit — et mirum poni, si omnes angeli (primitus) disposuisse se dicantur. Sententiae priori non obesse statum supernaturalem Adami in paradiso, qui in hypothesi de praestando ab Adamo (per accidens) opere quodam redemptorio — non posito in prima idea creationis — optime explicetur; quae hypothesis e 2 Petr

2, 18. 19 et e Patribus confirmatur neque Russis (Vl. Solov'ev) ignota est.

Th. VII.: Divinam naturam generatione accipimus. Filiationem nostram similiorem esse naturali quam adoptivae exponitur et thesis, etiam a Russis nonnumquam expresse agnita (Světlov), e scriptura et Patribus probatur. — Th. VIII. Spiritus s. est principium effectivum huius divinae naturae. Id imprimis ex imaginibus biblicis de semine, sigillo, igne probatur, quibus terminis Spiritus s. ipse (non, ut nonnulli Russorum theologi opinantur, eius effectus) significatur. — In quaestione de formali causa filiationis divinae negatur nos propter coniunctionem cum Spiritu s. vocari posse filios Dei, etsi Dei vocari possimus. — Th. IX. Spiritus s. etiam quoad operationem procedit a Patre per Filium. Discrimine inter modum concipiendi ss. Trinitatem apud Patres et apud scholasticos exposito, e scriptura probatur et in operando in genere et in opere sanctificationis Spiritum s. procedere a Patre per Filium, quod ss. Patrum testimoniis confirmatur. — Unde sequi nos esse filios Dei Patris, non totius Trinitatis; testimonia contraria (Macarii et Afrem) explicantur. — Th. X. Peccata in N. T. non remittuntur sine elevatione ad divinam naturam. Quod duplici modo explicari potest: in sententia de necessitate meritorum ad finem supernaturalem consequendum (th. V., 4) et abstrahendo ab ea e necessitate satisfactionis (cf. Sl. l. th. II., 63). — Th. XI. Spiritus s. cum iustis permanenter coniunctus est. Haec coniunctio determinatur ab auctore tantum negative et ex effectu, ita ut sit talis, qua ipsa naturae divinae participes simus, et qua actus nostri, etsi non omnes etiam Spiritus s. sint (ut esset in unione hypostatica) tamen etiam immediate ab eodem, quatenus meritorii sint, valorem accipiant. — Quaestio absolvitur expositione de coniunctione Spiritus s. cum peccatoribus hic et post mortem et de coniunctione cum iustis in statu termini.

His thesibus contigit auctori doctrinam de gratia, vitata terminologia scholasticorum, a qua Russi abhorrent (pag. 398—9), comprehendere.

A. Soldát, Jindřich de Segusio, kardinál ostijský, iuris utriusque monarcha, a jeho Zlatá Summa. De Henrico de Segusio eiusque Summa aurea. P. 19—25; 183—9; 258—64; 417—22; 487—93. Exposita vita celeberrimi canonici nominati sententiae e Summa eius excerptae proponuntur. Adnotationes, certe non superfluas, desideravimus, e. g. ubi refertur de opinione papam ab obligatione confitendi exemptum esse (tit. 38; p. 262) »sicut tenent Graeci.« E sententiis eius allatis aptas existimo, quae hic notentur: papam in canonizatione posse errare (l. 3., de reliquiis; p. 188) et esse »magis piam et catholicam« opinionem, precibus ecclesiae iuvari non posse in peccato mortali defunctos (p. 420).

A. Soldát, Za nerozlučnost manželství. Pro matrimonii insolubilitate. P. 41—9.

Auctor magis contra liberales agit et atheistas, nec demonstrandae subtilius doctrinae ecclesiae de matrimonio operam dat, cuius rei difficultates saepe in nostris commentariis explicatae sunt (cf. e. g. p. 18). Omissis pudoris et familiaritatis rationibus ex sola amoris essentia probat naturae humanae magis consentaneum esse, ut matrimonium initum nunquam solvatur (p. 43). Quo facto mirum est, quod p. 46 concedit matrimonium solubile declarandum esse, si contractus mere civilis esset. Vis enim argumenti maxima contra eos, quos impugnat, in eo videtur esse, quod rei publicae esse non potest curam specialem gerere illorum et tutelam legis praebere illis, qui minus honesta appetunt, divortii nempe copiam, sed profecto illis providere eosque legibus tueri et non impedire, qui honestius et humana natura dignius aut insolubile matrimonium inire volunt aut a matrimonio abstinere, ut omnes christiani, vel saltem catholici. Si enim verum est, quod nonnulli (e. g. Castelein, Le rigorisme p. 248) dicunt probari stricte

non posse, insolubilitatem matrimonii esse de lege naturae praecipienti, aliud efficax argumentum contra hoc adversariorum genus vix restat.

Quae auctor ad argumenta contraria respondet, bona sunt; fortasse tamen efficacius et plenius responderi potuit.

Jan Hudeček: Ježíš Kristus učitelem. — Iesus Christus qua magister. P. 32—38; 96—100; 189—195; 238—243; 340—345.

Christi magistri excellentia cognoscitur ex scientia e triplici fonte manante (visione beatifica, scientia infusa, acquisita) auctoritate et imprimis e methodo docendi. Quaecumque docuit in id conspirabant, ad quod educare homines voluit, ad vitam aeternam. Hominis educandi nec mentem nec cor negligebat. Menti et profunditas, celsitudo doctrinae, et genus dicendi facile intellectu, simplex clarum, concretum exemplisque ac similitudinibus ornatum et dexteritas in dolis quaestionum perimendis satisfaciebat. Cor efficacissimis rationibus (Io 10, 14—6; 14, 30; 15, 9 15; Lc 12, 24—8; 9, 23—5; 12, 4—7; Mt 18, 2—4; 23, 37; 11, 28; 12, 46—50; 22, 48 etc.) movebatur.

Discipulos honorabat, status, indolis, ingenii eorum rationem habebat (Io 3; Lc 7; 15 etc.)

Auctoritas Christi magistri praestantissimis innitebatur fundamentis: sanctitate (Io 8, 46) et amore divino erga homines (Mt 11, 5. 28 etc.)

Solis Iudaeis evangelium nuntiavit, et ut promissa Patribus impleret, et quia Iudaei fide Deo proximi erant, et ne Iudaeos offenderet et, quia ante mori voluit quam evangelium crucis orbi innotesceret.

Cur nihil scripserit, optime explicavit s. Thomas, S. th. III., q. 42, a. 4.

Idem Christus, qui docuit apostolos, docet et nos non solum per ecclesiam sed etiam per effigiem sui ab apostolis nobis traditam; nec laus effectusque magisterii eius unquam minuitur. (Thom. Kemp. I., 3).

J. Ruprecht.

Dr. *Alois Soldát*: **O jedinosti a nerozlučitelnosti manželství.** Vzdělavací knihovny katolické svazek XLI. **(De unitate et indissolubilitate matrimonii,** conscripsit Dr. *Al. Soldát,* prof. theol. fac. Boh.) Pragae 1906. Typis typogr. Cyrillo-Meth. V. Kotrba. 8⁰ pag. 174. Pretium 2 K.

Inter opera Bohemica, quae currente anno 1906 ad cohibendos contra sacramentum matrimonii impetus typis edita sunt, primum locum occupat supra nominatum opus Dris Al. Soldát „De unitate et indissolubilitate matrimonii", quoniam auctor exponit non solum generales notiones et doctrinam ecclesiasticam de matrimonio, sed etiam respectu habito ad socialem, moralem et oeconomicam miseriam nostrae familiae remedia indicat, quibus coniunctio maritalis re vera bona matrimonii afferre possit. In praefatione promittit auctor se plus suo libro expositurum esse, quam stricta notio unitatis et indissolubilitatis continet, et huic voto satisfecit.

I. In prima parte matrimonium in ordine naturali considerat. Originem et notionem coniunctionis maritalis depingit iuxta doctrinam revelatam et iuxta falsam doctrinam rationalisticam. Essentiam contractus matrimonialis exponit, differentiam eius a ceteris civilibus contractibus demonstrat et fines matrimonii enumerat. Tractatus de proprietatibus matrimonii, scl. de unitate et indissolubilitate, maximum spatium libri occupat et ad principale argumentum totius operis adnumerari potest.

II. Pars secunda sacramentalem characterem matrimonii prae oculis habet et solide demonstrat. Ius legislationis respectu matrimonii ecclesiae competens nec non iurisdictio eius in causis matrimonialibus dogmaticis et historicis argumentis evincuntur. Adducta relatio ecclesiasticae potestatis ad civilem in causis matrimonialibus ad practicum pretium libri spectat.

Influxus sacramentalis solidissimum fundamentum ad servandam unitatem et indissolubilitatem contractus maritalis praebet et propterea etiam haec pars libri diligentissime ab auctore absolvitur. Mentio fit etiam de separatione a toro et mensa.

Novissima infausta conamina ad introducendam facultatem divortii auctor argumentis statisticis et citatis reflexionibus multorum auctorum feliciter refutat.

Commemorata libri divisio non cohibet repetitionem nonnullarum reflexionum, quo tamen pretium libri minime minuitur. Opus hoc optimus dux erit clero et populo Bohemico ad refutandos „reformatores“ matrimonii; propterea, ut a multis legatur, meretur.

Th. Dr. *Fr. Reyl.*

P. *Adolf Špaldák,* **Nauka katolická o milosti** (**Doctrina catholica de gratia**). Ex articulis »Časopis kat. duchovenstva« desumta. in 8⁰ pagg 51. Pragae 1907.

Dissertatio haec non continet, quod inscriptio per se manifestat, sed ab auctore ipso materia tractanda restringitur ad ea, »quae certa sunt« collecta eum in finem, ut appareat, in quibus doctrina catholica ecclesiae occidentalis cum theologia ecclesiae Russiacae conveniat.

Laudanda mihi imprimis esse videtur haec intentio auctoris et invitandi sunt omnes scriptores catholici, linguarum Slavicarum gnari, ut collatis viribus communem Latinis et Orientalibus fontem universi depositi fidei usque ad saeculum IX. et XI. iterum iterumque indigitent et differentias deinde exortas, ad normam principiorum, per tot saecula utrisque communium, luce veritatis et fervore caritatis componant propter finem — unitatis.

In statuendis »veritatibus certis« de gratia iuremerito eliminantur ab auctore omnes opiniones et controversiae scholasticae. — Eo magis recurrendum erat ad fontes authenticos, ad definitiones doctrinae catholicae et damnationes haeresum, gratiam per defectum deprimentium in Pelagianismo eiusque sequelis in semipelagianismo, vel per excessum extollentium in Lutheranismo eiusque sequelis in Jansenismo. Brevis synopsis historico-critica de vero statu quaestionis inter Pelagianos et ecclesiam catholicam, cuius nomine Augustinus doctrinam catholicam defendebat, est necessaria ad rectam exegesim textuum Augustini, aliorumque Patrum et conciliorum Carthaginiensium (412—18) p. 3, Diospolitani (415), Milevitani (416), p. 10, Romani (ep. tractatoriae Zosimi 418) et Ephesini (431) nec non (contra Semipelagianos) Arausicani II. (529). p. 17. 22. 29. Quae auctor p. 17 notat, secundum doctrinas suae aetatis, non posterioris, explicanda esse.

Significatio diversa nominis »gratia« in his fontibus occurrentis et in ipsa operis inscriptione ab auctore adhibiti, debuit iam in statu quaestionis figendo exponi (cf. Pravda III.), dona ordinis naturalis, vires imprimis intelligendi et liberi arbitrii distinguendae erant datâ operâ a donis gratiae necessariis cum limitatione (a Patribus et authenticis documentis) addita »quod ad pietatem, ad salutem pertinet, prout oportet ad salutem«, quibus non ethica

bonitas actus simpliciter sed eius bonitas ad finem historicum supernaturalem exprimitur (cf. p. 3. 7. 22. 29)

Auctores celeberrimi, de gratia disputantes (e. g. Palmieri, Tract. de Gratia divina actuali, Galopiae 1885) plurimas veritates ut saltem theologice certas et communi theologorum consensu traditas docent, quas auctor noster, praeeunte Schiffini (de gratia disp. 3, 12 n. 145) pag. 11 n. 4 seqq. dissensionum inter Orientem et Occidentem minuendarum gratiâ in dubium vocat et canones Conc. Arausicani II. nec non Conc. Trid. sess. VI. (pag. 29) sensui suae opinionis accommodat.

Cl. auctor stabilito facto auxilii divini in via salutis humanae (Pravda I.—II.), inquirit (Pravda III., p. 4) rationem necessitatis huius auxilii, an sit auxilium concursus tantum naturalis an simul supranaturalis (Pr. IV.) relate ad diversum statum hominis sive naturae integrae sive lapsae, exponuntur per extensum (pag. 11 seqq.) rationes dubitandi de efficacia argumentorum ad probandam necessitatem physicam gratiae interioris illustrationis et inspirationis ad omne opus salutare talis, quae esset entitative i. e. quoad modum realem supernaturalis, qua in sententia paucos reperiet, qui consentiant. Post theses universaliores de necessario auxilio divino transit auctor (Pravda VI. seqq.) ad specialia de regeneratione hominis eiusque elevatione »ad consortium divinae naturae« per gratiam. — Via tractandi totam quaestionem, ut mihi quidem videtur, esset facilior et clarior, si cum hâc, Latinis et Orientalibus communi doctrina de fine supernaturali filiationis in via et haereditatis in termino auctor incepisset et deinde media ad hunc finem revelata in Scripturis et Traditione, utrisque communibus, exposuisset. —

Naturam et gratiam a primo instanti creationis hominis sese mutuo complevisse ad »imaginem et similitudinem Dei« formandam, vix erit, qui dubitet. — De angelis ex analogia ad hominem iudicamus (pagg. 34—38). — Conceptum »filiationis divinae adoptivae« bene auctor ex generatione per gratiam exponit (Pravda VII., p. 38 seqq.). »Adoptivam« dici regenerationem per gratiam, respectu habito ad naturalem filiationem Filii Dei, eamque »adoptionem« iuridicam in humanis longe superare, scite animadvertitur. — In repetitis modis dicendi »hominem fieri deum« (»božství dostáváme plozením«), quae ex Patribus transsumuntur, nunquam non ommittenda est clara monitio et expositio de analoga tantum participatione vitae divinae eiusque principii, nominatim in abstractis »božství, divinitas«. Nostra aetas hebetior et tardior est ad capienda haec mysteria Dei, quam prima rei christianae saecula. —

Spiritum sanctum esse »principium effectivum« huius filiationis adoptivae in homine, optime exponitur (Pr. VIII. pagg. 40 seqq.). — Quod p. 44 dicitur sola relatione speciali ad Deum (»pouhý poměr«) non posse consistere hanc filiationem, intelligendum esse videtur cum distinctione hac: in sola relatione rationis hominis ad Deum — sine fundamento reali gratiae sanctificantis in homine — Concedo. Cum hoc fundamento reali gratiae, quae est causa filiationis formalis — informando et Spiritus s. terminando — Nego. — Lessium circa hanc quaestionem (p. 45) durius auctor accusat, ac si non satis distinxisset inhabitationem Spiritus s. in nobis ab unione hypostatica. Absit hoc a tanto ingenio.

Processionem Spiritus s. a Patre per Filium etiam quoad efficaciam Eius nos sanctificantem — recte cl. auctor sub finem opusculi exponit. (Pr. IX. p. 45 seqq.). — Minus placet, quod (p. 46) illud, quod apud Scholasticos praevalet in exponenda activitate divina ad extra, scilicet respectus Entis absoluti Unici, nimis urgetur ac si exclusivum esset — Non potest citra errorem tritheismi operatio Patris, Filii et Spiritus s., sanctificans homines, cogitari et describi citra obiectivam relationem ad eorum internas processiones, cum operationes

ad extra sint veluti liberae extensiones ad extra vitae divinae interioris necessariae ad intra. –

Completur dissertatio declaratione, in ordine historico non haberi remissionem peccatorum citra regenerationem in Filium Dei adoptivum. (Pr. X. pag. 48). Thesi ultima (Pr. XI. pag 49 seqq) exponitur perennis Spiritus s. cum iustis coniunctio (inhaesiva), cuius efficientia est regeneratio et filiatio, a qua tamen uti »semen« a planta ex eo orta distinguitur. —

Difficillimam sane quaestionem de gratia et propter finem specialem conferendi eam cum theologia Russiaca magis adhuc spinosam, selegit sibi auctor aliis hac in re antesignanus. Vires ostendit rei tractandae pares; in quibus propter rei novitatem deficiunt, acclamamus ei animum addentes: In tantis voluisse, sibi aliisque viam stravisse — interim sat est.

Pragae, mense Februario. Dr. *Kordač.*

Jan Sedlák, **Eucharistické traktaty Stanislava ze Znojma.** (Tractatus eucharistici Stanislai de Znoima.) Otisk z „Hlídky" 1906. Str. 48 v 8⁰. Cena 60 h. V Brně 1906. Tiskem benediktinské tiskárny. Nákladem vlastním.

Stanislaus de Znoima, universitatis Pragensis professor, initio novitatum Wicleﬁ propugnator audacissimus erat, immo vero etiam in hoc discipulum suum Ioannem Hus superabat. Ipse Hus crimini ei dabat, eum doctrinam Wicleﬁ de remanentia panis tenere. Viri docti scriptum Stanislai de hac re quaerebant, sed non inveniebant. Erat quidem iis omnibus notissimus tractatus ipsius „De corpore Christi", at hic plane contrarium demonstratur; continet enim dissertatio haec doctrinam catholicam de non remanentia substantiarum panis et vini. Auctor ingeniose demonstrat, illum quaesitum tractatum haereticum in hoc orthodoxo latere; dein uberius disserit de doctrina Stanislai et enarrat fata ipsius. Diligentissimae elucubrationi suae auctor adiunxit textum tractatus Stanislai, sermonem magistri Iohannis de Štěkna contra remanentiam panis, iudicium commissionis theologicae de tractatu Stanislai et adnotationes historicas, quae in codice Vindobonensi tractatui adnexae sunt. *P.*

Wenceslai Francisci Coelestini a Blumenberg: *A)* **Autobiographia.** *B)* **Acta capitularia 1646—1674.** Edidit Dr. *Ioannes Nep. Sedlák.* (Editiones archivii et bibliothecae s. f. metropolitani capituli Pragensis t. VII.) Pragae 1906. Pg. 128. Pretium 2 C.

Coelestinus a Blumenberg, canonicus metropolitanae ecclesiae Pragensis (* 1606 † 1674), scripsit de vita sua et de variis casibus, qui capitulo acciderunt, libellum, qui diu in archivo delitescebat et nunc primum foras datus est. Qui historiam ecclesiae in Bohemia subtiliter persequuntur, habent hic, unde hauriant; multa enim aliunde ignota in hoc fonte inveniuntur. *P.*

Frant. Kryč, **Chronologie života Páně.** (Chronologia vitae Domini.) Elucubrationes e »Publicatione periodica cleri catholici Bohemici« a. 1900—1906 seorsum expressae. Pretium 3 Cor. Pragae 1906. Sumptibus propriis. Prelo archiepiscopalis officinae librorum.

Magni momenti est chronologia biblica non tantum, ut melius intelligantur facta narrata, sed etiam ut demonstretur veritas eorum

contra negantes historicam authentiam Scripturae Sacrae. Quapropter permulti docti, tum catholici tum acatholici hac in re desudarunt, ita ut existant circiter 360 systemata chronologiae biblicae. Maximi autem momenti est chronologia vitae Domini, quia ab ea dependet quaestionum multarum earumque gravium solutio, quam hodiedum quaerunt docti.

Gravitatem rei considerans edidit Franciscus Fryč opus satis amplum (286 pag.), cui titulus est »Chronologia vitae Domini.« Quo in opere clare et scite agit de anno, quo Dominus natus sit, quando publicam vitam inceperit, quamdiu eam egerit, quo anno demum mortuus sit. Omnia congerit, quae in singulis evangeliis inveniuntur, e quibus aliquo modo tempus singulorum e dictis eventibus erui potest. Ex. gr., ut statuat annum, quo Dominus natus sit, agit de stella Magorum, de occisione infantium, de Herode, de reditu in civitatem Nazareth, de annuntiatione nativitatis Ioannis Baptistae, de descriptione (censu) Cyrino.

Laudanda est methodus, qua clarissimus auctor in statuenda chronologia vitae Domini utitur, quippe quae unice recta hac in re mihi videatur. Affert scilicet distincte varias sententias variorum auctorum cum eorum argumentis desumptis e Scriptura Sacra, ex antiquissimis monumentis, e testimoniis scriptorum antiquorum, tum christianorum tum non christianorum. A proprio iudicio auctor plerumque abstinet, attamen adicit in nonnullis locis adnotationes explicationesque suas. Quo fit, ut lector possit sibi iudicium, quod ipsi optimum videtur, comparare. Quod iudicium eo melius faciliusque comparatur, quod auctor copiosam litteraturam principaliorum factorum e vita Domini affert, quae cum chronologia aliquo modo cohaerent. Praeter tabulas et conspectus varios in textu contentos addidit auctor operi suo qua appendices conspectum annorum 690—824 ab U. C. iuxta varias aeras et cyclum paschalem 19 annorum Dionysii Exigui. Lectio operis huius quam iucunda tam utilis est. Cuius ergo chronologiae vitae Domini interest, tollat librum hunc et legat.

Obořištii. P. *Franciscus Reindl.* C. SS. R.

Rádce duchovní. Pragae 1906.

V. Oliva, O národním jazyce při bohoslužbách. (De lingua domestica in liturgia) p. 62—72; 137—143; 203—211; 272—279; 344-349; 411—419; 489—495; 557—564; 617—693; 772—; 837—839.

Hac ampla commentatione exponuntur, quae ad usum linguae Latinae in liturgia, speciatim vero in missae sacrificio sunt dicenda. Duplici utitur auctor via, indirecta, qua multas contra usum huius linguae obiectiones solvit, directa, ubi probat Latinae linguae usum in liturgia maxime esse convenientem. Appendicis modo proponit mediam aliquam viam, qua ex parte conciliari possit usus linguae Latinae cum vernacula.

I. Liturgia Latinâ linguâ celebrata non ducit ad infidelitatem incredulitatemque.

Hoc probat auctor ex fine et conceptu liturgiae. Tribus constat conceptus liturgiae: a) manifestatione fidei subiectivae actibus externis exhibita, id est actibus in genere ad Deum spectantibus, b) actibus, quos Deus destinavit et accurate fieri praescripsit, id est, sacramenta (et adderem actus, quos ecclesia accurate determinavit, id est sacramentalia); c) horum praestantissimus actus, quasi sol inter stellas est missae sacrificium et a Deo et ab ecclesia accurate definitum.

Hanc liturgiae definitionem varii, maxime protestantici auctores male intellexere; adducit auctor Dr. Hermannum Hering, qui eam definit: »complexum actuum religiosorum«, qui ab ecclesia selecti iuxta ordinem et principia logicae religiosae in libris collecti pro servis ecclesiae ad publicum usum sunt destinati. Quod falsum esse patet.

Ex definitione supra allata patet triplicem esse finem liturgiae: a) latissimo sensu accepta satisfacit hominis naturali desiderio vitae

religiosae excitandae, alendae, augendae (finis ethicus,) b) strictiore sensu habet finem sanctificativum, id est, per sacramenta gratiam amissam reddit vel non amissam auget. c) finis missae sacrificii iuxta conc. Trident.: »Docet sancta synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus. . . . Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit.« (sess. XXII. cap 2.) Quod idem patet ex actis eiusdem concilii de fine ethico missae sacrificii. — Missae sacrificium nullo modo exposcit linguam domesticam, ut huic fini suo essentiali satisfaciat, quia »una eademque est hostia, (id est Christus Iesus) idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.« (Trid. cap. 2) Quod bene exprimit card. Bellarminus, »non igitur requiri, ut populus intelligat id quod dicitur, sed satis esse, si Deus intelligat.«

Ut melius et accuratius iudicare possimus de usu linguae domesticae in liturgia, attendendum est ad characterem singularum actionum liturgicarum, quae: a) sunt quidem actiones symbolicae; quare consentaneum est, ut nativa lingua semper explicentur; at minime id necessarium est, ut lingua domestica peragantur, cum actiones ipsae satis clare loquantur. b) actiones liturgicae debent quidem populo bene explicari, at non ad id sunt institutae, ut populum erudiant, sed iam eruditos in fide elevant et sanctificant. Quodsi obicitur saltem missae sacrificium esse in nativa lingua celebrandum, cum ibi imprimis etiam populus debeat active consacrificare, hoc falsum esse manifesto apparet. Nam ecclesiae parvae esse deberent et numerus audientium circa altare ita dispositus, ut singuli et audire et videre omnia et respondere possent. Quod obstaret, quominus compluria sacra simul fieri possent, vel inter sacrum cantari. c) Actiones liturgicae sua ipsarum lingua loquuntur, id est excitant bona proposita et religiosos sensus ipsa materiali actione, dummodo rite fiant et in percipientibus bonam et aptam inveniant dispositionem. Quod probat experientia. Actio, elevatio oculorum, tunsio pectoris, inclinatio, genuflexio etc., iam apta sunt sensum humilitatis adorationis etc. excitare: »verba movent, exempla trahunt.«

Catholicitas ecclesiae postulat, ut habeat liturgiam universali lingua loquentem, ad omnes nationes, quae ad cor omnium hominum loquatur illudque disponat. Quare si quis usum protestantium velit introducere in catholicam liturgiam, ecclesiam etiam territorialem et nationalem faciat, necesse est. Nam sola praedicatione, ut Germanici protestantes introduxerunt, liturgia minime constat, sed prae primis et substantialiter in sacrificio, ita, ut sine sacrificio nulla sit religio. Neque sacrificium habet finem exhortatorium, sed mediatorium inter Deum et homines, quem finem ecclesia catholica lingua universali et uniformi optime exsequitur. Quare non in linguam, sed magis in cor sacrificantis sacerdotis opera est impendenda, quod, si totum flagrabit totumque idea magna sacrificii crucis erit penetratum, ut Sailer ait, maximopere etiam fideles permovebit, ut Deo se coniungant illumque adorent.

Vehementer falluntur illi, qui ex introductione linguae domesticae in liturgia sibi pollicentur magnum augmentum devotionis in populo. Nam novitas illa ex una parte ad tempus quidem multos alliceret novarum rerum cupidos in ecclesiam, ex alia parte vero multos offenderet, qui hanc novitatem ut suspectam vitarent. Quod probat cl. S. Bäumer O. S. B. ex factis. In Germania enim protestantes ecclesias derelictas habent etiamsi in nativa omnia peragunt lingua. Catholicae contra ecclesiae, ubi fideles solum »Amen« respondent in liturgia, refertae sunt fidelibus.

Etiamsi missae sacrificium domestica lingua perpetraretur, tamen populus adstans nullum maius inde emolumentum fructumque habe-

rent. Nam canon missae inde iam ab apostolicis temporibus silentio recitari consuevit; Le Brunn acute probat hunc morem universalem inepte fuisse mutatum, cum Iust. I. postulavit, ut canon missae distincte coram populo pietatis excitandae causa recitaretur. (Cfr. praeter litteraturam auctoris, J. Kössing, Vorlesungen über die hl. Messe. Regensburg pg. 456 ss.)

Neque sacramentorum dispensatio exigit, ut forma sacramenti domesticâ pronuntietur lingua, quia sacramentum gratiae infusionem respective augmentum efficit ex opere operato. Quod protestantes dicere nequeunt, qui sacramenta tantum significant et modo praedicante formam, si qua utantur, pronuntiant. E contra catholicus minime formam intelligere debet; dummodo sit rite dispositus, eo ipso iam sacramentum percipit. Quare urgendum quidem est, ut pastores populum sibi commissum de magno liturgiae thesauro edoceant, at minime necessarium videtur ipsam sacramentorum distributionem domestica lingua administrare. Sacramentalium vero confectio lingua domestica fieri potest et de facto etiam compluribus locis fit. Recitatio vero breviarii, cum ex officio fit, Latine est facienda, quod utique ecclesia a suis ministris iure postulare potest; quodsi laicus recitare velit horas canonicas, nihil impedit, quominus id lingua sua faciat.

His omnibus rite expensis manifesto apparet usum linguae domesticae minime esse necessarium in missae sacrificio, in sacramentorum administratione, in sacramentalium confectione. E contra exiguum illud emolumentum, quod domesticae linguae usus in liturgia praeberet, nullo modo adaequat magna detrimenta oritura, si lingua Latina eliminaretur. Oreretur spiritus contradictionis, revolutionis, protestationis, spiritus recentis philosophiae et nationalitatis, qui in fidelibus veram de liturgia ideam exstirparet et periculosum indifferentismum ei suggereret.

Accedit, ecclesiam non absolute sed condicionate tantum exoptare, ut in sacramentorum et sacramentalium administratione omnia lingua Latina peragantur. Quod luce meridiana clarius patet ex usu variorum ritualium dioecesanorum Romae approbatorum. Ita e. g. Manuale rituum dioecesis Pragensis ex 377 paginis 160 numerat Bohemica lingua expressas.

Neque constat sacerdotem fuisse umquam excommunicatum, quia usus sit lingua domestica in administrandis sacramentis. Sunt regiones, in quibus nostris praesertim temporibus multum desudant sacerdotes in introducenda lingua domestica in liturgia, at populi aedificationem hi conatus minime augent. Et provocat auctor ad Bohemiae populum, ubi multa in re sacramentaria nativa lingua fiunt, et ad Moraviae gentes, ubi fere ubique iuxta antiquum ritum Latine sacramenta et sacramentalia administrantur. Ille minorem devotionem pietatemque exhibet.

Linguam in usu cotidiano non existentem exposcunt in liturgia mysteria, ne scilicet ab hominibus profanentur. Omnis religio res sanctas aliquo modo separat ab usu profano, quod ex Romanorum, Gallorum, Muhamedanorum, Brahmanorum historia satis patet. Auctor explanat, quomodo Latina lingua aptissima sit, quae elemento suo mystico liturgiam magis sanctam illibatamque reddat. Homines, qui vocari solent »intelligentes« dicit plerosque atheos esse; item operarios. Qui restant nullam patiuntur difficultatem ex usu linguae Latinae in liturgia.

Quodsi obicitur primis ecclesiae saeculis fuisse linguam domesticam usitatam in tota liturgia, Latinam vel Graecam, respondet etsi hoc constet, tamen ex alia parte constare viguisse disciplinam arcani. At non puto bene hac ratione posse solvi obiectionem, cum duo fere saecula sine arcani disciplina ecclesia viguerit et tamen lingua vernacula in usu fuerit.

Deinde e charismatibus ducit auctor argumentum pro opportunitate linguae Latinae. Quaecumque est essentia horum charismatum

hoc unum constat ea a Deo e speciali benevolentia data fuisse et inservivisse maxime ad ecclesiam dilatandam et corroborandam; quod de Latinae linguae usu in liturgia vix auctor affirmabit.

Latina lingua tegit etiam multos defectus sacerdotis, maxime devotionis defectum, quod auctor citatis variis auctorum effatis comprobare nititur. Argumentum ex apostolicitate non potest bene teneri. statuitur enim apostolicitatem ecclesiae, quatenus eius nota est, bene exprimi per usum linguae, qua usi sint apostoli in primitiva ecclesia. At negandum est, primo et secundo saeculo in usu fuisse linguam Latinam in ecclesiae liturgia. Graeca enim fuisse videtur, ut bene ostendit cl. Fern. Cabrol O. S. B. Liturgie der Kirche (übers. von Pletl) Kempten und München 1906.

Sequuntur argumenta convenientiae pro usu linguae mortuae in liturgia catholica. Religio catholica immutabilis est; quare valde conveniens est, ut etiam lingua, qua in sanctissimis utitur rebus, sit usu quotidiano illaesa et aliquo sensu stabilis. Linguae domesticae mutantur et vehementer quidem ita, ut verba et phrases post aliquod tempus significationem interdum plane contrariam habeant, quod obesset veritatibus religiosis in liturgia contentis. Lingua mortua nationalitatis sensum effrenatum optime potest demulcere; ergo cum sit catholica religio pro omnibus populis, maxime conveniens est, ut utatur tali lingua. Domesticae linguae usus in liturgia causaret indefinitas versiones. Lingua Latina in liturgia ostendit populo unitatem ecclesiae, qui ex usu eiusdem linguae de genuina fide iudicat. Etiam conservativus ecclesiae character per usum Latinae linguae clarescit. Status publicus rerum maxime nostris temporibus exposcit, ne quidquam in liturgia mutetur. Ecclesia Romana non posset bene invigilare, ne liturgiae corrumperentur, si in variis linguis domesticis celebrarentur. Cum introductione linguae domesticae in liturgiam crescit facilitas schismatum et defectionis ab ecclesia Romana. Quare postulandum est, ut remaneat usus linguae Latinae in liturgia Romana.

II. Auctor incipit solvere notissimas difficultates contra usum linguae Latinae in liturgia afferri solitas:

1. Antonius Vogrinec scribit Latinam linguam esse retinendam tantum in missae sacrificio, in administratione vero omnium sacramentorum utendum esse lingua domestica. (Ant. Vogrinec, Nostra maxima culpa! Vindobonae 1904.) Parochus Vogrinec varia, quae auctor iam in expositione supra allata solverat, pro sua postulatione affert: sacerdotes hoc postulare, pietatem populi promoveri etc. Auctor ostendit librum eius a superioribus ecclesiasticis fuisse prohibitum; praeterea argumenta non posse satisfacere criticae sanae, aliqua esse tam simplicia et cum praxi quotidiana pugnantia, ut liber ille nullum habuerit practicum momentum.

2. Catholicismus, qui dicitur modernus, in regionibus Slavorum maxime in Bohemia ideas suas de linguae domesticae usu in liturgia explicat in commentariis »Nový Život« (Nova vita) et »Bílý Prapor« (Album vexillum). Ex variis contradictoriis effatis auctor colligere conatur aliquam synopsin, quae respicit imprimis missae sacrificium. »Linguae Latinae usum in liturgia non esse iuste introductum in nostris regionibus; non posse populum intelligere, quid in liturgia fiat; quare introducendam esse linguam domesticam . . . .« ita quondam in illis commentariis statutum est. Post aliquot annos consideratius iam scripserunt et desiderant solum linguam palaeoslavicam. Postulatum hoc his firmant argumentis: a) Intelligibilem linguam liturgicam postulat ius naturae, praecepta paedagogica et ipse Christus et apostoli, immo s. scriptura: »Psallite sapienter, id est, orate, ut intelligatis (!)« b) habemus ius historicum, quia in nostris regionibus inchoata est Velehradii liturgia Slavica a SS. Cyrillo et Methodio; c) nostris temporibus, quibus populus tantopere deficit a fide, quaerendae sunt novae viae ad corda hominum; talis autem nova via est lingua domestica populo intelligibilis in liturgia; d) lingua Slavica

pons est, qui coniungit orientales Slavos nobiscum; e) lingua Slavica propagaret intelligentiam omnium aliarum Slavicarum linguarum; f) per linguam domesticam nostra individualitas iterum latius et splendidius pateret. Quare firmiter optandum est, ut habeamus Slavicam linguam in liturgia. Pulsemus fortiter et aperietur nobis! —

Auctor paucis omnia modernistarum desideria his complectitur: »Initio modernistae nostri linguam tantum domesticam exoptabant in tota liturgia; at videntes, multas et permagnas difficultates, quas res ipsa secum fert, minime superari posse, postulant linguam palaeoslavicam pro missae sacrificio, domesticam vero pro administratione sacramentorum.«

3. Catholici modernistae Germanici, quamvis nostris modernistis assentiantur, tamen moderatiorem aliquem usum liturgicae linguae domesticae exoptant.

4. Gentes Romanae (Hispani, Galli, Itali) desiderio linguae domesticae in liturgiam introducendae non moventur.

Modernistae duo principia ecclesiae catholicae in re liturgica negligunt: Ubi recepti fuere libri liturgici Romani, ibi exclusa est lingua domestica a liturgia, et ubi admissae sunt aliquae interpolationes in lingua vulgari, ibi ulterius progredi omnino est vetitum.

III. Auctor ostendit aliquam viam intermediam, qua satisfieret utrique desiderio. Ostendit posse aliquatenus admitti linguae domesticae usum in liturgia latissimo sensu accepta. Quod his fere complectitur: a) Una est ecclesia, quare iure utitur una lingua eaque nunc Latina; b) hac tamen lingua non utitur ubique; exstant partes, ubi alia lingua sub cautelis praeceptis est admissa; c) etiam in regionibus, ubi linguae Latinae usus viget, non ad omnes omnino functiones liturgicas se extendit; sed multae ex parte peraguntur lingua domestica; d) consideratis circumstantiis temporis et maxime dispositionis actualis populorum dicendum est, homines nolle librum precum admittere, cum magna ex parte saltem nostris in regionibus populus illo non utatur eumque opprobrio sibi ducat.

Quare potius linguae Latinae usus in liturgia est exoptandus et populo bene explicandus. Ea, quae sacerdos secreto orat, omnia maneant Latina lingua pronuntianda, hoc est missae sacrificium, forma sacramentorum, benedictiones, exorcismi, breviarium etc. Quae vero populus cantat, vel quae sacerdos cum populo recitat, ea fiant lingua domestica.

Quod ad usum linguae palaeoslavicae spectat, hic, ut per se patet, multo plures difficultates habet, quam usus linguae Latinae iam introductus.

In fine auctor evolvit enucleatius ea, quae dixerat de usu linguae domesticae moderato in liturgia, et applicat hoc ad manuale rituum in Bohemorum finibus usitatum.

Seiungit porro quaestionem, num aliquando linguae Latinae usus futurus sit legitimus pro universa ecclesia, nec putat hoc umquam fore.

Fr. Šerčík, Cvičení snoubenců (De examine sponsorum). p. 280 ss., 400 ss., 626 ss., 700 ss.

Exponitur, quibus de rebus sponsi monendi et instruendi sint a parocho: de matrimonio et obligationibus, quae ex hoc contractu fluunt sive ad ipsam sublimis exemplaris, coniunctionis Christi cum ecclesiae, capitisque cum corpore, imitationem sive ad liberorum curam et educationem pertinent.

Kalksburgii, mense Ianuario 1907. *J. M. Černý.*

František Vacek: **Sociální dějiny české doby starší (Historia societatis, quae antiquitus in Bohemia erat.** Pragae 1906, 560 pp. 5 C. 90 h.

Novum genus historiographiae, quo seclusis rebus aliis sociales et iuridici dumtaxat nexus hominum ad nationem aliquam pertinentium

indagantur, primos iam ad gentem Bohemicam spectantes eiusque idiomate exaratos protulit fructus. In collectione librorum quae vocatur Bibliotheca institutoria catholica haec „Historia socialis Bohemica aetatis antiquioris" a Franc. Vacek conscripta edita est. Cum in libri inscriptione tempus rerum enarratarum accuratius non designetur, indicemus oportet Historiam a primordiis gentis usque ad saeculum XIII., quo institutiones Slavicae iuri et consuetudini extraneae cedere coeperunt, passim et ad medios saeculi XIV. annos protrahi. Corpus scripti materiam sat copiosam et variam complectens in septem articulos seu partes distinctum est.

In articulo, quo tractatus de coetibus personarum sanguine coniunctarum continetur, quaestio proponitur, quomodo associatae fuerint turmae Slavorum, cum in terram, quae ab ipsorum nomine Bohemia appellatur, partes eius occupando intrarent? Disquisitione facta perpensisque rationibus, quae explorationem rei aliquatenus iuvare poterant, notiones nationis, gentis et familiae statuuntur ab huius temporis sensu non mediocriter diversae. Iis, quae ibi dicta sunt de ambitu naturalium societatum, de familia quodam numero propinquorum aucta, de structura gentis, de natione existentiam minorum coetuum defendente, de proceribus communitatum, alia multa connexa reperimus, quibus iudicia auctoris innituntur. Ut nonnulla accuratius indicemus, in describenda qualitate societatis antiquae agitur de condicione peculii, substantiae privatae et collectivae, de generibus sedium primaevarum, villis et praediis, de oeconomia rei familiaris et publicae.

Quodsi prima Historiae parte necessitudines nexusque naturales examinari placuit, in secunda iam formationes sociales artificiosae discutiuntur. Quaestione de statu libertatis apud Slavos praemissa auctor ad denominationes personarum liberarum in Bohemia earumque iura atque officia transit; in quibus praecipua haec notantur: de facultatibus suis libere disponendi potestas ipsis erat, ad principem aditus eis patebat, principem novum eligendi ius eis competebat; debebant autem pro tuenda patria arma capere et cum hoste decertare. Evolutionem nobilitatis deinde persequens, ad differentiam inter nobiles genere seu ortu ingenuos et eos, qui publica munia obibant, aliosque, ad discrepantiam inter nobiles maiores et minores explicandam aggreditur. Postea opes hereditate vel meritis nobilibus obvenientes, auctoritas comitum in consilio ducis, partes eorum in administranda re publica, ministeria ab ingenuis acta, merita et demerita eorum diligenter tractantur.

Quibus expositis Historia tractatum adnectit de mancipiis et vernis hominibusque, qui vocabantur servi et tributarii (54—88). Societas Slavica in Bohemia, quae agri culturae studebat, eis carere haud poterat. Quo factum est, ut captivi in servitutem redacti et servi venalicii negotiis in villis potentium, oeconomia et opere rustico obstringerentur, donec saeculo XII. ineunte meliore, quam antea, condicione uti coeperunt. Numerus servorum augebatur et ab indigenis, qui propter delicta sua libertate privati ducisque vel nobilium potestati subacti aut viribus suis servire aut stipendia imposita pendere dominis debebant. Pro variis officiis diversas hominum classes invenies: vernaculos seu servos do-

mesticos, servos agrestes, banausos, opifices, colonos, hospites tributarios, rusticos, casarios.

Caput quartum, quod inscribitur De officialibus (magistratibus) et ministerialibus ducis, pro rei gravitate ceteris longius est (p. 90—270). Qua parte auctor in originem praefecturae, quae apud Slavos in usu erat, inquirit et munia tempore patriarchalis constitutionis exercita eorumque executores recenset. Cuius institutionis reliquias deinde in Bohemia observans, ad declarandam condicionem eorum se confert, qui in historiae fontibus vel seniorum vel populi primorum nomine designantur. Expositioni de praefectura sensu iam strictiore et proprio accepta seu de moderamine ducatus per officiales et magistratus praemittitur explicatio et conspectus provinciarum terrae. Cum populum per provinciam officiales ducis in castro regionis illius positi gubernarent: castellanus seu comes civitatis, camerarius, villicus, iudex et bedelli ipsis additi, omnes et singulae functiones eorum et iurisdictionis munera uberrime describuntur, quo condicio et auctoritas eorum, qui publica negotia gerebant, ostendantur. Distincto ordine iudicii terrae et curiae auctor utriusque generis iustitiarios ordine, qui eorum personae et dignitati consentaneus videtur, adducit eorumque condicionem considerat. Similiter inter ministeriales ducis non solum palatii proceres, nempe comitem palatinum, villicum, venatorem curiae, agaxonem (comitem stabuli), camerarium, dapiferum, pincernam, notarium curiae, sed etiam vicarios et apparitores, eorum officia et negotia, studiis suis complectitur.

Descriptione commercii et usus cum alienigenis, praecipue cum mercatoribus extraneis, caput quintum libri occupatur (p. 272—367). Bohemi cognitis nationibus humanitate politioribus semina et fructus cultus atque humanitatis prudenti animo exceperunt. Mercatus commoda experti non solum in suburbiis sed et aliis locis idoneis fora rerum venalium instituebant, quibus stabilitis nova industriae genera oriebantur. Auctor omnes effectus sociales, quos exinde evenisse constat, considerans statum hominum quocumque modo in negotiatione et mercatura occupatorum describit et ex ordine de custodibus in finibus extremis terrae constitutis, telonariis (portitoribus), eis, qui hospites deducebant praesidii causa, opificibus rerum venalium, mercatoribus, civibus agit. Multi advenae, hospitio recepti, in Bohemia consederunt: Iudaei (de quorum vita, moribus, rebus p. 315—9), Germani, Romani, Poloni aliique coloni et fundorum locatores. Cum in operis argumento describendo brevitati studeamus, alia ibi contenta (de mercatoribus Bohemis extra terram, de viis publicis etc.) praetermittimus.

Quod summa cura et diligentia auctor perscrutari decreverat, condicio est clericorum seu status socialis ecclesiasticorum virorum et iuridicus gradus, in quo versabantur ab ingressu suo in Bohemiam usque ad emancipationem sacerdotii a regum insolentia. (p. 369—537.)

Hic agitur de capellanis curiae (370—388); de clero parochiali seu de plebanis (389—395); de clerogamia et caelibatu (396—7. 405. 423—4); de capitulis (407—422); de theologicis studiis 408; de Benedictinis (425—441); de liturgia Slavica in Bohemia (430—4); de Praemonstratensibus (443—9); de aliis religiosis (450—7); de socia-

li momento monasteriorum, maxime de eorum familia (458—492): de decumis et de bonis ecclesiasticis (493—506); de violationibus iuris proprietatis ecclesiae (507—10); de privilegiis cleri etc.

Ultimo capite (538—551): tractatur res militaris: officium et institutum. Agitur deinde de iure feudali in Bohemiam introducto, primique eiusdem contractus saeculo XIII. emergentes notantur.

In materia tractanda modus,quem auctor servat, hic est, ut omissis analyticis circuitionibus solum acute conclusa et explorata proponantur. Ne autem occasio desit lectoribus investigandi rationes iudiciorum, in annotationibus loci e documentis excerpti, quibus iudicia auctoris innituntur, adducti sunt. Scriptorum prius iam editorum, quae ad partes eiusdem disciplinae spectant, nulla fit allegatio, quamvis dubium non sit, quin et novissima quaeque de sociologia scripta auctori sint nota. Historiam socialem hanc opus doctrina solidissima elaboratum, disciplinae ceteris recentioris insigne specimen, adiumentum eis, qui historiae Slavicae et iurisprudentiae operam dant, utilissimum gratissimumque esse censemus. *R.*

Josef Wilpert, **Malby v dřevní basilice svatého Klimenta**. Kroměříž 1906. in 8⁰, pag. 59, cum 5 tabulis phototypicis (Picturae antiquae basilicae sancti Clementis). Editio Bohemica[1]) aucta.

Opusculum Cel. Dno. Francisco Bauer, archiepiscopo Olomucensi dicatum, plura profert, quae cum sepulchrum b. Cyrilli Slavorum apostoli, tum picturas eidem finitimas spectant, valde diversa ab eis, quae hucusque ab archaeologiae christianae cultoribus Io. de Rossi duce cognoveramus.

Imprimis praemittendum esse censemus, basilicae antiquae b. Clementis — nunc subterraneae, saec. XII. superaedificatam esse hodiernam, in quam translatum fuit corpus b. Cyrilli cum loculo (sarcophago) marmoreo, quem in basilica nova ad dexteram in navi posuerunt; hinc quaestio nostris temporibus exorta est, ubinam primitus loculus in subterraneâ basilica cum reliquiis b. Cyrilli collocatus fuerit. Io. B. de Rossi verbis legendae Italicae innixus (in monumento ad id praeparato in basilica beati Clementis ad dexteram partem altaris ipsius) locum b. Cyrilli in sepulcro quodam partim marmoreo, partim ex lateribus aedificato in nave sinistra videbat, utpote proximum imaginibus, quae secundum ipsum ad laudatum Sanctum spectabant.

At cl. Wilpert sicut picturas, quas archaeologus Mullooly imagines ex vita b. Catharinae esse putabat, sic et alias, quas archaeologi ad b. Cyrillum referebant, diverso modo explicat.

1⁰ Picturam »b. Catharinae« vult esse imaginem iudicii universalis, ex tribus partibus constantem (Resurrectione mortuorum, Iudicio, Iudicii executione) cum symbolis iustitiae (statera, modio, arundine, urceo).

2⁰ Imaginem, quae hucusque ab archaeologis b. Cyrilli coram imperatore Michaele, ad Slavicas gentes ipsum mittente, esse credebatur, cl. Wilpert non obstantibus litteris ACIRIL Estheram coram Asuero rege typum vetero-testamentalem B. Virginis Mariae in parte altera depictae esse interpretatur, aeque atque alteram imaginem viri dormientis i. e. Iacobi sub scala, correspondentem esse vult picturae martyrii b. Petri, Apostoli.

3⁰ Imago Estherae finitima »viri baptizantis«, quem de Rossi Slavorum Apostolum Cyrillum, alii fratrem ipsius b. Methodium esse putabant, cl. Wilpert dicit baptizantem esse b. Clementem papam.

---

[1]) Italica inscribitur: Le pitture della basilica primitiva di san Clemente. Roma 1906.

4⁰ Picturae, de quibus hucusque sermo nobis erat, ad saec. IX. spectant; extat alia quoque imago in basilica b. Clementis saeculi XI., quam de Rossi translationem b. Cyrilli esse affirmabat. Auctor vero noster, ex pallio in mortuo b. Clementem papam potius videt et non episcopum Cyrillum, imaginemque nostram, ad quam alludunt verba Anastasii bibliothecarii ep. II. ad Carolum Crassum Imp. »Denique vir magnus et apostolicae vitae praeceptor Constantinus philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriae Hadriano iuniori papa veniens sancti Clementis corpus sedi suae restituit«, Mariam Macellariam pro timore Dei et remedio animae suae hic pro gratia recepta faciendam curavisse asserit.

5⁰ Remanet, ut de pictura in narthece referamus, quam archaeologi communiter bb. Fratrum Cyrilli et Methodii imaginem esse putabant ex saeculo X. vel XI. Coram Iesu Christo bb. Fratres stant genuflexi alter cum calice beato Clemente papa et b. Gabriele archangelo protegentibus, alter cum libro (Cyrillus) b. Michaele archangelo et b. Andrea apostolo comitibus. Imagines beatorum Clementis et Andreae nec non sancti Archangeli nominibus insignitae sunt; reliquae minime. Picturam, quam nonnulli votivam esse volebant, iam a. 1864 Rossi sepulchralem esse suspicabatur, in qua duo genuflexi misericordiae divinae sub patrocinio laudatorum Sanctorum sese commendant. Cl. Wilpert ulterius progressus est. Sagaci ipsius animo paucae, quae remanserunt litterae . VS . VS | . . . EX (iustus iudex) sufficientes testes esse videntur picturam insignitam fuisse notis ex Apostolo verbis: »Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi in illa die Dominus iustus iudex«, cuius textus partem primam credit contentam fuisse tympano (scuto) super duas columnas laterales posito. In altero vero versu paucis iterum litteris, quae remanserunt ducibus (. . . CES NRAS = preces nostras) alteram incipere opinatur sententiam versibus his reconstructam: D(OMINU)S HOMINU(M) REPARATOR BENIGNUS AC RECTOR PRECES N(OST)RAS EXAUDI UT CYRILLUS IN TUO NOMINE S(AN)C(T)ORU(M) TUORU(M) SOCIETATE LAETETUR PER IESU(M) CH(RISTU)M D(O)M(I)N(UM) N(OST)R(UM) QUI VENTUR(US) E(ST) ITER(UM). LECTOR DIC: D(OMINU)S DA CYRILLO PECCATORI REQUIE(M) AETERN(AM) A(MEN).

Cl. Wilpert in pictura imaginem videt iudicii particularis animae unius defuncti (ex contextu) et quidem illius, qui a dextra iudicis stat. Defunctus depictus est stans(!). Tonsura, stola, planeta sacerdotem vel etiam episcopum demonstrant; barba monachum. Omnia indicant ipsum esse Cyrillum. Origine Graecus sese patroni Graecorum b. Andreae, nec non b. Clementis precibus commendat, cuius Reliquias Romam attulerat. Ex altera parte stat b Methodius, paulo ante ordinatus sacerdos, secundum consuetudinem Romanam cum calice absque barba cum tonsura. Maximi momenti sunt, quae auctor ex laudata pictura concludit, scilicet imaginem loculum b. Cyrilli quondam ornasse, aliis verbis hic b. Slavorum Apostolum in locello marmoreo quondam conditum fuisse, antequam saeculo XII. ossa et cineres ipsius in basilicam novam veteri superstructam transferrentur, et in ipsa in eodem loco, nempe in navi ad dexteram, collocarentur.

Vocabulum PECATORI, quod ex altera parte inscriptionis praeter paucas litteras integrum conservatum est, movet auctorem, ut textum elogii ipsi b. Cyrillo adscribat, etiamsi nil repugnaret, si eodem vocabulo b. Methodius, vel aliquis alius, qui carmen in sepulcro incisum apponendum curavit, eodem usus esset; est enim formula haec deprecatoria in elogiis sepulcralibus consueta.

Ex dictis patet, argumentum operis cl. Wilpert summi quidem esse momenti imprimis ex eo, quod securiore pede quam hucus-

que ducit nos ad sepulcrum b. Cyrilli; ex altera tamen parte plures Slavistas, qui carmen in Slavorum Apostoli sepulcro incisum, Slavico quoque idiomate contextum expectabant, fefellit. Ceterum bene stat elogium Latinum Romae in Romae fidelis discipuli sepulcro, in testimonium contra eos, qui novissimo tempore aversionis notam odiique in Romam ipsi inurere nituntur.

Praestantiam singularum sententiarum iudicare iis, qui archaeologiam profitentur, relinquimus; libri Italice scripti interpres Bohemicus, qui librum nonnihil auxit perfecitque, quamvis claro scribendi modo utatur, nonnunquam plus aequo lectionem primam Italicam imitatur, quod vero ut infuscet meritum ipsius minime volumus.

V.

BULGARICA.

Biblioteka. Priloženie na (Supplementum ad) „Cъrkoven Věstnik", fasc. XVI—XVIII. — Sophia 1906. Pg. 176; lev (franc) 1.

Supplementum periodici „C. V." (1906) quattuor dissertationes exhibet.

1. *G.*, Doctrina christiana de matrimonio (4—17). Auctor anonymus G. iam multos articulos de quaestionibus religiosis et theologicis, quae nostris temporibusa gitantur, in „C. Věstnik" publicavit: in omnibus hisce articulis finem practicum imprimis persequitur. Praesens articulus, sicut et ceteri eiusdem auctoris articuli, magis perspicuitate et claritate quam sublimitate scientifica excellit. — Religio christiana doctrina sua de matrimonio omnes religiones reliquas longe superat. Principalis matrimonii christiani proprietas est indissolubilitas. Indissolubilitas matrimonii pro societate humana maximi momenti est: per indissolubilitatem matrimonium fit fundamentum et fons influxus moralis in totam societatem. Destructa indissolubilitate matrimonii late aperiuntur portae vitiis et libidini. Proinde perniciosissimae sunt doctrinae modernorum, qui matrimonium christianum oppugnant et ad simplicem contractum civilem deprimere intendunt.

2. *M. Radev,* Kletvata v položitelnoto pravo ot istoričesko religiozna gledna točka (De iuramento in iure positivo, p. 18—81). In Bulgaria nonnulli contendunt, iuramentum e iure Bulgarico esse eliminandum, cum libertati conscientiae adversetur et rei iudiciariae noceat. Contra hos iuramenti adversarios auctor iuramenti utilitatem, immo necessitatem defendit. — Iuramentum apud omnes populos omnibus temporibus invenitur: ipsa historia testante iuramentum in conscientia et in sensu religioso hominis fundatur (21). Iuramentum est actus religiosus, quo homo fidem suam in Deum omnipotentem, summum verum et bonum profitetur (22—25). Iuramento veracitas humana cum veracitate Dei coniungitur; propterea iuramentum efficacissimum medium est, quo homo ad veritatem fatendam perducitur. (26). Apud omnes populos iuramento magna auctoritas in legislatione civili conceditur (28—30). Iuramentum igitur est actus et religiosus et civilis (30). Id ex religione et legibus singulorum populorum, Indorum et Aegyptiorum (31), Israelitarum (32—35), Graecorum, Romanorum (37—41) specialiter probatur. Abraham iuravit regi Sodomorum „levans

manum suam ad Dominum Deum excelsum" (Gen. 14, 22), quae manus vel digitorum elevatio adhuc ad iuramenti sollemnis ritum pertinet. Apud populos christianos, praesertim media aetate iuramentum grave momentum sociale-politicum habebat (46). Ecclesia ipsa iuramentum approbavit, at eiusdem abusum acriter impugnabat (46—47). —

Primus iuramenti adversarius Plato fuit, qui propter frequentem iuramenti abusum eius utilitatem negabat. Inter iuris peritos, qui iuramentum impugnabant, Bentham (1748—1832) et Ferrière (1639—1715) memorantur (48—50); Montesquieu („L'Esprit de lois") contra iuramenti institutum defendebat. Principales adversariorum obiectiones sunt 1. iuramentum libertati humanae (praesertim ei quae vocari solet libertas conscientiae) adversari, 2. iuramentum esse contrarium s. Scripturae, 3. iuramentum theoriae et principiis doctrinae iuridicae adversari. Ad primam et secundam tantum obiectiones auctor respondet. Cum homo ens sociale sit, impossibilis est illimitata individui libertas (51—54); societas igitur hominis ipsa libertatem limitat, non iuramentum. Iuramentum promissorium iam natura sua liberum est (54—55). Iuramentum in genere libertati conscientiae non adversatur, sed potius specialem ei coram iudice humano auctoritatem tribuit (63). Loci Mt. 5, 33 ss.; Iac. 5, 12), qui ex N. T. contra iuramenti liceitatem afferuntur, non iuramenti usum, sed eiusdem abusum prohibent (63—66), quae explicatio ex ceteris s. Scripturae locis et ex traditione christiana confirmatur (66—69). Nec ex frequentia periuriorum argumentum contra iuramentum desumi potest, sicut et leges necessariae sunt, etsi saepius transgressionibus violentur (71). Omnes adversariorum contra iuramentum obiectiones non e sincera de iuramenti noxia vi persuasione, sed e sensu religioni inimico oriuntur (75). Iuramentum, — ut perbelle auctor concludit — libertatem conscientiae tribuit eamque supra leges humanas elevat, quia hominem ad Deum eius creatorem, fontem omnis veritatis et veracitatis dirigit (81).

In commentatione inconstantia et expressiones minus rectae quaedam reperiuntur. Ideam Dei innatam esse auctor dicit (23); paganismus (jazičestvo) omnium cultuum religiosorum fons (praotec) nominatur (30); p. 77. auctor evolutionismum religiosum docere videtur. Senecam philosophum *R.* ex fontibus Gallicis tantum cognovit (Sénèque, p. 76). Citationes generatim non accuratae, immo nonnumquam falsae sunt. His non obstantibus commentatio magnam laudem attentionemque meretur.

3. Hristianstvoto i budizma (De buddhismi ad religionem christianam relatione) p. 82—128. Versio e lingua Germanica, non indicato fonte.

4. *N. Načov,* Našitě hadžii i Boži grob (Peregrinatores Bulgarici ad sepulcrum Domini) p. 129—176. E media aetate, qua certe multi Bulgari ad sepulcrum Domini peregrinabantur, nulla scripta hac de re ad nos pervenerunt. Denominationes multarum familiarum et nonnullorum pagorum, quae ex voce „hadži" compositae sunt, ostendunt, peregrinationes in Terram Sanctam olim frequentes fuisse; vox „hadži" (originis Arabicae) enim in lingua Bulgarica peregrinatorem

ad sepulcrum Domini significat. E saec. XIX. demum supersunt scripta de peregrinatoribus in Terram Sanctam. Tempore regenerationis Bulgaricae tales peregrinationes frequentes fuerunt, ultimis vero saec. XIX. decenniis fere omnino desierunt. *F. G.*

CROATICA.

„**Vrhbosna**" 1906. nr. 1—24. (Prodit bis per mensem in Sarajevo, red. dr. J. Šarić).

I. P. Bok S. I., Prakršćanska »Didake« i evolucionisti o prakršćanstvu (Quid »Doctrina XII. apostolorum« et evolutionistae de doctrina christiana antiquissima doceant), nr. 1—7, 15, 17—19. —

Auctor fidem defendere propositum habuit ab historicis protestanticis (inter quos A. Harnack eminet), qui ex »Doctrina XII app.« praesertim argumenta promere conantur ad evincendum, dogmata christiana demum progressu saeculorum ad formam, quam hoc tempore habent, pervenisse. Documentum hoc antiquitatis christianae non solum nihil continere, quod hypothesi adversariorum faveat, sed praeclara dogmatum christianorum testimonia exhibere, probatur. Versio Croatica, adnotationibus criticis adornata praemittitur (p. 2—5). »Doctrinam« a christiano quodam versus finem saec. I. conscriptam esse, textum traditum integrum esse, auctor cum Funk, Bardenhewer aliisque tenet (17—20). Inter Croatas dr. Gržetić in opere »O vjeri starih Slovjena« (De religione Slavorum antiquorum. — Mostar 1900) evolutionismum religiosum docet, revelationem primaevam mythis paganorum aequiparans (p. 34—37; 54—59), ex quibus paulatim dogmata christiana evoluta sint. Alius Croata Dr. M. Šrepel in opere »Rimska književnost« (De litteratura Romana. — Zagreb 1898) scripsit, »religionem christianam non esse nisi partem regenerationis religiosae,« quae Augusto regnante facta est (110). — »Doctrina XII. app.«, quae doctrinam Christi sequitur, evolutionismo religioso omni ex parte adversatur. Doctrina moralis huius documenti antiqui a doctrina Christi vel a doctrina christiana, quae hoc tempore praedicatur, minime differt; doctrinam moralem auctor »Doctrinae« »iugum Domini« appellat (239). Praeclara christianorum dogmatum testimonia in »Doctrina« inveniuntur (240—42). Divinam Trinitatem »Doctrina« profitetur bis formulam baptismi »in nomine Patris et Filii et Spiritus S.« (7, 1. 3) allegando. Patrem creatorem omnium et largitorem vitae aeternae dicit (10, 3—5). Iesu Christi quoque divinitas ex »Doctrina« probari potest; Iesus puer (Filius) Patris (10, 2), »Deus David« (10, 6) nominatur, »baptizari in nomine Domini (Iesu)« (9, 5) divinitatem Christi supponit. Verba »Omne peccatum remittetur, hoc autem peccatum (contra Spiritum) non remittetur« (11, 7) divinitatem Spiritus Sti. continent. Orationes eucharisticae ecclesiam unam, sanctam, catholicam, apostolicam, visibilem testantur (9, 4—5; 10, 5—7). Multi A. T. et N. T. loci ut verba »Domini« allegantur, quo inspiratio S. Scripturae docetur. S. eucharistiam (missam) verum esse sacrificium clare pronuntiatur (14, 1—3). — Harnack ex »Doctrinae« c. 11—13 probare conatur, formam regiminis ecclesiae antiquissimae democraticam fuisse, episcopos non a Christo aut apostolis institutos fuisse, sed sensim (saec. III.) potestate, quam nunc tenent, potitos esse, cum charismata »apostolorum« et »prophetarum« cessassent. Auctor hanc Harnackii argumentationem ex ipsa »Doctrina« collata cum N. T. evertit quidem (285—90), non satis tamen explicat, quid »prophetae« et »apostoli« ecclesiae antiquissimae fuerint; certe concedendum est, postquam charismata in ecclesia cessassent episcoporum munera et officia aucta esse. — Finis totius argumentationis est: ecclesiam in »Doctrina« non esse aliam atque ecclesiam a Christo per apostolos fundatam et adhuc in ecclesia catholica permanentem. — *F. G.*

PALAEOSLAVICA.

Martyrii s. Georgii et Periodorum s. Ioannis Apostoli et Evangelistae fragmenta glagolitica.*

Pluries iam demonstratum est, in libros liturgicos, familiae croatico-glagoliticae ritus Occidentalis, textus biblicos, qui prototypum graecum imitantur, receptos fuisse.** Quae affinitas librorum liturgicorum utriusque ecclesiae ad textus ex s. Scriptura desumptos minime restringitur; immo sunt et nonnulli textus rituales, utrique ecclesiae communes, qui communionem quandam inter glagolitas utriusque ritus viguisse ostendunt.*** Accedunt textus quoque legendarii, qui cum in libros glagoliticos ritus Occidentalis ex fontibus graecis emanassent, proculdubio eidem facto non minus suffragantur. Exemplum textuum huiusmodi proferre, necessariaque interpretatione collustrare huius disertationis res erit.

In theca, qua involutum est breviarium glagoliticum IV. Verbenicense (Vrbnik, castelum in orientali plaga insulae Veglae situm) † in pectore aeque ac in posteriori libri parte duo folia anno elapso invenimus, quae pergamenae qualitate nec non characterum forma a reliquis laudati breviarii foliis valde differunt, suntque libro ipso, quod ad aetatem attinet, superiora. Folium in pectore libri (A), ex una parte thecae adhaerens, praeter extremos 4 capitis praecedentis versiculos, initium Martyrii scti Georgii — **Моучение стго ђрђнѣ** — continet; alterum (B) in posteriori libri parte inventum, utrimque liberum, fragmentum legendae, quae Periodi scti

---

* Cfr. A. Veselovskij, Разысканія въ области духовныхъ стиховъ II. Св. Георгій въ легендѣ пѣснѣ и обрядѣ. С.-Пб. 1880, pag. 163 et seq. — N. Tihonravovъ, Памятники отреченной русской литературы. Томъ II. Москва 1863, pag. 100—111. — A. Patera, Nově nalezené zbytky staročeského evangelistáře, Anselma a umučení sv. Jiří ze XIV. stol. Časopis Musea království Českého 1900, str. 511—512. — Acta Sanctorum Aprilis; Tom. III., fol. 101—165 et App. VII.—XXIX. — et Analecta Bolandiana, Tom. I., pag. 615—617. — Arhimandr. Amfilohij, Хожденіе по Вознесеніи господа нашего Іисуса Христа св. Апостола и Евангелиста Іоанна ученіе и преставленіе списано Прохоромъ ученикомъ его. Москва 1878. — V. Vondrák, Studie z oboru církevněslovanského písemnictví. V Praze 1903.

** A. V. Mihajlovъ, Къ вопросу о литературномъ наслѣдіи свв. Кирилла и Меѳодія въ глаголическихъ хорватскихъ миссалахъ и бревіаріяхъ. Варшава 1904 et alibi.

*** Cfr. Missale glagoliticum Hervoiae ducis Spalat. Recenserunt V. Jagić, L. Thalloczy, F. Wickhoff. Vindobonae 1891.

† Codex hic membraneus saec. XIV. in Folio maiori, theca lignea corio obducta donatus, 112 foliis constat. Continet partem Breviarii et quidem: Proprium Sanctorum a die 30. Junii — 25. Novembris (fol. 1—99) et Commune Sanctorum incipiens ab Officio Ss. Trinitatis — Commune Martyrum (fol. 100—112).

J o a n n i s A p o s t o l i e t E v a n g e l i s t a e dicitur — *Περίοδοι Ἰωάννου* — exponit. Praeterea ad thecam in hac posteriori libri parte adhaerescens erat aliud parvum fragmentum (C) folii, quod pergamenae qualitate et characterum forma testibus, eiusdem ac duo praecedentia fragmenta codicis pars est, quantumque ex contextu paucorum versuum, qui remanserunt, coniicere licet, Sermonem seu homiliam quandam continebat.

Fragmenta nostra in folio maiori (nunc 34 × 25·5 *cm*) textum in binis columnis, quarum unaquaeque 31 versum numerat, dispositum habebant, quae vero forma in singulis fragmentis mox ab una, mox ab altera parte vario modo immutata est. Pars fragmenti *A* una cum textu margini sinistro adiacente inde a versu 16. deorsum delacerata est; similiter summa pars fragm. *B* ita, ut primi versus columnae I. et IV. eiusdem fragm. prorsus evanuerint, reliqui vero (a 2.—6.) plus minusve mutilati sint. Ex fragmento *C* denique superior tantum folii pars remansit et quidem columnae I. et IV. tredecim, II. et III. septem praeter aliquot paucos versus mutilos.

II. A e t a t e m f r a g m e n t o r u m n o s t r o r u m q u a e r e n t i signa sese imprimis p a l a e o g r a p h i c a offerunt, ex quibus fragmenta nostra saltem saeculo XIII. exeunti adiudicanda esse, fidenter coniicere liceat. Praeterquam quod characteres Ⰲ (v), Ⰴ (d), Ⰸ (z), Ⱀ (n) praesertim typum antiquiorem servaverunt, character glagoliticus Ⱏ cyrilliano ъ respondens, quo monumenta familiae nostrae saeculi XIV. iam carere solent, in singulis fragmentis saepius invenitur. Character hic 15 vicibus venit et quidem: in fragm. A col. I. vers. 4 **амнъ**, v. 13 **санъ**, II. 12, **хвъ**; B I. v. 7 **ивнъ** v. 10 **днъ** v. 13 **видѣвъ**, v. 23 **азъ**; II. v. 3 **нъ**; III. v. 20 **лицемъ**, IV. v. 22 **испитавъ**, v. 29 **моемъ**; C I. v. 3 **оукрашъ**, v. 6 **источникъ**; III. v. 5 **бгмъ**; IV. v. 4 **снѣдъ**. Alterum signum laudatae aetatis est character specialis *τοῦ* **ı**, quod auctore cl. Jagić in textibus transcribendis per Ⰹ redditur; aetate enim posteriori in textibus croaticae recensionis character hic nonnisi in valore numeralis = 10 venire solet. In fragmentis nostris scriptor charactere huius formae in valore vocalis **ı** non minus quam 13 vicibus usus est. Cfr. Fragm. A II. vers. 7, v. 21, v. 25; fragm. B I. v. 13, v. 25; II. v. 1, v. 5, v. 24; III. v. 5, 9, 11, 17; IV. v. 8.

Sunt et alia ex f o r m i s g r a m m a t i c a l i b u s praesertim, quae fragmenta nostra epochae antiquiori adscribenda esse declarant. Sic imprimis forma nom. sing. subst. **п л а м и** (**да боудоут ѣко и плами огьнни** fragm. A II. vers. 16), quae forma in solo codice Supraslicnsi invenitur, in aliis vero monumentis pro eadem iam forma acc. **пламень** substitui solet. Non minus attentione digna est 3. pers. plur. aoristi, qui dicitur s i g m a t i c u s: **в ѣ с е** (**и вѣсе и в' тьмницоу** fragm. A II. v. 18), et **Б з н ѣ с е** (**Бзнѣсе бо имена своѣ** C III. v. 2); item 1. pers. sing. a o r i s t i a s i g m a t i c i **придъ** (**и ѣко си слишавь придъ сѣмо** fragm. B I. v. 30). Singillatim quoque

annotamus hic formas aor. 3. dual. влѣста B III. 22, et imperf. бесѣдовашета B IV. v. 26; nec non formam participii praet. оукрашъ C I. 3.

Archaismi sunt etiam nom. dualis adjectivi добрѣ (дроуга добрѣ), qui in fragm. B II. tribus vicibus occurit, et quidem: v. 4, v. 12, v. 20; д(оу)ховнѣ (пѣниѣ доуховнѣ) C I. v. 9—10; nec non formae adjectivi in declinatione nominali: fragm. A II. vers. 8 instrum. plur. соухы (батоги соухи); fragm. B I. v. 16 влъшьскомъ (вльш'ском' злоухитриемь) item v. 10 in col. II.; item dat. plur. маломощемь A I. 17. Praetereundae non videntur esse forma acc. sing. обличитель B III. 16 (обличитель ваю видѣти), saepius occurrentes formae acc. sing. и (A II. 18 A et al.) nec non acc. plur. ни (в'здвиже на ни бѣсь fragm. B II. v. 30). Nominatim quoque annotamus fragmentum B fere totum, in quo sermo de duabus personis est, in numero d u a l i esse contextum.

Sunt denique nonnulla ex s y n t a x i, in quibus fragmenta nostra textus antiquiores imitantur, simulque originem suam produnt, et quidem primo: u s u s m o d i i n f i n i t i v i more dictionis graecae (*ὥστε* cum inf.). Sic in fragm. A II. v. 5—6: и тако бише его . ѣко видѣти плоуще его; item v. 26—27 (ibidem): и тако бише и . ѣко моз'гоу текоущоу из глави его; item: ѣко побити ни хотеща (*ὥστε ἀποκτεῖναι ἡμᾶς*) B III. 24; huc fortasse computari potest etiam и в четвр'ти днъ бист' има изити fragm. B I. v. 11 (cfr. *ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχὸν* Luc XVI. 22). Item praeterire nolumus dictiones verbi приложити сѧ cum loc. (приложи се скотѣх(ь) несмисл'(них(ь) frag. C III. 6), et dat. pronom. си pro adj. posses. (подвигни на молбоу срце си) ibid. I. 5.

Quae si omnia simul perpendantur, ratioque habeatur d i c t i o n i s et v o c a b u l o r u m, quae in fragmentis nostris occurrunt, nos ad coniciendum ducunt, fragmentis nostris cum codice S u p r a s l i e n s i mrram affinitatem intercedere, licet superius laudatae formae aoristi, qui dicitur sigmaticus, prototypum textum dialecti m a c e d o-b u l g a-i i c a e indicare videantur.

Et sane; iam primae voces in fragm. A I. v. 1—5: (в)ладицѣ нашемоу исхоу . емоуже слава и дрьжава и чьст' вь все вѣки амнъ formula est in Martyriis vel Sermonibus codicis Suprasliensis consueta, in quam plura capita desinunt; sic ex. gr. M a r t y r i u m s s. XL. M a r t y r u m S e b a s t a e desinit in verba haec: господоу нашемоу и богоу и спасоу и владицѣ Ісоусоу Христосоу, ѥмоуже ѥсть слава и дръжава и честь нынѣ и присно и вь вѣкы вѣкомь аминъ (Cfr. M o n u m e n t a l i n g u a e p a l a e o s l o v e n i c a e e c o d i c e S u p r a s l i e n s i ed. F. M i k l o s i c h. V i n d o b o n a e 1851, pag. 61). Item in eodem codice: S e r m o s c t i B a s i l i i a r c h i e p i s c. C a e s a r e a e i n s c t o s. XL. M a r t y r e s, absolvitur verbis: О Христосѣ Ісоусѣ,

господи нашемъ, юмоуже слава и дръжава вь вѣкы вѣкомь амин (!) l. c. pag. 72.

Et ita porro: Martyrium scti Pionii presb. l. c. pag. 108; Martyrium scti Terentii et sociorum pag. 138; item in fine Vitae scti Isaac pag. 153; Martyrium scti Trophimi et Eucarpioni pag. 156; Martyrium scti Dometii et discipulorum eius pag. 161; in Sermone scti Joannis Chrysost. pag. 177; item in altero pag. 184. Breviter formulla haec in laudato codice saepissime legitur, ita ut prorsus eisdem vel simillimis verbis fere singula capita absolvantur.

Similiter verba quae in fragmento nostro (A) immediate subsequuntur, quibusque textus Martyrii incipit, in codice Suprasliensi usitata sunt; et quidem cum titulus: „**Моучение стго ѣрѣрѣ**" tum verba introductoria **Вн врме егда** . . . Quod ad titulum attinet, ad superius prolata addidisse sufficiat, in 13 titulis quibus Martyria Sanctorum inscribuntur, bis tantum scriptorem codicis Supraslien. usum fuisse vocabulo **страсть**, nempe: pag. 161 **Страст с. чистителѣ и мѫченика Артемиа**, et pag. 414 **Житие и страсть с. отьць и епископъ бывъшихъ Василѣа** etc.

Bis quoque utitur vocabulo **мѫка** et hoc fol. 73: **мѫка св. Кодрата и иже сь нимъ** item in fol. 132: **мѫка св. Терентиꙗ, Африкана и Помпиꙗ**; in reliquis vero 9 titulis vocabulo **Мѫчение** congruenter cum fragmento nostro posuit. Exempla verborum **Вн врме = Въ оно врѣмѧ** in laudato codice Supraslien. statim ab initio habes fol. 11 in Passione scti Basilisci, quae incipit: „**Въ то врѣма цѣсарьствовавъшоу** . . .; item in Miraculis scti Cononis Isaurici fol. 17: **Вь** (!) **врѣменехъ сватыихъ апостолъ югда...**

Quod autem affinitatem fragmentorum nostrorum cum laudato codice Supraslien. magis prodere videtur, phrases sunt quaedam seu modi dicendi, quibus auctor unam eandemque rem iisdem prorsus vel simillimis verbis exprimit. Uta puta:

Fragmentum A I. vers. 14 et sqq. **ѣко хоу роугают се а бѣси чтоут'**; Suprasl. **иже коумира чьтѫть акы богы и бѣсомъ жрѫтъ** fol. 21 v. 10—11;

Fragm. A I. 22. **приемлют' моуки**; Suprasl. **пришьдъ мѫчение приимеши** fol. 12 v. 6.

Ibidem vers. 30 et sqq. **нѣсоут' . . . коумири глоухие и нѣмие**; Suprasl. **глоуха коумирѣ** fol. 16 v. 12;

Ibid. col. II. v. 1 **прѣдают' в прѣисподнее моуки**; Suprasl. **прѣдати са мѫкамъ** fol. 51 v. 6.

Accedit circumstantia illa, quod codex noster, de cuius fragmentis sermo est, praeter Martyria, Sermones quoque seu homilias continebat, sicque novum signum datur affinitatis Lectionarii nostri cum Menaeis Supraslieusibus, quae simili modo comparatae sunt.

Quae licet omnia et singula seorsim sumpta vim demonstrandi minime haberent, tamen coniunctim saltem probabilitatem non levem

parere apta sunt eo vel magis, cum in textu codici Suprasliensi congruenti inveniantur in iis, quae ipsi sunt propria (uti est laudata forma пламы). Idem ex elencho quoque vocabulorum in fragmentis nostris occurrentium patebit. Qua in comparatione inter cod. Supraslien. et fragmenta nostra instituenda paulo amplius commorati sumus, cum primae partis fragmentorum (Martyrii scti Georgii) prototypon graecum invenire nullibi nobis contigerit;*) demonstrata autem affinitate lauda-

* Cfr. Quae ad rem afferi possunt Bolandistae (Acta Sanctorum Aprilis, Tom. III., fol. 101—165 et append. VII.—XXIX.) ad quatuor capita redegerunt. Universim acta graeca meliora esse latinis, quae apocrypha sunt, affirmant. In specie duce s. Andraea Cretensi scriptore saec. VII. vel VIII. loquntur de historia quadam S. Georgii passim nota in ecclesiis Graecorum, quae materiam praebuit odis, contaciis, elogiis concinandis, qualia nunc in Menaeis et Synaxariis aliisque ritualibus Graecorum libris aut typis excusa aut manu exarata leguntur etiam in Menologio Basilii imperatoris. Addunt, historiam illam censeri posse compositam quinto sextove saec. idque vel ex succinctiori commentario per quemdam scti Martyris famulum conscripto (l. c. p. 103).

Ab adducendis reliquis capitibus, utpote quae nil luminis ad quaestionem nostram afferant, supersedemus, potius ea, quae in Analectis Bolandianis (tom. I. in appendice p. 615—617) invenimus, proferemus, cum inter legendam nostram et ea, quae in Cod. Namurcensi 2 leguntur non exigua affinitas inveniatur.

Ex Codice Namurc. n. 2.

(Codex signatus no. 2 in Bibl. civit. Namurc. nil aliud est quam Lectionarium seculi XIV. ad usum chori in monasterio S. Huberti.)

De s. Georgio.

Erat igitur quidam rex paganorum, nomine Datianus, qui . . .

Sedens pro tribunali astante universo populo, qui ex diversis civitatibus veniebat . . . praecepit ministris, quibus hoc officium commissum fuerat, afferre diversa genera tormentorum, quibus afficerentur atque damnarentur omnes qui in Christum se credere faterentur . . .

Talibus igitur minis cuncti timore perterriti, derelinquentes Christum, immolabant idolis; et magis magisque diabolus suis argumentis insistebat, quemadmodum innocua pectora suis laqueis irretiret.

Tunc in medio eorum apparuit sanctus et verus Dei cultor Georgius, Cappadociae regionis genere ortus, civitatis quoque suae comitatum gerens super numerum militum multorum; qui a suis, videlicet primis civitatum suarum, summam pecuniam acceperat, quo posset a Datiano imperatore praemio et munere oblatam dignitatis infulam et consulatus adipisci gradum, eo quod suae patriae mitis, veridicus docibilisque rector haberetur. Qui aspiciens ex omnium provinciarum populis coram impio Datiano innumeram multitudinem astare, Dominum blasphemantem et daemones adorantem, ambiens majorem et honestiorem dignitatem, quae non pecunia sed sanguinis effusione comparatur, omnem pecuniam, quam secum attulerat, egenis distribuit; et exuens se chlamyde terrenae dignitatis balteo se Salutis circumcinxit et lorica fidei induit; crucis etiam vexillo protexit; jubareque Sancti Spiritus illustratus et spiritualis fluenti calice mundatus, sic erupit sub conspectu Datiani imperatoris, dicens . . .

Kirpičnikovъ Scti Georgii Vitas in 3 classes distribuit: A) canonicas, B) apocryphas, C) apocrypha slavica separatim; secundum laudatum auctorem textus noster, utpote qui sctum Georgium

torum monumentorum concludere licebit, textum Martyrii scti Georgii prout in fragmento nostro invenitur reliquis textibus eiusdem materiae in monumentis superius allatis aetate autecellere.

Facilius studium erit, quod ad fragmentum alterum (B) attinet; est enim pars slavici textus Periodum Joannis Ap. Comparatione textus glagolitici fragmenti B cum textu slavico a cl. Archimandr. Amfilochio publici iuris facto, iterum textum glagoliticum inter reliquos slavicos obtinere, patebit. Iuvat hic annotare, quae cl. auctor in Prologo ad laudatum opus dicit*), nempe sibi videri: „versionem slavicam **Περιοδων** ex saec. XI. ortam esse, partemque fuisse probabiliter Menaeorum Suprasliensis monasterii"; quae verba monnihil valoris addunt eis, quae supra de aetate et origine fragmentorum nostrorum asserere non dubitavimus, eo vel magis, cum ad idem concludendum observatione diversimode instituta devenimus.

Quod ad fragmenti **C** textum dicendum, et ipsum attentione dignum esse; est enim pars cuiusdam Sermonis seu homiliae; quae licet cuius auctoris sit lateat, tamen ex signis internis cui adscribenda sit, conicere non excludit. Cum enim inter homilias Patrum Orientis Athanasii, Basilii, Chrysostomi, Epifanii, Ephrem, Syri nil similis argumenti invenire potuimus, plura afferemus, quae vel in paucis versibus fragmenti nostri dicendi modum Clementis, episcopi Velicensis, prodere videntur.

Et quidem: col. I. v. 1—2: **дати се просвѣтит' дша** analogum est dicto: ... **вьсѣмъ срдца просвѣти** ... Vondrák l. c. pag. 109;

Porro: **благовѣрствием же се оукрашъ** ibid. v. 2—4; quod respondet dictis laudati auctoris in hom. in Resurectionem Dni: **братолюбиемь оукрашьше сѧ** (Vondrák pag. 21).

Item: **подвигни на молбоу срце си** ibid. v. 4—5, et paulo inferius (vers. 8—10) **подвигни се к црквѣ на пѣниѣ дхвнаѣ**; praeterquam quod vocabulum **мольба** apud ipsum invenitur (cfr. Panegyricum in Iliam Proph. in Извѣстія отдѣленія русскаго языка и словесности императ. акад. наукъ 1901 VI. 3 pag. 249) allatas phrases apud episcopum Velicensem usitatas esse demonstrat prof. Vondrák l. c. pag. 41, ex. gr.: **подвигнѣмъ сѧ въ дхвныи подвигъ** et alibi.

Praeterire nolo dicendi modum: **аще же хощеши памет' створити мр'твимь** col. I. v. 10—11; in mentem enim revocat verba legendae „Pannonicae" scti Methodii XV. **сътвори памѧть стго димитриꙗ**.

„mercatorem" dicit, apocryphis B) classis accensendus esset. Cfr. Veselovskij l. c. pag. 21—23.

* L. c. fol. V.

MARTYRIUM S. GEORGII.

Clementem saepius de operibus misericordiae loquentem (cfr. Vondrák pag. 107 vr. gr. **жадьнꙑмъ непрѣстаѭи источьникъ**) decet phrasis in nostro fragm. col. I. v. 5—7 **да придет' ти ѧ̂стина ѣко источьникъ братолюбию.**

Item **лѣпо ни би плакати се оумрьвшихь** col. II. v. 6—7; respondet enim eius modo dicendi, ex. gr. **тако лѣпо ѥсть намь испльнити всакоу прав'доу** cfr. Vondrák pag. 148.

Sub finem annotamus fragm. nostra, si homilia haec vere eum auctorem habet, novum documentum esse eorum, quae ipsi exprobrat prof. Vondrák, nempe memoriter tantum citare ipsum loca S. Scripturae, de quibus inferius in notis.

III. Data autem affinitate fragmentorum nostrorum cum codice Supraslien., quaestio sese offert, *quid de relatione inter textum glagoliticum et characteribus cyrillianis scriptum dicendum?* Certum est textum glagoliticum fragmentorum nostrorum apographum esse saec. XIII. non superiorem; ex quo autem fonte apographus haec emanaverit difficile dictu est. Opinio magis obvia videtur esse, apographum nostram glagoliticam prototypum quoque glagoliticum pro basi habuisse, quamvis minime repugnaret apographum glag. ex prototypo cyrilliano factam esse, cum ex aliis croaticae recensionis monumentis notum sit, characteres cyrillianos apud glagolitas Croatas non omnino ignotas fuisse.*) In praesens novisse sufficiat, saeculo XIII. saltem, textus cum cod. Suprasliensi affines glagolitico quoque charactere scriptos fuisse.

Tandem cum Menaea Suprasliensia** officiis divinis Orientali ritu persolvendis inservirent, sibi quaestionem proponimus, cuius r i t u s, cuiusque l i b r i liturgici pars esse possint fragmenta nostra? Quamquam notum est, glagoliticos libros liturgicos recensionis croaticae ad naturam librorum ritus quoque o r i e n t a l i s conscriptos fuisse,*** cum tamen alia eiusdem vel proxime subsequentis aetatis monumenta glagolitica luce clarius demonstrent in insula Veglensi laudata aetate rem sacram r i t u O c c i d e n t a l i peragi solitam fuisse, fragmenta nostra nil aliud esse possunt, quam pars L e c t i o n a r i i cuiusdam, Vitas (Martyria) Sanctorum vel Sermones in II. et III. Nocturno legi solitos, continentis. Sententia haec confirmatur ex tribus characteribus **чти** titulo M a r t y r i i s c t i G e o r g i i immediate subjectis, quibus in breviariis glagolit. ritus Occidentalis singula capita ad legendum constituta, adornantur; sensus enim est **чьти** = lege, vel **чьтение** = textus legendus.

---

* Cfr. C o d. g l a g o l i t i c u m V i d i d e O m i š a l j in bibl. palat. Vindobonen. sign. 3.

** Codicem S u p r a s l i e n s e m partem esse Menaeorum (**Четіи Минеи** A r h i m a n d r. S e r g i j affirmat in suo opere: **Полный Мѣсяцесловъ Востока. Томъ** I., pag. 199. **Москва** 1875.

*** Cfr. Articulum: G r a d j a z a g l a g o l s k u p a l e o g r a f i j u. V. J a g i ć (Apostolus Mihanovićii) in Rad jugoslavenske Akademije II. U Zagrebu 1868.

Fragm. A. Col. I.

(в)ладицѣ нашемоу исхоу .	(v)ladicě našemu Is(u)h(rьst)u.
емоуже слава и дрьжа	emuže slava i drьža-
ва и чьст' вь все вѣки	va i čьst' vь vse věki
амнъ.	am(e)nъ.
Моучение стго Ђрђиѣ чи .	Mučenie s(ve)t(a)go G(eo)rgiě č(ь)ti.
Вн врме . егда взиска	V(o)n(o) vr(ě)me . egda vziska-
хоу кр'ст'ѣнина чка . бис	hu kr'st'ěnina č(lově)ka . bis-
т' же моужь кападочьск	t' že mužь kapadočьsk-
ие земле именемь Ђрђиѣ .	ie zemle imenem G(eo)rgiě
ть же бѣ трьговинь . и вьзм'	tь že bě trgovinь . i vьzm'
злато много . иде кь цроу	zlato mnogo . ide kь c(ěsa)ru
дадиѣноу . реки цроу хоцш	Dadiěnu . reki c(ěsa)ru hošt-
оу . да ми даси санъ . и	u . da mi dasi sanъ . i
видѣ ѣко хоу роугают с	vidě ěko H(rьst)u rugajut s
е а бѣси чтоут' . и авие	e a běsi čtut'. i abie
. . же . ношаше злато . ра	. . že nošaše zlato . ra
. . . аѣ маломоцемь . ни	. . . aě malomoštemь . ni
. . . и иде к полатѣ	. . . i ide k polatě
. . . и видѣ кр'ст'ѣни	. . . i vidě kr'st'ěni
. . . ми имене ради хв	. . . mi imene radi H(hrьsto)v-
. . . о си прѣстоещихь .	(a) . . . o si prěstoeštihь .
. . . ди приемют' моуки .	. . . di priemljut' muki
. . . емоу зане бмь не х	. . . emu zane b(ogo)mь ne h
. . . пожрѣти . Нь проп	. . . požrěti . Nь prop-
. . . хоу кланают се .	(etu) H(rьst)u klanajut se
. . . мѣвь то сти Ђрђ	. . . měvь to s(ve)ti G(eo)rg-
. . . вь прѣд црмь . и р	(iě) . . . vь prěd c(ěsa)r(e)mь . i r
. . . цроу крьст'ѣн	. . . c(ěsa)ru krst'ěn
. . . . не поклоню се и	. . . ne poklonju se i
. . . . имь бмь . нѣсоут'	. . . imь b(ogo)mь . něsut'
. . . . коумири глоухие	. . . kumiri gluhie

Interpretatio: ... domino nostro Jesu Hristo, cui gloria et imperium in omnia saecula. Amen. *Martyrium sancti Georgii*; *lege*: In illo tempore, cum exquirerent christianos (ad necem), fuit vir ex Capadocia nomine Georgias. Hic erat mercator. et sumpto auro multo adiit imperatorem Dadianum dicens: Volo, ut mihi dignitatem des; et vidit, quod Christum blasphemarent, daemonia autem venerarentur. Statimque (*quae sequuntur sensum tantum exprimunt ob lacunas in textu*) distribuebat aurum pauperibus. Et ivit in palatium et vidit, quod christiani nominis Christi causa cruciarentur. nolentes diis sacrificare; Christum autem crucifixum adorabant. Quibus intellectis, christianum sese

esse confitens, imperatori sensus suos aperuit, falsos deos minime sese adoraturum, (r e s u m i t u r   i n t e r p r e t a t i o) utpote qui nil aliud sunt, quam idola surda

N o t a e. Vocabulum трьговинь (vers. 10) nec apud Miklosichium nec apud Daničić invenitur; procul dubio significat: „m e r c a t o r“, quod praedicatum de S. Georgio minus usitatum est. — Nomen дадиѣнь (дадиѣноу vers. 12) altera forma pro датиѣнь (*Δατιανος*, Dacianus). Textus Martyrii Scti Georgii bibl. Mosquensis Nro 321 habet D a d i a n u m (apud Tihonravovъ pag. 100); in manuscripto bibl. Petropolen. (Mss. Franç. Theologie, F. v. 4 D) legitur: „uns rois estoit em Perse qui D a t y e n s estoit apelez“. (Apud Veselovskij l. c. pag. 216.) Bollandistae Acta SS. III. pag. 103 ad nomen hoc annotant: . . . pleraque (acta) retinent I m p e r a t o r e m D a c i a n u m . . . Ad Dacianum quod attinet, in hoc circumspectiores quidam agnovere errorem, eumque solum fecere P r a e s i d e m ad Christianos persequendos ab Imperatoribus Diocletiano et Maximiano constitutum.

Vers. 16 et sqq. alludunt ad ea quae in cod. Namurc. 2 leguntur: „o m n e m   p e c u n i a m,   q u a m   s e c u m   a t t u l e r a t,   e g e n i s   d i s t r i b u i t“. — V. 24—25 lacuna ex contextu supplenda est проп(етоу) хоу кланают се. — V. 26 et seqq. in codice bibl. Hludov. nrs 195 sic se habent: „Геwргіе рече. беззаконниче и враже истинѣ. юже рѣхь ѩко хрстиѩнь юесмь, и не жроу идоломь, ни кланѩю се бѣсомь“ (apud Veselovskij l. c. pag. 167).

Col. II.

и нѣмие . иже прѣдают' в пр	i nĕmie . iže prĕdajut' v pr-
ѣисподнее моуки . То же	ĕispodnee muki. To že
слишавь црь дадиѣнь . от	slišavь c(ĕsa)rь Dadiĕnь ot
стго ђрђиѣ . и повелѣ б	s(ve)t(a)go G(eo)rģiĕ . i povelĕ b-
ити его . и тако бише его .	iti ego . i tako biše ego .
ѣко видѣти плоуще его .	jako vidĕti plušte ego .
І паки повелѣ растегн	I paki povelĕ rastegn-
оути его . и батоги соухи б	uti ego . i batogi suhi b-
ити его . и водоу сь солию л	iti ego . i vodu s soliju l-
иѣти на рани его . и конскими	iĕti na rani ego . i konskimi
власи отирати . и тако	vlasi otirati . i tako [pov-
мчкь хвъ трьпѣше . И пов	m(u)č(eni)kь H(rьsto)vъ trpĕše I
елѣ нечистиви црь дад	elĕ nečistivi c(ĕsa)rь Dad-
иѣн железни сапоги с'ко	iĕn želĕzni sapogi s'ko-
вати и раздещи е да боу	vati i razdešti e da bu
доут' ѣко и плами огьнни . и	dut' ĕko i plami ogьnni . i
тако обоувше стго ђрђ	tako obuvše s(ve)t(a)go G(eo)rģ-
иѣ . и вѣсе и в' тьмницоу . да	iĕ . i vĕse i v' tьmnicu . da-
же помислит' безаконни	že pomislit bezakonni
црь дадиѣнь . какою моуко	c(ĕsa)rь Dadiĕn . kakoju muko-
ю моучить и . І повелѣ в'	ju mučit i . I povelĕ v'-
оудиць ѕ сковати . и пльт'	udic 6 skovati . i plьt'

емоу тръзати . и ѣко тоу с	emu tıъzati . i ěko tu s-
трасть прѣтрьпѣ сти	trastь prětrьpě s(ve)ti
ђрђиѣ . І паки повелѣ	Ǵ(eo)ıǵiě . I paki povelě
бити его по глвѣ . тако б	biti ego po gl(a)vě . i tako b-
ише и . ѣко моз'гоу текоущоу	iše i . ěko moz'gu tekuštu
из глви его . и все тѣло е	iz gl(a)vi ego . i vse tělo e
моу крвию полиѣно бист' . и	mu kr(ь)viju poliěno bist' . i
тоу страсть прѣтрьпѣ	tu strastь prětıьpě
сти ђрђиѣ . и повелѣ . . .	s(ve)ti Ǵ(eo)ıǵiě . i povelě . . .

et muta, quae tradunt (hominem) ad infernales cruciatus. Quibus auditis imperator Dadianus a sanctō Georgio, iussit flagellari eum, et flagellaverunt eum ita, ut viderentur pulmones eius. Et iterum iussit extendi eum. Et baculis siccis caedi eum, aquamque cum sale infundi in vulnera eius et setis equinis detergi; et ita martyr Christi passus est. Iussitque impius imperator Dadianus calceos ferreos cudi et calefieri ita, ut ignei fierent. sicque calceaverunt sanctum Georgium et duxerunt eum in custodiam, usque dum impius imperator cogitaverit, quali cruciatu afficeret eum. Et iussit sex ungulas cudi, carnesque eius dilaniari. Hoc quoque supplicium sustinuit sanctus Georgius. Et iterum iussit caput eius caedi; et ceciderunt eum ita, ut cerebrum ex capite eius difflueret, et totum corpus eius sanguine perfunderetur. Hoc quoque supplicium sustinuit sanctus Georgius. Et iussit . . .

Fragm. B. Col. I.

. . . .	. . . .
. . . . им .	. . . . (glagola) im
. . . . не е	(kesarie palestensk)ie e-
. . . . никь кра	(smь okaanni pomošt)nikь kra-
. . . же моужа прѣдан	(ěnemь dva) že muža prědan-
т л	
. . . бѣста о ерсма . вльхв	(a) . běsta ot Er(u)s(o)l(i)ma . vlьhv-
а соуща . име единомоу ивнъ	a sušta . ime edinomu Iv(a)nъ
а дроугомоу прохорь . и по-имь ѣ	a drugomu Prohorь . i poimь ě
азь всадихь ѣ в т'мницоу на	azь vsadihь ě v t'mnicu na
три дни . и в четвр'ти днъ	tri dni . i v četvr'ti d(a)nъ
бист' има изити . обложиш	bist' ima iziti . obložiš-
е ѣ многа бещиниѣ . и зла де	e ě mnoga beštiniě . i zla de-
лавша дела . І видѣвъ	lavša dela . I viděvъ
кнезь множ'ство зьль в неж	knezь množ'stvo zьlь v než-
е обложише ѣ . и в'сла ѣ паки	e obložiše ě . i v'sla ě paki
в т'мницоу . и вльш'ском' злохи	v t'mnicu . i vlьš'skom' zlohi-
триемь избѣжаста от роукоу	triemь izběžasta ot ruku

Interpret. (*Λέγει αὐτοῖς κλαίων ἐκ ἴνος ἀπὸ καισαρίας τῆς ἐν παλαιστίνῃ ἐγὼ τυγχάνω ὁ ἄθλιος βοηθὸς κομέντων τῆς ἀνθυπατιανῆς τάξεως.*) *δύο οὖν ἄνδρες μάγοι δόκιμοι παρεδόθησαν μοι ἀπὸ ἱερουσαλὴμ Ιωάννης, καὶ πρόχορος. οὕτω καλουμένοι βαλὼν οὖν αὐτοὺς ἐν τῇ φυλακῇ. καὶ γενομένης αὐτῶν προόδου κατέθεντο ἄπειρα πλήθη πράξεων πονηρῶν. ἰδὼν οὖν ὁ ἄρχων τὸ πλάτος* (alibi *πλῆθος*) *τῶν κακῶν ὧν κατέθεντο. ἀνέπεμψεν αὐτοὺς ἐν τῇ φυλακῇ. εἰς δευτέραν δ' ἐξέτασιν προσαχθησομένους. παραλαβόντος δέ μου αὐτοὺς καὶ ἀπαγαγόντος ἐν τῇ φυλακῇ. δια μαγικῆς κακοτεχνίας ἐξέφυγον ἐκ τῶν χειρῶν μου.* (Observamus orthographiam codicis).

Notae. Textum graecum cum Arhim. Amfilohio ex codice s. XI. (a. 1022) attulimus; a proferendis variantibus codicum graecorum abstinuimus, cum in praesens de relatione textus glagolitici cum cyrilliano potissimum res est. In hunc finem singulas varias lectiones textus slavici, quem in laudato opere publici iuris fecit Amfilohius omissis tamen variantibus mere orthographicis, afferemus: ex eodem lacunas quoque fragmentorum supplevimus. Apud Amfilohium textus noster legitur in fol. 16—18. Vers. 5. Amf. on. же; in Men. Makar. adest же; v. 6 бѣста] cyr. быста; v. 7 нвнъ] іωа; v. 8 н поимѣ] om. н; v. 9 всадиѵь ѣ] om. ѣ; v. 9 т'мницоу] темницоу; v. 12 обложише ѣ] обложиша н; безшинниѣ и зла] нечтива и злаа; v. 12—13 делавша дела] дѣлавша дѣла; v. 14 множ'ство зьлѣ] множество золъ; v. 15 обложише ѣ] обложиша н; v. 15 в'сла ѣ] въсла н; v. 16 в т'мницоу] в темницоу; v. 16—17 вльш'ском' злохитриемь] вльшество злохитры; v. 17 избѣжаста] избѣжасте;

моею и вьзвѣстихь гдноу мо	moeju i vьzvěstih g(ospo)d(i)nu mo
емоу бившее . и смилих се емоу	emu bivšee . i smilih se emu
. рече ми бѣжи оканне и гони и	(r)eče mi běži okanne i goni i
и аще обрещеши и то взврат	i ašte obrešteši i to vzvrat-
и се емь ѣ . аще ли то злѣ оумре	i se ěmь ě . ašte li to zlě umre-
ши аще не обрещеши ею . и азъ	ši . ašte ne obrešteši eju . i azъ
вѣдѣ ѣрость кнеза нашего	vědě ěrostь kneza našego
юж . . . е имат' . І паки за оуз	juže (na n)e imat . I paki za uz-
оу . з . . . . . показа има глє .	u z(lata) pokaza ima g(lago)le
си на потрѣбоу вьзмь изидох',	si na potrěbu vъzmь izidoh'.
и се прѣкладохь на на и показ	i se prěkladohь na ńa i pokaz-
аше има хартию прѣльсти г	aše ima hartiju prělьsti g(lago)-
ле . и ѣко си слишавь прид' сѣ	le . i ěko si slišavь prid' sě
мо сьдѣ има соущима в град	mo sьdě ima suštima v grad-

μαθὼν οὖν τοῦτο ὁ πρῶτος των κομέντων συμπαθήσας εἶπεν μοι. φάγε ἄθλιε καὶ δίωκε ὀπίσω αὐτῶν ἐπεὶ κακῶς ἀποθνήσκεις. καὶ εἰ μὲν εὕρεις, αὐτοὺς, ἐπίστρεφε ἔχων αὐτούς. εἰ δὲ μὴ εὕρῃς, μήτε σὺ φανῇς ἐνθάδε. γινώσκω γὰρ ἐγὼ τὸν θυμὸν τοῦ ἄρχοντος. λαβὼν τοίνυν ἐγὼ τὰ χρήματα ταῦτα ἐξῆλθον, καταλιπὼν οἶκον καὶ γυναῖκα μετὰ τέκνων. ἰδοὺ ἡ κατάθεσις φησὶ δεικνύων αὐτοῖς τοὺς φανταστικοὺς χάρτας. ἤκουσα δὲ ἀπὸ πολλῶν. ὅτι ἐν τῇ πόλει ταύτῃ εἰσι.

Notae. v. 19 гдноу моемоу] cyr. моемоу гноу; v. 18 и смилих се емоу] и сь милоуы мѧ; v. 20 гони и] жени et ad въ слѣ ею; Hic uterque textus videtur esse corruptus; cyril. enim habet аще ли то злѣ ѹмрешн . и аще обрѧщеши възврати имь ѧ . аще ли не обрѧщеши не възвраи сѧ; v. 23 и аз] азъ бо; v. 24 вѣдѣ] видѣ; кнеза нашего] кнѧзѧ et om. нашего; v. 25 на не (?) имат'] има на нѧ; v. 26 за оузоу] оузолъ; v. 27 си на потрѣбоу възмь] и се въземь на потрѣбѹ (Mák. изидета); v. 28 прѣкладоухь] прекла; v. 29 прѣльсти] прѣлестноу; v. 30 и ѣко] om. и; v. 30 си слишавь om. си et ad ѿ мнозѣ злѣ соуща и сего ра прідо въ гра сін.

Col. II.

ѣ семь . І плакаше се рекь . ѣко женоу и чеда и дом' оставих' и плаваю по тоуждѣи зми . нь мю ваю дроуга добраѣ . пм оуита странство мое . І рекоста воина к немоу . ничесоже не створи себѣ зла . дроуже добри . ибо влхва та сдѣ еста . Паки же рече има нь бою се еда како вл'шьскомь злохитрием' избѣжита о соудоу . нь се створита дроуга добраѣ . имѣта ѣ и заключита ѣ в храминѣ и никтоже да не вѣст'. и побии та ѣ . и в'змѣта се принесеное мною . Она же рекоста . паче

ě semь . I plakaše se rekь . ěko ženu i čeda i dom' ostavih' i plavaju po tužděi z(e)mli . nъ m(o)lju vaju druga dobraě . p(o)m(i)luita stranstvo moe . I rekosta voina k nemu . ničesože ne stvori sebě zla . druže dobri . ibo vlhva ta s'dě esta . Paki že reče ima . nь boju se eda kako vl'šьskomь zlohitriem' izběžita o sudu . nь se stvorita druga dobraě . iměta ě i zaključita ě v hramině i niktože da ne věst'. i pobij ta ě . i v'změta se prinesenoe mnoju . Ona že rekosta . pače

καὶ διὰ τοῦτο παρεγενόμην ἐνταῦθα . λοιπὸν δέομαι ὑμῶν . ἐλεήσατέ μου τὴν ξενιτείαν . Οἱ δὲ ταξεῶται εἶπον αὐτῷ . μὴ ἀθύμει φίλε . οἱ γὰρ ἄν(θρωπ)οι. ὧδε εἰσιν . λέγει αὐτοῖς ὁ δαίμων . φοβοῦμαι μήπως, πάλιν διὰ μαγείας φύγωσιν . ἀλλὰ τοῦτο ποιήσατε ὦ φίλοι . ἀποκλείσατε αὐτοὺς εἰς οἶκον μηδενὸς εἰδότος . καὶ θανατώσατε αὐτοὺς καὶ λάβετε τὰ ἀκολουθήσαντα μοι ὀλίγα χρήματα . Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ . συμφέρει μᾶλλον ἵνα,

Notae v. 1 Ꙇ плакашє сє рєкь] і плакашє рєкын; v. 2 чєда] чада; v. 3 по тоуждѣн] на чюжєн; v. 4 ваю] вы; v. 4 помнлоунта] ad мн; v. 5 странство моє] моє странство; Ꙇ рєкоста] і рѣста; v. 6 ннчєсожє нє створн] ж ннчто съдѣн; v. 8 влхва та] влъхва она (Mak. om. она); ibid. с'дѣ єста] єста здѣ; v. 9 нь бою сє] но бою сѧ; ibid. єда како] om. како; v. 10 вл'шьскомь зло- хнтрнєм'] влъшєвною (Mak. — скою зло —) хытростню; v. 11 нзбѣжнта] т т т ѡбѣжать; v. 11 о соудоу] ѡ сюдоу; v. 12—13 нмѣта ѣ н] om.; v. 14—15 н побннта ѣ] повѣдатїа ⷶ (Mak. н побїнтє ѧ); v. 15 в'змѣта] възмнтє; ibid. пріннєсєноє] прннєсомоє; v. 16 пачє] оунє et ad єсть;

да нмѣвѣ ѣ . н прнвєдєвѣ	da imĕvĕ ĕ . i privedevĕ k te-
к тє	
бѣ . аще бо оубнєвѣ ѣ . како вз	bĕ . ašte bo ubievĕ ĕ . kako vz-
л	
вратншн сє в свою змю . Он жє	vratiši se v svoju z(e)mlju . On že
рєчє нма . побннта ѣ дроуга д	reče ima . pobiita ĕ druga d-
обраѣ . а (!) нє хоштоу вндѣтн	obraĕ . a (sic) ne hoštu vidĕti
т моєго	moego
оч'ства . Она жє обєщаста сє	otč'stva . Ona že obeštasta se
оубнтн нн . н взєтн прѣл'стноє	ubiti ni . i vzeti prĕl'stnoe
злато . Ꙇвн' жє разоумѣвь доу	zlato . Iv(a)n' že razumĕvъ du-
хомь . ѣжє твораше сєтєна (!).	homъ . ĕže tvoraše setena (sic).
рєчє кь мнѣ . чєдо прохорє . сє	reče kъ mnĕ . čedo Prohore . se
вѣждь . н готовн дшоу свою	vĕždь . i gotovi d(u)šu svoju
в' напаст' . ѣко многн скр'бн н с	v' napast' . ĕko mnogi skr'bi i s-
трастн налєжєт' мнѣ . єжє	trasti naležet mnĕ . eže
в'здвнжє на нн бѣсь .	v'zdviže na ni bĕsъ .
прѣбнвлєн в црквн	prĕbivaei v cr(ь)kvi .

κρατήσωμεν αὐτοὺς καὶ ἀσφαλίσωμεν. ἐπεὶ ἐὰν θανατωθῶς σὺ πῶς ἐπαναστρέψεις εἰς τὰ οἰκεῖα. ὁ δὲ λέγει ἀποκτείνατε αὐτοὺς φίλοι. καὶ οὐ θέλω ἰδεῖν τὴν ἰδίαν πατρίδα. οἱ δὲ συνέθεντο, αὐτῷ ποιῆσαι τοῦτο καὶ λαβεῖν παρὰ τοῦ τὴν φαντασίαν τῶν χρημάτων, ἐγνωκὼς τοίνυν ταῦτα τῷ πνι ὁ Ἰωάννης εἶπεν πρός με. τέκνον προχορε. γιγνώσκειν σε βούλομαι καὶ ἑτοιμάζειν τὴν ψυχήν σου εις πειρασμόν. πολὺν γὰρ κοινιορτὸν καὶ θλῖψιν κινεῖ καθ' ἡμῶν ὁ προσπαράμενων δαίμων τῷ βωμῷ (al. *ἱερῷ*)

Notae: v. 17 нмѣвѣ ѣ] нмємь ѧ; ibid. н прнвєдєвѣ к тєбѣ] н прнннєшн ꙗ et om к тєбѣ; v. 18 аще бо] om. бо et pm. н; ibid. оубнєвѣ ѣ] оумртвнмь ꙗ; v. 18—19 взвратншн сє] възвратншн ꙗ; v. 19 в свою з(є)млю] въ своє ѡчьство; v. 20 побннта ѣ] побієтє ѧ; ibid. добраѣ] моꙗ; v. 21 а нє хоштоу] н нє хощю; v. 23 оубнтн] побнтн; ibid. прѣл'стноє] прѣлєстноє; v. 24 н Ꙇв(а)н' жє разоумєвь] разоумѣвь жє іωа; v. 25 сєтєна (!)] бѣсъ et om. на нн; v. 26 рєчє] pm. н; v. 26 чєдо] чадо; v. 26—27 сє вѣждь н готовн] вѣдѣтн бьхь (!) вєлѣлъ н готовнтн; v. 28 многн скр'бн н страстн налєжєт мнѣ] г х д т мно пра н скорбь; v. 30 єжє в'здвнжє] възвнжє et om. єжє; v. 31 в цр(ь)квн] въ капнщн et pm. тоу (Mak. om. тоу).

Col. III.

артемии . . се бо вставлает'	Artemii(ně) se bo vstavlaet'
на . . . воина . наоучивь злѣ	na (ni 2) voina . naučivь zlě
о наю и показа ми исъ вса г	o̓naju i pokaza mi I(su)sь vsa g(la)-
ланаѣ в . . . . моужаи се оубо	(go)lanaě b(ěsomь) mužai se ubo
и готови се . І си глющоу ив	i gotovi se. I si gl(agol)juštu Iv-
аноу кь мнѣ придоста воина .	anu kь mně pridosta voina .
и еста ни . диоскорид' же не в	i esta ni. Dioskorid' že ne b-
ѣ . . с нами . нь в домоу его по	ě (tu?) s nami . nь v domu ego po-
трѣби ради общихь . Івн' же	trěbi rądi obštihь. Iv(a)n' že
рече . за коую виноу дрьжани	reče . za kuju vinu držani-
е се . она же рекоста . влшско	e se . ona že rekosta vlšsko-
мь злохитриемь . Івн' же реч	mь zlohitriemь. Iv(a)n' že reč-
е . кто обличител' ест' о се	e . kto obličitel' est' o se
мь . она же рекоста да в'ве	mь . ona že rekosta da v've-
дена боудета в т'мницоу . т	dena budeta v t'mnicu . t-
оу имата обличитель ва	u imata obličitelь va-

τῆς ἀρτέμιδος . ἰδοὺ διήγειρε καθ' ἡμῶν δύο ταξεώτας . καὶ εγνώρισε μοι ὁ Ἰς πάντα τὰ λαληθέντα πρὸς αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ δαίμονος . μετ' ὀλίγον οὖν ἐλθόντες οἱ δύο ταξεῶται ἐκράτησαν ἡμᾶς, μὴ ὄντος σὺν ἡμῖν τοῦ διοσκόριδος . καὶ λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰωάννης ἐπὶ ποία αἰτία ἡμᾶς ἐκρατήσατε . οἱ δὲ εἶπον . ἐπὶ μαγικῇ κακοτεχνίᾳ . ἔφη ὁ Ἰωάννης . καὶ τίς ὁ κατηγορῶν περὶ τούτου . οἱ δὲ εἶπον . ἀχθήσεσθε τέως ἐν τῇ φυλακῇ καὶ μέλλετε θεωρᾶν τὸν κατήγορον ὑμῶν.

Notae: V. 1 Amf. Mak. артемидінѣ; v. 2 наоучивь] cyr. наоучи; v. 4 в(ѣсомь)] ad ѡ наю сімь (Mak. к сима); v. 5 Mak. om. си; ibid. готови се]
д
om. се; ibid. иваноу] ıwаноу; v. 6 придоста] пришеша; v. 7 и еста] ꙗста et om. и; v. 7—8 не вѣ тоу (?)] om. тоу; v. 8—9 потрѣби] потрѣбь; v. 10 рече] ad къ нимь; коую] Amf. кою; ibid. дрьжание се] ad сътвориста нама; v. 11 рекоста] рѣста; v. 11—12 влшскомь злохитрием] о влъшествѣ злохытріа (in textu glag. in voc. влшскомь apostrophi post л et ш vix appa-
н ч
rent); v. 12—13 Ів(а)н' же рече] ıwа же ре et ad к нимь; v. 13 ест' о семь] om. et posuit наю; v. 14 рекоста] рѣста; v. 15 в т'мницоу] въ темницоу et
д
pm. токмо; v. 15—17 тоу имата обличитель ваю видѣти] то імаеши вити обличитель ваю;

ю видѣти . Івн' же рече к н	ju viděti. Iv(a)n' že reče k n-
има . не можета наю оубити	ima . ne možeta naju ubiti
ни моучити . аще не имата пр	ni mučiti . ašte ne imata pr
ѣд'ставити прѣд' лицемъ	ěd'staviti prěd' licemъ
наю обличитель . Она же	naju obličitelь. Ona že
заоушиста ивна . и влѣст	zaušista Iv(a)na . i vlěst-

а ни не в' тьмницоу нь в дом' оук	a ni ne v' tьmnicu nь v dom' uk-
ром' стоеща . ако побити ни	rom' stoešta . ako pobiti ni
хотеща . по наоученню беса (!)	hotešta . po naučeniju besa (sic).
Романа же текши в'звѣст	Romana že tekši vzvěst-
и диоскоридоу . и притекь аби	i Dioskoridu . i pritekь abi-
е испоусти ни . и словеса	e ispusti ni . i slovesa
жестока гле воинома не	žestoka g(lago)le voinoma ne
подобает' чкоу неосоу	podobaet' č(lově)ku neosu-
жденоу от обличит	ždenu ot obličit-

λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰωάννης. οὐ δύνασθε ἡμᾶς βιάσασθαι εἰ μὴ κατὰ πρόσωπον ἔχητε τοὺς κατηγόρους ἡμῶν. οἱ δὲ ῥαπίζοντες αὐτὸν ἔσυρας! ἡμᾶς. οὐκ ἀπήγαγον δὲ ἐν τῇ φυλακῇ. ἀλλ' ἐν οἴκῳ ἰδιάζοντι. ὥστε κατὰ τὴν ὑποθήκην τοῦ δαίμονος ἀποκτεῖναι ἡμᾶς. ἀκούσασα δὲ τοῦτο ἡ ῥωμάνα, δραμοῦσα ἀπήγγειλε τῷ διοσκορίδῃ. (ἐκεῖνος δὲ παραχρῆμα ἐλθὼν ἔνθα ἦμεν ἀποκεκλεισμένοι) ἡμᾶς δὲ ἐκβαλὼν εὐθέως ἀπέλυσεν, ἐκείνους δὲ λόγοις ὑπέβαλε σκληροῖς καὶ σκωπικοῖς εἰπὼν πρὸς αὐτούς, οὐκ ἔξεστιν ὑμῖν ἀ(νθρώπ)ους ἀναιτίους φυλακίζειν μη ὄντος κατηγόρου.

Notae: v. 17 Ӏв(а)н' же рече к нима] Іwань ре et om. к нима; v. 18 не можета наю оубити] не можете ноудити наю et om. ни моучити; v. 19—20 не имата] не имаета et om. прѣд'ставити; v. 21 обличитель] wбличителм; ibid. Она же] om. же; v. 22 нв(а)на] Іwана; v. 22—23 влѣста] влекоста et pm. влекоуще (Mak. —ща); v. 23 ни] Іwана; v. 23—24 оукром' стоеща] оукромствоующь et pm. не (Mak. om. не); v. 25 хотеща] om.; ibid. беса] бѣса; v. 27 притекь] текь; v. 28 испоусти ни om. et ponit: пріиде и постигноу (Mak. и поусти ны); ibid. и] om.; v. 29 воинома] ad г рече; v. 29—30 не подобает'] ad нама; v. 31 о обличителѣ] om.

Col. IV.

. . . .	(telě vъ temnicu vъsaždati)
и?	n? (pače že ne javě nъ)
в х	v h(ramině taině jako pobi)
ти ѣ	ti ě (muža sia v domu)
моемь еста . иже	moemь esta . iže (ubo imat čto)
на на . да придет' и поиме .	na na . da pridet' ipoime(t ě)
и по законоу да соудит се има	i po zakonu da sudit se ima
Ӏ в'веде ни в домь свои дио	I v'vede ni v domь svoi Dio-
скоридь . а воина рекоста к .	skorid . a voina rekosta k (s)-
ебѣ идѣвѣ и поимевѣ ис . .	ebě iděvě i poimevě is(ka)-
тела ею . ибо диоскоридь .	tela eju . ibo Dioskoridъ (v)-
инѣ ею примѣси се . и жесток	ině eju priměsi se . i žestok
есть противоу нама . Придо	estь protivu nama . Prido-
ста же на мѣсто . идѣже д	sta že na město . iděže d-
ѣмоунь сѣдѣ . повѣдави се	ěmunь sědě . povědavi se
санникь . и помощникь кралѣнемь	sannikь . i pomoštnikь kraěnemь

μάλιστα ὅτι μὴ δὲ ἐν τόπω φανερῶ . ἀλλ' ἐν οἴκω κεκρυμμένω . ὥστε ἐπιβουλεῦσαι αὐτοὺς . ἰδοὺ οἱ ἄνδρες οὗτοι ἐν τῶ οἴκω μου εἰσίν . εἴ τις, ἔχει κατὰ τῶν . ἐλθέτω καὶ λαβέτω αὐτοὺς . καὶ κατὰ τὸν νόμον κριθήτωσαν . (καὶ ἀπήγαγεν ἡμᾶς διοσκορίδης ἐν τῶ οἴκω αὐτοῦ) οἱ δὲ ταξεῶται (εἶπον ἐν ἑαυτοῖς . ἀπέλθωμεν καὶ λάβωμεν τὸν κατήγορον, ὥστε δικαιολογεῖσθαι πρὸς διοσκορίδην) ἐλθόντες ἐν τῶ τόπω ἔνθα ἐκάθητο ὁ δαίμων ἐν σχήματι ταξεώτου.

Notae: vv. 1—5 textum lacunae supplevimus ex cod. cyril. Amfilohii. v. 6 на на] до нею; v. 8 Ꙇ в'веде] ї веде; ibid. в домь свои диоскоридь] д дĭоскори в домь свои; v. 10 идѣвѣ] идемь (Mak. идевѣ); ibid. искатела] искатель; v. 11 ибо] оубо; v. 12 ею] сеи et ad самъ; ibid. примѣси се] примѣшь сѧ et om. и; v. 13 противоу] противъ; ibid. Придоста] прїидоста; v. 14 м идѣже] на не же; ibid. дѣмоунь] дѣмонъ; v. 15 сѣдѣ] сѣдѧаше (Mak. —че); м v. 16 (Mak. саидикь); ibid. и] om.; ibid. краѣнемь] раанѡ (!).

и не обрѣтша его . придоста	i ne obrětša ego . pridosta
в печаль велию . и седша г	v pečal veliju . i sedša g-
ласта . оуви нама что ств	(lago)lasta . uvi nama čto stv-
оривѣ . ѣко чка нѣст' сьдѣ а	orivě . ěko č(lově)ka něst' sьdě a-
ще обративѣ се к диоскоридоу	šte obrativě se k Dioskoridu
инако глюща . то испитавъ	inako gl(agol)jušta . to ispitavъ
злѣ на ни встанет' . и изгоуб	zlě na ni vstanet' . i izgub-
ит ни . и бѣста на мѣстѣ пл	it ni . i běsta na městě pl-
ачоуща се . Єгда же си	ačušta se. Egda že si
бесѣдовашета к себѣ	besědovašeta k sebě
приде дѣмоунь в томжде обр	pride děmunь v tomžde obr-
азѣ и рече к нима . лѣнива би	azě i reče k nima . lěniva bi-
ста дроуга о ороудии моемъ	sta druga o orudii moemъ
и она исповѣдаста емоу вса	i ona ispovědasta emu vsa
како диоскоридь поеть ѣ аще	kako Dioskoridь poetь ě ašte

καὶ μὴ εὑρόντες αὐτὴν (al. αὐτὸν) εἰς λύπην μεγάλην καὶ ἀδημονίαν ἐνέπεσον λέγοντες . ὅτι τοῦ κατηγόρου μὴ εὑρισκομένου . ἡμεῖς ὡς συκοφάνται παρὰ τῶ διοσκορίδη λογιζόμεθα καὶ οὐκ ἀκίνδυνον ἡμῖν ἐστιν . πολλῆς γὰρ αὐστηρίας τὲ καὶ ἀκριβείας ὁ ἀνὴρ μετέχει . ἐπὶ πολὺ δὲ προσκαρτερούντων αὐτῶν . ἦλθεν ὁ δαίμων ἐν τῶ αὐτῶ σχήματι . καὶ ἐξηγήσαντο αὐτῶ ὅσα ἐποίησαν καὶ ὅτι ἐν τῶ οἴκω εἰσὶ τοῦ διοσκορίδους . . .

Notae: v. 17 в печаль велию] въ оуныніе; v. 19—20 створивѣ] м сьтвори (Mak. —вѣ); v. 20 ѣко] ибо; ibid. ч(ловѣ)ка] ad ѡного (Mak. om. ѡного); ibid. аще] pm. и; v. 21 обративѣ се] обрѧщем сѧ (Mak. —вѣ сѧ); с v. 21 к диоскоридоу] om. к; v. 22 испитавъ] ѡпытливъ моужь е и; v. 23 встанет' и] въставь; v. 26 бесѣдовашета] бесѣдоваста; v. 27 приде дѣмоунь] прїиде дѣмонъ; ibid. в томжде] в томже; v. 28 к нима] к нимь; v. 30 ж ж и она] они (Mak. и ѡна); v. 30 вса et ad ꙗ створиста . ї; v. 31 поеть ѣ] поꙗт ꙗ, ї . . .

Fragm. C, col. I.

роучи тѣло своє . да ти	(? po)ruči tělo svoe . da ti
сє просвѣтит' дша . бл	se prosvětit' d(u)ša . bl-
аговѣрствием же сє оукр	agověrstviem že se ukr-
ашъ подвигни на молб	ašъ podvigni na molb-
оу срцє си кь боу . и да придє	u sr(ьdь)ce si k b(og)u . i da pride-
л	
т' ти мстина ѣко источ	t' ti m(i)l(o)stina ěko istoč-
никъ . братолюбию плод	nikъ . bratoljubiju plod-
а стєжавь подвигни с	a stežavь podvigni s-
є к цркве на пѣниѣ дхвна	e k cr(ь)kvě na pěnie d(u)h(o)vna-
ѣ . ащє же хощєши памєт'	ě . ašte že hošteši pamet'
створити мр'твимь то ц	stvoriti mr'tvimь . to c-
л	
рѣкви оукраси мстинєю прѣ	rěki ukrasi m(i)l(o)stineju prě-
ждє и свѣщами . и пѣсн . .	žde i svěštami . i pěsn(emi)
дхвн	d(u)h(o)vn(imi) . . . .
щ	št . . . .
. . . .	. . . .

Interpretatio: commenda (?) corpus tuum, ut illuminetur anima tua. pietate vero exornatus erige in orationem cor tuum ad Deum. et veniat tibi eleemosyna ut fons. caritatis fraternae fructum meritus erige te ad ecclesiam in cantica spiritualia. si vero vis memoriam facere mortuorum. ecclesiam prius exorna eleemosyna et luminibus et canticis spiritualibus . . .

Notae. Imprimis annotandum esse videtur, textum quatuor columnarum partem esse unius eiusdemque Sermonis seu homiliae. Cui asserto favet simile in omnibus, qui remanserunt, versibus argumentum; in omnibus enim de mortuis, eorum resurectione vel similia, ut puta de morte, de sepulcro pertractat. Cfr. col. I, v. 10—11 (si vero vis memoriam facere mortuorum); col. II, v. 5—7 (si nos hic remaneremus et non moreremur, juste decens nos esset deflere mortuos); col. III, v. 1 (sepulchra autem domus illorum erunt); denique col. IV, v. 8—13 (sepulto tradita (lingua) . . . sed iterum illinc transibunt in resurectionem, quia qui sepelitur iterum resurget). Cum ergo argumentum unum idemque sit, secundum ea quae superius attulimus, cum aliqua probabilitate asserere possumus in fragmento nostro (C) contineri partem Sermonis cuiusdam seu homiliae Clementis, episcopi Velicensis.

Col. II.

ющи сє нє прѣимєт' . на вс	.. . jušti se ne prěimet' . na vs-
є сравнающи приємлєть .	e sravnajušti priemletь .
Тѣмжє ащє бихомь ми о	Těmže ašte bihomь mi o-
стали сьдѣ . а нє так	stali sьdě . a ne tak-
ождє оумирали . то прав	ožde umirali . to prav-
дою . лѣпо ни би плака	doju . lěpo ni bi plaka-

ти се оумрьвшихь	ti se umrьvšihь . . . .
неже по томоу	neže po tomu . . . .
и ити има	i iti ima . . . .
ѣ е	ě e . . . .
. . . .	. . . .

Interpretatio... omnia componens accipit. Ideo si nos hic remaneremus, et non similiter moreremur, iuste decens nos (esset) deflere eos qui mortui sunt...

Col. III.

гроби же имь храми боудоут'	grobi že imь hrami budut'
Взнѣсе бо имен . своѣ прѣд	Vzněse bo imen(a) svoě prěd
змнимии	z(e)ml(ь)nimi . . . .
чль бо в ч . . . . . . творень	č(lově)kъ bo v č(ьstь) . . (sь)tvorenь
бгмъ . не . . . . . . нь прило	b(o)g(o)mъ . ne (razumě) nь prilo-
жи се скотѣхь несмисл'	ži se skotěhь nesmisl'-
. . . . и оуподоби се . . . в	(nihь) i upodobi se (imь) v
. . . . ех	. . . . eh
. . . . кл	. . . . kl-
. . . .	. . . .

Interpretatio: sepulchra (autem) domus illorum erunt. Extulerunt enim nomina sua prae terrae habitatoribus (?). homo cum in honore factus esset a Deo non intellexit; sed comparatus est inmentis insipientibus et similis factus est eis...

Notae. Versus 1—7 huius columnae pars sunt psalmi XLVIII., qui tamen hic paulo immutatus est, quam in Psalterio legere consuevimus. In psalterio Sinaitico (Cfr. Psalterium glagolski spomenik manastira Sinai brda izdao Dr. Lavoslav Geitler. U Zagrebu 1883, pag. 103) legimus

ι гробі нхъ і храмі іхъ въ вѣ
къ : села нхъ въ родъ і родъ :
Нарѣшѧ імена своѣ на земъныіхъ :
ι чвкъ въ чьсті сы не разоумѣ :
приложи сѧ скотѣхъ несъмъ
ιслънынхъ і оуподобі сѧ нмъ

Similiter psalt. Pasmaneum (Cfr. Berčić Ulomci sv. Pisma. U Zlat. Pragu II, pag. 42).

Textus graecus cod. B habet:

v. 12 καὶ οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα, σκηνώματα αὐτῶν εἰς γενεὰν καὶ γενεάν. ἐπεκαλέσαντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐπὶ τῶν γαιῶν αὐτῶν.
13. καὶ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν οὐ συνῆκεν. παρασυνεβλήθη τοῖς κτήνεσιν τοῖς ἀνοήτοις καὶ ὁμοιώθη αὐτοῖς.

(The Old Testament in greek according to the Septuagint. Henry Barclay Swete. Cambridge 1895.)

Ex comparatione textuum sequitur, in suo versu primo homiliam propius quidem accedere ad textum graecum, in reliquis vero proprio potius modo sese gerere, aliis verbis auctorem homiliae non afferre textum s. Scripturae accurate sed memoriter tantum. Quod cum apud Clementem episc. Velicensem saepius accidat, novum cum superius allatis praebet argumentum conjiciendi, ipsum esse eiusdem Sermonis seu homiliae auctorem.

Col. IV.

. . . не юже ли о чр'нѣ . кь	. . . . ne juže li očr'ně . kь-
ѣ . . . . заюштеи . не юже	ě . . . zajuštei . ne juže-
. . . . ѣко вода излисте се	(li) ěko voda izliste se
и . рв . . . бисте в снѣдъ .	i (č)rv(omь?) biste v snědъ.
кьде же ест' езикь онь ско	kъde že est' ezikь onь sko-
ри на оклеветание . Не . ж	ri na oklevetanie. Ne (i) ž
е ли пр . . . . . мльче . и	e li pr(ěžde) (u)mlьče . i
гробоу прѣдань бист' . нъ	grobu předanь bist' . nъ
обаче не до гроба тьчию	obače ne do groba tьčiju
. . . а поставимь нь паки	. . . a postavimь nь paki
отоудоу преидоут . на вскр	otudu prěidut na vskr-
ѣшение . ѣко погрѣбаеми	ěšenie . ěko pogrěbaemi
. . паки встанеть . и ез	. . . paki vstanetь . i ez-
. . . . акн	(ikъ?) . . . . aki
. . . . в	 v
. . . . с	. . . . s.
. . . .	. . . .

Interpretatio: v. 2—4 nonne tanquam aqua effusi estis et in commestionem facti estis vermibus (?). v. 5—6. Ubinam est lingua illa velox ad denigrandum . . . v. 7—8. siluit (?) et sepulchro tradita est; v. 10— sed iterum illinc transibunt in resurrectionem , quia qui sepelitur iterum resurget . . .

IV. Ex materia lexici annotanda sunt:

батогъ m. *ῥάβδος*, baculum (**батоги соухи бити его** A II 8).
бесчиние n. *ἀταξία*, insolentia (**обложише ѣ многа бещиниѣ** B I 11).
благовѣрствие n. *εὐσέβεια*, pietas C I 2—3.
братолюбие n. *φιλαδελφία*, caritas fraterna C I 7.
бѣсъ m. *δαιμόνιον*, *δαίμων*, daemon B II 30.
влъхвъ m. *μάγος*, magus B I 6 et alibi.
влъшьскъ adj. *μαγικός*, magicus (**вл'шьскомь злоХитрием** B II 10).
воинъ m. *στρατιώτης*, miles B II 6.
въздвигнѫти *ἐξεγείρειν*, suscitare (**скр'би и страсти . . . еже в'здвиже на ни бѣсь** B II 28).

въ3искати *ἀναζητεῖν*, exquirere (**егда взискахоу кр'ст'ѣнина чловѣка** A I 6).

въслати *ἀπάγειν*, mittere (**в. в т'мницоу** B I 15).

въставлıати *διεγείρειν*, suscitare (**вставлает' на ни . . . воина** B III 1).

вѫдица f. *ὄγκινος*, ungula, uncinus A II 21.

готовити *παρασκευάζειν*, parare (**готови доушоу свою в напаст'** B II 27).

дръжаниѥ n. *κράτησις*, comprehensio B III 10.

дѣмонъ (**дѣмоунь**) m. *δαίμων*, daemon B IV 14—15 cfr. **бѣсъ**.

3лоушити *ῥαπίζειν*, alapas infligere B III 22.

3лохытриѥ n. *κακοτεχνία*, malae artes (**вльш'ском' злохитриемь извѣжаста** B I 16 et al.).

искатель m. *ζητητής*, quaesitor B IV 10.

источьникъ m. *πηγή*, fons C I 7.

кралıанъ; помоцщникь кралѣнемь B IV 16 et probabiliter etiam col. I v. 4—5- Textus graecus habet: ***βοηθὸς κομέντων.*** E. A. Sophocles Greek Lexicon ad voc. ***κομέντον*** habet = ***ὁ κομβέντος*** (***κονβέντος***) lat. conventus = ***συνέλευσις***, assembly, council.

коумиръ m. *εἴδωλον*, idolum A I 31 et al.

лѣпо ѥсть *πρέπει*, decet (C II 6—7 **лѣпо ни би плакати се оумрьвшихь**).

мольба f. *εὐχή*, oratio C I 4.

мѫжати сѧ *ἀνδρίζεσθαι*, confortari.

мѫка f. *θλῖψις*, poena A II 2, cfr. **страсть**.

мѫчениѥ n. *μαρτύριον*, martyrium A I 5.

напасть f *πειρασμός*, tentatio B II 28.

обличитель m. *κατήγορος*, accusator B III 13 et al.

окаıанъ adj. *ἄθλιος*, miser (**бѣжи оканне** B I 10).

оклеветаниѥ n. *συκοφάντημα*, calumnia C IV, 6.

орѫдиѥ n. *σκεῦος*, instrumentum B IV 29.

оставити *ἀπολείπειν*, relinquere (**женоу и чеда и дом' оставих** B II 2).

отьчьство n. *πατρίς*, patria B II 22.

пламы m. *φλόξ*, flama (**п. огьнни** A II 16).

повѣдати (**сѧ**) *καλεῖν*, vocare (**повѣдави се санник** B IV 15).

подвигнѫти сѧ (**на пѣниѥ**) *σπεύδειν*, festinare C I 8.

полата f. *παλάτιον*, palatium.

примѣсити сѧ *μετέχειν*, admisceri (**винѣ ею примѣси се** B IV 11—12).

приıати мѫкѫ *πάσχειν*, pati (**приемлют' моуки** A I 22).

пропѧти *σταυροῦν*, crucifigere (**пропетоу Х[рист]оу кланают се** A I 24).

просвѣтити *παιδεύειν*, illuminare (**да ти се просвѣтит' д(оу)ша** C I 1—2).

прѣдати *προδιδόναι*, tradere (**прѣдают' в . . . моуки** A II 1).

прѣисподьнь adj. *ὁ κατώτατος*, inferni (**в прѣисподнее моуки** *εἰς ᾅδου* ibid.).
прѣльстьнъ adj. *ἀπάτης*, fraudis (**прѣл'стное злато** B II 23).
растѧгнѫти *διατείνειν*, distendere (**повелѣ р. его и батоги соухи бити** A II 7).
санъ m. *ἀξίωμα*, dignitas A I 13.
сапогъ m. *ὑπόδημα*, calceus (**желѣзни с. сковати** A II 14).
скоръ adj. *ταχύς*, celer C IV 5.
сотона m. *σατανᾶς*, satanas B II 25 (cfr. **бѣсъ, дѣмонъ**).
страсть f. *βάσανος*, cruciatus (cfr. **мѫка, моучение**) A II 23.
страньство n. *ξενία*, peregrinitas B II 4.
съмилити сѧ; смилих' се емоу, *ἐσυμπάθησε μοι*, miseritus est mei B II 18.
сънѣдь f. *βρῶσις*, cibus C IV 4.
сътворити памѧть *μνημονεύειν*, memoriam colere (**мр'твимь** C I 10).
тръговинъ m. *ἀγοραῖος*, mercator A I 10.
тоуждь adj. *ἀλλότριος*, alienus (**по тоуждѣи земли** B II 3).
тьмьница f. *φυλακή*, carcer A II 18.
оукрасити *κοσμεῖν*, exornare (**благовѣрствием же се оукрашъ** C I 4).
оукромь adv. *ἰδίως*, solitarie B III 23—24.
хартиꙗ f. *χάρτης*, charta B I 29. *J. Vajs.*

POLONICA.

Ks. Dr. Franciszek Gabryl, **„Psychologia"**. Kraków 1906. pag. 474 in 8⁰. Pretium 8·— Cor.

In prooemio disserit auctor, Almae Matris Cracoviensis professor, de obiecto psychologiae, de methodo, necnon de relatione huius disciplinae ad alias scientias. Improbat divisionem in psychologiam empiricam et rationalem, cum neutra ex se sufficiens sit ad scientificam rei explicationem, immo utraque simul iungi debeat, ut phaenomenis vitae psychicae exploratis et in classes distributis eorum radix et causa ultima interna, i. e. anima, eiusque natura investigari queat. Deficiente nos intuitiva animae cognitione, nonnisi a posteriori ex ipsis animae operationibus ad eius essentiam et cum corpore unionem transire licet. Hinc reicienda est a limine methodus aprioristica, et via experimentalis »a posteriori« seligenda est. Non sufficit tamen methodus introspectiva, neque ea, quae physicorum disciplinae propria est, neque methodus genetica vel comparativa, cum, quantum fieri potest, omnes vitae psychicae manifestationes scrutari debeant, quae philosophicae in ultimam causam indagationis fontem constituunt. Non est proinde postponenda anatomia, morphologia, physiologia, pathologia, historia, aliaeque scientiae confines, quibus notitia vitae psychicae augeri potest. His introductionis gratia praenotatis auctor aggreditur opus, in quattuor partes divisum.

In parte prima auctor exhaurit summatim omnia, quae ex anatomia, physiologia, histologia organismi vitae sensitivae colligi de nostra

perceptione sensili possunt, id quod 7 capitibus praestat, allatis permultis physiologorum et psychologorum modernorum testimoniis. Capite octavo sensibus internis insistit, eorumque functiones in sensationibus, ab extra receptis, ad unitatem quandam redigendis, conservandis, reproducendis exponit: unde hoc loco de sensu communi, de phantasia et memoria, earumque perturbatione, nec non paucis de vi aestimativa instruimur. Prima haec pars dimidium fere totius libri explet.

Sequitur tractatus de cognitione intellectuali: statuitur discrimen inter phantasma et ideam, exponuntur theoriae de origine idearum, inter quas systema peripatetico-scholasticum eligitur tanquam unice verum, quin tamen subtiliores agitentur quaestiones de distinctione inter intellectum agentem et possibilem, et utriusque functione. Exponuntur etiam actus intellectivi, apprehensio, iudicium, ratiocinium, necnon relatio cogitationem inter et sermonem externum.

Tertia pars agit de appetitu sensitivo et voluntate, quibus accedit caput XIV. de affectibus.

Quibus delineatis auctor per 80 paginas deducit philosophicas conclusiones de natura animae, eius scl. substantialitate et spiritualitate, porro disputat de origine animae eiusque immortalitate, deque unione animam inter et corpus. Refutatis tum monismo sive materialistico (parallelismus psychophysicus) sive idealistico, tum dualismo, qualem statuebant Plato, Cartesius, Leibnitz, Malebranche, Locke, Herbart, alii admittitur explicatio Aristotelica de materia prima et forma substantiali, non intrando in quaestiones subtiliores a Scholasticis agitatas. Reicitur etiam sententia Güntheri et Baltzeri, necnon theoria D. Palmieri, ad quam, nescio quo iure, Dr. Gabryl extendit damnationem Pii IX., in epistolis ad eppos Coloniensem et Vratislaviensem latam.

Placet breviter adnotare, quid de toto opere sentiamus. Quae auctor sub initio de methodo in tractanda psychologia animadvertit, nonnisi laudare possumus: videtur autem ipse auctor in eo defecisse a laudata methodo, quod explicationem condicionum vitae vegetativae penitus praetermiserit. Cum enim in quarta parte operis statuatur unica anima, triplici vitae gradui in homine compar, in parte analytica materia experimentalis pro primo et infimo gradu vitae desideratur. Quamvis negandum non sit vitae psychicae phaenomena maioris esse momenti pro psychologia, modernasque controversias de his praecipue moveri, tamen in integro »Psychologiae« tractatu de vita vegetativa omnino tacere non convenit.

Physiologiae et anatomiae emolumenta in re psychologica maxima utique sunt, attamen cl. auctor videtur plus aequo respexisse confines psychologiae disciplinas, unde et evenit, ut inter partem empiricam et rationalem deficeret proportio.

Quaestionem de origine primae animae humanae Dr. Gabryl consulto omittit ideoque de theoria transformismi non disserit.

Amplam litteraturam, qua eruditus auctor usus est, in notis assignatam invenies, et sine dubio magnum emolumentum ex hoc

libro pro positiva psychologiae notitia capies. Studiosi in academiis et seminariis libenter lectioni huius libri vacabunt: commendatur enim elegantia linguae non minus quam copia experimentalium notitiarum et expositione rerum historica. *M.*

RUSSICA.

A. Prugavin, **Религіозные отщепенцы.** Очерки современнаго сектантства. **(Religioznye otščepency.) Religiosi schismatici.** Duo fasciculi. Moscoviae 1906. 295+210.

Prugavin, varias Russiae regiones invisens, notitias sectarum recentiorum evolutionem illustrantes comparat. Observationes suas de sectarum patribus, deque sectae evolutione et doctrina, ad historicorum commoditatem, per modum narrationis scriptis mandat. Itaque qui de recentioribus sectis scripturus est, scripta a Prugavin composita, inspicere debebit.

Narrationis modus a Prugavin adhibitus suspicionem ingerit, eum sectas a se descriptas propagare vere. *M. H.*

D. Skvorcov, **Современное русское сектантство.** Очерки статьи и изслѣдованіе. **(Sovremennoe russkoe sektantstvo.) De recentioribus sectis in Russia.** Moscoviae 1905. IV+230. 1·50 rub.

Auctor articulos, quos de sectis diverso tempore in variis fasciculis publicavit, in hoc libro in unum collegit. Finis vero huius libri est, sectarum recentiorum, quae magis minusve rationalismum profitentur, evolutionis historiam enarrare. Totum opus dividitur in XI capita. Tria extrema capita minus arcte cum aliis capitibus iunguntur.

In praefatione Skvorcov sectarum rationalisticarum inde a primis religionis christianae incunabulis in Russia existentium evolutionis historiam tradit (p. 5—19). Ex tempore enim, quo Russi fide christiana illustrati sunt, sectae inter ipsos exstiterunt. Saec. XI° magi, ex Finlandia oriundi, mixtionem ex christianismo et paganismo compositam propagabant. De mundo magi dualistice sentiebant (p. 7 sq.). Saec. XIV° in Pskov, dein in Novgorod cernuntur strigolniki, a diacono Carpo appellati, qui cleri tonsuram tondebat. Ipsi apostolica scripta reiciebant, — sacramenta et vitam post mortem non admittebant, — immo etiam de redemptionis mysterio minus recte sensisse videntur, certe saltem deistae erant (p. 8 sq.). Saec. XV° secta haec in duas dispescitur fractiones; ex quibus una, multa a Caraitis suscipiens, iudaizantium sectam efformavit, quae divinitatem Christi reiciebat (9 sq). Saec. XVI° Bakšin eiusque asseclae, licet ad iudaizantium sectam non pertinuerint, tamen divinitatem Christi, redemptionem, miracula etc. respuebant (p. 11 sq). Saec. XVII° ecclesiam Russiacam, ob Niconis reformationem, raskolniki vexabant. De sectis rationalisticis huius saeculi parum scimus (p. 13). Saec. XVIII°, Petro M. eiusque successoribus regnantibus, protestantismus, protectione civili gaudens, late inter Russos propagabatur (p. 14); in altera autem saec. XVIII[i] parte Voltairianismus, imperatoribus non impedientibus, multos acquirebat discipulos. Ex quibus duobus fontibus, nempe protestantismo et Voltairianismo,

ut rivuli multae sectae profluxerunt. Quarum sectarum principia a sectis prima parte saec. XIX[i] exsistentibus ulterius evolvebantur (p. 15). Aliter res sese habet, si recentiores sectas spectamus, ex quibus aliae rationalismum, aliae atheismum inter Russos spargunt (p. 19 sq). Plures ex his sectis praeter rationalismi elementa etiam mysticismum colunt (p. 16 sq).

In sequentibus capitibus auctor de ipsis sectis rationalismum profitentibus disputat, et quidem: secundo capite disserit de štundismo (p. 20—37); tertio capite de secta »paškovščina« dicta (p. 38—61); in quarto cap. de »sjutajevščina« (p. 62—70); in quinto cap. de paškovščina secundum acta iudicialia (p. 71—123); in sexto cap. de eiusdem sectae publicationibus (p. 124—140); in septimo cap. de secta a Tolstoj fundata (p. 141—147); octavo cap. viri cuiusdam e secta paškovščina litteras, quae nos multum de hac secta edocent, adducit (p 148 157); nono cap. agit de rationalismo, prout viget in sectae, quae raskoľ dicitur, fractione quadam sacerdotium non admittente (p. 158—200); decimo cap. de secta »skopcy« (castrati) p. 200—219; ultimo capite enarrat, quomodo multi Russica natione abutantur, idque alii, ut ex ea commoda temporalia habeant, alii ut eam ad superstitiones perducant (p. 220—230).

Recentiores istae sectae una post aliam emergebant: septimo enim decennio saec. XIX[i] orta est in meridionali Russia secta, quae sub štundismi nomine venit, — octavo decennio Petropoli paškovščina cum sjutajevščina, — nono decennio Tolstoj novae sectae auctor exstitit.

Quarum sectarum originem, historiam, doctrinam Skvorcov describit capitibus, quae diximus, idque modo populari et ad praelectiones adaptato. Inde mirum esse nemini debet, si non omnia fuse descripta sunt vel, quod maximum est, si plura documenta seu opera hisce de rebus tractantia, non citantur. At multa, quae ad sectarum historiam spectant, historicus in citato libro inveniet, cuius auctor iam inde a pluribus annis hisce rebus studet.

Štundismus, a voce germanica ‚stunde' nomen ducens, ortus est in meridionali Russia ob speciales circumstantias ibidem tunc temporis exsistentes. Saec. XIX[i] enim sexto et septimo decennio, cum populus Russicus libertate donatus esset, cum doctrina simul etiam liberalismi principiis imbuebatur. Ad haec in meridionali Russia accessit, quod pastores protestantici illa in regione viventes, suam doctrinam inter orthodoxos divulgabant. Ad štundismi evolutionem et propagationem cum alia tum haec multum contulerunt: α) quod haec secta initio parum observata est; β) quod per iudices civiles ob sontium liberationem implicite protecta est; γ) quod clerus ad reagendum minime paratus erat. Denique lex a. 1894., prohibens sectae congregationes, eius celeri propagationi impedimentum posuit. Secta ex contemptu rituum, sanctorum, imaginum etc. initium ceperat, — dein temporis successu harum rerum fundamentum, nempe traditionem atque ecclesiam evertens, suas theorias libera scripturae interpretatione stabilire coeperat; — paulo postea etiam divinitatem Christi ac sacramenta respuit. Brevi: totum huius sectae systema religiosum, si melius inspicitur, ad socialismum et communismum viam sternit (p. 20 sqq.).

Liberalismus, Alexandri II. favore propagatus etiam inter superiorum classium homines discipulos haud paucos numero habebat. Cum enim Anglicanus Redstok (a. 1874.) Petropoli orationes suas haberet, Russi grato animo eum receperunt. Eius vero ideas maxime Basilius Paškov propagare studuit, idque magno cum successu usque ad a. 1884, quo ipse ex Russia migrare coactus est. Ipse omnia a Protestantibus mutuans, Lutheri fidem fiducialem ac bonorum operum absentiam late extendebat. Eius discipuli de potestate civili sinistre sentiunt (p. 38 sqq).

Sjutaev novam fundavit sectam, quae ex priore orta in eo solum differt, quod loco religionis, immo loco Dei, amorem ponit (p. 62 sqq.).

Secta a Paškov fundata brevi tempore multos acquisivit alumnos. Id eo facilius efficere poterat, quod societas quaedam Paškov spiritu animata, eius principia multis libellis publicabat. Auctor libros magis noxios nominat atque opera de eadem secta tractantia recenset (p. 124 sqq).

Tolstoismus secundum Skvorcov nihil nisi atheismus est (p. 141 sqq).

Sectae, quae raskol audit, fractio quaedam sacerdotium negans ex eo processit, quod primo ecclesiam sine sacerdotibus posse exsistere affirmabat, dein etiam debere ita constitutam esse asserebat; — Ex negatione autem hierarchiae ad alia neganda progressum fecit (p. 158 sqq).

M. Haluščyńskyj.

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

De causa Papae Honorii.

1. De causa Papae Honorii sic scribit Döllinger: „Ab anno 1650 omnis theologus alicuius nominis hanc sibi quaestionem tractandam assumpsit, de qua 150 annorum spatio plura scripta prodierunt, quam de quaecumque alia quaestione, historiam ecclesiasticam spectante totis 1500 annis“ [1]. Ratio huius rei est, quia, ut ait notissimus impugnator Infallibilitatis Romani Pontificis, Bossuet, nostrae causae peculiare praesidium praebet Honorius Papa“ [2]. Sic saltem ipse putabat et multi cum ipso, etsi re attentius considerata, iam anno 1870 auctor quidam catholicus scribere potuit: „Unum ex optimis argumentis pro infallibilitate Romani Pontificis nobis iam videtur esse Papa Honorius [3]. Et revera, si illi, qui infallibilitatem Romani Pontificis agnoscere recusant, firmius pro sua sententia argumentum non habent quam causam Honorii, ad quam semper tamquam ad suum Achillem confugiunt, victas dein manus, necesse est.

[1]) Papstfabeln 147.
[2]) Defensio l. 7, c. 21.
[3]) Civiltà 1870, X., 415.

I. Quisnam verus status quaestionis sit.

2. Duo omnino modi sunt, quibus causam Honorii in argumentum contra infallibilitatem Romani Pontificis convertere nituntur: aut Honorium ipsum in haeresim lapsum erroremque monotheleticum professum esse dicunt [4]), aut potius urgent, Honorium a concilio certe oecumenico tanquam haereticum damnatum esse sicque a concilio oecumenico aequivalenter fallibilitatem Romani Pontificis esse declaratam [5]).

Iam vero patet, in materia tam ampla tamque multiformi punctum saliens totius controversiae continuo ob oculos versari debere, ne totum negotium reflexionibus et inquisitionibus omnino superfluis intricetur potius quam dilucidetur. Quid autem quaeso, fatentibus amicis et adversariis, in tota de Papa Honorio controversia cardo et caput est? Nonne id quod totam controversiam in mundum introduxit, quodque usque in hanc diem semper novas pennas movet, ut in eius illustrationem nova quaedam si fieri possit momenta conferant: relatio intima huius facti, quam vel habet vel habere creditur, cum infallibilitate Romani Pontificis?

Tota igitur quaestio, forma maxime universali proposita, eo redit: utrum papa Honorius aliquid fecerit vel circa papam Honorium aliquid acciderit, quod cum dogmate de Infallibilitate personali Romani Pontificis conciliari nequeat.

3. Ut patet, duo hic in universum termini sunt, qui ad invicem comparari debent, unus est pure dogmaticus, infallibilitas sc. Romani Pontificis, qualis ab ecclesia Romana capiti suo tribuitur, alter est historicus, pars scilicet sive activa sive passiva, quam papa Honorius in causa Monotheletarum habuisse documentis historicis demonstratur.

4. A. Quod primum illum terminum, infallibilitatem dico attinet, luce clarius est, hunc conceptum non ex cuiuscumque hominis phantasia vel arbitrio, sed unice ab ipsa ecclesia Romana esse petendum. Ipsa enim est quae quasi prima in arenam descendens, capiti suo Romano Pontifici Infallibilitatem vindicat, adversarii autem logice nihil aliud velle possunt, quam negare praecise id, quod ecclesia Romana ponit, hoc est quam negare infallibilitatem, et quidem eam infallibilitatem quam ipsa ecclesia Romana capiti suo adiudicat.

Iam vero conceptus Infallibilitatis omni claritate et distinctione, quae desiderari potest, a concilio oecumenico Vaticano proponitur. „Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica Auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam de-

---

[4]) Sic S. Glagolev, Sverhestestvennoe otkrovenie (Harkov 1900) 429; N. Běljaev, O katolicizmě (Kazan' 1889) 184.

[5]) Sic imprimis Homjakov, Polnoe sobranie sočinenij [3], II. (Mosk. 1886) 78. 190; VII, 122; Běljaev, l. c.

finit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit: ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse“ [6]).

Ut igitur ex causa Honorii contra infallibilitatem Romani Pontificis legitimum efficiatur argumentum, ex historia ostendi debet, papam Honorium, potestate sua suprema Pastoris et Doctoris omnium Christianorum, eaque non quocumque modo, sed secundum totam eius plenitudinem utendo, toti ecclesiae definitivo modo credendum proposuisse aliquid falsum. Similiter, si quis ex concilio sexto argumentum contra infallibilitatem Romani Pontificis construere velit, debebit ostendere, concilium authentice declarasse: Honorium, auctoritate sua suprema Pastoris et Doctoris omnium Christianorum abutendo, toti Ecclesiae definitiva sententia errorem aliquem tenendum iniunxisse.

5. Quodsi quis aliud quid ostendat, ut: Honorium quaestionem non perspexisse, Honorium in re, de qua agitur errasse, haeresim credidisse, haeresim manifestasse, haeresi sive scienter sive ignoranter favorem praestitisse, haeresim praedicanti se non opposuisse et his similia; vel etiam si quis ostendat, concilium sextum damnasse Honorium, et quidem tamquam haereticum, immo etiam ut haereticum proprie dictum et formalem — aliquid talis profecto probaverit; at, quamdiu non ulterius probare poterit, Honorium modo superius exposito falsam definitionem ex cathedra edidisse, vel a concilio sexto propter editam falsam definitionem ex cathedra damnatum esse, contra infallibilitatis dogma ne latum quidem unguem profecerit.

Demonstraverit utique talis, Romanum Pontificem, etiam ex concilii oecumenici sententia, non esse omni possibili Infallibilitatis modo et gradu infallibilem, at non demonstravit, Romanum Pontificem non esse eo Infallibilitatis modo et gradu infallibilem, quem modum et gradum solum Ecclesia Romana capiti suo vindicat. Non enim unquam affirmavit Romana Ecclesia, caput suum ut personam privatam errare non posse: hoc potius tamquam blasphemiam longe a se reicit. Neque asserit Romana Ecclesia, Summum Pontificem, eo ipso quod tamquam Pastor et Doctor omnium fidelium loquitur, semper esse infallibilem: agnoscit potius Romanum Pontificem etiam cum vi muneris sui, ex quo solo talem potestatem habet, universam Ecclesiam alloquitur, posse id facere sine intentione aliquid definiendi, id est, semel pro semper irrevocabiliter terminandi, immo cum positiva intentione tantum disciplinariter aliquid statuendi et in tali casu nequaquam dicit eum infallibilitate gaudere. Neque unquam Romana Ecclesia asseruit, errorem a Romano Pontifice, alterutro horum modorum agente commissum, non posse etiam a concilio oecumenico infallibiliter declarari.

---

[6]) Sessio IV. Constitutio I. Caput IV.

6. Unicum, quod dogmate Romanae Ecclesiae de infallibilitate sui capitis asseritur, est hoc: caput suum, cum ut persona publica, id est ut Pastor et Doctor omnium Christianorum, non quocumque modo docet, sed suprema potestatis sibi a Deo commissae intensitate uti volens, definitiva sententia aliquid proponit ut ab universa Ecclesia necessario tenendum; tunc eum vere esse infallibilem et consequenter a priori, vi huius ipsius dogmatis, nullam oecumenici alicuius concilii decisionem exstare posse, quae Romanum Pontificem in his circumstantiis errasse definiverit.

Hunc esse verum statum quaestionis quivis aequus rerum aestimator facile dabit. Quid enim contra infallibilitatem Romani Pontificis proficitur, si ostendas Romanum Pontificem in iis circumstantiis errasse, pro quibus nec Ecclesia Romana ipsa inerrantiam eius admittit vel statuit? Quare si quis infallibilitatem Romani Pontificis vere impugnare velit, officium ei incumbit ostendendi aut: Honorium falsam definitionem ex cathedra edidisse, aut: concilium sextum eum tamquam falsae definitionis ex Cathedra reum condemnasse.

7. B. Alter conceptus, quo nobis in nostra disquisitione comparativa opus est, est conceptus ut dixi historicus: est ipse Honorius „historicus", id est, ille Honorius, quem et qualem nobis documenta authentica demonstrant. Quo ipso ad quaestionem in praeterito quidem maxime agitatam devolvimur, utrum ea documenta, ex quibus ante omnia nostras de Honorio notitias haurire debemus, epistolas dico Honorii et acta sextae synodi sint authentica necne. [7])

Incredibile est, quanta vi, quanta eruditione, quanto acumine in utramque contradictionis partem a viris ingenio et scientia insignibus decertatum sit. [8]) Non obstante autem ingenti rationum apparatu, qui ad authentiam illorum documentorum destruendam constructus est, hodie res eliquata est: neque epistolarum Honorii neque actuum concilii sexti, substantiam rei quod spectat, authentia ulterius in dubium vocari potest.

Videlicet, dum theoria falsificationis non tam argumentis directis quam potius suspicionibus et hypothesibus nitatur, quarum solus numerus iam vertiginem parit, e contra ex documentis, quae ipsi

---

[7]) Textus praecipui collecti inveniuntur apud Ghilardi, Honorius Papa, Taurini 1870, pp. 73 sqq.

[8]) Rationes eorum, qui authentiam negant, optime expositae sunt a H. Colombier (Études 1870, I., 29—46), quamvis ipse oppositam sententiam teneat. Eandem theoriam expositam et accurate refutatam invenies apud Thomassinum, Dissertationum in Concilia tomus singularis, Lucae 1728, pp. 456 sqq.; Chmel, Vindiciae concilii oecumenici, VI. Pragae 1777; Natal. Alex., Hist. Eccl. Venetiis, 1778, V., pp. 516 sq.; Hefele, Conciliengeschichte [2], III., 173; 299—313; Pennacchi, De Honorii causa in concilio sexto. Romae 1870; pp. 35, 75 sq., 193 sq.

Authentiam negarunt inter alios Baronius, Annales ad AA 633, 680, 681, 683, 583; Bellarminus, De Romano Pontifice, l. IV., c. 11; (Charles Merlin) Examen exact et détaillé du fait d'Honorius 1738 (Migne, PL 80, 991—1080).

corruptionis defensores agnoscunt tamquam authentica, ostendi potest, epistolam primam Honorii esse substantialiter incorruptam. Epistola secunda vero etsi quasdam novas difficultates exhibet tamen hae sunt eiusdem generis ac difficultates in prima epistola iam habentur et praeterea non pauca continet, quae Honorio quam maxime favent, unde ratione secundae epistolae status rerum moraliter nullo modo mutatur, ita ut, epistolae primae authenticitate semel demonstrata, arbitrarie et irrationabiliter de authenticitate secundae dubitaretur. Quod demum acta concilii sexti attinet, positive ostendi potest falsificationem eorum fuisse impossibilem et ipsa actuum concilii quinti falsificatio quae in concilio sexto detecta est quaque adversarii maxime nituntur, tantum ab est, ut hypothesim falsificationis fulciat, ut potius evidens argumentum sit, etiam actuum concilii sexti falsificationem, siquidem locum habuisset, latere nullo modo potuisse.

8. Quae authentiam epistolae primae demonstrant, alia concilium sextum praecedunt, alia ad ipsum pertinent. Praecedunt testimonia Ioannis IV, [9]) Ioannis Philoponi [10]) et Maximi [11]); ad concilium sextum spectat epistola dogmatica Agathonis [12]).

Cum enim Pyrrhus, Sergii successor, Honorium in suas partes trahere niteretur, Ioannes IV. statim ad Constantinum III. Imperatorem literas dedit, quibus haec commemoret: Sergium scripsisse aliquando epistolam ad Honorium, in qua ei significaret, „quod quidam in Redemptore nostro Domino Iesu Christo duas contrarias dicerent voluntates. Quo praefatus Papa comperto, rescripsit ei" „quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, id est, in membris ipsius, penitus non consistunt quoniam nihil vitii traxit ex praevaricatione primi hominis," „quoniam a Redemptore nostro natura suscepta est, non criminis culpa. Sed ne quis nonnumquam, minus bene intelligens, reprehendat, quam ob rem de humana tantum natura et non etiam de divina natura docere sciatur, . . .: debet qui super hoc ambigit, scire quoniam ad hoc facta est responsio ad iam dicti patriarchae interrogationem." „Praedictus ergo decessor meus, docens de mysterio incarnationis Christi, dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates. Quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis eius et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium."

Ex hoc testimonio haec habemus: Scripsit revera Honorius ad Sergium: huic querenti, esse qui docerent contrarietatem voluntatum in Christo, respondit: non esse in Christo duas contrarias voluntates; hoc autem non omnino clare scripsit, ita ut eius verba ansam dederint, ipsi imputandi, quasi non solum duas contrarias sed omnino duas

[9]) Migne, PL 129, 561 sqq.
[10]) In disputatione s. Maximi cum Pyrrho. Migne, PG 91, 329.
[11]) In ep. ad Maximum. Migne, PL 129, 567 sqq.
[12]) Mansi, XI., 233 sqq.

in Christo voluntates negaret, unam ei solummodo voluntatem tribuens: ratio obscuritatis in eo erat, quod Honorius, ut concupiscentiam, pugnae causam, a Christo excluderet, totus in natura eius humana integra declaranda et demonstranda erat, de divina eius natura omni consideratione et mentione seposita.

Haec eadem confirmantur ex verbis Ioannis Philoponi, Honorii et Ioannis IV. pontificum secretarii, cuius manu Honorius illam epistolam scripserat „Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent,[13]) respondimus, Christum duas voluntates contrarias non habuisse, carnis scilicet et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter eius humanitatem insigniret.“ Ad quaestionem deinde: »Ecquid causae est, cur de Christi humanitate agentes, eius divinitatis non memineritis? Respondemus primum quidem respondisse ad quaestionem; deinde, ut in omnibus, sic etiam hic consuetudinem Scripturae nos secutos esse, quae aliquando de divinitate eius disserit . . ., aliquando vero de humanitate, eaque sola.“

Nominatim ex hoc textu etiam illud sequitur, Honorium suo utique sensu, revera posuisse verbum illud, quo, suo sensu sumpto, Monotheletae tamquam tessera utebantur: *ἓν μόνον,* unam tantum, i. e. voluntatem.

S. Maximus vero loco supra indicato ipsa verba affert, quibus Honorius unam voluntatem asseruit: „Unde et unam voluntatem fatemur Domini Iesu Christi,“ immo et horum verborum contextum tum antecedentem tum consequentem tam copiosum affert, ut magnam epistolae partem descripsisse censendus sit.

Argumentum denique novum huius epistolae, de quo hi priores testes nondum loquuntur, indicat nobis ipse s. Agatho, in epistola sua dogmatica in concilio sexto lecta, cum ait, ex quo nova haeresis exorta esset, antecessores suos nunquam intermisisse, auctores eius hortari, ut a novo dogmate praedicando „tacendo saltem desisterent“ [14]): quod in solum Honorium cadere potest, cum et ipse solus primo haeresis publicae auctori aequalis fuerit, nec de huiusmodi monitione ab alio pontifice Romano facta ullum habeatur vestigium.

Iam vero his omnibus, omnino certis positis, quis non videt, in epistola prima Honorii quam in manibus habemus, haec omnia revera contineri, et ita contineri, ut et inter se omnia optime cohaereant et epistolae toti illum quasi colorem dent, quem habuisse ex illis testimoniis necessario supponendum est? [15])

9. Quod ad authentiam actuum concilii sexti spectat, omitto argumenta, ex conciliis Toletanis XIV et XV et ex Libro diurno petita, quibus saltem anathema contra Honorium in concilio sexto latum invicte probatur.[16]) Sed ipsa acta tota quanta falsare, fuisset res impossibilis.

---

13) Secundum textum graecum, l. c.
14) Mansi, XI., 243.
15) Cf. H. Colombier, Études 1870, I., 258 sqq.
16) Videsis Colombier, l. c., 374 sqq.

Etsi enim forte unum tantum exemplar authenticum fuerit factum, plures eiusdem copias in charta ordinaria confectas esse, magnus numerus exemplarium quinti concilii in concilio sexto prolatorum, ostendit; ex eo enim patet, conciliorum acta generatim in multorum manibus fuissse. Praeterea cum saltem singuli patriarchae suum quisque notarium in concilio haberent, ex horum notis, si opus erat, facillime sciri potuit, quid in concilio accidisset quidve in actis haberetur, quid non.

Quid quod auctor vitae Leonis II fere aequalis hanc ipsam sextam synodum „studiosissime in Latinum translatam" esse declarat [17]), quod Leo II. ipse episcopis Hispanis scribit, se versionem latinam nondum mittere posse utpote nondum terminatam [18]), quod auctor vitae Ioannis V. narrat, hunc pontificem, cum in concilio sexto Agathonis legatus fuisset „ipsam sanctam sextam synodum secum detulisse" [19]), quod demum ipsa versio vulgaris ex codice Bellovacensi hausta est, qui aut ipse tempore Sergii (687—701) scriptus, aut e codice illo tempore facto descriptus sit!

10. Atque haec de auctoritate fontium nostrorum satis esse possunt. Inquirendum iam ex ipsis hisce fontibus, quid tandem Honorius, quid concilium sextum egerit ut clare appareat, utrum Honorius „historicus" tamquam argumentum contra infallibilitatem Romani pontificis iure in medium proferatur.

II. Honorius definitionen ex cathedra falsam non edidit.

11. Atque ut attentionem totam statim eo conferamus, ubi vulneri locus esse dicitur, num ostendi potest, Honorium definitionem ex cathedra falsam edidisse? Affirmat id inter alios explicite Gratry. (apud Granderath, Geschichte des Vaticanischen Concils II. p. 521.) Clara ad hanc quaestionem sit responsio: Honorius definitionem nullam edidit, ergo nec de falsa definitione sermo esse potest. Omnia ex propositione maiore seu antecedente pendent, si enim nihil definivit, ergo nec falsum quid definivit, quod tamen antecedens nullo negotio invicte probatur.

12. Disputant quidem auctores, quid ad definitionem ex cathedra requiratur: signa afferunt, quibus definitio ex cathedra dignoscatur. Duo, vel, si mavis tria in hac re certa sunt: primum quod absolute, nemine refragante ad habendam definitionem ex cathedra requiritur, est ut Romanus pontifex definitionem ex cathedra edere velit; secundum ut hanc suam voluntatem signis ex natura sua ad id aptis manifestet; tertium ut, saltem ordinarie, iis fere signis utatur, quae tali tempore ut signa huius voluntatis communiter satis nota sunt.

Possemus statim quarere, utrum Honorius voluntatem quidquam definiendi habuerit: incipiamus tamen potius a signis seu notis externis definitionis. Iam vero quisquis primam vel etiam secundam

17) Migne, PL 128, 844.
18) Mansi, XI., 1052
19) Migne, PL 128, 875.

Honorii epistolam perlegerit, statim concedet, signum definitionis ex cathedra in illis nullum apparere.

13. Non apparent signa illo tempore ordinaria, quae erant fere haec. Primum non solebant Romani Pontifices quidquam definire, nec ullam circa fidem vel mores controversiam authentice et definitivo iudicio terminare, nisi postquam in synodo aliqua seu conventu episcoporum traditionem apostolicam circa quaestionem controversam diligenter discusserant. Et, nisi in quaestionem controversam diligenter inquisivissent, quomodo sine summa temeritate hoc vel illud tamquam fidem antiquam ecclesiae omnibus credendum imponere audere potuissent?

Deinde quod sic definiebant, non consulebant tantum aliquomodo, nec ad illud tenendum tantum excitabant et animabant, sed illud per modum verae legis, absolute et irrevocabiliter sub poena anathematis et aeternae damnationis credendum imponebant.

Tertio denique hanc sententiam, mediantibus metropolitis in totam ecclesiam ut diffunderetur, diligenter curabant. Istum autem propositionis et diffusionis modum quoad essentiam etiam necessarium esse ut habeatur vera definitio, hoc est ut censeri possit papa, quemadmodum Vaticanum loquitur, „pro suprema sua auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definire“ pariter ex natura rei manifestum est.

14. Iam vero nihil horum omnium fecit Honorius. Cum a Sergio consuleretur, „rescripsit“ quidem, ut ait Ioannes IV et Ioannes Philoponus secretarius, sed de synodo quae praecesserit, de episcopis quos consultaverit, de inquisitione aliqua seria quam iustituerit nihil omnino legimus. Immo potius identidem Honorius explicite notat, quaestionem propositam „synodos non examinavisse“, circa illam „synodica iudicia“ nulla haberi [20]).

Sed neque quidquam in duabus epistolis, quod alterum elementum definitionis esset, per modum legis vel praecepti proprie dicti eiusque irrevocabilis, totam simul ecclesiam ligantis praescribit. Iuvat hic quosdam textus ex epistola Agathonis eiusque synodi afferre, ut appareat, quanam lingua tunc Romani pontifices uterentur, cum aliquid serio terminare et irrevocabiliter definire vellent [2]). „Eximenda proinde, sic ait Agatho, ac summis conatibus cum Dei praesidio liberanda est sancta Dei ecclesia christianissimi vestri imperii de talium doctorum erroribus et evangelicam orthodoxae fidei rectitudinem, quae fundata est super firmam petram huius beati Petri Apostolorum principis ecclesiae, quae eius gratia et praesidio ab omni errore illibata permanet,. omnis praesulum numerus ac sacerdotum, cleri ac populorum, unanimiter ad placendum Deo animamque salvandam, veritatis formulam apostolicae traditionis nobiscum confiteatur et praedicet“ [22]). Et in epistola eius synodica sic legitur: „Quicumque proinde sacerdotum

---

[20]) Ep. I. circa medium.
[21]) Cf. etiam verba Coelestini, pag. 59.
[22]) Mansi, XI., 278.

haec, quae in nostrae humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter praedicare desiderat, ut nostrae apostolicae fidei concordes, ut consacerdotes, ut comministros eiusdem fidei et, ut simpliciter dicamus, ut spiritales fratres et coëpiscopos nostros suscipimus. Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos catholicae atque apostolicae confessioni, perpetuae condemnationis reos esse censemus, nec aliquando tales in nostrae humilitatis collegio nisi correctos suscipere patimur" [23]).

Cum quibus verbis haec alia Honorii in fine epistolae conferenda sunt. „Licet cum eis quos praedictus frater et coëpiscopus noster misit Sophronius, egerimus, ne duarum operationum appellationem deinceps pergeret praedicare; quod quidem omnino promiserunt praedictum virum esse facturum, si Cyrus, frater noster et coëpiscopus, desinat dicere unam operationem": „agit" tantum, conditiones admittit. Ex qua comparatione clare apparet, quam recte quantoque iure Petrus Ballerini [24]) scripserit: „Sicut ... non omnia, in quibus summi pontifices apostolicam auctoritatem interponunt, sunt definitiones dogmaticae, quibus immunitas ab errore tribuenda sit; ... ita fidei definitiones dici nequeunt epistolae Honorii ad Sergium, quae etsi circa negotium fidei versantur, et publicam personam creduntur praeferre, nihil tamen credendum decernunt, nihil damnant uti contrarium fidei, uti definitio proprie dicta exigeret", sed tantum, ob impedienda scandala, oeconomice silentium de una vel duabus voluntatibus postulant.

Neque tandem Honorius ullo modo sollicitum se ostendit, ut id quod Sergio scribit, omnibus ubique fidelibus credendum communicetur et praescribatur, nec „ut omnis praesulum numerus ac sacerdotum cleri ac populorum unanimiter ad placendum Dei animamque salvandam" »confiteantur", in Christo nec unam nec duas esse voluntates.

15. Postremo argumentum peremptorium, quo etiam illud effugium prorsus excluditur, Honorium neglecta forma definiendi consueta, forte singularem quemdam in definiendo modum tenuisse, sunt ipsissima Honorii verba quibus definitionem edere expresse recusat.

Cum Sergius callide Honorio scripsisset, etsi nullus Pater de duabus in Christo voluntatibus locutus esset, aliquos tamen locutos esse de una in Christo voluntate, respondet Honorius, quae isti aliqui doctores balbutiendo dixerint de una sc. in Christo voluntate, „non oportet ea convertere ad dogmata ecclesiastica, quae neque synodi examinarunt, neque canonicae auctoritates visae sunt declarare: ut unam aut duas operationes audeat quis in Domino Iesu Christo praedicare"; et paulo inferius de iisdem: „quae quidem non expedit transferre ad dogmata ecclesiastica" [25]), ubi animadvertendum est, eum, etsi in primo textu etiam de duabus voluntatibus loquatur, tamen id, quod primario negat ad dignitatem dogmatis elevandum esse, esse praecise „unam" voluntatem, ut circa quam

[23]) Mansi, XI., 298.
[24]) De vi et ratione primatus Romani Pontificis. Romae, 1849, p. 287.
[25]) Ep. I. post medium.

solam, referente Sergio, balbutiendo aliquid pauci patres protulerint, cum de duabus omnes tacuerint. Demum in secunda epistola idem etiam clarius enuntiat: „neque unam neque duas operationes in Dei et hominum intercessore definire . . . debemus"; „auferentes ergo, ut diximus, scandalum novae inventionis, non oportet nos definire aut praedicare unam aut duas operationes".

Quare non immerito Ballerini[26]: „Quis, ipso pontifice definitionem a se editam negante, fidei definitionem erroremque definitionis fidei in eius litteris contineri audeat affirmare?"

Quodsi quis hic excipiat, verbum „definire" hic a pontifice non sumi sensu declarationis authenticae et irreformabilis, i. e. „definitionis" sensu technico, sed tantum pro „asserere unum prae alio", quam sententiam non nego esse multum probabilem, tamen manet argumentum praecedens et hoc ipsum etiam fit fortius: Si enim ne asserere quidem vult „unam" voluntatem prae „duabus", multo minus potest dici eum „unam" prae „duabus" etiam „definire" voluisse.

Recte ait Dechamps: »Non id agitur, utrum hae epistolae de quaestione aliqua dogmatica tractent, sed utrum eam definiant".[27] Iam vero extra omne dubium est, Honorium in suis epistolis prorsus nihil ideoque nec errorem aliquem contra fidem definivisse, unde ex eius epistolis contra infallibilitalem Romani pontificis ab ecclesia Romana assertam, infallibilitatem dico in definiendo, argumentum nullum desumi potest.

16. Postquam sic quaestionem fundamentalem de Honorio clare et, ut videtur, sine ira et studio evolvimus, aliae plures de eodem Honorio quaestiones subnectendae sunt, quae saepe saepius et non sine claritatis et certitudinis detrimento cum priore illa confunduntur vel male permiscentur, quarum distincta tamen solutio et necessaria est et ad ipsam quaestionem principalem uberiore luce perfundendam mirum in modum confert.

III. Honorius nec haereticus fuit nec haeresim docuit.

17. Fuitne Honorius haereticus? En prima quaestio quae se nobis offert, quae per resolutionem superioris quaestionis nondum potest censeri soluta. Non definivit Honorius aliquid haereticum, hoc certissimum est, cum nihil definiverit; sed num forte tamen ipse haereticus fuit, num forte haeresim etiam, etsi non definivit, at saltem docuit?

Non enim idem est, pontificem Romanum esse haereticum, immo „approbare doctrinam haeretici ac — doctrinam illam definire ut Summum Pontificem et Pastorem et toti Ecclesiae proponere, ut est manifestum"[28]; prius illud minus est, hoc maius, si maius non fecit. num forte saltem minus illud fecit, num minus illud saltem facere potuit?

---

[26]) l. c. 287.
[27]) apud Granderath l. c. 536.
[28]) Thyrsus Gonzalez, De Infallibilitate Romani Pontificis, Romae, 1689, p. 718

18. Quod primo possibilitatem attinet: plures certe theologi cum Melchiore Cano admittunt, Romanum pontificem etiam in haeresim incidere posse immo nullus theologus „tamquam omnino certum statuit, papam non posse esse haereticum“, „et nonnulli fatentur, aliquos pontifices de facto contra fidem errasse“ [29]).

Ex quo theologorum iudicio conclusio practica summi momenti inferenda est. Si enim theologi catholici in quaestione hac, utrum sc. papa ipse in haeresim incidere possit adeo ad sobrietatem sapiunt, cum eos deinde hunc vel illum pontificem, qui haeresis suspicionem incurrerit, nihilominus, omnibus rite examinatis, ab haeresi liberare videmus, iniuste hoc praeconcepto eorum systemati tribueretur, quasi non propter rationes obiectivas, sed tantum ne Romano pontifici maculam aspergant, ita loqui dicendi sint.

Aliunde vero, etsi tantum hoc definitum sit, Romanum pontificem, cum ex cathedra loquitur, errare non posse, tamen minime ex eo sequitur, Romanum pontificem in aliis suis actibus non gaudere speciali protectione et gubernatione divinae Providentiae. Quare etsi tantum de definitionibus eius certo sciamus, specialem Dei erga ipsum Providentiam se usque ad veram et proprie dictam inerrantiam protendere, tamen iniquum merito putaremus, specialem hanc Dei erga ipsum Providentiam adeo velle coarctare, ut eum in omnibus aliis actibus suis tam facile et tam graviter errare permitteret. Hoc pro episcopis, si quidem viri probi et pii sint, qui Dei spiritu regi se sinant, non admittimus, hoc multo minus pro Romano pontifice, totius ecclesiae pastore et doctore sine iniuria erga Christum, invisibile ecclesiae caput admittere possumus.

Quare etiamsi quis cum pluribus theologis admittat, Romanum pontificem etiam in haeresim incidere posse, id certe in nullo singulari casu pronuntiandum, nisi argumentis omnino convincentibus probetur. Ceterum, si historiam consulamus, tanta apparet fuisse hucusque Dei circa caput ecclesiae Providentia, ut nullus Romanus pontifex nominari possit, qui, cum iam esset pontifex, haeresim proprie dictam et formalem certo commiserit.

19. Quod scilicet quaestionem facti attinet, utrum ullus unquam Romanus pontifex certo in haeresim inciderit, dum orthodoxi nonnulli etiam hodie nobis Honorium tamquam haeresis reum indigitant, catholici fere omnes, ipsis Jansenistis pluribusque Gallicanis non exclusis, eum ab omni haeresis suspicione certissimis argumentis liberari statuunt. Ex orthodoxis Glagolev loco citato, de Romanis pontificibus tempore oecumenicorum conciliorum loquens ait: „quidam ex eis haereticum se exhibuit“, nominatque Honorium; sic Běljaev loco item citato: „Frustra quoque scriptores ultramontani epistolas Honorii in tali sensu explicant, ut in ipsis nihil insit nisi iudicia sana et optima. Ad convincendos Papistas epistolae Honorii conservatae sunt in actibus IV. concilii oecumenici, una tota, alterius fragmenta. Qui eas legerit, ei

---

[29]) Gonzalez l. c.; cf. Scheeben, Das Vaticanische Konzil II., Regensburg 1870, p. 113.

facile persuasum erit, papam, anathematizatum in eis, omnino non illas sententias exposuisse, quas ei theologi Romani huius temporis subdere conantur, verum doctrinam monotheleticam nullo modo mitigatam. Ita intellectae sunt Honorii epistolae etiam a concilio, quod eis diligentissime consideratis, iudicavit eas esse omnino alienas ab apostolica doctrina" [30]).

Iam vero ut pateat, quam recte auctores catholici Honorium haereticum monotheletam fuisse vix non uno ore negent, ante omnia unum animadvertendum est, quod saepe non attenditur et tamen pro nostra quaestione maximi, imprimis hodie, est momenti. Etsi enim medio aevo et usque ante aliquot saecula haeresis frequentissime latiore sensu intelligebatur, tamen hodie communiter ad sensum valde arctum constringitur.

Ut enim acute notat Colombier [31]), dum haeresis etymologice separationem significat, communis huius nominis significatio, propter duplex, quod continet elementum, separationem ipsam dico et id, a quo quis se separat, aliis temporibus alia fuit. Dum enim alias etiam ille haereticus dicebatur, qui se non a dogmate stricte dicto avertebat, sed tantum v. g. aliquid communiter auctoritate scripturae admissum negabat, hodie haereticus simpliciter tantum ille est, qui veritatem revelatam ab ecclesia ad credendum iam clare propositam credere recusat. Ulterius, dum antiquitus quivis modus a praedicatione ecclesiae recedendi et favor quivis haereticis praestatus haeresis ipse vocabatur, hodie haereticus proprie dictus non censetur, nisi qui cognitum tamquam ab ecclesia propositum dogma actu formali vel aequivalenti negat.

[30]) Sobor anathematstvuet papu. A otsjuda prjamoj i estestvennoj vyvod, čto avtoritet papskij ne est' avtoritet verhovnyj, čto i nad nim možet byt' sud. Položim dalěe, čto papa osužden ne za eres', a, tak skazat', za neraděnie i slabost', za bezdějstvie vlasti. No edva li i takoe ponimanie smysla sobornoj anathemy garmoniruet s ideej papskoj nepogrěšimosti. Papa s passivnym bezmolviem vziraet na razvitie eresi. Uže samoe bezmolvie ego v takoe vremja, kogda nastoit nadobnost' v avtoritetnom slově, est' otricanie etoj idei. Nět proricanij, nět i orakula. Naprasno takže ul'tramontanskie pisateli kommentirujut poslanija Gonorija v takom smyslě, čto v nih buďto by ničego nět, kromě suždenij samyh zdravyh. V uliku papistov poslanija Gonorija sohranilis' v aktah VI. vselenskago sobora — odno v cěl'nom vidě, a drugoe v otryvkah. Pročitavši ih, legko uběditsja, čto anathematstvovannyj papa razvival v nih vovse ne tě vozzrěnija, kotoryja usilivajutsja navjazat' emu teperešnie bogoslovy Rima, a monothelitskuju doktrinu so vsěmi eja krajnostjami. Tak ponjaty poslanija Gonorija i soborom, kotoryj, poslě samago tščatel'nago razsmotrěnija ih, priznal ih „soveršenno čuždymi apostol'skomu učeniju." Iz aktov sobora vidno pritom, čto takuju ocěnku poslanij papy soborom nado prinimat' ne v otricatel'nom tol'ko eja značenii, no predimuščestvenno v položitel'nom. Ne potomu tol'ko priznal ih sobor čuždymi blagoćestija, čto ne našel v nih zdravago cerkovnago učenija, a glavnym obrazom potomu, čto v nih zaključalas' eretičeskaja doktrina „Nahodim nužnym . . . my uběd ilis', čto on vpolně razděljal ego mněnie i podtverdil ego nečestivoe učenie . . . N. Běljaev, O katolicizmě. Kazan' 1889 p. 184—5.

[31]) Études, 1869 II. 839 ss.

Hac autem hodierna vocabuli haeresis significatione supposita, evidens est, Honorium nullo modo haereticum fuisse, non solum non formalem, verum ne materialem quidem. Ut enim possibilis sit haeresis, etiam mere materialis seu obiectiva, necessarium est ut veritas, de qua agitur, sit iam ab ecclesia clare ad credendum omnibus proposita. Atqui tantum abest, ut veritas de duabus in Christo voluntatibus tum temporis iam fuerit clare proposita, ut ipse Honorius, ut vidimus neget, quaestionem de una vel duabus voluntatibus esse unquam studiosius examinatam, multo minus ab ecclesia definitam. „Ad haeresim materialem requiritur, sic Gonzalez[32]), quod quis neget veritatem, quae inconcusse est de fide apud omnes doctores catholicos, quin ecclesia toleret oppositum. Quando autem Honorius scripsit, non erat ita explorata illa veritas de duplici Christi voluntate, quae postea definita est contra Monotheletas in sexta synodo generali.“ Igitur etiam si errasset, errasset tantum in eo, „quod non erat adhuc expresse definitum, nec adhuc satis constabat, an esset de fide.“

Neque excipi potest, sub respectu, de quo agitur, Romanum pontificem non esse eiusdem conditionis ac simplices fideles, ut a quo definitio dependeat. Dependet utique ab ipso, et ideo, ut doctrinae gratia casum in extremis suis consequentiis consideremus, quamdiu quidem res nondum est definita, ab ipso pendet, utrum si veritatem talem negat, sit haereticus necne. Ab eius enim voluntate pendet, utrum definire velit necne; quare si non definit, vel etiamsi definit, in tempore tamen definitionem ipsam praecedente, etiam ipse Romanus pontifex, si veritatem illam negat, non committit haeresim; definitione vero semel prolata, neque ipse Romanus pontifex ullo modo impedire potest, quominus, si veritatem a seipso definitam neget haereticus eo ipso evadat non secus atque quivis fidelium. Atqui Honorius quaestionem neque definitam iam invenit, neque ipse eam definivit, ergo impossibile fuit, ut, veritatem duarum voluntatum in Christo negando, haeresim, etiam materialem tantum committeret.

IV. Honorius errorem Monotheleticum nullo modo docuit.

20. Sed num saltem veritatem duarum in Christo voluntatum etsi tunc temporis nondum definitam revera negavit? Num saltem, quod Suarezius concedit in Romano Pontifice facilius posse admitti[33]), sine ulla contumacia, ex mera ignorantia circa duas in Christo voluntates erravit? En altera quaestio subsidiaria.

21. Affirmative respondent scriptores orthodoxi superius laudati. Hefele, ad quem Glagolev se provocare posse putat, uno loco[34]) existimat explicationem epistolarum Honorii a Ioanne IV, Ioanne Philopono et Maximo datam, quae Honorium ab omni errore theoretico

[32]) l. c. 718.
[33]) Disp. 10. de fide, Sectio 6, Num. 11.
[34]) Konzilien-Geschichte² III. p. 171.

liberat, esse „suaviorem quam veriorem"; epistolas eius, nominatim primam, „revera erronea continere" [35]), cum alibi [36]) asserat, Honorium „obscure" quidem, at non „haeretice" cogitasse".

Contradictionem viri meritissimi et clarissimi iam notavit Colombier [37]). Est quidem per se ut ipsi ostendimus aliud haeresis, aliud error, at quod soli „claritati" opponitur, ideo nondum erroneum est, ideoque si secundum Hefele et secundum ipsam rei veritatem, doctrinam ipsam quod spectat, unicum Honorii vitium obscuritas est, non solum non haeresim, utpote in re nondum definita, sed neque errorem commisit.

Unde melius iam ante Hefele scripsit Alexander Natalis [38]): „Honorius ab haeresi excusatur tam vere quam pie", ubi pariter haeresim latiore sensu sumit, Honoriumque non solum ideo ab haeresi excusat, quod errorem bona fide amplexus sit, sed etiam ideo, quod eius epistolae simpliciter et obiective sensu catholico explicari possint et ideo debeant, cum error supponi non debeat, sed probari. Eodem modo intelligenda sunt verba Colombier, liberantis sc. Honorium non tantum ab haeresi proprie dicta, verum etiam ab errore in re nondum definita: „Epistolae Honorii orthodoxae sunt: haec conclusio hodie fere ab omnibus admittitur, qui apti sunt, ut sibi ipsi de tota quaestione iudicium forment" [39]).

22. Neque in re, quam ipsi examinare possumus, aliorum indigemus assertionibus. Epistolae enim ipsae Honorii, licet defectum aliquem claritatis in mente Honorii arguant et consequenter in modo agendi et loquendi eius titubationem aliquam prodant [40]), ad rem quod spectat nihil falsum enuntiant et veritatem ipsam catholicam de duabus in Christo voluntatibus exhibent.

Ad „rem" quod spectat, dico; nam „verba" praecise obscuritatis sedes sunt, ita ut labor quidam et reflexio requiratur ad percipiendum, quidnam illis verbis Honorius dicere voluerit; ubi primum vero per obscurorum verborum durum corticem ad rem ipsam pertingitur, quam illis verbis significare vult, nil nisi catholicum, verissimum, etsi non ad rem, de qua obiective agebatur, dirimendam aptum invenitur; quomodo vero factum sit, ut alibi proprie dictum vulnus esset, alibi ab Honorio imperito medico medicina adhiberetur, explicationem simplicissimam habere ex sequentibus nullo negotio patebit.

A) Cur terminis duarum operationum et duarum voluntatum non utatur.

23. Ad obscuritatem in solis verbis residentem pertinet, quod Honorius dogma catholicum non enuntiat termino natura sua

---

[35]) ibid. 175.
[36]) ibid. 152.
[37]) Études 1870 I. 260 Nota.
[38]) H. E. V. 522.
[39]) Études 1780 I. 373 coll. 270 sqq.
[40]) Cf. Grisar, Kirchen-Lexikon² VI. 243 s.

aptissimo et postea definitione concilii sexti consecrato, duarum sc. voluntatum et duarum operationum: quam verborum obscuritatem orthodoxiae rerum enuntiatarum non officere ex eo patet, quod aliis verbis Christum habere duas physicas operationes duasque voluntates dixit.

Nam: „In sexta oecumenica synodo, inquit De San[41]), recitatur[42]) tamquam peremptorium contra Monothelitarum haeresim illud sancti Leonis M. testimonium ex celebri dogmatica epistula 28ª ad Flavianum: ‚Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, carne autem exsequente quod carnis est'. In quae notarunt apostolicae sedis legati: ‚Ecce, benignissime Domine, manifeste duas naturales operationes inconfuse et indivise in Domino Nostro Iesu Christo praesens sanctissimus praedicat pater.' Si ea Leonis verba manifeste adstruunt duas operationes et voluntates in Christo, nonne manifeste, immo manifestius eas adstruunt Honorii verba in secunda ad Sergium epistola: ‚Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem quae Dei sunt exsequentem, et humanam quae carnis sunt exsequentem, non divise, nec confuse aut convertibiliter Dei naturam in hominem, et nec humanam in Deum conversam edocentes.' Et post pauca affirmat: duas naturas id est divinitatis et carnis assumptae in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise et inconvertibiliter propria operari."

Quibus verbis evidentissime enuntiatur, unamquamque naturam vere operari et quidem tantum propria, quo aeque evidenter error monothelitarum excluditur, secundum quem natura humana Christi nullo modo, ideoque nec propria operatur, dum divina natura operatur quidem, at non operatur tantum propria sed potius et ea, quae sibi sunt propria et insuper ea, quae sunt naturae humanae propria. Pro monotheletarum vero errore enuntiatur doctrina catholica, quae utramque Christi naturam vere operativam constituit, ita tamen, ut divina natura operetur divina tantum, humana vero tantum humana, etsi alterutra cum alterius communione, hoc est ita, ut dum una natura operatur, altera, vi unionis hypostaticae, cum illa intime coniuncta maneat.

Notanda etiam est ingens diversitas in modo, quo Honorius et Sergius eundem Leonis textum explicant et quasi circumscribunt: dum enim Sergius, omnem dualitatem refugiens, illud „utraque forma" resolvit in „Unigenitus Filius Dei, qui veraciter Deus simul et homo est, idem operatur divina et humana", Honorius e contrario ita illum terminum resolvit, ut unamquamque naturam operantem et operatricem, hoc est operationis principium constituat, cum in Monothe-

[41]) De Ecclesia et de Romano Pontifice, Brugis, 1906, p. 189.*
[42]) Actione II.

letarum sententia natura humana nullo modo operationis principium dici possit, non principium quod, quod utrisque fatentibus tantum persona est, non principium quo, ut in cuius negatione Monotheletarum sententia praecise consistat. Quare ad rem quod spectat, num Honorius dogma de duabus in Christo operationibus et voluntatibus luculentius tradere potuit, quam in secunda epistola fecit?[43]) Num doctrina a Honorio proposita Monotheletismum ullo modo sapit?

24. Sed si Honorius in reipsa omnino catholice sentit, quid tandem rei est, cur rem catholicam catholicis verbis exprimere dubitet? Quid est, cur duarum operationum ac voluntatum vocabulum refugit? Causa est, quia, cum hoc vocabulum sensu diversissimo adhiberi posse sentiret, ipse nullo modo clare distinguere poterat, quonam tandem sensu a duobus litigantibus, Sergio et Sophronio adhiberetur. Quemnam tamen sensum vel potius quosnam sensus illo vocabulo „duarum operationum“ vel duarum „voluntatum“ subesse posse saltem suspicatus sit, epistolae ipsae docent.

Ac primum quidem Ioannes Philoponus, loco saepius citato, commemorat, Honorio nihil adeo cordi fuisse, quam ut in ipso etiam modo loquendi consuetudinem Scripturae sequeretur: idem Honorius ipse protestatur, cum explicationem suam de numero operationum ac voluntatum in Christo sic concludit: „Et nos quidem secundum sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere vel spirare.“

Videlicet, ut Sergio, de numero operationum in Christo quaerenti, aliquid saltem respondere posset, a veritate revelata non alienum, ad ipsam Scripturam confugit, ut videret, num aliquo in loco de operationum in Christo numero aliquid doceret. Incidit autem in locum epistolae ad Corinthios: „Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.“

Ex quo loco sic ad Christum arguit: „Si divisiones operationum sunt multae, et has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur . . . si in aliis, id est in membris suis Spiritus Christi multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur et sunt, quanto magis per semetipsum mediatorem Dei et hominum plene et perfecte, multisque modis ineffabilibus confiteri nos communione utriusque naturae condecet operatum!“ Id est: si Spiritus Christi membris suis, hoc est fidelibus, gratia sua tribuit, ut opera mira diversissima facere possint, ut sunt, variis linguis loqui, sacras litteras recte exponere et multa alia, quanto magis confitendum est, Christum ipsum non tantum unum vel alterum horum operum facere, sed potius omnia quae in fidelibus separata inveniuntur, ipsum per se unum facere — „plene ac perfecte“ — unde Christus sane „modis multis“ operari, dicendus est, ita ut exinde non membrum aliquod simplex sed omnium membrorum mira-

[43]) Cf. Palma, l. c. 152.

bilia operantium caput esse appareat, vir perfectus, ex quo membra suam quisque limitatam mensuram accipiant!

Unde per modum conclusionis suam thesim ponit: „Nos enim non unam operationem vel duas Dominum Nostrum Iesum Christum eiusque Sanctum Spiritum sacris litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum.“ Quare Honorius, maxime in re lubrica, ipsi non satis perspecta, unice volens sacrae Scripturae inhaerere nec quidquam aliud dicere, quam quod in Scriptura certo reperiebat, quoad operationum numerum in eo insistebat, quod Scriptura ipsa commemorabat: Scriptura autem in loco quem prae manibus habuit, nec de una nec de duabus sed potius de multiformibus Christi operationibus loquitur.

Si vero quaeras, quaenam hae operationes mirabiles et ineffabiles eaeque multiformes sint, hae sine dubio operationes solius humanitatis Christi sunt, cum ex mente Honorii nihil aliud sint, quam summa earum operationum mirabilium, quae etiam, licet divisae et non aeque perfectae, in membris Christi, id est fidelibus reperiantur; ex eo enim, quod in membris eius sunt, concludit eas in capite Christo deesse non posse.

Etsi vero haec omnia „idem Deus,“ „idem Dominus,“ „idem Spiritus“ dicatur operari. quatenus sc. fideles a Deo habent, quod illa mirabilia operari possunt, tamen sicut nihilominus fideles ipsi sunt, qui sua lingua, sua mente, sua voluntate haec mirabilia operantur, ita a pari, cum Christus ea operatur, humana sua lingua, humana sua mente ac voluntate, humana sua natura non secus ac fideles haec mirabilia operatur. Quod Honorius nullo modo existimaverit, in Christo relate ad haec opera humanam eius naturam esse merum passivum instrumentum, ut Monotheletae volebant, ex eo patet, quod id non solum non dicat, sed potius omnibus modis perfectam similitudinem harum operationum in Christo et in simplicibus hominibus urgeat et tantum illud discrimen ponat, quod Christus non tantum unam vel alteram harum operationum sed omnes omnino, quae in fidelibus inveniuntur, easque in summa perfectione posuerit.

Atque sic auctoritas Scripturae Honorio fuit prima ratio, cur duas in Christo operationes dicere noluerit: ubi enim haec explicite de numero operationum in Christo loquitur, vocabulum „operationis“ eo sensu sumit, quo non una nec duae sed potius plures et multiformes in Christo confitendae sunt.

25. Vidit tamen Honorius etiam aliquem alium sensum, quo vocabulum operationis et operationum numerus accipi posset: „Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare“.

Locutus erat immediate ante de uno Christo, operante divina et humana. Quodsi quis obiter tantum verba allata considerat, ei videri posset, Honorium loqui simpliciter de operationibus divinis, ut est e. g. creatio mundi et conservatio — „opera divinitatis“ — et de

operationibus humanis, ut est e. g. actus orationis — „opera humanitatis“ — et tunc profecto mirabitur, quod Honorius, rem ipsam quasi prae manibus tenendo, de unice naturali expressione huius rei haesitet, eam grammaticis relinquendo. Verum admiratio cessabit, si accuratius inspiciendo deprehendamus, quid Honorius operationum divinarum et humanarum nomine hic intelligat. Namque enim, ut ex contextu antecedente apparet, opera divinitatis sunt miracula, quibus in carne effulsit, opera humanitatis sunt passiones. Iam vero inter haec duo operum genera nullo modo illud est discrimen, quod passio sit opus naturae humanae, miraculum opus naturae divinae, sed potius illud, quod natura humana, etsi aliquo modo active ad utrumque opus concurrat, tamen ut pati possit, id ex se sola habet, ut miraculum facere possit, ex Dei speciali dono habet. Si enim humana Christi natura ad miracula patranda non active concurreret, a pari, immo a fortiori dicendum esset, etiam Petrum, cum claudum sanaret, aliosque sanctos, cum miracula varia patrarent, ad miracula illa nullo modo active concurrisse: si vero negari nequit ipsos sanctos miracula patrasse, ideoque ad illa miracula edenda active concurrisse, multo minus haec praerogativa Christo omnium sanctorum capiti negari potest.

Quare ex mente Honorii hic alter possibilis sensus vocabuli „duarum operationum“ erat: duae in Christo operationes, una divina i. e. miracula et mirabilia quas in sua humanitate et per suam humanitatem vel eadem saltem aliquo modo active concurrente,[44]) attamen ex viribus supernaturaliter, ex speciali Dei dono ipsi inhaerentibus faciebat, altera humana i. e. passiones eius, quae ex solis humanae eius naturae viribus procedebant. Etiam in hoc sensu Honorius „duas operationes“ dicere nolebat, relinquens eam disputationem grammaticis — quibus, quantum scio, usque hodie relicta est, cum in ecclesia nunquam usus obtinuerit, de duabus hoc sensu operationibus loquendi.

26. Videri possit, Honorium tamen etiam illum sensum vocabuli „duarum operationum“ vidisse, qui praecise in quaestione erat, et nihilominus de usu vocabuli haesitasse. Scribit enim in secunda epistola: „Nam qui haec dicunt, quid aliud nisi iuxta unius vel geminae naturae Christi Dei vocabulum, ita et operationem unam vel geminam suspicantur“. Super primum, quod scilicet in Christo duae naturae sint, clara esse divina testimonia. „Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse Dominum Iesum Christum, sentire et promere satis ineptum est“.

Atque revera omnino dicendum videtur, Honorium vidisse **id quod** defensores duarum operationum hoc termino exprimere volebant, nec solum vidisse, sed etiam approbasse et vehementer ursisse, cum in hac secunda epistola non tam, ut in prima, distinctionem

---

[44]) Cf. quae supra de mirabilibus a simplicibus fidelibus patratis diximus!

miraculorum et passionum, quam potius distinctionem operum pleno sensu divinorum et operum etiam latiore sensu humanorum persequebatur, illa naturae divinae operatrici et operanti tamquam opera eius propria attribuens, haec naturae humanae, operatrici pariter et operanti, tamquam huic propria.

Quodsi nihilominus non vult dicere „operationes duas", immo id ineptum esse dicit, ratio, profecto non ita spernenda vel phantastica, sed valde solida videtur esse, quia bene intelligebat, numerum „duo" in hac loquendi ratione, cum de naturis et cum de operationibus adhibentur non significere idem; de naturis enim dictus, duas numero naturas significat, de operationibus vero dictus, duas tantum logice operationes, id est, duo operationum genera significat, divinarum scilicet, ut sunt „esse ante tempora", „fecisse saecula", „dedisse legem", et humanarum, ut sunt „natum esse in tempore", „factum esse in saeculo", „factum esse sub lege", „esse crucifixum". Quare Honorius dubitavit, utrum non obstante hoc utique non spernendo discrimine, quod sensisse potius videtur quam clare perspexisse, ut duae naturae ita etiam duae operationes dicendae essent.

B. Quid „una voluntas" in epistola prima Honorii significet.

27. Secunda obscuritas in verbis est, iterum cum perfecta claritate in rebus coniuncta, quod Honorius illud ipsum vocabulum adhibet, quo postmodum Monotheletae tanquam tessera usi sunt, ita tamen ut ipse rem omnino aliam, perfecte catholicam eodem illo verbo exprimat. Sic enim scribit in prima epistola: „Unde etiam unam confitemur voluntatem Domini Nostri Iesu Christi", quae verba consonant his aliis, quae sibi Sergium de Cyro Alexandrino scripsisse initio eiusdem epistolae commemorat „qui unam Domini Nostri Iesu Christi operationem praedicavit iis, qui conversi erant ab haeresibus." hic una voluntas, ibi una operatio. Verbum igitur unius voluntatis, quod suo modo etiam unam operationem involvere ultro concedimus, hic sine dubio habetur; sed num eiusdem ab utroque adhibiti verbi sensus idem est?

28. Profecto, rem omnino in abstracto considerando, una voluntas valde diversa significare potest; et antequam Honorio usus huius vocabuli vitio vertatur, profecto vehementer considerandum est, quonam ex diversis sensibus ipse utatur, utrum haeretico an forte potius omnino catholico.

Ac primo quidem potest „voluntas" pro ipsa volendi potentia adhiberi et tunc „una" voluntas significat unam volitivam potentiam, potestque vel realiter et numerice, vel tantum logice „una" esse: quo sensu una, logice, volumtas habetur in Petro et in Paulo, quia omnino similem, specie eandem voluntatem seu volitivam potentiam habent: numerice vero, eodem sensu, unam voluntatem habet Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quia eandem numero volitivam potentiam, utique cum divina sua essentia identificatam habent, et hoc sensu

unam voluntatem Monotheletas Christo adscripsisse in comperto est, cum humanae Christi naturae potentiam volitivam denegarent, nullam in Christo potentiam volitivam praeter divinam, quae eadem est Patris et Spiritus Sancti, agnoscentes.

Potest „voluntas" secundo loco ipsum actum volendi significare, puta actum aliquem amoris, desiderii, vel odii. Tunc „una" voluntas unum actum volendi significat, et unitas eius potest iterum esse vel realis et numerica vel mere logica. Sic iterum una tantum voluntas non tantum logice sed etiam physice et numerice habetur in Patre Filio et Spiritu Sancto, quatenus omnes simul non nisi unicum actum volendi habent, pariter cum essentia divina identificatum. Si vero duo homines inter se comparentur, vel etiam homo et Deus, natura humana et divina, sic inter eos unitas voluntatis sumptae pro actu volendi nequit esse physica sed tantum logica, quot enim numero naturae sunt, sive ad eandem sive ad diversas personas pertinent, tot necessario et actus volendi sunt. Quare in Christo necessario, ut duae naturae, sic duo actus volendi ideoque hoc sensu duae „voluntates" sunt, quae si quando „una" esse dicantur, id ad summum de unitate logica intelligendum est, sc. actus volendi divinus in Christo et actus volendi humanus in eodem inter se in hoc conveniunt, quod uterque aliquis actus volendi est. Ubi iterum animadvertendum est, Monotheletas voluntatem sic acceptam, id est pro volendi actu, in Christo tantum physice et numerice unam agnovisse, scilicet divinam, voluntati humanae Christi, si quidem forte illam tamen admittebant, omnem actum denegantes.

„Una voluntas" etiam tertio sensu accipi potest. Sive enim voluntatem ut volitivam potentiam spectes, sive quod longe frequentius, ut actuum volendi seu etiam ut quorundam actuum volendi summam seu collectionem, potest unitas quae voluntati sic acceptae adscribitur, esse unitas non numerica, neque logica sed moralis. Videlicet plures actus physici sive eiusdem volentis sive diversorum volentium, et si quidem de Christo sermo est, sive eiusdem sive diversae in Christo naturae, comparari possunt ad invicem; et tunc duo physici actus, qui idem obiectum pariter appetunt vel pariter reiciunt, unitatem habere dicuntur, non physicam, nec mere logicam sed potius ut dicere solemus moralem.

Sic actus, qui quasi ex ipso fundo voluntatis nostrae naturaliter oritur, quique in nobis indeliberatus esse solet, cum in Christo iam deliberatus fuerit, comparari potest cum illo actu, quo obiectum illius actus actu novo deliberate et efficaciter volumus, et si uterque actus idem obiectum pariter amplectitur vel pariter reicit, actus moraliter unus esse dicitur. Similiter, si actus, quo hodie aliquid volumus, confertur cum actu, quo heri vel cum plurimis actibus, quibus decursu totius vitae idem voluimus, toto illo tempore unam voluntatem habuisse dicimur.

Haec eadem unitas moralis, sicut potest in nobis esse inter actum deliberatum nostrae voluntatis et voluntatem divinam, quatenus id ipsum volumus, quod Deus vult, ut velimus, ita potest esse in

Christo inter actus liberos et definitivos eius humanae voluntatis, qua ut Deus vult, ut in humana natura et humana sua voluntate aliquid velit; quoad nos illo sensu dicitur: „Qui adhaeret Deo fit unus spiritus cum eo“, Christus vero de se illo sensu dicit: „Ego quae placita sunt ei facio semper“ id est, humana mea voluntate nunquam aliud volo quam quod divina voluntas, quae mihi communis est cum Patre et Spiritu sancto, vult ut velim.

Immo etiam alio sensu de una in Christo voluntate sermo esse potest. Magis „unam“ voluntatem cum Deo habet, qui non tantum una vel altera vice vel etiam saepius idem vult quod Deus, sed qui constanter, habitualiter, semper sine exceptione vult id quod Deus vult, ut ipse velit, qui nunquam a voluntate divina recedit; sic pie credere possumus angelos bonos unam semper cum Deo voluntatem habuisse. Quaeri deinde potest, quaenam ratio sit, cur talis angelus vel homo semper voluntatem Dei fecerit, semper unam cum ipso voluntatem habuerit. Duplex assignari potest, absolute loquendo, ratio, altera negativa positiva altera: negativa esset: quia talis homo naturam habet, quae sive ex se sive Dei dono, non in se experiatur motus naturales et spontaneos, qui ipsum aliquo modo ad agendum contra Dei voluntatem impellant; talis esset angelus, vel homo i in quo non est concupiscentia, ut in protoparentibus nostris factum esse fides docet; ratio positiva esset aliquod auxilium, undecumque proveniens, tali naturae liberae a Deo concessum, quod adeo potenter voluntatem ad faciendum Dei voluntatem inclinet, ut omne periculum contra voluntatem Dei agendi in tali voluntate creata sit omnino exclusum; tale auxilium pro beatis in caelo est lumen gloriae et inde consequens visio beatifica, quam fides docet, tale auxilium pro natura et voluntate humana Christi fuit intima eius unio cum persona, et ea mediante cum natura divina Filii Dei. Propter intimam hanc unionem cum natura et persona divina, natura et voluntas humana Christi in se ipsa, hoc est in hac intima unione physica cum Deo, rationem habebat, cur cum voluntate divina esset indefectibiliter et infallibiliter unitissima: in Christo non solum per accidens et de facto, sed potius per se et ex ipsa eius essentiali constitutione habebatur haec moralis unitas voluntatis eius humanae cum voluntate divina: naturales illi motus, qui in nobis indeliberati sunt, etiam in Christo erant, sed hi ipsi in Christo iam erant rationi eius subiectae et liberae nec unquam eiusmodi erant, ut periculum Christo crearent, voluntatem eius humanam a conformitate, harmonia, unitate morali cum voluntate divina deturbandi.

Atque hi modi diversi bene multi sunt, quibus appellatio „una voluntas“ accipi possit, nec quisquam negabit diversos illos modos esse non solum possibiles sed etiam in sermone hominum omnes usurpari: mitto, utrum etiam alii possibiles sint necne: eos, qui pro nostra quaestione alicuius momenti sint, omnes usque ad unum enumerasse me existimo.

Ulterius vero Honorius non tantum „unam voluntatem“ dixit, sed

„unam voluntatem „Domini Nostri Iesu Christi“: unde iterum diversi modi possibiles et in scriptura et traditione pariter usurpati. hanc complexam expressionem accipiendi: nam quaeritur, num de sola divina Christi voluntate sermo sit, num de sola eius voluntate humana, num una tantum in utraque eius natura, in toto composito theandrico adesse dicatur, et quo tunc sensu „una“ accipiendum sit, sensu physico et numerico cum Monotheletis, intelligendo solam voluntatem divinam, an sensu logico, ita ut tantum unius speciei actus in ipsa ponantur e. g. tantum amoris, an demum sensu morali, et quaenam sint tunc illae plures „voluntates,“ quae propter convenientiam in eodem obiecto „una“ dicuntur? Suntne plures volendi potentiae, divina scilicet et humana, an sunt diversi volendi actus? Et quinam actus sunt, actus inefficaces et efficaces, an actus efficaces humanae Christi naturae ex una parte et actus naturae divinae ex altera?

30. Nunc autem, si „una voluntas Domini Nostri Iesu Christi“ tam diversis sensibus accipi potest, sive eorum uno, sive, propter eorum nexum cum invicem, pluribus simul, quaeritur, quo igitur sensu Honorius expressionem hanc acceperit. Atque primum quidem quonam criterio uti debemus, ad hunc sensum inveniendum? Patet, hoc criterium esse imprimis contextum tum antecedentem tum consequentem, proximum et remotum, deinde propositum totius epistolae, quod aliquo modo illustrari potest ex epistola Sergii, ad quam Honorius respondet, demum testimonia externa imprimis eius, qui ipse epistolam scripsit, Ioannis Philoponi; haec criteria omnes auctores agnoscunt, etsi forte alii alia magis urgeant et eorum usu ad diversas conclusiones deveniant.

31. Sic Hefele concludit: „ἓν illud *θέλημα,* quod Honorius agnoscit, non est voluntas incorrupta humana, sed voluntas divina in Christo . . . Humanam Christi voluntatem omnino perdit ex oculis, quia haec moraliter una est cum divina et Honorius inter moralem et physicam unitatem non distinguit.“ [45]) E contrario fere omnes alii concludunt, Honorium de divina voluntate non cogitasse, affirmasse vero unam tantum voluntatem humanitatis Christi. Sic eum iam explicant Ioannes IV., sic secretarius Honorii, qui epistolam scripsit, sic s. Maximus locis superius iam citatis; et recentiores fere epistolarum textui per hos testes explicato insistunt. „Illa verba, sic Thyrsus Gonzalez appellando ad Bellarminum, »unam voluntatem« non sunt intelligenda de Christo specificative sumpto, quatenus est Deus et homo, sed de Christo reduplicative ut homine; solumque significant in Christo ut homine non esse duas voluntates contrarias sibi invicem repugnantes, ut sunt in nobis, alteram carnis, provenientem ex peccato, alteram spiritus, sed unam, subiectam omnino voluntati divinae“ [46]). Similia habet Petrus Ballerini: „Quodsi in prima epistola ad Sergium unam voluntatem memorat, ne cum duarum operationum distinctione in aliis ad eundem litteris tam clare expressa, secumque pugnare credatur, non divinitatis et humanitatis unam

[45]) Konziliengeschichte III. 149 (2. ed. p. 151).
[46]) De Infallibilitate Romani Pontificis 721.

voluntatem intelligere potuit, sed unam tantum humanitatis voluntatem intellexit, ut duas humanas voluntates invicem repugnantes excluderet, quas nonnullos admittere Sergius suis in litteris significaverat" [47]. Item Palma: „Honorium de una humanae naturae humana voluntate agere et reicere voluntates humanas duas, quarum altera alteri repugnat, ipsa eius loquendi ratio demonstrat" [48]. Etiam Schneemann primo loco hanc explicationem ponit: „Cum dicebat unam solam voluntatem, id ad solam naturam humanam in Christo applicavit" [49]. In eadem explicatione valde insistit H. Colombier: „In toto illo passu Honorius de voluntate humana loquitur; quod est tam evidens, ut non satis mirari possimus, quomodo unquam de hac re dubium oriri potuerit" [50]. Tandem etiam qui novissime quaestionem studiosissime examinavit, Ludovicus de San, simpliciter ita statuit: „Hisce verbis non unam voluntatem divinitatis et humanitatis intellexit, sed unam solius humanitatis voluntatem". [51]

32. Ut ex allatis auctorum sententiis apparet, cum uno verbo suam mentem exprimere volunt, alii dicunt Honorium loqui de voluntate Christi divina, humanam negligendo, non negando, alii dicunt, eum loqui potius de humana, negligendo, non negando divinam. Attamen, ex tot sensibus possibilibus et in scriptura et traditione et in ipsa communi conversatione usitatis expressionem „unius Domini Nostri voluntatis" non tantum hi duo in considerationem veniunt: voluntas una Christi humana, voluntas una Christi divina: imprimis ipsa acceptio vocabuli „una" vehementer indeterminata et ambigua est, utrum scilicet de unitate numerica an de logica an de morali unitate intelligatur, item utrum de unitate ipsius voluntatis an de unitate actuum eius seu operationum, an vero de unitate effectuum intelligatur, tandem utrum et „unam" et „voluntatem" et „Domini Nostri Iesu Christi" secundum naturam scilicet divinam vel humanam vel utramque a capite ad calcem utriusque epistolae constanter eodem sensu accipiat.

Hanc difficultatem etiam illos auctores sensisse, patet ex haesitatione quadam in sua sententia explicanda, et maxime ex eo, quod explicationi suae primariae vel secundariam quandam addunt, ita ut lectori optionem inter utramque relinquant, vel notam aliquam, quae sententiam propositam in sua simplicitate et puritate stare non permittat.

Huc pertinent illa verba Hefele: „Honorius inter unitatem physicam et moralem non distinguit", quid igitur: Num forte Honorius in suspenso relinquit, utrum unitas voluntatis divinae, quam ipse in Christo profitetur, sit physica vel moralis? Num nullo modo ostendit se intelligere illam physicam, aut vero moralem? Huc illa verba Thyrsi Gonzalez: „Unam (sc. humanam), omnino subiectam voluntati divinae": ergo iterum non adeo verum est, Honorium de alterutra tantum voluntate loqui: loquitur secundum hunc auctorem de hu-

[47]) De vi ac ratione Primatus 282.
[48]) Praelectiones historiae ecclesiasticae. II., 142.
[49]) Étude sur la question d'Honorius, traduit de l'Allemand, Paris, p. 91.
[50]) Études 1870 I. 275.
[51]) De Ecclesia et de Romano Pontifice 190*.

mana, at loquitur etiam de divina, cum humanam „omnino subiectam voluntati divinae" dicit. Huc spectat, cum Ballerini, loco citato pergens, ait, negare Honorium voluntatem humanam divinae repugnantem, quo ipso concedit eum affirmare voluntatem humanam divinae omnino subiectam. Similiter Palma immediate ante verba ex ipso allegata haec habet: „una (humana sc. voluntas), quae consentanea concorsque divinae sit." Huc altera explicatio, quam Schneemann priori immediate subicit: „aut vero loqui voluit de unitate morali, de conformitate voluntatis humanae cum voluntate divina" quo sensu ipsos etiam orthodoxos aliquando de una in Christo voluntate loqui ex Davide, archiepiscopo Maronita refert. Tandem De San, solvendo obiectiones sibi factas, haec addit: „Esto, . . . nec possibile sit, attentis scopo Honorii et contextu remoto, propositioni illi . . . alium subdi sensum, quam eum: Una est voluntas Domini Nostri spectati secundum ambas suas naturas; nihilominus tamen, quia non-minus ex contextu proximo quam ex contextu remoto oportet determinari sensum alicuius propositionis, dicendum foret, Honorium non esse locutum de voluntate, quae sit una unitate numeri, sed dumtaxat de voluntate, quae sit una unitate concordiae. Qui sane sensus non est alienus ab omni usu loquendi. Nam licet plurium hominum sint plures numero voluntates, dicere tamen solemus, quando eorum voluntates concordant, eorum esse unam voluntatem. Contra de uno homine, qui incertus fluctuat inter opposita, dici solet, eum habere duas voluntates" [52]).

33. Veram causam, cur hi auctores aliquo modo inter has duas disiunctiones: Voluntas physice una an moraliter una, voluntas una divinitatis an humanitatis an utriusque, ancipites haereant, assignavit in aureo suo opusculo Reinerding, cum monet, auctores aliquos, imprimis Döllinger et Hefele, supponere, cum Sergius Monotheleta de voluntate physice una locutus sit, Honorium, utpote ipsi respondentem, necessario etiam de voluntate physice una loqui debere! [53]) Sed heu! quot et quanta logice et moraliter debemus — et non facimus! Demonstrandum esset ex mente Honorii, sophisticis Sergii suggestionibus et forte adhuc magis versutis explicationibus eius, qui Sergii epistolam ei apportabat, decepti, non potius moralem in Christo voluntatum unitatem in periculo versatam esse. Hoc autem revera mentem eius praeoccupasse, litterae eius totae quantae produnt, et secretarius eius Ioannes Philoponus diserte testatur.

At, dixeris cum pluribus, nonne absurdum fuisset, in Christo pugnam inter voluntates plures supponere, et quomodo tunc potuit Honorius putare, sic quemquam sentire, cum tota Monotheletarum haeresis potius in affirmanda una physica eaque divina voluntate in Christo consisteret! Respondeo, fuisse homines, qui unam physicam in Christo voluntatem defenderent, quique se sub Monotheletarum nomine pertinaciter ab ecclesia segregarent, hoc nos hodie optime scimus et forte iam versus finem Honorii etiam in occidente notum erat, maxime propter indefessam Sophronii operam. At quando primam Sergii, hominis va-

[52]) l. c. 194.*

[53]) Beiträge zur Honorius- und Liberiusfrage, Münster, 1865.

ferrimi epistolam, totam ad eum decipiendum compositam accipiebat, hunc statum rerum Honorius ne suspicatus quidem est, eo magis, quo Sergius attentionem eius ab hoc puncto vivo callidissime avocabat: cum deinde Honorius, homo magis practicus, lecta epistola secum deliberasset, ubinam tandem, secundum hanc Sergii epistolam et commentarium a portatore eius additum, periculum fidei esset, nihil magis concretum invenire potuit, quam illam repugnantiam voluntatum, „tamquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero eius obsistente eius voluntati et resistente et perinde duo contraria volentes introducantur," ut ait in epistola sua Sergius.

Hunc igitur errorem sibi sumpsit expugnandum, idque fecit quam praeclarissime. Ex intima scilicet unione, uqae in Christo inter naturam divinam et humanam intercedit, quae etiam divina attributa de Christo homine et humana de Christo Deo praedicabilia faciat, eo ipso ait sequi, quod in Christo pugna aliqua inter naturam divinam et humanam esse non possit. „Propter ineffabilem coniunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco et ubique Deus dicitur pati et humanitas e coelo cum divinitate descendisse. Unde et unam voluntatem fatemur Domini Nostri Iesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa." Cur scilicet in Christo una tantum voluntas est, sine ulla contrarietate vel pugna? Num forte, ut Monotheletae arguunt, quia si non tota natura humana, at saltem voluntas humana a Verbo absorpta est, ita ut natura humana propriam voluntatem physicam iam non habeat sed tantum a voluntate divina moveatur sicut malleus mortuus et iners, a manu artificis? Nequaquam! Cur igitur? Quia repugnat, non quidem ut verbum aliquam naturam humanam cum naturali voluntate assumat, bene vero, ut ipsa sanctitas tam strictam unionem ineat cum voluntate humana per concupiscentiam sauciata. Iam vero concupiscentia in nobis ratio est, cur tam facile contra Dei voluntatem agamus, in Christo igitur, qui naturam concupiscentia liberam, qualis ab origine in Adam fuit, habuit, incitamentum ad agendum contra voluntatem divinam nullum erat, ideoque perfectissima inter divinam et humanam voluntatem concordia: una in ipso tantum voluntas erat.

34. At, si dicimus unitatem voluntatis Christi ab Honorio assertam esse unitatem moralem, non physicam: quasnam tunc harmonice inter se convenire dicit: voluntatem humanam quasi naturalem, quae respondet voluntati indeliberate agenti in nobis, cum voluntate efficaci, quae etiam in nobis libera est? an potius voluntatem humanam Christi totam quantam cum voluntate divina? Prius illud dici nequit, cum voluntas Christi inefficax non semper idem obiectum habuerit atque efficax, ut patet ex textu ab Honorio adducto: „Non sicut ego volo, sed sicut tu", hoc est: efficaciter volo non id quod ego idem, eadem humana voluntate, antecedenter iam inefficaciter et per modum merae inclinationis naturalis volo, sed quod tu, Pater, et ego in divina mea voluntate tecum volo, etsi voluntati meae

inefficaci, inclinationi dico naturali, contrarium sit. Repugnantia, quam formaliter excludit, est repugnantia inter voluntatem humanam efficacem et voluntatem divinam, ita tamen, ut tamquam causam proximam eamque negativam huius non-repugnantiae absentiam concupiscentiae voluntatem liberam ad malum sollicitantis assignet, tamquam causam vero ultimam, positivam, quae omnia explicat, ipsam unionem hypostaticam: hanc enim unionem utriusque naturae hypostaticam, non vero unitatem numericam personae qua talem, ut Hefele eum dicere suspicatus est, propriam rationem et radicem esse, cur natura humana Christi integra, sine concupiscentia esse debeat, sicut natura Adae fuit; hanc consequenter sic ultimam rationem esse, cur humana voluntas per concupiscentiam ab inhaerendo voluntati divinae abstrahi nullo modo possit, cur in Christo ex ipsa constitutione eius sit una tantum voluntas.

55. Haec Honorii argumentatio est plana et optima et aptissime ad distinctionem inter naturam integram et naturam peccato et concupiscentia vitiatam recurrit, ad ostendendam unitatem voluntatis in Christo sensu orthodoxo et catholico acceptam, cum, ut bene notat Thyrsus Gonzalez loco citato haec ratio prorsus nulla sit, si unitatem voluntatis Christi sensu monotheletico voluisset ostendere, cum ipsum tunc nihil iuvaret, concupiscentiam a natura humana exclusisse, nisi etiam voluntatem humanam qua talem excluderet. Eius, qui in favorem Monotheletarum arguere volebat, omnino intererat, non distinguere inter voluntatem humanam naturalem et concupiscentiam, sed has duas potius insolubili vinculo coniunctas ostendere, ita, ut qui concupiscentiam a Christo removebat, illum eo ipso statuere etiam voluntatem humanam qua talem a Christo exsulare contendere deberet [54]).

Insignis huius rei probatio habetur in concilio sexto, actione octava [55]), ubi haec habentur. Macarius et Stephanus haeresiarchae Monotheletae, interrogati: „Habuit humanam voluntatem Dominus noster Iesus Christus et impeccabilem?“ respondent: „Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus, divinam vero etiam, absque carnalibus voluntatibus et cogitationibus. Voluntas enim deitatis tantum.“ „Et quomodo intelligitis carnales voluntates et cogitationes humanas?“ „Hominum similium nobis sunt: Christus vero nihil horum habuit“. Respondetur ipsis, Athanasium, ad quem provocant, excludere a Christo tantum culpabiles et voluptuosas voluntates et cogitationes, in bona terra naturae humanae ex invidia diaboli superseminatas. „Nam et ego dico, non habuisse Christum voluntatem carnalem aut peccabiles cogitationes, sed natualem voluntatem, quam ipse Deus creans Adae indidit. Et hoc autem ipse

[54]) Ad rem exprimendam optima esset expressio: μία ἡγουμενικὴ ἐνέργεια, qua tamen Sergius in sua ad Cyrum epistola iam ad suam haeresim velandam potius quam exprimendam utitur. Cf. Hefele III. 120 sq.
[55]) l. c. 721.

interrogo vos: habuit animam rationabilem ipse Adam?" „Etiam!" „Naturalem habuit voluntatem?" „Arbitralem et liberam: nam ante praevaricationem divinam habuit voluntatem et convoluntarius erat Deo." Cum ipsis diceretur, hoc esse absurdum, tunc enim Adam etiam naturam divinam habere debuisse, creatorem esse, impeccabilem et sic porro, cumque etiam viderent ipsi hoc esse absurdum, tamen, etsi non iam auderent aperte negare Adam et consequenter Christum habuisse voluntatem naturalem, ad voluntatem naturalem positive asserendam adduci nunquam potuere. Sententia igitur urgens distinctionem inter concupiscentiam et voluntatem est catholica, ad salvandam sententiam monotheleticam haec distinctio debet pro viribus obscurari et negari. Honorius igitur catholice sensit.

36. Modus autem, quo in Christo illa perfecta unitas et harmonia in volendo enascitur, non in eo est, quod modo voluntas divina humanae, modo humana divinae consentiat, sed ut patet, in eo, quod Christi voluntas humana divinam eius voluntatem cum perfectissima oboedientia, submissione et conformitatis studio in omnibus omnino sequitur. „Cibus meus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me." Quare aliquo sano sensu cum Hefele dici potest, unam in Christo esse voluntatem, divinam sc., hoc est unam solam quasi dominantem [51]), cum qua voluntas Christi humana propter perfectionem unionis hypostaticae semper eo ipso concordet. Quodsi quaeras, quid sit tunc illa voluntas eaque una et divina, quae in Christo sola esse dicitur, haec erit non tam actus voluntatis sed voluntas seu potestas volitiva ipsa; unitas ipsi vindicata erit tum physica tum moralis; physica, quatenus voluntati divinae soli tamquam unico subiecto cum exclusione voluntatis humanae, aliquod esse adscribitur, moralis, quia illud esse, quod voluntati Christi divinae prae humana adscribitur, non est ipsum existere, quasi in Christo voluntas humana nulla existat, sed est potius aliquod esse seu perfectio aliqua determinata, quae voluntati divinae in Christo existenti conveniat, voluntati humanae, in Christo pariter existenti, non conveniat, illa specialis perfectio vero non est perfectio mere absoluta sed relativa, talis sc., qua fit ut ad ipsam tamquam normam perpetuam et constantem voluntas Christi humana referatur, perfectio illa voluntatis divinae in eo est, quod voluntatem humanam tam perfecte sibi obsequentem habet, ut in toto composito theandrico et ab eo numquam aliud fiat, quam quod voluntas divina vult. Voluntas divina est voluntas in Christo sola et semper dominans.

C. Quid una operatio ibidem significet.

37. Venio iam ad aliam difficultatem, quam facit in epistolis Honorii concessa una operatio, quae difficultas alicui etiam maior

[56]) Mansi XI. 366 sqq.

videri possit, quam ipsa de una voluntate difficultas [57]): facilius enim intelligitur, quod Honorius duas voluntates, suggerente Sergio, ita intellexerit, ac si ageretur de voluntatibus oppositis, quod deinde sibi refutandum sumpsit: at „duas operationes", quid ibi potuit aliud intelligere quam duas simpliciter actiones physicas, ideoque si, negans duas, unam posuit, quid potuit intelligere nisi unam physicam, sensu Monotheletarum, divinam scilicet, cui tota natura humana, ipsa iners, tamquam merum instrumentum inserviret?

Textus difficillimus invenitur initio secundae epistolae et est idem, de quo sub alio respectu supra iam diximus: „Nam qui haec dicunt (duas operationes scilicet), quid aliud nisi iuxta unius vel geminae naturae Christi vocabulum, ita et operationem unam vel geminam suspicantur?" Revera enim parallelismum hunc inter numerum naturarum et numerum operationum non suspicatur tantum sed tamquam dogma fidei tenet ecclesia catholica!

Difficultatem iam aliquo modo solvunt verba, quae immediate sequuntur: „Super quod (id est, duas in Christo naturas esse Christumque esse ‚duarum naturarum') clara sunt divina testimonia. Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse, mediatorem Dei et hominum, Dominum Iesum Christum, sentire et promere satis ineptum est *(πάνυ μάταιον)*": quae verba produnt difficultatem, quam sentiebat Honorius, percipiendi, quidnam sibi expressio „duae operationes" vellet. Sergium et Sophronium sic intelligit, quasi in Sophronii sententia necessario haec formula loquendi admittenda esset „Christus est duarum voluntatum"; cum vero haec eius auribus omnino nova esset, Sophronio tamquam nimium linguisticas tricas sequenti, non multum fidebat. In illis vero circumstantiis, nascentis sc. primum controversiae de una vel duabus operationibus, non ita facile fuisse, punctum saliens statim detegere, etiam abstrahendo a suggestionibus Sergii, rem studiose obscurantis, patet tum ex iis, quae de multiplici possibili sensus „unius" et consequenter etiam „duarum" voluntatum Iesu Christi diximus, tum ex iis, quae de titubatione Honorii circa significationem vocabulorum tum „unius" tum „operationis" in sensu Sergii exposuimus.

Ad rem quod attinet, Honorium duas operationes sensu omnino catholico tenuisse, ex hac ipsa secunda eius epistola indubie ostensum est. Honorii „testimonium, Leonino tam simile, et aliquatenus manifestius [58]), ita Petrus Ballerini, nonne catholicam Honorii sententiam in tuto ponit, unde ipse Bossuetus fateri compulsus est, ea Honorii verba ‚orthodoxa esse maxime videri'" [59]). Haesitasse vero Honorium ut duas naturas, sic duas operationes dicere, propterea quod sentiebat, „duas" in utroque membro non eodem sensu sumi, cum de naturis dictum, duas naturas numerice et physice sumptas, de ope-

[57]) Cf. Colombier, Études 1870 I. 271.
[58]) Cf. quae supra de textu Leonis per Sergium et Honorium explicato diximus.
[59]) l. c. 282.

rationibus vero logicam tantum dualitata significet, suprem iam latius exposuimus.

Si quaeras, quid tandem Honorius, etsi non sine haesitatione, putaverit velle Sergium voce „unius operationis“ significare, responsio simplicissima et verissima videtur haec esse: duas operatione's consideravit tamquam aequivalens practice cum „duabus voluntatibus“; si enim in Christo fuisset oppositio inter divinam et humanam voluntates, fuisset etiam oppositio, defectus harmoniae, inter operationes alias quascumque, voluntatum imperio ex alterutra natura procedentes: divina enim voluntas impelleret naturam divinam ad resuscitandum eg. Lazarum, cum e contra voluntas humana non consentiens niteretur dirigere humanam Christi mentem eiusque pedes ad recedendum potius longius a loco, in quo Lazarus mortuus iacebat, vel, ut exemplo a Sergio ipsi proposito utar: divina natura impellebat ad sacram implendam passionem, humana vero natura, ut voluntate sic ceteris potentiis earumque actibus a patiendo refugisset et passioni se subduxisset.

38. Atque ex his, quae hucusque exposita sunt, unicuique facile erit iudicare, qua veritate asseruerit loco citato Běljaev: „Frustra quoque scriptores ultramontani epistolas Honorii in tali sensu explicant, ut in ipsis nihil insit nisi iudicia sana et optima“: non enim secundum praeconcepta quaedam praeiudicia, sed unice ex se ipsis secundum solas hermeneuticae regulas easdem epistolas explicavimus. Neque veriora sunt haec alia eiusdem auctoris verba: „Qui eas (epistolas sc.) perlegerit, ei facile persuasum erit, papam anathematizatum in eis omnino non illas sententias exposuisse, quas ei theologi Romani huius temporis subdere conantur, verum doctrinam Monotheletarum nullo modo mitigatam.“ Catholicum, non Monotheletam fuisse epistolae Honorium indubie demonstrant.

V. Silentium Honorio indictum quomodo diiudicari debeat.

39. Iam ad novam quaestionem festinat calamus, ad indictum ab Honorio de una vel duabus operationibus silentium. Textus incriminati hi fere sunt: „Non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere, quae neque synodales apices super hoc examinantes neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas operationes aliquis praesumat Christi Dei praedicare“. „Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos (id est: me Honorium, te Sergium et Cyrum) ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis.“ Qui alterutrum vocabulum definite adhiberi volunt, sunt in eius oculis „vani naturarum ponderatores, otiose negotiantes, turgidi vocibus ranarum in ipsum insonantes philosophi“. „Hortatur“ Sergium, „ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis voca-

bulum aufugiens" unum Dominum Nostrum Iesum Christum secum praedicet, in duabus naturis operantem. In secunda dein epistola ait, se scripsisse etiam Cyro „quatenus novae adinventionis unius vel geminae operationis vocabulo refutato," „unius vel geminae operationis vocabulum noviter introductum ex praedicatione fidei erimatur." „Non unam vel duas operationes in Mediatore Dei et hominum definire . . . debemus." „Auferentes ergo scandalum novellae adinventionis non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare." Idem „scripsit" ad Cyrum et Sophronium, sic legatos Sophronii „instruxit", qui ipsi promiserunt sine dubio Sophronium non amplius duas voluntates praedicaturum, si Sergius unam praedicare desineret.

40. Non immoramur in refutanda sententia Honorium hic ipsum dogma catholicum de duabus in Christo voluntatibus negasse eandemque negationem aliis commendasse, cum ipse utraque epistola aperte prodat, se totum statum quaestionis in causa Monotheletica non intellexisse.

Multo minus dici potest Honorius hic duas in Christo operationes, sensu catholico acceptas, negasse; non enim de duarum tantum operationum vocabulo abstinendum esse duxit, verum etiam de vocabulo unius operationis. Num quis igitur existimaverit, Christum Dominum ex mente Honorii, ne unam quidem operationem habuisse?

41. Commendavit vero Honorius, ut abstineretur ab usu illius vocabuli, quod postea tamquam tessera orthodoxiae contra Monotheletas esse coepit, „duarum scilicet in Christo voluntatum", paris conditionis illud faciens cum alio, quod Monotheleticae haeresis tessera factum est „unius voluntatis." Ratio, cur sic procederet, proxima erat, quia, cum quo tenderet controversia non videret, eam ut litem de verbis, vel ad summum de rebus philosophicis considerabat, dogma ipsum non ita immediate tangentem; qui considerandi modus in utraque eius epistola ubique se prodit. Consideratio practica, quae eum praeterea movit, erat, quia pro notissimo illo Graecorum theologizandi pruritu [60]), timendum erat, ne novis altercationibus inter se scinderentur, ne, ut ipse ait, „quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum renovent quaestionum" [61]).

Nec tantum timor indeterminatus erat, controversiam quamcumque demum novam orituram, sed omnino timendum erat, ne si unam voluntatem diceret, unam cum Eutyche naturam asserere ab orthodoxis simplicioribus bona fide crederetur et a Nestorianis malitiose calumniaretur; si vero duas in Christo voluntates assereret, ne cum Nestorio duas personas admittere ab orthodoxis simplicioribus crederetur, ab Eutychianis traduceretur. „Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe, si rursus unam operationem Domini Nostri Iesu

[60]) Cf. Grisar Kirchen-Lexicon VI. 243.
[61]) Ep. prima.

Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur" [62]).

Accedit, quod opus conversionis multorum haereticorum ad veram fidem, pro cuius sinceritate Sergius, ab Honorio nondum bene cognitus, se ipsi quasi vadem offerebat, referente eodem Sergio, inanibus de meris vocibus altercationibus intempestive perturbabatur. Intentio igitur Honorii erat optima: at num eius agendi modus probari potest, num fuit licitus, num opportunus?

42. Consideremus primum rem nude in se ipsa: num licite de utroque vocabulo ut abstineretur postulare potuerit? Ipsi Cyrillo Alexandrino male cessit, quod aliquando in uno ex suis anathematismis accurate non distinguens, vocabulo „natura" pro „persona" usus est. Tantum postquam ipse reclamantibus explicavit, quo sensu intelligeret, suspicio de eius orthodoxia evanuit [63]). Generatim tamen dicendum est, ubi de orthodoxia mentis constat, de vocabulis aliquantulum ambiguis non debere necessario ecclesiam litigare. Sic in re etiam definita condescendentia usus Basilius, ab episcopis expressam confessionem divinitatis Spiritus Sancti exigendam non putavit, modo rem ipsam se amplecti indubitatum facerent. Sic „intransigentissimus" ut hodie dixeris Athanasius tamquam genuinos ecclesiae filios consideravit tum eos, qui „hypostasim" „unam" in Trinitate, tum illos, qui „tres hypostases" in eadem affirmarent, modo rei explicatio verborum apparentem contradictionem tolleret, cum nomine „hypostasis" hi suppositum seu personam, illi substantiam seu naturam intelligerent [64]). Quid quod etiam ipse Hieronymus „in epistola ad Damasum censuit, non esse dicendas in Deo tres hypostases, cuius contrarium postea ecclesia non semel definivit" [65]). Immo ecclesia ipsa vocem „consubstantialis" semel, in concilio scilicet Antiocheno contra Paulum Samosatenum habito, expresse reiecit, et eadem ecclesia eandem vocem in concilio Nicaeno tamquam tesseram orthodoxae fidei, alio scilicet et alio sensu definivit [66]): reiecit eam in sensu communitatis mere logicae in eadem substantia, definivit eiusdem substantiae unitatem numericam.

Verum enimvero etiam cum non de solis vocibus sermo est, sed controversia rem ipsam attingit, recte aliquando de duabus oppositis sententiis silentium imponi potest, certe tunc, cum res neque definita neque satis eliquata est. „Una ἐνέργεια tunc nondum erat expressio ab auctoritate ecclesiastica sancita" [67]). Et „in quaestione, de qua ex parte ecclesiae nondum quidquam determinatum erat, poterat silentium — abstrahendo ab iis, quae in Oriente fiebant, et quae Honorio nondum satis perspecta erant, — aeque rationabiliter imponi atque in controversiis theologicis aetatum subsequentium" [68]). „Ex

[62]) Ep. prima.
[63]) Cf. Mansi nota in Hier. Natalem, H. E. V. 527.
[64]) Cf. Colombier, Études 1870 I. 272.
[65]) Gonzalez l. c. 727.
[66]) Cf. Colombier l. c. 276.
[67]) Hergenröther K. G. I. 359.
[68]) ibid. 358.

hoc non magis haeresim definivisse sequitur, quam, si nunc temporis quaestio de auxiliis, universas christiani nominis academias tantopere exagitans, definiretur, sequeretur, felicis recordationis Clementem VIII. in haeresim prolapsum esse, qui omnibus et singulis doctoribus, ne alterutram quaestionis partem condemnare, seu, ut eius verbis utar, qualificare auderent, Bulla expressa prohibuit: itemque Sixtum IV., si Conceptionis Beatae Virginis quaestio terminaretur, cum cap. Alma Mater, de treuga et pace prudenter vetuit, ne a quoquam alterutra eius pars damnaretur, aut tamquam haeretica et temeraria reprobaretur. Quod cum nemo sanae mentis dixerit, idem est de Honorio sentiendum, etsi postea quaestio duarum in Christo operationum et voluntatum contra Monotheletas fuerit definita. Quam rationem aliam assignant Bellarminus et Binius" [69]).

Hic sc. est status aliquis obscuritatis dogmatis, qui cum concessa ab omnibus possibili dogmatum evolutione organica seu explicatione quae sub assistentia Spiritus sancti fit, cohaeret: non nocet, cum utraque pars parata est, definitivo ecclesiae iudicio se statim submittere.

Atque hanc etiam ob causam nequit in perfectam parallelam adduci Sergii Ecthesis et Constantini Typus, quia tempore, quo Ecthesis et multo magis tempore, quo Typus in lucem editus est, maxime post tot conatus Sophronii et Maximi, et ut credibile est, ipsius etiam Honorii [70]) in elucidationem verae doctrinae positos, vera doctrina iam ad eum statum claritatis perducta erat, ut tunc tale silentium iam magis immediate in detrimentum ipsius fidei vergere videretur. Iam clare etiam apparebat, impossibile esse, „excitatam semel controversiam verbo quodam imperatorio exulare iubere; iam de tota doctrina de incarnatione agebatur et oppositio existens inter Dyotheletas et Monotheletas opera Sophronii et Maximi clarius semper se manifestabat" [71]).

Atque haec, si de liceitate silentii ab Honorio imposito in abstracto, id est unice naturam obiecti considerando, quaeritur. Si vero de liceitate silentii illius in concreto id est secundum omnes eius circumstantias spectata quaeritur, cum haec essentialiter cum utilitate et opportunitate huius silentii cohaereat, in sequenti quaestione tractanda est, in condemnatione scilicet Honorii a sexto synodo facta, quia cum hac inseparabiliter coniuncta est.

VI. De anathemate a concilio sexto contra Honorium lato.

43. Iam, quod concilium sextum spectat, imprimis certum est. Honorium in illo concilio revera esse, ut concilium se exprimit, tamquam „haereticum" condemnatum. „In summa condemnatio Honorii attestata est omnibus documentis concilio aequalibus ibidemque omnibus documentis posterioribus per duo continenter saecula. Usque ad Anastasium bibliothecarium descendendum est, ut invenias, non dico

[69]) Gonzalez l. c. 720.
[70]) Cf. quae p. 183 de emendatione Honorii innuimus.
[71]) Hergenröther l. c. 361.

negationem facti, sed conatum explicationem dandi, in cuius fine se prodit desiderium aliquod negandi. Aut igitur omni certitudini historicae renuntiandum aut condemnatio Honorii concedenda est“ [72]).

44. Postquam igitur in sessione XIII. epistolae Sergii ad Cyrum et ad Honorium et epistola prima Honorii ad Sergium lectae sunt, hoc de omnibus in cumulo [73]) pronuntiatur iudicium: „Hasque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus et a definitionibus sanctorum conciliorum et cunctorum probabilium patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnino abicimus et tamquam animae noxias execramur.“ Aliis deinde „a sancta Dei ecclesia proiectis“, sequitur: „Cum his vero simul proici a sancta Dei catholica ecclesia simulque anathematizari praevidimus et Honorium . . . eo quod invenimus per scripta, quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus eius mentem secutus est et impia dogmata confirmavit“ [74]). Et in eadem sessione postquam cum aliis haereticorum scriptis secunda Honorii epistola lecta est, de omnibus iterum simul hoc factum est iudicium: „comperimus ea in unam eandemque impietatem concurrere. Et praevidimus profana et animae perniciosa continuo ob perfectum exterminium igne concremari. Et combusta sunt“ [75]). In sessione XVI. conclamatum est: „Honorio haeretico anathema“ [76]), item in sessione XVIII: „Sergio et Honorio anathema . . . Omnibus haereticis anathema [77]). In sermone acclamatorio ad imperatorem, cum enumerasset sancta synodus haereses in prioribus conciliis damnatas, cum animadvertisset, contra orientem haeresim semper imperatorem simul et papam insurrexisse, ad Eutychem perveniens, haec addit: „Putasne necessarium erat silere, et non spiritales viros insurgere, qui divinis verbis falsidicos compescerent? Et quomodo non indignaretur Deus, qui blasphemabatur et non defendebatur?“ Tandem Leonem et post eum Agathonem surrexisse, cum quo concilium ipsum haeresim condemnasset, et aliis excommunicatis: „Et cum eis Honorium, qui fuit Romae praesul, utpote qui eos in his secutus est.“ [78]) Denique in epistola ad Agathonem dicit se „anathematibus interfecisse“ inter ceteros „Honorium“. [79]) Constantinus Pogonatus tandem imperator in suo edicto dicit se anathematizare et refutare eos, qui „supervacuorum et novorum dogmatum haeretici auctores atque fautores sunt.“ „Ad haec et Honorium, qui fuit antiquae Romae papa, horum haereseos in omnibus fautorem, concursorem atque confirmatorem *συναιρέτην καὶ σύνδρομον καὶ βεβαιωτὴν τῆς αἱρέσεως*“ [80]).

---

[72]) Colombier, Études 1870 I. 378.
[73]) Hoc imprimis contra Běljaev l. c. notandum est.
[74]) Mansi XI. 554 sq.
[75]) ibid. 582.
[76]) ibid. 622.
[77]) ibid. 655.
[78]) l. c. 662. 666.
[79]) l. c. 683.
[80]) l. c. 710.

15. Quaerunt hic, quo iure concilium sibi iudicium de Romano pontifice arrogare potuerit, cur legati sanctae Sedis contra anathema Honorio inflictum protestati non sint, utrum Honorius, etiam a legitima concilii in Honorium potestate abstrahendo, iuste damnatus sit, utrum igitur Honorius aliquem defectum et quemnam praecise commiserit.

Quod primam quaestionem attinet, quam per modum unius considerare possumus, quo iure sc. concilium de Romano pontifice iudicaverit, potuit concilium putare, de Romano pontifice iam defuncto iam sibi iudicium competere, ut qui iam amplius non esset pastor et rector ecclesiae ideoque nec concilio superior; haec opinio posset eo expressa videri, quod concilium in condemnatione Honorii bis addat: „qui fuit papa antiquae Romae", ut etiam Hadrianus II. in epistola mox citanda notat, Honorio post mortem anathema esse dictum.

Potuit etiam illa sententia duci, quae censet papam etiam vivum, cum haereticus fiat, eo ipso membrum ideoque etiam caput ecclesiae esse desinere, ideoque ut quemlibet haereticum iudicari a concilio posse[81]). Haec opinio fundamentum quidem aliquod habet in epistola Hadriani II. ad concilium octavum, actione septima, ubi scribit: „Romanum pontificem de omnium ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus, de eo vero quemquam iudicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus anathema post mortem sit dictum: sciendum tamen est quod fuerat super haeresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi vel pravos sensus libere respuendi". Verum tunc simul notandum est, haeresim notoriam esse debere et concilium tunc „haeresim" satis largo sensu sumere debuisse, ut ex hoc sibi capite licere putaret contra Honorium procedere.

Alia tamen explicatio probabilior videtur. Addit Hadrianus II. post verba allata: „Quamvis nec ibi, nec patriarcharum nec ceterorum antistitum cuipiam de eo fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primae Sedis pontificis consensus praecessisset auctoritas". Revera notissimum est, Romanos pontifices nullo iure coactos saepius libere se a suspicionibus contra ipsos existentibus coram cardinalibus et episcopis purgasse, sic etiam sine dubio simul cum concilio de antecessore suo iam defuncto iudicare possunt.

Tota igitur quaestio est, utrum consensus Romani pontificis, ut Hadrianus II. innuit, revera adfuerit et qua forma datus sit; si enim a testimonio Hadriani, aliquatenus positivo, abstrahimus, quo iure quaque forma huic consensum datum esse, spectatis fontibus, admittere possumus aut debemus? A priori enim potius verisimile non est, hunc consensum datum esse. Debuisset enim dari proxime ab Agathone tunc temporis Romano pontifice: verum num hic se dispositum ostendit ad talem consensum dandum, ipse qui in loco suae ad concilium epistolae notissimo Honorium etiam laudare videtur, eo quod Sergium monuerit, ut a novo dogmate praedicando „saltem tacendo

---

[81]) Cf. Scheeben. Das ökumenische Konzil II. 113 sq.

desisteret"? Et cum Honorio etiam occidentales alii, postquam calumniam contra Honorium ut Monotheletam prolatam dissolutam viderunt, de ipso bene sentiebant. „Non igitur temerarium esset dicere, concilium, si in occidente celebratum esset, condemnationem Honorii nunquam propositurum fuisse, vel, si Graeci eam proposuissent, immensa votorum maioritate reiecturum fuisse" [82]).

Rationibus haud spernendis Colombier [83]) ostendere conatur, Agathonem durante concilio mortuum esse, Graecos quaestionem de Honorio Romana Sede vacante movisse, cum scilicet legati Agathonis, exstincto priore, nondum electo novo pontifice, sufficienti auctoritate ideoque etiam animo ad resistendum carerent, interim vero Leonem II. vix electum Romanum pontificem, qui Honorio acutior, et Graeci idiomatis rerumque Graecarum gnarus erat, Honorii causam pro funestissimis effectibus, per eius epistolas productis, gravius diiudicasse legatisque suis facultates necessarias communicasse. Unica, at seria difficultas contra hunc concipiendi modum, quamque nec auctor ille sufficienter solvere videtur, in eo est, quod omnia concilii documenta usque ad ultimum Agathonem videntur supponere adhuc in vivis degentem [84]). Abstrahendo igitur ab hac hypothesi, putat Hefele, legatos in instructione Agathonis secuta facultates necessarias habuisse.

Supponere etiam possumus, legatos ipsos cum Constantinopolim pervenissent, ibique quantum Honorii nomen rectae fidei obfuisset cognovissent, mutasse circa eum sententiam, sibique, sive ex supposita propter has circumstantias Romae non cognitas Agathonis licentia, sive ex eodem petita interim et obtenta, Graecorum conatibus non iam amplius obsistendum iudicasse. Hanc autem in gravissimis illis circumstantiis licentiam eos ab Agathone non immerito sperare et obtinere potuisse, ex sanctissimo pontificis illius animo ipsis notissimo recte deducimus, qui de uno fidei et ecclesiae bono sollicitum in epistola sua tota se ostendit.

Quodsi quis una ex parte sibi persuadeat, consensum Romani pontificis concilio omnino fuisse necessarium, altera ex parte huius consensus dati non apparere argumenta satis firma, is concedere poterit, aut consensum Agathonis generalem contra „haereticos" procedendi etiam ad iudicandum „haereticum" Honorium, qui „fuit quondam" papa antiquae Romae, satis fuisse, aut negare potest, fuisse consensum praevium, concilium potius per meram viam facti processisse, Leonem II. postea per cofirmationem et consensum subsequentem defectum illum iuris sanasse et sensum et extensionem condemnantis sententiae suis verbis authentice circumscripsisse.

---

[82]) Colombier, Études 1870 I. 383.

[83]) l. c. 392 sqq.

[84]) Consentit auctori illi Hergenröther, Agathonem re vera iam 10. Ian. 681 mortuum esse (K.-G. I. 369), dum Hefele eodem die sequentis anni mortuum esse ait (K.-G. III. 262 Nota); Grisar (Kirchen-Lexikon VI. 248) sequens Duchesne (Liber Pontificalis CCLVII.) Agathonem revera 10. Ian. 681 mortuum esse tenet, Leonem II. vero tantum post 19 menses, die 17. Augusti 682 cathedram Petri ascendisse. Unde acta essent omnia „sede vacante" et sine praevia Leonis II. licentia.

Ex his, quae iam exposita sunt, patet, immerito Běljaev loco citato scripsisse: „Concilium anathematizavit Papam. Unde directe et naturaliter sequitur, auctoritatem papae non esse supremam, etiam de eo posse esse iudicium“. Si enim de papa mortuo concilium iudicare potest, nondum sequitur, posse de vivo iudicare; si de papa sive vivo sive mortuo in casu haeresis notoriae potest iudicare, nondum sequitur, posse etiam extra casum haeresis de ipso iudicare: si denique de papa sive vivo sive mortuo sive de haeresi sive de alio quocumque defectu, quo ecclesiae nocuit, ex licentia Romani pontificis concilium potest iudicare, nondum sequitur, ut concilium in Romanum pontificem quidquam possit sine eiusdem Romani pontificis licentia. Atque haec ad solvendam obiectionem, quam ex causa Honorii facit Běljaev contra superioritatem Romani pontificis super concilia oecumenica. De obiectione, in quantum infallibilitatem eius respicit, statim sermo recurret.

Quoad superioritatem Romani pontificis vero super concilia gravissima sunt haec verba Colombier: „Quod secundum, tertium et quartum concilium attinet, velit mihi Gallicanus aliquis dicere, quomodo explicet in suo systemate modum procedendi ita uniformem Romanorum pontificum et harum magnarum synodorum, ad quas Romani pontifices scribunt: S. Damasus, S. Coelestinus et S. Leo agunt quasi concilia invicem contulissent. Definiunt, primus in suo concilio particulari, duo alii in epistolis dogmaticis punctum controversiae, mittuntque decisiones suas fratribus in episcopatu, non ut discutiantur, sed ut subscribantur, S. Agatho, Hadrianus I. et Hadrianus II. non aliter se gerunt relate ad Concilia sextum, septimum et octavum. Quintum inquisitionem nimis longam postularet; ceterum sex alia materiam sufficientissimam suppeditant, modo adversarii nostri paulisper reflectere velint. S. Coelestinus imprimis eo modo loquitur, qui nimis videretur singularis in ore alicuius subditi relate ad potestatem aliquam superiorem: „Ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debetis, non subire certamen“. Et quod notandum, concilia practice acceptant programma pontificum.

Hunc modum procedendi a Romanis pontificibus constanter servatum si mente contemplor, saepe ex me ipso quaesivi, non utrum Romani pontifices se considerarent tamquam concilio superiores neque utrum tamquam tales essent a conciliis agniti: puerilis mihi videretur fere hac quaestio; sed ex me ipso quaesivi et adhuc quaero, quomodo hic modus procedendi successorum s. Petri adeo auctoritativus cum hac alia veritate catholica conciliari debeat, episcopos in conciliis vere fidei iudices esse: „Ego definiens subscripsi“. Etiam hoc ex me quaero, et, aperte dico, quin suspicer, quidnam adversarii responsuri sint, quaero, inquam, ex me, quomodo viri ceteroquin docti imaginari potuerint potentiam Romani pontificis post quintum saeculum valde amplificatam esse. Modus agendi Romanorum pontificum saeculi XVI. erga concilium Tridentinum quantopere modestior modo agendi s. Coelestini et s. Leonis!“ [85])

---

[85]) Études 1869 II. 830 sqq.

Ceterum etiam si actio concilii contra Honorium fuerit per se legitima, tamen pluribus non immerito videtur, in modo eius procedendi ob neglectam debitam iuris formam, non defuisse, quod sanatione per Romanum pontificem indigeret. „Actio in ipsum intenta, ait Colombier, praeter omnes regulas iuris exsecutioni data est" [86]. Nominatim cum Bellarmino notat Coriolanus: „Immo si reus obiecti criminis fuisset Honorius, priusquam damnaretur erat inquirendum, an errorem unquam revocaverit, vel potius in eodem usque ad mortem perseveraverit" [87]. Quod argumentum specialem vim habere liquet in sententia eorum omnium, qui Honorium a patribus concilii sexti propter haeresim proprie dictam condemnatum esse putant; eo magis, quod non desunt gravia indicia, Honorium ipsum, re melius perspecta, defectum suum, quicumque fuerit, emendasse et causam fidei satis strenue egisse: quae tamen longius persequi non necessarium esse ducimus.

46. Quodsi concilium legitime contra Honorium procedere potuit iurisque regulas saltem essentiales servavit, num iusta etiam est sententia ab eo in Honorium prolata? Namque enim, omnibus fere fatentibus epistolae Honorii orthodoxae sunt et ab omni errore contra veritatem revelatam immunes. Praeterea „intolerabilis error foret, si unam atque alteram epistolam Honorii ducenti octoginta novem Patres non intellexissent, quave intentione ea scripta fuisset, ex circumstantia temporis loci ac personarum non advertissent, itemque quae locorum dubiorum foret interpretatio, ex vulgata illa et celebri disputatione Maximi cum Pyrrho habita non audissent" [88], et tamen, his omnibus non obstantibus, certissimum est, Honorium ab hoc eodem concilio ut haereticum fuisse damnatum. Quae quomodo inter se, quomodo cum iustitia conciliari possunt? Et tamen debent, et tamen possunt.

47. Neve ullam quis hic suspicionem concipiat, ad liberandum Romanum pontificem fieri explicationem aliquam, ut Hefele alio loco dixit, „suaviorem quam veriorem". Primum enim non ad Honorium sed potius ad concilium macula aliqua liberandum vires intendendae sunt; non enim fuit Honorius „haereticus", ut ex epistolis eius, propter quas solas a concilio condemnatus est, omnino indubie constat: quomodo potuit idem concilium propter litteras easdem eum tamquam „haereticum" damnare? Hic Rhodus est, hic salta! Quare videant Romani pontificis adversarii, ne, urgendo cum Běljaev loco citato, Honorium fuisse ut Monotheletam proprie dictum a concilio damnatum, causam ipsius concilii omnino desperatam faciant. Corpus delicti enim, ipsis fatentibus, sunt Honorii epistolae tales, quales prae manibus habemus; atqui hae epistolae ut unusquisque videre potest et luculenter ostendimus orthodoxae sunt: quomodo igitur potuit eas infallibile concilium tamquam heterodoxas, tamquam haereticas damnare?

Deinde, labor si quis in hac re, ubi de Romano pontifice agitur, est, quod bene notandum est, multo minor eo labore est, qui aliquando

---

[86]) Études, 1870, I, 533.
[87]) Apud Gonzalez l. c. 728.
[88]) Cum Bellarmino Coriolanus apud Gonzalez l. c. 727.

necessarius fit ad alia etiam concilia oecumenica certo talia et certo infallibilia a contradictione aperta liberanda! Sic, ut exemplo a Colombier allato [89]) utar, canon quartus concilii quinti anathema dicit omni, qui non defendit epistolam impiam Ibae ad Marim, nec reicit ipsam eosque qui eam iustificare, sive totam sive ex parte conantur. Hic canon decretus fuit die 2. Iunii anni 553. Iam vero die 24. Octobris anni 451. idem Ibas, ut orthodoxiam suam, de qua merito suspectus erat, probaret, concilio quarto se praesentavit, quod de hac eadem eius epistola tam vehementer tamque iuste condemnata hoc tulit iudicium: Legati Romani pontificis sic aiunt: „Postquam epistolam Ibae relegimus, eum orthodoxum esse cognovimus.“ Maximus, Antiochenus: „Ex relecto quoque rescripto epistolae, quae prolata est ab eo, qui adversarius eius existit, orthodoxa eius declarata est dictatio“: quae omnes alii episcopi approbant Ibamque tamquam episcopum catholicum in suo consessu admittunt. En exemplum, ubi pariter concilium contra concilium stat, hac sola differentia, quod incommoda in causa Honorii multo facilius removeri possunt.

48. Quomodo igitur contradictio tollitur? Contradictio in solo verbo est, non in re. Termini „haeresis“ enim et „haereticus“ strictiore vel latiore sensu sumi possunt et tempore concilii sexti vario sensu sumebantur. Honorius non est condemnatus ut haereticus proprie dictus, cum haeresim non commiserit, sed tantum ut fautor haeresis.

Id certissimum est, si concilium spectetur, in quantum certe oecumenicum est, utpote a Romano pontifice approbatum. Quamvis vero Grisar [90]) cum Pennacchi [91]), cum antiquis omnibus et cum iis omnibus, qui authenticitatem actuum impugnarunt, existimet, patres concilii ipsos voluisse Honorium ut haereticum proprie dictum condemnare, verba enim concilii, sine aliqua violentia, mitiore illo sensu explicari vix posse; tamen id non videtur omnino certum, et ex ratione mox adducenda saltem non intelligitur, quomodo Běljaev [92]) cum aliis orientalibus possit hoc urgere, quin propriam causam desperatam faciat. Quare persequor hic potius eam sententiam, quae cum tanto pro orientalibus incommodo coniuncta non sit.

Quomodo significatio verbi „haeresis“ id est separationis, pro arctiore vel latiore significatione termini „fidei“, a qua quis se separat, et pro maiore vel minore gradu separationis a fide vel oppositionis ad ipsam, ex natura rei et et ex usu loquendi varia esse possit, supra ostensum est. Cum autem concilia oecumenica VI., VII. et VIII. in cumulo tamquam „haeresis“ reos damnant viros diversissimos, nemo qui novit, qui et quales fuerint, nemo praesertim, qui epistolas Honorii sic damnatas examinaverit, omnes eodem modo et sensu damnatos esse iudicabit, sed alios propter haeresim proprie dictam, alios propter favorem haeresi praestitum, ut fautores haeresis damnatos esse statuet.

---

[89]) Études 1869 II, 829 sq.
[90]) Kirchen-Lexikon² VI, 254.
[91]) l. c. 275.
[92]) l. c.

Honorius igitur, sicut haereticus non fuit, sic, quidquid verba sonant, ut haereticus simpliciter non est condemnatus.

Hoc qui negare vellet atque cum Běljaev loco citato asserere et urgere, Honorium ut haereticum proprie dictum a concilio oecumenico sexto damnatum, is ex alterutro unum eligat oportet: aut debet, dicere, ergo concilium oecumenicum erravit, quod esset contra infallibilitatem concilii oecumenici; aut: ergo si Honorius, ut ex epistolis eius constat et hodie ab omnibus conceditur, haereticus proprie dictus non est, si concilium eum tamquam haereticum proprie dictum damnavit, si tamen concilium oecumenicum errare nequit — ergo: corpus patrum errans pro se solo non constituebat concilium oecumenicum; ut habeatur concilium oecumenicum illud, cui revera infallibilitatis proprietas convenit, debet sumi concilium simul cum suo capite. Nam Leo II. non condemnavit Honorium ut haereticum proprie dictum: ergo concilium sine Romano pontifice, non gaudet charismate infallibilitatis; vere igitur oecumenicum et infallibile est concilium tantum in unione cum dato sibi a Christo capite, Romano pontifice: Quam si Běljaev conclusionem admittere velit, libenter ei subscribimus.

Neque tamen deest argumentum aliquod positivum ex ipsa synodo petitum, quod aliquo modo suadeat, concilium etsi forte animositate aliqua contra Sedem Romanam abreptum, tamen non intendisse damnare Honorium simpliciter ut haereticum, sed tantum ut haeresis fautorem. Etsi enim eum constanter „haereticum" nominat, tamen, qui concilio magna ex parte interfuerat et certe concilii mentem optime noverat, imperator Constantinus Pogonatus, in edicto suo distinguit inter novorum dogmatum „haereticos auctores et fautores"; deinde vero unice ad Honorium terminum „fautoris" applicat: cum vero ex natura rei omnis haeresis auctor etiam eius fautor sit non vero vice versa, terminum „fautoris" invenisse et Honorio applicasse dicendus est praecise quia eum ut fautorem haeresis tantum, non vero ut auctorem considerabat, cum alii omnes, qui haeresim positive defendisse noscuntur, inter haeresis auctores ab ipso numerentur.

Ceterum cum ex confirmationibus diversis per Leonem II. datis extra omne dubium positum sit, ab eo tantum anathema propter favorem haeresi praestitum esse confirmatum, cum praesertim nullum concilii anathema alium valorem habeat, quam Romanus pontifex explicite vel implicite dederit [93]), tantum pauci loci considerandi sunt, in quibus videntur episcopi suum in Honorium anathema tamquam de haeresi proprie dicta interpretari.

In actione XIII. dicitur Honorius, quae verba a Glagolev valde urgentur, „in omnibus mentem Sergii secutus" et „impia eius dogmata confirmasse." Vidimus iam, adversarios potius causam propriam intricare, si condemnationem Honorii propter haeresim positivam factam esse urgeant. Verum verba sensum, quem

[93]) Cf. Granderath l. c. 537 sq.; Grisar l. c. 255 sq.

Běljaev ibi expressum putat, non videntur necessario postulare. Mens enim Sergii fuit, ut „de una vel duabus voluntatibus vel operationibus silentium indiceretur"; hanc igitur Sergii mentem Honorius secutus est: indixit silentium, non ex intentione haeretica ut Sergius, sed ex false intellecta et importuna oeconomia, a Sergio homine astutissimo deceptus. „Confirmavit eius dogmata", non approbatione unius in Christo operationis et voluntatis sensu monotheletico, cum de ea ne somniaret quidem et orthodoxe omnino sentiret, confirmavit vero, quatenus imprudens ipsius modi agendi in causa fuit, cur catholici impedirentur aliquomodo, ne veram duarum operationum fidem defenderent, cum verbo ad defensionem aptissimo abstinere iuberentur; et cur haeretici, eius auctoritate in suum sensum detorta abutendo, animos viresque semper maiores contra rectam fidem sibi sumpserint. — In eadem actione XIII. Honorii litterae cum haereticorum scriptis comburi iubentur, eo quod cum ipsis „in eandem impietatem concurrat": quod optime intelligitur de effectu diffusionis Monotheletismi obtento, ad quem obtinendum epistolae Honorii concurrerant, non per haeresim, quam ipsae continerent, sed propter modum loquendi in illis circumstantiis importunum et importunius consilium, „unius vel duarum operationum" vocis usu abstinendi. — Edictum Constantini non tantum vocem „fautoris" ipsi applicat, sed etiam „concursoris" propter operam scilicet, quam, aliud agens, haeretici dogmatis seminatoribus praestitit, et confirmatoris, cui scilicet haereticum dogma debebat, quod ipsius imprudentia tam firmas radices impune agere potuerit, eo sc. quod „siluit", quod Deus „blasphemabatur et non defendebatur", ab eo scilicet, a quo imprimis defendi debebat, ut habent episcopi in sermone acclamatorio.

49. Neque tamen tacendum est, ut iam innuimus, fuisse et esse auctores catholicos, qui Honorium ut haereticum proprie dictum condemnatum esse a concilio existimarent [94]). Ex iis, quae in statu quaestionis dicta sunt, patet, etiamsi Honorius vere haereticus fuisset et ut talis a concilio condemnatus esset, nihil sequi contra infallibilitatem Romani pontificis, quamdiu haeresim non definitiva sententia ecclesiae obtruderit et quamdiu a concilio non insuper tamquam falsae definitionis ex cathedra reus condemnatus sit.

Cum vero Honorius tantum absit, ut definitionem haereticam ediderit, ut neque haereticus omnino fuerit, ex auctoribus illis alii in ipso concilio Honorium de haeresi condemnante errorem facti admittunt: etsi enim in facto dogmatico definiendo nec ecclesia nec Romanus pontifex errare possit, error tamen simplex facti non est impossibilis. Hic error in eo fuisset, quod concilium non genuinas Honorii epistolas prae manibus habuisset, sed alias, suppositias, revera haeresim positive continentes. Iam vero concilium errare non posse, quando decernit, epistolam, quam prae manibus habet esse haereticam, posse vero errare, ut quilibet homo, in illo alio iudicio, utrum talis epistola sicut

---

[94]) Granderath, l. c. 526.

iacet, revera ab illo auctore scripta sit necne [95]). Grisar vero [96]), ut iam diximus, qui verba condemnationis non putat, sine violentia, de haeresi latiore tantum sensu posse intelligi, epistolarum genuinitatem sustinet, in concilio vero non errorem facti admittit, sed difficultatem ex eo potius solvit, quod anathema a concilio latum tantum in sensu, ad quem a Leone II. restrictum sit, valorem habeat.

Quae sententia robur non spernendum in eo habet, quod sicut idem auctor ibidem ostendit, vetus in occidente erat sententia, Graecos, id est patres concilii sexti, acerbiorem in Honorium eamque iniustam tulisse sententiam, eamque a Leone II. solum in sensu modificato esse approbatam. Leonem II. ipsum sensum anathematis in Honorium lati vere modificasse, tenet etiam Funk [97]). Patet vero in hac sententia necessario admittendum esse, patres concilii sexti per se solos sumptos circa Honorium in iudicio ferendo graviter errasse, veram autem et legitimam esse tantum eam condemnationem Honorii, in qua cum concilii corpore caput eius consentiat, ideoque tamquam veram et infallibilem Honorii condemnationem tantum eam considerari posse, quae per Leonis II. approbationem robur obtinuerit. Quare cum Honorii condemnatio a Leone II. tantum de haeresi latiore sensu confirmata sit, etiam in hac sententia, ut iam diximus, dicendum, Honorium a concilio oecumenico legitimo non esse de haeresi proprie dicta damnatum.

50. Iam si culpa in Honorio a concilio vindicata non haeresis fuit, sed tantum favor haeresi praestitus, videndum est, in quonam praecise culpabilis ille favor constiterit. In unum colligendo verba, quibus Leo II. hanc culpam accuratius circumscribit, videmus eum Honorio vitio vertere, in epistola quidem confirmatoria ad imperatorem, quod Honorius „hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit (παρεχώρησε)“; deinde in epistola ad episcopos Hispaniae, quia „flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit“; tandem in epistola ad regem Ervigium, quia „immaculatam apostolicae traditionis regulam, quam a praedecessoribus suis accepit, maculari consensit.“ Addenda est hic explicatio, quae in libro diurno, in professione fidei Romanorum pontificum habetur, ubi Honorio anathema dicitur, quia „pravis eorum assertionibus fomentum impendit.“

Omnes hae assertiones, ut ex una parte merum favorem haeresi praestitum, non haeresim ipsam significant, ita eam accuratius in negligentia Honorii reponunt, qua omisit id facere, quod in illis circumstantiis facere debuit. Quod autem facere debuit et non fecit, non fuit aliquod officium, quod ipsi ut homini privato incumbebat, sed ut publico, ut pastori et doctori totius ecclesiae. Quare non recte videntur loqui, qui Honorium ut personam

---

95) Cf. Grandenrath l. c. 528.
96) Kirchen-Lexikon² VI, 254 sq.
97) Kirchengeschichtliche Abhandlungen I. Paderborn, 1897 p. 114.

mere privatam errorem illum practicum commisisse existimant: ut personam privatam enim eum Sergius non consuluit, nec ut persona privata eidem quidquam praescribere, aut etiam tantum cum auctoritate quadam consulere potuit [98]). Nec tamen inde immediate sequitur, id quod Honorius facere debuerit et non fecerit, fuisse definitionem ex cathedra duarum in Christo voluntatum [99]).

Solum id necessario facere debuit, quod ad flammam haeretici dogmatis incipientem exstinguendam satis erat; ad hoc autem non statim usus auctoritatis apostolicae supremo intensionis eius gradu, id est definitio infallibilis ex cathedra necessaria erat, sed sufficere poterat, ut in epistola ad Sergium, loco earum rerum, quae scripsit, ei praedicationem claram et indubiam duarum in Christo voluntatum instanter inculcaret.

Hoc igitur omisisse dicendus est. Cum quo defectu cohaeret alius, quaedam scilicet socordia et defectus cautionis et diligentiae debitae, eo quod, insidiosis Sergii verbis nimis credulus, tam facile se ab ipso circumveniri permiserit, quod satis multa obscura immo et haeretica Sergii in sua epistola dicta non attentius consideraverit, quod Sergio semper adhuc crediderit etiam postquam Sophronius, quem utique Sergius ei ut hominem turbulentum depinxerat, per synodicam suam et legatum suum statum tum doctrinae tum rerum in Oriente clarius exposuit, quod tandem ipse patrum et conciliorum doctrinam una cum congregatis episcopis non melius examinaverit et nimis perfunctorio modo negotium tractaverit, in quod summam diligentiam impendere debuerat, ut certiore remedio periclitanti Orientis ecclesiae posset occurrere. [100]) „Habitus est a patribus concilii sexti tamquam pontifex, sic Palma. qui muneris sui partes non expleverit et dignus est iudicatus, qui damnaretur, quod catholicae ecclesiae causam, qua necesse fuit diligentia non egisset, quodque haereticorum comitia, conniventia sua iuvisse visus sit.“ [101])

VII. Sententia a concilio sexto lata non obest infallibilitati Romani pontificis.

51. Iuvat iam omnia fila tractationis nostrae ad illud punctum reducere, a quo exorsa est, et relationem inter concilium sextum et infallibilitatem Romani pontificis paucis ob oculos ponere. Initio demonstravimus, Honorium in suis ad Sergium epistolis definitionem ex cathedra nullam edidisse, ex quo immediate sequitur, eum neque a concilio oecumenico, utpote infallibili, propter falsam definitionem damnari potuisse; de quacumque vero alia re concilium Honorium damnaverit, hoc cum infallibilitate Romani pontificis, qualis a concilio Vaticano definita est, iam nihil com-

---

[98]) Cf. Grisar, Kirchen-Lexikon ² VI, 243.
[99]) Sic Ballerini l. c. 285.
[100]) In eundem sensum Civiltà 1870 IX, 452. 456. Colombier, Études 1870 I, 534; Grisar, Kirchen-Lexikon ², VI, 245.
[101]) l. c. 152.

mune habet, iam extra quaestionem versatur, ideoque negotium facessit.

52. Sed nonne, ut Homjakov loco citato opinatur, thesis catholica iam conclamata est eo ipso, quod concilium sibi licere putavit tractare causam Honorii? Quod illam quaestionem attinet, qua auctoritate omnino concilium de Romano pontifice iudicaverit, id supra satis superque explicavimus. Si vero illud quis magni momenti existimat, quod praecise in rebus fidei, de haeresi, de Honorio concilium iudicaverit, distinctione clara et simplici nobisque iam nota haec difficultas solvitur. Contra nos esset utique, si concilium hanc sibi quaestionem etiam tractandam tantum suscepisset, utrum Honorius falsam definitionem ex cathedra edidisset: tunc enim necessario censendum esset, concilium supposuisse, hoc saltem fieri posse, ideoque Romanum pontificem in definiendo non esse infallibilem. Aliud omnino autem est, ubi de aliis defectibus quaeritur, qui sicut accidere, ita supponi aut suspicari a concilio possunt, etiam in eo, qui in definitione edenda ab ipso creditur non posse errare; atque hic, ut abunde ostendimus, fuit casus Honorii.

Quid igitur mirum, si patres concilii Honorium errare potuisse in illis circumstantiis iudicabant, in quibus ipsa Romana ecclesia nunquam negavit Romanum pontificem posse errare? Bellarminus putavit et nos omnes hodie cum ipso, Romanum pontificem posse errare ut personam privatam, posse errare etiam ut personam publicam, cum scilicet pro officio suo pastorali praeceptum aliquod sive practicum sive etiam doctrinale dat, ita tamen ut suprema auctoritatis suae intensitate ad quidquam irrevocabiliter aut irreformabiliter definiendum uti nolit: quid igitur mirum, si patres sexti concilii nobiscum iam idem putaverunt?

53. At nonne, id quod urget iterum Běljaev, ad agendum contra infallibilitatem iam satis est, quod Romanus pontifex, cum definitionem ex cathedra edere deberet, eam non edit? Nonne iam eo ipso censendus non-infallibilis, quod in iis circumstantiis, ubi definire deberet, non definit, non loquitur ex cathedra? „Desunt vaticinia, ita Běljaev, ergo deest oraculum." Ad quid servit tota infallibilitas, si Romanus pontifex, saltem silentio dogma infama proditione maculari permittere potest?

Ut a fine incipiamus, aliud sane est, Romanum pontificem ita esse infallibilem, ut in hypothesi, ab eius voluntate pendente, quod definiat, definiat sine errore, aliud, ita esse infallibilem, ut nunquam omittat definitionem infallibilem dare, quando talis sit utilis vel etiam necessaria. Iam vero dogma catholicum, infallibilitatem a Christo collatam Romano pontifici definiens, primam quidem infallibilitatem ei adscribit, non vero secundam, saltem non ita, quasi Christus ecclesiae non tantum pro casu necessitatis sed iam pro casu solius utilitatis promiserit, definitionem utilem ex parte Romani pontificis non defuturam.

Et sufficit profecto ad fidem illibatam servandam, si Romanus pontifex est infallibilis, quotiescumque definit, et si saltem definit, quo-

tiescumque omnino necessarium est. An forte concilium oecumenicum, profecto infallibile, quoad omnes quaestiones, quoad quas tempore concilii definitio valde opportuna, immo etiam necessaria fuisset, definitiones infallibiles edidit? Et si non fecit, num ideo concilio oecumenico infallibilitatem denegabimus? In nostro autem casu definitionem ex cathedra necessariam absolute fuisse falsissimum est; immo est omnino contra ordinariam gubernationem ecclesiae ex parte Dei, qui omnia aliquo modo et tempore naturali causarum evolutioni permittit; unde etiam omnes definitiones, quae tum a Romanis pontificibus tum a conciliis datae sunt, semper tunc datas esse videmus, quum res, prius discussae, iam aliquo modo maturae erant.

54. Quod si nimis urgeas, charisma infallibilitatis posse ex sola definitionis absentia ostendi etiam ipsum non adesse, hoc evidenter in ipsum concilium sextum et in concilia priora retorquetur. Cum enim in omnibus ante oecumenicis conciliis auctoritas Romani pontificis in controversiis dogmaticis terminandis mirum in modum effulserit, tamen vix aliud tam sollemne huius infallibilitatis testimonium est, quam epistola dogmatica Agathonis, quae totius huius concilii quasi anima fuit quaeque summa reverentia ab illis patribus accepta est. [102]) Quare si silentium tunc auctoritati infallibili necessario solvendum est, cum secus aliquid falsum creditur, sane cum ex tam sollemni in concilio oecumenico facta protestatione infallibilitatis Romani pontificis necessarium omnino consequens esset, ut pastores et oves Romanum pontificem infallibilem esse crederent, nisi fortiter obviam iretur et aeque sollemnis protestatio fieret, iterum de tribus unum eligendum est: aut nobiscum statuendum, omissionem definitionis non esse contra infallibilitatem, cum haec promissa sit ecclesiae et capiti eius tantum pro hypothesi quod aliquid definiat, aut patres illos non contradicentes non fuisse infallibiles aut tandem ideo patres infallibiles non contradixisse, quia nihil contradicendum erat, sed Agatho, infallibilitatem Romani pontificis urgendo, ex mente illorum patrum ipsissimum dogma catholicum proponebat.

Atque sic potius revera esse patet ex superioribus conciliis, quae nunquam Romanum pontificem cum tanta auctoritate, etiam in rebus fidei definiendis, loqui passa essent, si eum non tamquam proprie dictum superiorem suum et ducem in recta fide proponenda infallibilem reveriti essent.

55. Quodsi quis obiciat, concilium sextum Romano pontifici infallibilitatem sibi vindicanti revera efficacissime obstitisse,

---

[102]) Textus praecipuus habetur Mansi XI, 239, ubi notandum: verba illa [nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia] et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt . . . dico verba uncinis inclusa, quae in Latino habentur in Graeco vero desiderantur, in Graeco ex mero errore oculi describentis excidisse optime ex ipso superstite textu Graeco ostendit Kleutgen, Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck, 1881, V, 768 sqq.

condemnando sc. eius antecessorem Honorium, primo ex dictis recolendum est, concilium, salva sua ipsius infallibilitate, non potuisse damnare tamquam haereticum proprie dictum, multoque minus propter haeresim ex cathedra definitam, eum, qui neque haereticus fuit neque definitionem ullam edidit. Deinde ad infallibilitatem, falso ex hypothesi. sibi arrogatam, retundendam omnino necessarium fuisset assertioni pontificis negationem suam immediate opponere. Nam illa negatio aequivalens, quae in condemnatione Honorii sita esset, nequaquam satis facile intellecta esset: cuius rei signum evidentissimum est, quod non obstante hac condemnatione, posteriores Romani pontifices neque in ea infallibilitatem suam negatam credebant, neque eandem sibi attribuere cessabant.

Et num patres concilii sexti virtualiter infallibilitatem Romani pontificis negasse dici possunt, qui etiam post condemnationem Honorii ad Agathonem haec scripserunt: „Sic utique et omnium synodorum hucusque conventus effecti sunt adversus id, quod tumultuabatur, et reluctabatur, tam principibus, quamque priscis patribus semper armatis. Arius divisor atque partitor Trinitatis insurgebat: et continuo Constantinus semper Augustus, et Silvester laudabilis, magnam atque insignem in Nicea synodum congregabant, per quam ipsa Trinitas tam fidei symbolum dictavit, quamque adversus Arianam malitiam sententiam promulgavit, et iusta poena errantem ecclesiae locis indignis. sed illi condignis cruciavit. Macedonius Spiritus denegabat deitatem, et dominantem conservum praedicabat; sed maximus imperator Theodosius, et Damasus fidei adamas, protinus obstiterunt, quorum solidam mentem aggressiones atque conflictus alienarum sectarum nullatenus sauciarunt, Gregorius et Nectarius in hac regia urbe conventum congregabant et sacrilegam quidem linguam a sacerdotio abscindebant, quae blasphemias exsecrabiles in Spiritum s. iaculabant. quod Deus est Spiritus confirmantes, per ea, quae manifestius exposuerunt. Sic igitur eos, qui Trinitatis unitatem solvebant, Trinitatis virtus destruxit. Multa vero valde et multifaria et super ipsa unigeniti dispensatione facta est oppositio, sed generalia sermo exequi festinat. Iterum Nestorius et iterum Caelestinus et Cyrillus, ille quidem Christum dividebat et partiebat, hi vero cum domino conspirantes una cum sceptrorum domino divisorem deiciebant, ut Ephesus et ibidem gestorum tabulae per litterariam vocem dum ipsi sileant, causas ipsas loquuntur. Deinde Eutychetis insania delirante alteram fabulam, ipsiusque salvatoris humanitatem penitus recusante et umbrosam quamdam eius et non veram similitudinem praestigiante, putasne necessarium erat silere, et non spiritales viros insurgere, qui divinis verbis falsidicos compescerent? Et quomodo non indignaretur Deus, qui blasphemabatur, et non defendebatur? Leonis igitur tuba tanquam leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma, interim archimandritam bestiam perterruit, et a monachico grege proiecit eiusque phantasiam atque putationem reprobavit, et evanescere fecit. Hanc igitur divinitus scriptam tabulam Marcianus sacratissimus imperator et Anatolius Constantinopolitanus antistes cum omni Chalcedonensi a Christo congregata

collectione amplexi sunt atque manu et lingua consentiebant et pariter subscribebant et per eam consonam Eutychetis et Dioscori intelligentiam evacuerunt. Sicut et Vigilius post haec Iustiniano piissimo consonuit, et quintum concilium constitutum est, ut eorum opuscula, quae latenter reperta sunt repleta abominatione anathematizarentur.

His ita se habentibus, necessarium existebat et vestram Christo amabilem mansuetudinem sacratissimum hunc et copiosum congregare conventum. . . . Proinde inspiratione sancti Spiritus conspirantes et ad invicem omnes consonantes atque consentientes et Agathonis sanctissimi patris nostri et summi papae dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes nec non et suggestioni sanctae, quae sub eo est, synodi CXXV patrum concordantes, unum de sancta Trinitate dominum nostrum Iesum Christum etiam incarnatum praedicamus in duabus perfectis naturis indivise. inconfuse laudandum."

Profecto, si patres illi, anathemate in Honorium lato, ipsam Romani pontificis infallibilitatem se confixisse existimassent, sic scribere non potuissent, sed potius diligentissime studere debuissent, ne ullo modo doctrinae de infallibilitate Romani pontificis favere viderentur.

Tandem certe in concilio Ephesino nulla neque virtualis repulsio infallibilitatis Romani pontificis ulla probabilitatis specie locum habuisse dici potest, cum tamen etiam in hoc concilio Coelestinus et auctoritatem suam super concilium et infallibilitatem suam altissime proclamasset. Sic enim instructio, quam Coelestinus legatis suis dedit, habet: „Et auctoritatem sedis apostolicae custodiri debere mandamus. Siquidem et instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis, ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debetis, non subire certamen" [103]). Patres vero Ephesini ipsi confitentur: „Coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi patris nostri et comministri Coelestini Romanaeque ecclesiae episcopi, lacrimis subinde perfusi ad lugubrem hanc sententiam necessario venimus" [104]).

56. Atque his positis quivis facile iudicare potest, utrum saltem ab eo, qui infallibilitatem conciliorum oecumenicorum confitetur, haec verba Běljaev sustineri possint: „Ponamus praeterea, papam non propter haeresim damnatum esse, sed ut ita dicam, propter negligentiam et infirmitatem, non-usum potestatis. Sed num saltem talis sensus anathematis a concilio lati concordat cum idea infallibilitatis papae? Papa cum passivo silentio haeresis progressum intuetur. Vel ipsum eius silentium tali tempore, cum verbum auctoritatis necessarium est, est negatio huius ideae [i. e. infallibilitatis]. Desunt vaticinia: deest etiam oraculum". Videlicet: aut papa

[103]) Mansi IV, 556.
[104]) Mansi IV, 1211.

silendo se non esse infallibililem ostendit, et tunc a pari vel a fortiori concilia oecumenica non sunt infallibilia, ut quae pariter siluerint; aut conciliorum oecumenicorum silentium eorum infallibilitati non officit, ergo silentium nec officit infallibilitati Romani pontificis. Ceterum „idea" infallibilitatis non a quopiam pro lubitu confingenda, sed simpliciter ab ecclesia Romana mutuanda est: haec vero nunquam dixit, Romanum pontificem esse ita infallibilem, ut certissime definitionem infallibilem editurus sit, quotiescumque haec utilis esse videatur[105]).

57. Utinam tandem, quorsum haec tota nostra disputatio spectet, spectent Romani quoque pontifices, infallibilitatem suam Dei munere sibi collatam vindicantes, omnibus magis magisque perspectum fiat! Non enim libidine dominandi haec infallibilitas a Romanis pontificibus inventa et in exercitium deducta est. Quomodo ipsi Romani pontifices hanc suam praerogativam nunquam non consideraverint, pulcherrime ipse sanctus Agatho in epistola ad concilium expressit: „Nec post inoliti erroris diuturnitatem a commonitione siluerunt, sed semper hortati sunt ac contestati et hoc ex fraterna caritate, non per malitiam vel pertinaciam odiosam (absit, absit a corde christiano, ut in alterius lapsum grassetur, cum Dominus omnium doceat: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: qui gaudet super unum paenitentem magis quam super nonaginta novem iustos: qui ad liberandam ovem perditam suae maiestatis inclinans potentiam, de caelis ad terras descendit) sed et expansis spiritalibus ulnis optantes atque exhortantes eos in orthodoxae fidei unanimitate remeantes amplecti, eorumque conversionem ad integram orthodoxae fidei restitutionem praestolantes: quatenus de nostro consortio, immo beati Petri apostoli, cuius licet indigni ministerio fungimur et traditionis formulam praedicamus, seipsos non facerent alienos sed concorditer nobiscum immaculatam hostiam pro stabilitate fortissimi ac serenissimi imperii indesinenter Christum Dominum exorent" [106]). Profecto qui ita loquitur, ita sentit, non fur est, non mercenarius est, sed pastor est, sed heres eius est, cui post trinam amoris protestationem a Christo Domino dictum est: Pasce agnos meos, pasce oves meas.

58. Quaeri solet, errorem Honorii, qui etsi infallibilitatem Romani Pontificis nullo modo in discrimen vocet, tamen ob effectus tristissimos sane dolendus est, cur Deus, supremus Ecclesiae Pastor et Rector, accidere permiserit. Possemus, responsum directum declinando, Petrum ostendere, quem, cum esset certissime in docendo infallibilis, tamen Deus in errorem practicum non multo dissimilem errori Honorii incidere permisit, ita ut Paulus ei in faciem resistendum sibi putaverit. Si hoc in principe apostolorum permittere potuit Deus, cur non in eius successore? Si autem responsum directum tentamus: fuerit in divinis consiliis, Romanum pontificem ipsum monere, commissum sibi quidem

---

[105]) Cf. quae initio No. 4 diximus.
[106]) Mansi XI, 279.

esse infallibilitatis charisma, at *ipsius etiam* operam requiri, ut in ecclesiam inde omnis utilitas redundet, quam inde in eam redundare vult. Voluerit etiam Deus Romanum pontificem, in tam alto constitutum loco, *cautum facere et humilem*, ut cum sancto Dei timore commisso sibi munere fungatur. Intenderit denique Deus *dedocere* Romanum pontificem illam *sapientiam carnis*, quae, ubi simpliciter et sine respectu humano ullo veritas revelata tota et plena praedicanda esset, importunis opportunitatis considerationibus a via rectissima sinat se aliquantulum abduci [107]). In Honorio ponitur nobis ante oculos pontifex, qui, ut ait Colombier [108]), „non omnem vigilantiam adhibuit, quam munus eius postulabat, dormire sivit in manibus suis gladium ipsi a Deo commissum. Quare Deus eum anathematis gladio tradidit; unde videre possumus, quantum zelum habeat Deus pro fide ecclesiae conservanda; et omnes Romani pontifices sciunt, Providentiam divinam summo rigore punire in Romano pontifice defectum, qui pastorem cuiuscumque alius ecclesiae vix impediret, quominus caelitum ab ecclesia honores consequatur."

Romae 12. Aprilis. *P. Sinthern.*

EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

G. Hölscher, **Kanonisch und Apokryph**. Ein Kapitel aus der Geschichte des alttestamentlichen Kanons. Lpzg. 1905. M. 2.

Hoc libro impugnatur sententia circa a. 130 a. Chr. n. iam extitisse canonem quendam absolutum librorum Hebraeorum et statuitur libros canonicos a non canonicis distinctos esse inter 130 a. Chr. n. et aetatem Hillel et Šammai.

A. Lehmkuhl, **Probabilismus vindicatus.** Friburgi Br. 1906. VIII + 126 p. De systemate morali multae sententiae propositae sunt, et nonnullis damnatis ne in ecclesia catholica quidem lis dirempta est: inter probabilismum et aequiprobabilismum. Cur illi diffidant ratio est, quia videtur esse contra rationem, ut opinionem in usu sequamur, quam minus probabilem iudicamus. Conatum ex intimis rationibus probandi, solam eam legem obligare posse, quae subiective ut certa cognoscatur, nostrae Slavorum litterae iam attulerunt I, 68—9. *L.* evertit principium tutiorismi de conformanda voluntate humana cum lege aeterna. Decretum Innocentii XI. (a. 1680), de cuius ortu Gonzalez in praefatione ad tractatum succinctum (Dilling. 1691) narrat, quodque praeceptum disciplinare tantum est idque valoris particularis, non universalis, potius probabilismo favere ostendit.

K. Gross, **Die russischen Sekten.** I. Bd.: Die Gottesleute (Chlüsten). Leipzig 1905.

Chrest Andrutsos, Αἱ περὶ ἑνώσεως τῶν ἐκκλησιῶν βάσεις. Constantinop. 1905.

Dictionnaire d' archéologie chrétienne et de liturgie t. I. 1903—6.

Haud scio an nullum aliud opus aptius sid ad progressus doctrinae catholicae demonstrandos quam hoc. Pauca quidem nomina invenies subscripta — propterea fortasse opus lentius procedit — sed doctissimus

[107]) Cf. Scheeben, l. c. 117.
[108]) Études 1870 II, 548.

quisque electus est. Nec editorum laus celanda est, qui opus omnibus artis subsidiis large instruunt, licet neque haec res humana a mendis libera sit.

In tanta rerum copia, quae hic comprehenditur, nihil mirum est, si etiam res, quae ad nos pertinent, doctissime tractatae, crebro inveniantur.

H. Leclercq sub voce Ame. IX. L'introduction de l' âme dans le paradis (c. 1513—9) egregie composuit, quae alibi disiecta hac de re reperiuntur. Ex inscriptionibus ibi allatis notamus hanc, circiter a. 275, quae martyrem testatur statim caelo frui (De Rossi, Inscrip. christ. urb. Romae. 1888 t. II., p. I., proem. p. X.): „Iam videt et sentit magni (spectacula regni) et bene pro meritis gaudet sibi praemia reddi, tecum Paule tenens calcata morte coronam; nam fide servata cursum cum pace peregit."

Ab eodem scriptore tractatur Le séjour de l' âme dans le sein d' Abraham (c. 1522—42). Haec quaestio, de qua hic iam actum est (II., 309—313) controversa est inter Graecos et Latinos. Ultimus Anthimus patriarcha in encyclica a. 1895 Latinis sententiam quam tenent exprobravit.

L. communem fuisse persuasionem existimat martyres sine mora caelum intrare; de aliis autem fidelibus defunctis alios sensisse, caelum clausum eis esse ante resurrectionem, alios iustis animabus statim post mortem aditum ad Deum patere. Eodem fere tempore, quo Tertullianus scripsit: „Nulli patet caelum terra adhuc salva." (De anima 55. M. II., 789), Romae inscriptio facta est: „Marcianus, neophytus, recessit. Caeli tibi patent. Vive in pace." (Cabrol et Leclercq. Monum. eccl. liturg. Paris. 1902, I., n. 3435.)

Sententia de beatitudine demum post resurrectionem iustis concedenda coniungebatur cum sententia chiliastica et cum ea per liturgias divulgabatur. In sinu Abrahae esse significabat gratiam primae resurrectionis exspectare; id invenimus in Sacramentario Gelasiano (Muratori, Liturgia Romana vetus. Ven. 1748, I., 749. 750), in Missali Gothico (ibid. II., 578. 655), in Sacramentario Gallicano (ibid. p. 950: „In Abrahae sinu eum digneris excipere et in consortio primae resurrectionis suscitare iubeas"). Simili modo secundum *L.* sentiebant Papias (Euseb., H. e. 3. 39. M. 20, 296 s.; Pitra, Spicil. Solesm. Paris 1852, I., 1. 2. 3; prolog. IV. V. VI.; Hieron., De vir ill. 18. Lips. 1896, p. 17. 88. 89), Cerinthus (Euseb. H. e. 3, 28; 7, 24. 25), pseudo-Barnabas (ed. Funk, Tüb. 1887, I., 47), s. Iustinus (C. Tryph. 80. 81), s. Irenaeus (C. haer. 5, 31. M. 6, 1208; cf. Petavius, De Deo 7), Tertullianus (Adv. Marc. 3, 24. M. 2, 384), s. Hippolytus (Photius, Bibliotheca cod. 202. M. 103, 673), scriptores librorum Sibyllinorum (Alexander, Excurs. ad Sibyllina. Paris 1841, 476 s. 533. 534), Commodianus (Instruct. 2, 3. Cp. scr. eccl. p. 63), s. Methodius (Conviv. 10 virg. 9, 5. M. 18, 189), s. Victorinus M. (De fabr. mundi M. 5, 309; Schol. in Apc. 20. M. 5, 342), Lactantius (Instit. divin. 7, 14. M. 6, 780), Apollinarius (Hieron., In Is. 18, 65. M. 24, 653), Greg. Naz. (Ep. 102. M. 37, 197), s. Ambrosius (M. 14, 995, 589), s. Augustinus (De civ. D. 20, 7. M. 41, 666 s.), Iulius Hilarianus (De durat. mundi 16—19. M. 13, 1104 s.), s. Gaudentius (tract. 3, M. 20, 861 s.), Marius Victorinus (Gal. l. 2. ap. Mai, Script. vet. nova coll. 3, 2, 39), Sulpicius Severus (Hieron., De vir. ill. c. 18. Lips. 1896, 19; Ezech I. 11, 36. M. 25, 336 s.).

Quam late patuerit haec opinio, multae inscriptiones testantur. Etiam ubi non excluditur expresse sententia opposita, aliqua praesumptio stat pro illa, si adhibentur voces, quibus alias manifesto exprimebatur, etsi verum sit, voces illas e Iudaeorum ritu sumptas esse potuisse, quod certe nonnulla monumenta eum Iudaicis (Garrucci, Cimitero ebreo di vigna Randanini Roma 1862, p. 35. 44. 56. 68) comparata ostendunt (cf. Kaufmann, Die sepulcraren Jenseitsdenkmäler. Mainz 1900 p. 56). In epitaphiis anima dicitur versari in sinu Abrahae (Rossi, Inscript. christ. urb. Rom. 1857, I., p. XXVI.): in gremio Abrahae („[felici merito] hic sociabitur ante tri[bunal interea] in gremio Abraham cum pace quiescit]. Cp. inscr. Latin. X., 1370); ἐν τόπῳ ἀναπαύσεως (Rivista di filologia 1874, t. II., p. 213, nota 1); ἐν κόλποις Ἀβραὰμ

καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ (De Clarac, Inscr. grecques et rom. du musée du Louvre. Paris 1839, pl. LXIX., n. 858); expetitur eis τόπος ἀναψύξεως (Corp. inscript. Graec. t. IV., 9533); Ὁ θεὸς ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς κόλπον Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ (Cp. inscr. Graec. t. IV., 9128. 9130. 9132. 9133. 9135); ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν . . . ἐν τόπῳ φωτεινῷ . . . ἐν τόπῳ ἀναψύξεως (Cp. inscr. Graec. t. IV., 9121; sim. C. Kaufmann, Die sepulcr. Jenseitsdenkmäler. Mz. 1900, 68 sq.; eadem oratio est in euchologio Graeco, Rom. 1873, 252).

In liturgia similia occurrunt. De Graeca cf. Goar, Euchol. Ven. 1730, p. 428. 434. 442. 452. 465. 469. 472. 474 (de infantib.). 478. — Et Graeca quidem liturgia nec martyres excipiebat: Renaudot, Liturg. orient. coll. Paris 1716, II., p. 444 sq. (consolare eos in habitaculis, in quibus requiescunt).

In liturgia Romana legimus formulam: „Tribuas eis, Domine, delictorum suorum veniam in secreto receptaculo, ubi iam non est locus poenitentiae“ (Muratori, Liturg. Rom. vet. t. II., p. 951).

In liturgia Syriaca notat *L.* non videri idem teneri.

Ceterum, quid sinus Ahrahae significaret, clarum non erat; cf. Augustinus, Conf. 9, 3; Greg. Naz. Or. 7, 17 (M. 35, 776); Prudent. Cathemer. 10, 149. M. 59, 886; Renaudot, Liturg. orient. coll. Par. 1716, II., 267; Goar, Euchol. Ven. 1730, p. 569.

Epitaphia, quae caelum (mercedem obtentam) clare designant, rara sunt. Ubi de pace (sed cf. Kaufmann, Die sepulcr. Jenseitsdenkmäler p. 44 [„in pace cum Deo“], p. 49 [„εἰρήνη σοι ἐν οὐρανῷ“; „sub aeterna pace“]), de commoratione cum sanctis mentio occurrit, dubia esse *L.* dicit; sed certe non concedemus *L.*, formulam „in bono“ indicare sententiam de beatitudine demum post resurrectionem concedenda, secundum „authenticam“ (?) interpretationem Cassiodori (Cf. Kaufmann, l. c. 56). Quanta certitudo sententiae catholicae iam saec. VI. tributa sit, ex epitaphio papae Felicis IV. († 530) apparet; „Certa fides, iustis caelestia regna patere.“ (Le Blant, Inscr. chrét. de la Gaule II., 411; De Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. 1888. II., 126. 57). In aliquibus epitaphiis ipsa quoque dubitatio exprimitur: „Quisquis post mundum aetherias conscendere plagas posse putat iustos, Marcellinum quoque credat presbiterum caeli sedes habitare quietas“ (Gazzera, Delle iscrizione cristiane del Piemonte. Torino 1849, p. 105. 106).

F. Cabrol sub voce Anamnése (1880—96) tangit quaestionem de epiclesi. Epiclesis enim nonnumquam commiscetur cum anamnesi in variis liturgiis, in aliis sequitur eam. Anamnesis autem inscribi solet: Post secreta, Post mysteria. In eadem saepe exprimitur consecratio perfecta (De liturgia Romana cf. Baumstark, Lit. romana e lit. dell' Esarc. Romae 1904 p. 116; de aliis Thomasi-Vezzosi, Opera t. VI., p. 245. 269. 338).

Invocatio Spiritus s. in multis liturgiis deest vel paene ad nihil redacta est (quod tamen etiam de verbis consecratoriis in nonnullis liturgiis dicendum est; cf. *C.* in hoc opere col. 1914).

Canon historicum processum exhibet: relationem de cena, consecrationem panis et vini, memoriam passionis, mortis, descensus ad inferos, resurrectionis, ascensionis, pentecostes, quae missionis Spiritus s. mentio locum dat invocationi, qua, cum duarum personarum functiones iam expressae sint, Spiritus s. functio commemoratur: „C'est le Fils, qui est immolé en sacrifice pour les péchés du monde. La victime est offerte au Père et l'Esprit-Saint vient, par son operation sanctifiante, achever, compléter, parfaire la sainteté du Sacrifice“ (1895).

Eadem quaestio de epiclesi tangitur ab eodem viro doctissimo in capite, quod inscribitur Anaphore (1898—1918), col. 1915. Cum Neale (A history of the holy eastern Church t. I., p. 496) dicit in universum aestimanti ecclesiam orientalem credere panem et vinum in corpus et sanguinem Christi transformari verbis institutionis aeque ac Spiritus s. invocatione; si alterutrum desit, Eucharistiam invalidam esse*). Concedit autem

---

*) Similiter K. Zaruckij, Nedavnyja javlenija v rimsko-katoličeskom i protestantskom mirě. M. 1878, p. 130 sentit: „Shema (propositum vetero-

in liturgia Ioannis Chrys. et in liturgia Nestorianorum aliisque epiclesin talibus verbis compositam esse, ut negari nequeat invocationem Spiritus s. haberi causam transsubstantiationis. Etiam in nonnullis Post pridie Gallicis vel Mozarabicis similia occurrunt. Notandum est etiam hoc, Gallicanum vetus (Thomasi—Vezzosi, opera t. VI., 371), anaphoram Serapionis (post verba institutionis: Verbum sanctum tuum, Deus veritatis, inhabitet hunc panem, ut fiat corpus Verbi etc.; cf. Duchesne, Christian worship 1903, 75), anaphoram ritus praesanctificatorum in liturgia Iacobitarum (Journal of theolog. Studies oct. 1902, 69 s.; avril 1904, 369 s.) in epiclesi habere invocationem Verbi. Rel. deinc. pers.

La Civiltà Cattolica. Anno 57⁰. 1906 — Vol. 3. (15 sett.)

Della evoluzione del dogma. P. 641—661. Contra evolutionistas ponitur 1⁰ omnem veritatem revelatam habere suam exsistentiam obiectivam, depositam a Deo in mentibus primorum discipulorum et ab his traductam scripto vel ore tenus. 2⁰ Hanc exsistentiam esse realem, dogma non esse in statu meri germinis, antequam definiatur 3⁰ Internam rationem, cur veritas aliqua revelata sit, non esse definitionem ecclesiae sed auctoritatem Dei revelantis. 4⁰ Veritatem revelatam transcendere omne lumen intellectuale creatum; unde conclusionem syllogismi qua talem non esse revelatam. 5⁰ Dogma non pati evolutionem, quia et veritati omni mutatio repugnat et dogma ut verbum Dei iam extra causas exsistat. 6⁰ Proclamationem novorum dogmatum in ecclesia non esse introductionem novae rei sed novam expressionem veritatis implicito modo exsistentis, latentis. — Evolutionistis dogmaticis non favere Newman, ad quem provocant, diligenter ostenditur.

Stimmen aus Maria-Laach. 1907, I. *Jul. Bessmer,* Scholastik und moderne Philosophie. (p. 125—142.)

Novimus, etiam Russos passim praeiudicatis opinionibus hac in re aestimanda teneri. Eadem res a nobis iam tractata est saltem quod ea, quae maximi momenti sunt, attinet (a. I [1905] p. 225—232).

Haec commentatio respicit duas priores, alteram conscriptam ab Ed. Le Roy in »Demain« (15./VI. 1906), alteram a L. Günther in »Natur und Offenbarung« (1906 febr., mart.). Primum propositum et methodus philosophiae scholasticae exponitur. Deinde vis eius laudatur; quae nec iure negligitur, nisi argumenta eius refutantur, et a quocumque ei opera datur, cum praestantiâ suâ sibi devincit. Huius temporis litterae philosophicae e logica laborant. — Tum ea, quae exprobrantur, examinantur et ad veritatem revocantur; inquiritur sitne

---

catholicis) možet vnušit', budto naša Cerkov' proiznesenija slov ustanovlenija ne sčitaet suščestvenno-neobhodimym dlja soveršenija tainstva, čego starokatoliki ne primut i čego nikogda ne dopuskala, ne dopuskaet i ne dopustit vselenskaja cerkov'" — P. 131 argumentatur ex instructionibus de eis, quae inter sacrum faciendum accidere possunt (Služebnik, gl. „O slučajah v služenii liturgii prikljačitisja moguščih v veščeh, v soveršenii i v služiteleh"): „Ašče v samom pričaščenii, potrebiv čast', poznaet hlěb byti rastlěnnyj i t. p., sice da tvorit, siest vzem svěžuju pšeničnuju prosforu, i pročitav nad neju i sotvoriv vsja proskomidijnaja, da izmet agnec, zakalaet že i probodaet i ot sego města načnet: „V noč, v njuže predan byvaše", i slovesa Gospodnja jaže nad hlěbom tokmo glagolati (nad čašeju že ničto že glagolja, da preminet, poneže vsja izrečena byša); čtja že molitvu: „Pominajušče ubo" i „Tvoja ot Tvoih", da podneset točiju diskos s Božestvennym agncem" etc. — Ex antiquo quodam missali Russico manifestum est, antiquitus consensum cum ecclesia Romana hac in re fuisse. Cf. Commentarius authenticus II. Congr. internat. Archeol. christ. (Roma) n. 5. — L. Duchesne, Auton. ecclés. — Égl. séparées. Par. 1896, p. 98—101.

scholastica auctoritati Aristotelis obnoxia, sitne infecunda, sitne methodus logica, formulis gravidata, commutanda methodo psychologica, sitne scholastica experientiae inimica, progressus in veritate cognoscenda ignara.

Revue de l' Orient chrétien 1906, N. 1: *Mangenot*, L' origine espagnole du Filioque.

Revue Internationale de Théologie. 1906, Octobre—Décembre. Réponse de Son Exc. A. Kiréeff au R. P. Malvy sur l' union des Eglises. p. 787—91.

A. Kirěev, nomen in Russia clarissimum, ad tractatum: »L' Union des Eglises« editum ab A. Malvy a. 1906 Tournai, haec fere rescripsit.

A. Kirěev, generatim consentiens cum auctore, unionem tamen impeditam esse putat.

Ut singula sequamur, de modo procedendi, de necessitate perficiendae unionis eiusque impedimentis agitur.

Modus procedendi praesto est duplex, alter exclusive scientificus, alter praeterea quandam comprehendens consuetudinem et amicam benevolentiam, qua fit, ut partes non solum disputent sed etiam sibi fidant. Num posterior sit melior, quis dubitet? Sed consequimur semper propositum, quando bene coepimus? Sperandum est in nostra re, modo ne desperetur de sincera inquisitione veritatis.

In necessitate perficiendae unionis inquirenda non est, cur immoremur. Clamant missio ecclesiae, lucta eius continua cum atheismo et indifferentismo atque ipsa Salvatoris voluntas.

Denique exponitur, quid opportunum huic negotio sit, quid obstet. Maior opinandi libertas, mutatis iam temporibus modo permittitur, quam antea unquam. Propterea etiam utrum »ex Patre solo« an »ex Patre Filioque« procedat Spiritus s. conveniri poterit — »Sed semper«, inquit Kirěev »erit obstaculum insuperabile inter christianos Orientis et catholico-Romanos: illud obstaculum est dogma de infallibilitate Rom. Pontificis »»definitum«« tristissima praecisione, forma insanabiliter categorica (p. 790).« Idem optat: ». . . . confoederationem ecclesiarum sui iuris (d'Eglises autocéphales) »unitarum vinculo eorundem dogmatum, sed omnino liberorum in opinionibus theologicis, suaque administratione, non habentium aliud caput praeter solum Christum (p. 791).«

Sed quis in ecclesia catholica, destinata pro universo orbe, puritatem et integritatem servabit fidei? Ad hoc obtinendum aut unum commune singulis coetibus caput supremum iuridicum non honoris tantum (v. ibid.) aut immediatum continuum influxum divinum versus singulos coetus independentes statuere cogeris. Alterutrum necesse omnino. Sed utrum elegit fundator ecclesiae? Ipsa facies terrae et historia coetuum a Roma separatarum tibi respondet, omissis interim fontibus theologicis.

Ubi est puritas et identitas fidei in coetibus autonomis et separatis a centro supremo? Dissensione sua in fide evincunt divinam institutionem primatus. — Neque solet Deus, omissis mediis naturalibus continuo adhibere miracula. Omnino nequit insuperabile esse impedimentum, ubi quaeritur vera ecclesia, quae catholica seu destinata omnibus hominibus, certo cognosci debet.

O. Ž.

MISCELLANEA.

De usu linguae slavicae in sacra liturgia.

Duo prodierunt ultimis temporibus Sacrae Rituum Congregationis decreta, quae relate ad quaestionem de usu linguae sla-

vicae in liturgia glagolito-romana magni sunt momenti: primum de die 5. Augusti 1898, alterum de dato 18. Decembris 1906. In utroque decreto usus linguae slavicae in liturgia privilegium reale declaratur itemque statuitur, quaenam lingua, palaeoslavica an slavica vulgaris, in liturgia adhibenda sit. Quae ut omnimode in propatulo sint, optimum ducimus, laudata S. R. Congregationis decreta verbotenus hicce adducere, unde simul patebit, quae sit utriusque decreti ad invicem relatio.

I. S. Rituum Congregationis ad Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios Provinciarum Goritien., Iadren. et Zagrabien. Litterae de usu linguae slavicae in S. Liturgia.*)

Quae praecipue observanda sunt, vel cavenda, circa usum palaeoslavici idiomatis in sacra liturgia, Sacra haec Congregatio jam edixit die 13. Februarii 1892; atque iis opportune significavit Slavorum Meridionalium Episcopis, qui ecclesiis praesunt, ubi ejusmodi praxis invaluit. Quum vero, hac super re, Apostolicae Sedi nova proposita sint dubia, SSmus D. N. Leo Div. Prov. Papa XIII, pro sua erga Slavos paterna sollicitudine, ad praedictas normas enucleandas et firmandas, omnemque removendam perplexitatem, grave hoc negotium peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium examini submitti jussit.

Re igitur in omnibus mature perpensa, attentisque Summorum Pontificum Constitutionibus et Decretis, praesertim Innocentii IV, qui Episcopis Senien., a. 1248, et Veglen., a. 1252, slavica utendi lingua concessit licentiam, in illis dumtaxat partibus, ubi de consuetudine observantur praemissa, dummodo ex ipsius varietate litterae sententia non laedatur; item Urbani VIII, cujus jussu a. 1631 libri liturgici glagolitice editi sunt, ad usum ecclesiarum, ubi hactenus praefato idiomate celebratum fuit, nisi maluerint latino; nec non Benedicti XIV, qui novam ipsorum librorum editionem, a. 1754, authenticam declaravit, pro iis, qui ritum slavolatinum profitentur; ac demum Pii VI, qui a. 1791 Breviarum ejus auspiciis denuo impressum recognovit, iidem Emi Patres eas quae sequuntur regulas statuerunt, illasque Sanctitas Sua ratas habuit, adprobavit et in posterum ab omnibus inviolate servari mandavit:

I. Usus palaeoslavicae linguae in sacra liturgia considerari et haberi debet velut reale privilegium certis inhaerens ecclesiis, minime vero ad instar privilegii personalis, quod nonnullis sacerdotibus competat.

Episcoporum igitur officii munus erit, in unaquaque dioecesi quam primum conficere indicem seu catalogum ecclesiarum omnium et singularum, quas certo constet, in praesens ea concessione rite potiri.

Ad dubia porro amovenda, asserti privilegii probatio desumatur ex documentis ac testimoniis, quae in tuto ponant et probe demonstrent, illud invaluisse et reapse vigere triginta saltem abhinc annis; quod temporis spatium in re praesenti tamquam sufficiens habetur ex indulgentia speciali Sanctae Sedis.

Si quae deinceps controversiae aut difficultates in ejusmodi probationum negotio oriantur, illas Episcopi Sacrae Rituum Congregationi subjiciant, rerum adjuncta explicate et distincte exponendo, pro singulorum casuum solutione.

*) Canoniste contemporain 1899 pag. 49—52.

II. Praedicto ecclesiarum privilegiatarum indice semel confecto et publicato, nulli prorsus licebit, in aliis ecclesiis, quacumque ratione vel quovis praetextu, linguam palaeoslavicam in sacram liturgiam inducere: si quid vero secus aut contra contigerit attentari, istiusmodi ausus severa coercitione reprimantur.

III. In ecclesiis, quae supra memorato gaudent privilegio, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemni ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate quacumque seclusa alterius linguae immixtione. Libri ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et adprobati: alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi charactere, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubicumque populus sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnissi lingua palaeoslavica in ecclesiis privilegiatis fieri licebit, idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius fidelibus exclusive permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum exarati.

V. In praefatis ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in sacramentorum et sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et probatum.

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare clericos, qui latinis, vel qui palaeoslavicis ecclesiis destinentur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigat ecclesiae necessitas.

VIII. Si quis sacerdos, addictus ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare, Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica; attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua.

Idem vicissim dicatur de sacerdote, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscripto, cui forte latinae eclesiae deservire contigerit.

IX. Licebit pariter sacerdotibus latini eloquii ecclesiae inscriptis, in aliena ecclesia, quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate.

Vicissim sacerdotes, linguae palaeoslavicae ecclesiis addicti, eodem idiomate Sacrum privatim facere poterunt in ecclesiis ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit, in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorumdem cantum latino ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit, dummodo adhibeatur lingua palaeoslavica. In Missis autem parochialibus fas erit, post Evangelii recitationem, illud perlegere vulgari idiomate ad pastoralem fidelium instructionem.

XI. Si forte in paroeciis, quae linguam habent palaeoslavicam, aliquis e fidelibus prolem renuat sacro sistere fonti, nisi Rituali latino baptismus conferatur; vel si qui matrimonium recusent celebrare, nisi latina lingua sacer absolvatur ritus, Parochus opportune illos instruat, moneatque; et si adhuc in propria sententia persistant, baptismum, aut benedictionem nuptialem privatim latina lingua ministret.

Vicissim agatur, in paroecia latinae linguae, si quis slavico idiomate ritus praedictos omnino peragi similiter exigat.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus, quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica

vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen generalibus Decretis huius S. Rituum Congregationis.

XIII. Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni precum et hymnorum quibus populus indulget in propria ecclesia, ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt dioecesim vel paroeciam in nullam offendat precationum aut canticorum diversitatem.

XIV. Pii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum, ad usum tantummodo privatum christifidelium, ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae, ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 5 Augusti, anno 1898.

C. Card. MAZZELLA, S. R. C. Praef.

D. PANICI, S. R. C. Secret.

II. Decrètum de usu linguae Slavonicae in Sacra Liturgia**)

Acres de liturgico palaeoslavi seu glagolitici sermonis usu controversias, quae diu iam in provinciis Goritiensi, Iadrensi et Zagrabiensi dioeceses plures commoverunt, compositas atque adeo sublatas omnino esse oportuit, post ea quae Sacrum hoc Consilium itemque illud extraordinariis Ecclesiae negotiis praepositum, Pontificis Maximi nomine et auctoritate, decreverat. Sed tamen nondum ipsas conquievisse dolendum est; siquidem hic sermo etiamnunc multifariam contra praescriptum usurpatur in perfunctione sacrorum; id quod non modo magnam affert et admirationem et offensionem pietati publicae, verum, cum gravi etiam caritatis pacisque christianae detrimento, Christi fideles fidelibus, vel intra domesticos parietes, hostiles facit.

Tanta obtemperationis debitae oblivio quantae sit aegritudini SSmo D. N. Pio PP. X, facile aestimari potest; Isque, Apostolici officii sui esse intelligens, huiusmodi controversiis imponere finem, nuper huic Sacrae Congregationi mandavit, ut, datis ad Rmos Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios ceteros provinciarum memoratarum litteris, quaecumque Decreto diei 5. Augusti 1898 aliisque deinceps praescripta fuissent***), omnia, nonnullis opportune mutatis revocaret, eaque sancte inviolateque, oneratâ ipsorum Antistitum conscientia, observari iuberet.

Primum igitur, quum eo ipso Decreto cautum fuerit, ut Ordinarii singuli indicem conficerent atque exhiberent omnium suae dioecesis ecclesiarum, quas certum esset privilegio linguae glagoliticae in praesens uti; quumque ei praescriptioni satisfactum non sit, quippe talis index, licet studiose expetitus, desideratur tamen adhuc, eumdem Sacra haec Congregatio praecipit ut Ordinarii omnes intra mensem Iulium anni proximi Apostolicae Sedi exhibeant, his quidem legibus confectum:

ut eae dumtaxat ecclesiae, tamquam hoc privilegio auctae, notentur, in quibus non coniecturâ aliqua sed certis monumentis ac testibus constiterit, linguam glagoliticam ab anno 1868 ad praesens tempus sine intermissione in sacris peragendis adhibitam esse:

**) Acta Sanctae Sedis 1907 pag. 54—58.
***) Cfr. Acta S. Sedis, vol. 31, pag. 310.

ut, eiusdem privilegii nomine, nullae istis adscribantur ecclesiae, ubi in solemnibus Missis latina lingua celebrandis Epistolam et Evangelium cantari glagolitice mos fuerit, eoque minus ubi ista sermone croatico vulgari canantur.

Praeterea, Sacra haec Congregatio, quae infra scripta sunt, approbante item Summo Pontifice, religiosissime observanda edicit:

I. Quandoquidem Apostolica Sedes de usu glagoliticae linguae liturgico opportunum factu censuit, certis terminare finibus quod olim indulserat, usus huiusmodi considerari et haberi ab omnibus debet ut privilegium locale, quibusdam adhaerens ecclesiis, minime vero ut personale, quod ad nonnullos secerdotes pertineat. Quamobrem sacerdotes, qui palaeoslavicae dictionis periti sint, eam adhibere non poterunt, Sacrum facientes in ecclesia, quae hoc privilegio careat.

II. Semel confecto et publicato ecclesiarum privilegiatarum indice, nulli prorsus licebit in aliis ecclesiis, quacumque causa aut praetextu, linguam palaeoslavicam in sacram liturgiam inducere. Si quis vero, saecularis aut regularis sacerdos, secus fecerit, aut id attentaverit, ipso facto a celebratione Missae ceterorumque sacrorum suspensus maneat, donec ab Apostolica Sede veniam impetrabit.

III. In ecclesiis, quae privilegio fruuntur, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemni ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione, salvis tamen praescriptis ad § XI huius Decreti. Libri autem ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et approbati: alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi charactere, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubicumque populus sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnisi lingua palaeoslavica, in ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius, fidelibus exclusive, permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum, exarati.

V. In praefatis ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in Sacramentorum et Sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et approbatum.

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare clericos qui latinis vel qui palaeoslavicis ecclesiis destinentur. explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigat ecclesiae necessitas.

VIII. Si quis sacerdos, addictus ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica: attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua.

Sacerdos vero, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscriptus, cui forte latinae ecclesiae deservire contigerit, non solemnem tantummodo, sed privatam etiam Missam celebrare itemque Horas canere tenebitur latina lingua; relicta illi solum facultate Officium privatim persolvendi glagolitice.

IX. Licebit pariter sacerdotibus, latini eloquii ecclesiae inscriptis, in aliena ecclesia, quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate. Sacerdotes vero, linguae palaeoslavicae ecclesiis addicti, eodem hoc idiomate ne privatum quidem Sacrum facere poterunt in ecclesiis, ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorumdem cantum latino ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit. In Missis autem paochialibus fas erit post Evangelii recitationem illud perlegere vulgari idiomate, ad pastoralem fidelium instructionem.

XI. In ipsis paroeciis, ubi viget linguae palaeoslavicae privilegium, si quis fidelis ostenderit se cupere aut velle ut Baptismus vel sacramenta cetera, Matrimonio non excepto, sibi suisve administrentur secundum Rituale Romanum latinum, et quidem publice, eâdemque lingua habeantur rituales preces in sepultura mortuorum, huic desiderio aut voluntati districte prohibentur sacerdotes ullo pacto obsistere.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen generalibus Decretis huius Sacrae Rituum Congregationis

XIII. Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni precum et hymnorum, quibus populus indulget in propria ecclesia: ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt dioecesim vel paroeciam, in nullam offendant precationum aut canticorum diversitatem.

XIV. Ii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum, ad usum tantummodo privatum Christifidelium ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 18 Decembris anno 1906.

S. Card. CRETONI, Praefectus.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.

Velehradii in Moravia

unde per ss. apostolos Cyrillum et Methodium Slavis lux exorta est, ad sepulcrum s. Methodii

tempore feriarum (mense Iulio vel Augusto) proxime accuratius determinando

triduum

paratur exponendis nexibus inter ecclesiam Romanam et Graeco-Russicam.

Ut quam plurimi eo conveniant, qui praelectionibus intersint, rogamus.

Exponetur de tentaminibus unionis; de liturgia ss. Cyrilli et Methodii; quid theologi catholici praestare possint et debeant de ecclesia Rossiaca; de Russorum ad ecclesiam Romanam debita relatione et similibus quaestionibus.

Praelectores invitati sunt et magna ex parte iam promiserunt Dr. F. X. Grivec, M. Hałuščyńskyj, Dr. J. Pachta, F. Snopek, Dr. B. Spáčil, A. Špaldák, J. Urban. Quicumque alius *utriuslibet* ecclesiae theologus idem gratificari voluerit rogatur ut brevi nomen dare velit.

Praeparantes conventum:

Dr. **A. C. Stojan.** Dr. **A. Podlaha.**

Въ **Велеградѣ** (въ Моравіи)

откуда чрезъ Преподобныхъ Кирилла и Меѳодія возсіялъ Славянамъ свѣтъ Святой Вѣры, у мощей Преподобнаго Меѳодія,

состоится съ **25аго іюля** текущаго года по **27ое** число включительно

съѣздъ лицъ интересующихся вопросомъ о связи между Церквами: Римской и ГрекоРусской.

Печатая настоящее объявленіе, мы выражаемъ наше горячее желаніе, да бы число участниковъ въ этомъ съѣздѣ было, по возможности, велико!

Предметомъ занятія съѣзда будутъ вопросы: „Попытки единенія“; „Литургія Преподобныхъ Кирилла и Меѳодія“; „Въ чемъ заключается обязанность католическихъ богослововъ по отношенію къ Русской Церкви“; „Нормальныя отношенія Русскихъ къ Римской Церкви“ и другіе подобные.

Въ качествѣ докладчиковъ (лекторовъ) приглашены Dr. F. X. Grivec, M. Hałuščyńskyj, A. Palmieri, F. Snopek, Dr. B. Spáčil, A. Špaldák, J. Urban, изъ которыхъ большая часть уже дала свое согласіе.

Если кто либо изъ богослововъ той, или другой Церкви пожелаетъ своимъ докладомъ посодѣйствовать великому дѣлу Единенія Церквей, онъ насъ до крайности обяжетъ, сообщивъ намъ (Прага-IV., 35) объ этомъ въ возможной скорости.

Dr. **A. C. Stojan.** Dr. **A. Podlaha.**

Slavorum litterae theologicae.

Conspectus periodicus.

Dirigentibus

Dr. **Jos. Tumpach**, Dr. **Ant. Podlaha**, **Ad. Špaldák**, Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. **F. Grivec**, Labaci. Dr. **Luc. Jelić**, Jadrae.

Annus III. (1907) Pragae Bohemorum. Nr. 3.

BOHEMICA.

P. František Žák T. J. **O modlitbě prosebné. (De precatione.)** Vzděl. knihovna katolická sv. XLII. V Praze 1907. 100 p.

„Bibliotheca eruditionis catholicae“ dirigentibus Dr. Ios. Tumpach et Dr. Ant. Podlaha complures iam apologeticos libros magni pretii edidit. Ad quos opusculum citatum, fructus serii studii atque commentatio gravis momenti accedit. Nam et possibilitas impetrationis rei a Deo petitae a multis doctisque viris negatur, eorumque placita scriptis et sermonibus divulgantur, et gratiarum actiones pro impetratione, quae in foliis catholicis legi consueverunt, etiam a nonnullis catholicis aegre feruntur atque impugnantur.

Hanc igitur duplicem quaestionem 1. „de vi precum et possibilitate impetrationis“ et 2. „de certitudine impetrationis et gratiarum actione pro ea“ scriptor hic optime meritus modo nec a doctrina alieno et populari tractat, explicat, demonstrat singulari dexteritate.

Praemissis precum in genere et in specie petitionis notionibus non solum e s. Scr., sed etiam ex hominum sensu communi impetrationis possibilitatem ostendit. Genus humanum enim semper et ubique precatum est et precatur. Ratio huius rei manifesto et in ipsa natura humana est quaerenda, quae ut de sua inopia ita de Dei omnipotentia persuasione tenetur; et in ipsa experientia, preces saepe esse auditas. Vix enim, ita iure merito auctor censet, genus humanum universum oraret, si numquam petentibus satisfactum esset. „Medicina, quae numquam probatur, abicitur.“

Potiorem partem opusculi (pg. 18—68) *Z.* obiectionibus radicitus et cum populari explicatione solvendis explet. Primam sumit e conceptu immutabilitatis Dei. Quam solvens simul modo populari ostendit, precationem ex Dei consilio unam e causis esse in ordine praesenti, causalitatem veram (moralem quidem) e promissione Dei habentem, nec precibus admissis decretum Dei mutari, sed illud solum fieri, quod Deus fieri vult, si homines sint precaturi. — Apte adiungit auctor explicationem, cur modus petendi id, quod Deus vult, sit optimus, et qua ratione non sit inanis petitio rerum, quae Deus absolute — ante praevisam precationem — statuit. — Deinde exponuntur, quae e naturae legibus obici consueverunt. Posita vera Dei Creatoris, causae primae, e qua omnes aliae pendent, notione ostenditur leges naturae



minime ita esse immutabiles quemadmodum ii, qui contra dicunt, existimant. Causae enim secundae e Deo ut causa creante, conservante et ad actiones earum concurrente pendent. Deus eas naturaliter et praeternaturaliter dirigit. Praeterea efficacia causarum secundarum compluribus conditionibus continetur, quarum si una necessaria deficit, ipsa efficacia deficit. Legum contingentia aptis exemplis illustratur et praeter alia notatur discriminis inter legem naturalem in se spectatam et eius exercitium particulare neglectum fontem esse obiectionum huius generis. —

Modos, quibus Deus, precibus praevisis motus, in mundum et in nos vim exercere possit, hos affert (pg. 39.): „*a*) potest miraculum patrare *b*) concursum suum denegare (sive hoc est miraculum sive non est), eum augere, minuere vel aliter dirigere *c*) providentiâ sua causas existentes ad determinatum finem dirigere *d*) intellectum et voluntatem hominis movere sive hoc miraculum est sive non, quo modo saepe in homine et extra eum multa mutantur; similiter potest puros spiritus movere; *e*) ab aeterno potest ad hoc aliquam legem specialem statuere, quin etiam, determinatam materiae quantitatem, quae secundum naturae leges desideratum effectum habitura sit.“ Uberius haec explicantur duobus capitibus, quibus agitur de dependentia mundi a Deo in concursu generali et in providentia physica et morali. Eis, quae Chwolson (contra Häckel) de „lege energiae“ exposuit, innixus Ž. ostendit, argumenta e dicta lege ducta ignorantiam huius legis arguere, quae ad spiritualia non pertinet. — Paucis tangit etiam id, quod obicitur, nos precantes miraculum petere, quod saepissime non fieri explicat, neque cum fiat, improbari posse, quippe cum recta et iusta petitio vel miraculi tentatio Dei vocari nequeat.

In altera parte opusculi Ž. explicat et probat certitudinem impetrationis totam promissionibus Dei inniti. Quare illam e s. Scr. deducit, unde etiam amplitudinem efficaciae cognoscit atque condiciones, quibus obnoxia est, sive id quod petitur sive modus, quo id fiat, spectatur. Nihilominus etiam rationes philosophicas affert: e testimonio generis humani, e fine et naturâ petitionis. Summam explicationis de infallibili efficaciâ precum, de condicionibus, de petitione donorum naturalium et supernaturalium, de deprecatione pro aliis his verbis comprehendit p. 85: „Efficacia petitionis donorum spiritualium [v. g. perseverantiae, caeli] est infallibiliter certa — ad ea enim dona, exceptis eis, quae sunt (per se et directe) fructus actionum aliarum v. g. paenitentiae, sacramentorum, precatio natura sua fertur. Donorum temporalium impetratio est infallibiliter certa sed multis condicionibus obnoxia, maxime vero relationi ad finem hominis supernaturalem. — Efficacia precum peccatoris certa est in rebus cum ipsius conversione coniunctis, non tamen in aliis. — Efficacia deprecationis hominis iusti pro aliis item videtur esse infallibilis.“ —

His expositis rebus Ž. probandam esse defendit publicam gratiarum actionem pro impetratione, non tantum summatim exhibitam sed etiam de casu aliquo particulari; est enim etiam ea grati erga Deum animi hominum amantis, quos ad fiduciam et ad Dei implorationem movet. Difficultas, quae in casu particulari in statuenda certitudine

efficaciae precationis adest, ut magni sit momenti et prudentiae admoneat, tamen reiciendi ratione dictas gratiarum actiones ius non dat. Nam et votis particularibus Deum adesse est manifestum, et res donum a Deo petitum accipientis tales nonnumquam sunt, ut morali certitudine conici possit, inter donum acceptum et supplicationem adesse nexum causalem. Id quod Ž. aptis exemplis illustrat. Itaque, si hoc reapse contigerit, gratiarum actio est commoda et humana fide digna. Neque maiorem postulat, cum is, qui in publico gratias agit, suam solum persuasionem de precum efficacia exprimit. Periculum scandali in illis, qui ipsi orant, nullum, in infidelibus pharisaicum est. Cautelae tamen in vulgandis gratiarum actionibus adhibendae sunt. *F. Kubíček.*

Fr. Snopek, **Studie Cyrillo-Methodějské. (Studia Cyrillo-Methodiana).** *V Brně 1906.*

Cl. auctor duas sibi potissimum quaestiones enucleandas proponit, et quidem: I. Quisnam auctor legendarum, quae Pannonicae dicuntur, fuerit? II. De orthodoxia sancti Methodii Moraviae archiepiscopi.

Quaestio prior de legendarum Pannonicarum auctore, quas nonnulli nihili facere (Götz), alii nimis forte extollere (Voronov) vellent, in praesens a cl. prof. Venc. Vondrák nuper tractata est qui auctorem ipsarum Clementem Bulg. episcopum Velicensem esse existimat. Cl. vero Snopek, licet in aliis cum prof. Vondrák consentiat, Clementem illum discipulum b. Methodii fuisse negat, inter Clementem Moraviae archipraesulis discipulum et Clementem episcopum Velicensem — qui alias monachus Hrabr, auctor scripti „de litteris Slavicis“, vocatur [1]) — distinguens. Cf. Slav. l. th. I., 77. Sententiam suam comprobat:

1⁰) ex vitae b. Methodii cap. X⁰, ubi auctor legendae in iis, quae, si discipulus ipsius fuisset, ipse ut testis probare potuisset, ad testimonium Moravorum appellat;

2⁰) ex § 10 scripti de „Litteris Slavorum,“ ubi auctor testes oculatos SS. Fratrum adhuc vivere affirmat;

3⁰) ex eo, quod in locis s. Scripturae afferendis, versione antiqua a SS. Fratribus confecta minime utatur;

4⁰) ex eo, quod in legendis complura asserit, quae discipulus b. Methodii eo modo narrare vix potuerit; ut in cap. V. b. Methodii post triennium Apostolos reversos esse (quo?), in VI. vero Papam, postquam nuntium de ipsis accepisset, eos accersisse (undenam?). Cf. nebulosam et obscuritate plenam narrationem c. XII—XIV., ubi modo nimis oratorio et declamatorio de b. Methodii adversariis et calamitatibus sorteque scribens, consilia partesque suas imperatori et Photio favendi prodit.

---

[1]) Cl. Snopek inter „legendas Pannonicas“ et libellum „de litteris Slavicis“ affinitatem videt ita ut legendae nonnisi continuatum opus de lit. Slavicis sit. Sicut hic libellus apologia quaedam litterarum Slavicarum, sic „legendae Pannonicae“ apologia liturgiae Slavicae ei videntur esse.

5⁰) ex eo, quod auctor legendarum sese non solum amicum Photii sed errore quoque ipsius de Spiritus Sancti processione infectum ostendit (Cfr. Sermonem Clementis in Nativitatem et Baptismum Domini), quod a b. Methodio discipulisque eius, ut paulo inferius videbimus, longe aberat.

Hinc cl. Snopek legendam Italicam consequenter negat opus esse Clementis-Chrabri, eamque cum P. Martynov S. I. Gaudericho episcopo Veliterno adscribit. [2])

II. Non minoris momenti est quaestio de orthodoxia b. Methodii, post ea praesertim, quae prof. Brückner in vulgus proferre ausus est, in cuius suspicionem, saltem quod ad Spiritus Sancti processionem attinet, plures Slavistae legendis Pannonicis plus aequo innixi, inclinant. Cl. Snopek doctrinâ catholicâ de hac re ex Patribus cum Latinis tum Graecis collectâ, item quaestione de inserendo „Filioque" in Symbolum praemissa, orthodoxiam b. Methodii probat (cf. Sl. l. th. II., 177).

1⁰) ex processu informativo (quem non ex ratione futili factum esse supponit) Hadriani Papae II., qui b. Methodium in episcopum unxit;

2⁰) ex litteris Ioannis Papae VIII. ad Suentoplucum „Industriae tuae," ubi laudatus Pontifex b. Methodium orthodoxum appellat („Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium ut digno honore et reverentiâ laetaque mente recipiatis iubemus.");

3⁰) item ex epistola eiusdem Pontificis b. Methodio a. 881 pro fide data „Pastoralis sollicitudinis tuae curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro exhibes, approbantes, et orthodoxae fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, nimis in eodem Domino iucundamur . . ."

Item discipulos b. Archiepiscopi cl. Snopek affirmat ipsos eiusdem fidei orthodoxae fuisse, ac magistrum eorum. Sententiam hanc confirmat et ex instructione Papae Stephani VIII. legatis ad principem Suentoplucum a. D. 885 data „Cum Deo propitio," et ex altera epistola ad principem ipsum „Quia te zelo", in quibus omnino nullam erroris Photii de processione Spiritus Sancti mentionem facit, auctoritate apostolica licere inserere „Filioque" in Symbolum docens. Quod vero attinet ad verba eiusdem epistolae ad principem: „Absit enim, ut Spiritus sanctus credatur de patre in filium et de filio ad sanctificandam creaturam quasi quibusdam gradibus procedere . . ." in vituperium doctrinae b. Methodii discipulorum cedere non posse notat *S.*, cum diversissima sint ab haeresi hyopatoria,

---

[2]) Cl. Wilpert (Le pitture della basilica primitiva di San Clemente Roma 1906) vult dictam legendam s. XII. ab aliquo monacho monasterii b. Clementis Romae completam esse; cl. Rešetar opinionem hanc audacem appellat. Cfr. Archiv für slav. Philologie Berlín 1906 pag. 427.

cuius notam ipsis ut Photianis aliqui inurere vellent! Pontifex verbis sancti Augustini (De Trinitate XV, 27. 48) usus doctrinam catholicam de SSma Trinitate profert. („Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam: sed simul de utroque procedit . . . .“); verba autem „quasi quibusdam gradibus,“ pontificem in epistolam fortasse ideo inseruisse *S.* iudicat, quod adversarii, cum nil aliud haberent, hoc saltem discipulorum doctrinae obiciebant.

Minus nobis probatur salva reverentia tanto viro debita, quod auctor affirmat pag. 120., Ioannem VIII. aeque atque Hadrianum II. inconsultis vel omnino insciis episcopis liturgiam Slavicam permisisse vel confirmasse; non enim hypothesis aliqua propterea est verosimilior, quod eâ res facilius explicantur.

Ut non omnes rationes a cl. auctore allatae iam ex natura rei tales esse, ut nihil dubii relinquant, dici possint, tamen nonnullae vere graves firmaeque sunt; hinc maxima vis opusculi in eo nobis videtur esse, quod sententiae a *S.* prolatae indirectum quasi responsum sunt ad ea, quae de legendis Pannonicis, earumque argumento prof. Brückner asserere non dubitavit. Rationes a cl. Snopek allatae admittunt auctorem ipsarum errore Graecorum de Spiritus Sancti processione infectum fautorem fuisse Photii, produnt studia eius commendandi liturgiam Slavicam, simulque fidei orthodoxae beatorum Fratrum eorumque discipulorum consulitur; quod ultimum, cum authenticis diplomatibus pontificiis non semel roboretur, ut iam alias annotavimus (Cfr. Časopis Katol. Duch. 1907 fasc. I. pag. 36), quaecumque demum difficultates ex textibus legendariis exortae obfuscare proculdubio nequeunt: ***„Admittitur testis, excluditur hostis.“*** *V.*

Dr. *Ant. Podlaha* et *Kamil Hilbert*, **Metropolitní chrám sv. Víta v Praze.** (Soupis památek historických a uměleckých v království českém od pravěku do počátku XIX století.) V Praze, 1906. 4⁰, 296 str.; s 404 vyobrazeními a 22 tabulkami. **(Ecclesia metropolitana S. Viti Pragensis.** Pragae 1906.).

In Austriae imperio unius Bohemiae regni artis monumenta fusius topographice descripta sunt — liber enim de Carinthia editus nimis summarie scriptus est — eaque duplici lingua, Bohemica, qua iam 24 volumina edita sunt, et Germanica 17 voluminibus. Volumen cuius titulum indicavimus, vicesimum secundum prioris seriei est et totum descriptioni celeberrimae ecclesiae cathedralis s. Viti dedicatum. Certe, non est in Europae partibus ecclesia, quae habeat tam succinctam et scientifice propositam descriptionem, tot in textu impressis imaginibus ornatam, quaeque parvo pretio ab omnibus, quorum interest, facile comparari possit.

Conspectum operis breviter prae oculis ponemus. Initium fit ab architectura illustranturque venerandae illae reliquiae binarum cryptarum, quae ex ecclesia Romanico structurae genere concepta supersunt; se-

quitur descriptio presbyterii, capellae s. Venceslai et altae turris, quae genere Gothico exstructa sunt, in fine agitur de paucis illis operibus, quae saec. XVI.—XIX. addita sunt (oratorium regium, chorus cantoribus destinatas et duae capellae).

Ad architecturam pertinent etiam multae e lapidibus sculptae, intus forisque ecclesiae collocatae figurae, inter quas celeberrima et quasi unica in arte series illa architectorum et fundatorum, quae in porticu superiore presbyterii conspicitur.

Praeterea nobis prae oculis ponuntur veteres delineationes pro hac basilica factae, deinde signacula magistrorum lapidibus insculpta et architecturam commemorans inscriptio.

Inter cetera e lapidibus fabricata opera praeprimis enumerantur sepulcralia principum regumque Bohemicorum monumenta, non solum vetustate veneranda, sed etiam artis perfectione conspicua et quasi quoddam musaeum constituentia; sequuntur alia funebria monumenta et epitaphia; in fine describuntur mensae nonnullorum altarium et statua s. Venceslai Gothico genere elaborata. Inter ornamenta e ligno sculpta etiam nonnulla opera eminent.

Inter parietum picturas primo loco ponenda est celeberrima imaginum series in capella s. Venceslai passionem Salvatoris illustrans opusque musivum olim in externa facie praedictae capellae existens. Pulcherrimae sunt icones quaedam in ligno vel tela depictae, inter quas praecipue habentur quaedam Veraicon cum patronis regni Bohemici et imago s. Lucae Ev. a notissimo pictore Mabuse facta.

Deinde describuntur opera ex argento et aere confecta; antipendia, statuae, cruces, calices, sepulcrum s. Ioannis Nep. cum pluribus statuis totum ex argento conflatum, cancelli. Nonnullae acu depictae telae expositae operis nostri, uti patet, sapienter dispositi, finem faciunt.

Magnum pretium scientificum huius voluminis fundatur praeprimis in exuberanti numero elegantique perfectione verbis interpositarum imaginum, quae non per occasionem factae, sed per complures annos ad id praeparatae sunt. Pars, quae ad architecturam spectat, uberior est quam illa, qua de picturis statuisque agitur. Dolendum, quod non omnes inscriptiones (praesertim fig. 105 et 355) transcriptae sunt nec valor internus aliquorum monumentorum accuratius explanatus. Spero fore, ut in sequenti editione copia detur scriptoribus rem plenius atque copiosius perscribendi.

In calce voluminis post opificum indicem conspectus etiam iconographicus addendus erat et sanctorum et historicarum personarum (e. gr. Caroli IV., cuius imago saepius occurrit) imagines continens.

Nonnulla ad haec breviter notamus. P. 239 loco „Portus Monus“ legendum est „Portus Naonis“ (— Pordenone in Foroiuliensi comitatu); in eadem pagina inscriptio „Salinarum“ explicanda erat (= Salzkammergut); fig. 357 imago s. Ioannis clavis affixa quoad stylum posterior videtur quam pulcherrima ornamenta, fig. 382. deest stemmatum explanatio.

Marburgi. Dr. *Aug. Stegenšek.*

Dr. Fr. Kordač, **Theologie v organismu věd universitních.** Theologiae locus inter disciplinas universitate comprehensas. Pr. 1907 pp. 21.

Ius loci proprii in universitate theologiae catholicae vindicari potest vel ita, ut ostendatur theologiam catholicam et veram esse et fontibus verae revelationis inniti atque utroque modo consideratam inter disciplinas a mente humana cultas primum tenere locum, vel ita, ut demonstretur disciplinarum in universitate tractandarum et non tractandarum criterium non esse dissentientium inter se philosophorum sententias sed unice modum verae doctrinae proprium, quo erudite, subtiliter, accurate omnis quaestio tractatur, nec divisionum in facultates rationem esse divisionem disciplinarum ab hoc vel illo philosopho statutam, verum rei utilitatem ac necessitatem. Cum prior via ab aggressoribus quoque ineatur, scriptor huius libelli, rei catholicae defensor optimus, totus versatur in demonstrando theologiam catholicam, si vera sit — quod utique hoc libello demonstrandum non est — esse fundamentum omnium aliarum disciplinarum. Praeterea argumenta, quibus adversarii docere conantur, rationem theologiae a doctrina alienam esse, refutat. Qui adversarii caeci studio et ira videntur esse, cum, si prodesse vellent, a munere docendi plebem eos potius arcere deberent, qui minore, quam quae universitatem decet, accuratione doctrinae de Deo operam dant, non subtilioris eruditionis copiam velle impedire; scientiae penuriam exprobrarent, non copiam eius augmenti eripere conarentur. — Simile huic libello argumentum tractatur in eiusdem scriptoris libello Germanico »Theologie und Philosophie in ihrer organischen Verbindung mit dem gesammten Wissen und Leben der Menschheit« Prag 1907 pp. 22.

V.

POLONICA.

Maurycy Straszewski **Filozofia św. Augustyna na tle epoki, (Philosophia s. Augustini in luce epochae).** Kraków, Spółka wydawnicza polska, 1905, pagg. 386, mag. 8⁰, pretium 5 cor.

Auctor, professor ordinarius philosophiae in universitate Iagellonica Cracoviae, libro hoc praelectiones suas, quas a. 1902/3 habuerat, collegit et edidit forma etiam praelectionum retenta. Liber constat 12 praelectionibus, quarum quattuor priores sunt quaedam introductio ad philosophiam s. Augustini melius intelligendam. I. Describitur historia et character philosophiae Graecae ante Christum natum. II. Religio christiana eiusque primitiva habitudo ad philosophiam. Necessitas defendendi religionem christianam a philosophis aggressoribus genuit philosophiam christianam. Describitur eius evolutio saeculo II et III, eiusque relatio ad gnosticismum, manichaeismum, neoplatonismum. III. Quale momentum ad philosophiam christianam habuerit vita monastica ostenditur, maximus progressus speculationis christianae in saeculo IV describitur. IV. Res politicae et sociales ab Alexandro M. usque ad finem saeculi IV p. Ch. n.

Praelectione V. iam incipit tractatus de ipso Augustino. Descripto primum statu Africae septentrionalis, vita s. Doctoris exhibetur, educatio eius, influxus varii, praesertim neoplatonicorum et manichaeorum. VI. Theoria cognitionis Augustiniana, doctrina de veritate, certitudine, mediisque hanc certitudinem acquirendi. Iudicio auctoris, s. Augustinus, homo criticus usque ad scepticismum, nihilominus certitudine subiectivi facti existentiae propriae scepticismi doctrinam prostravit.

In quodam sensu ut antecessor Cartesii considerari potest. VII. Agitur de psychologia Augustini, qui hac de parte philosophiae optime meruit, utpote qui primus philosophorum experientia interna maxime usus sit, item qui secus ac Graeci intellectualistae facultati voluntatis eiusque libertati locum suum vindicavit. Propterea et „pater psychologiae experimentalis" dici potest. VIII. Exhibetur theodicea s. Augustini, eiusque relatio ad theodiceam Plotini, aliorum neoplatonicorum. Augustinus et Spinoza. Pulchre ostenditur praestantia doctrinae Augustinianae de ideis divinis prae simili doctrina Platonis. Doctrina de sss. Trinitate, in qua s. Augustinus mentem christianam duxit inter tritheismum et modalismum ac doctrinam neoplatonicam de Trinitate. Prof. Straszewski pluris, quam fas est, aestimat argumenta seu methodum Augustinianam demonstrandi existentiam divinam. Immo, iudicio auctoris, argumenta pro existentia divina s. Doctor non quaerebat, quia „idea Dei erat ipsi evidens et existentia Divina necessaria." Nihilominus eâdem p. 215 exhibet auctor veri nominis argumentum Augustini pro existentia divina, a posteriori nempe ab existentia propria desumptum.

IX. Cosmologia Augustini. Exhibetur Augustiniana theoria de actu creationis, de initio mundi, de sex diebus, de temporis natura, de materia et forma, de conservatione mundi. Biologia s. Doctoris cum hypothesi Darwiniana de origine specierum comparatur. In quaestione de temporis et spatii natura immerito auctor s. Augustinum antecessorem Kantii nominat. Ipse enim p. 254 concedit tempus apud Augustinum esse formam quidem subiectivam intellectus cognoscentis, formam tamen quae habeat fundamentum in mutabilitate rerum creatarum, cum Kantius etiam mutabilitatem inter formas subiectivas intellectus referat. — Discrepantia videtur esse inter assertum, quo prof. *Str.* s. Augustinum idealistis adnumerat et aliud assertum, quo dicit (p. 265): „Etiamsi concedamus mentes humanas apprehendere ordinem (qui est scil. in mundo) suo subiectivo modo, tamen sine dubio ordo ille debet ipsis creatis rebus inesse, alioquin enim neque in mente nostra adesset." Si s. Augustinus esset idealista (sensu communi) nunquam tali modo argumentari potuisset. Pari modo immerito p. 199—200 s. Augustinum subiectivistis adnumerat.

X. De anthropologia Augustiniana disserens, auctor exhibet doctrinam de relatione hominis ad reliqua creata; de malo eiusque momento in morali ordine mundi; de providentia et praedestinatione; de libertate, responsabilitate morali, de gratia divina, de fine vitae humanae. — Cum Graeci philosophi materiam existimarent aliquid potentiale tantum, apud Augustinum est ipsa aliquid actuale. Materia sicut et spiritus sunt pariter opera Dei, quorum nexus in humana natura habetur. Unde in christiana religione non potest materia ita contemni sicut in manichaeismo. — Ratione mali in mundo existentis continuo crescit etiam summa boni (p. 281). — Theologicas quaestiones de libero arbitrio, gratia, praedestinatione, aliis id genus, prof. *Str.* vix attingit. Solutio difficultatum (p. 292—295) vix potest censeri sufficiens. XI. Philosophia historiae impossibilis erat in mundo ethnico. Ad ipsam construendam necessaria erat clara cognitio finis existentiae

generis humani, eiusque unitatis. Religio christiana prima haec docuit. Ad historiosophiam insuper opus est quadam scenographia („perspectivâ") historicâ, nimirum ut mens totam aliquam epocham uno intuitu ex quadam distantia apprehendere valeat. S. Augustinus in confinio duarum epocharum nimirum cultus ethnici iam labentis et christiani, qui tunc oriebatur, invenit condiciones necessarias, ut primus historiosophus esse posset. — Laudatur methodus historica et aposterioristica s. Augustini, et opponitur falsis aprioristicis methodis Hegelii, Comtii, Marxii. Instituitur analysis operis de Civitate Dei. Auctor observat s. Augustinum non sperare fore, ut regnum Dei plene ad verum in hac terra perducatur. Septima epocha pacis non incipit, nisi post iudicium universale; nihilominus opera danda est, ut historia generis humani quam proxime ad imaginem regni Dei in hoc mundo accedat. — Praelectio ultima exhibet repetitionem quandam et ultimas conclusiones ex supradictis. Agitur item de vi, quam philosophia s. Augustini in posteriores generationes habuerit.

Totus liber elegantissimo sermone scriptus probat id, quod in prologo cl. auctor observavit (p. 9): Niejednemu się zdaje, że Augustyn to jakiś zastygły w martwocie teolog, którego poglądy przeżyły się całkowicie, tak że one dla nas ludzi nowożytnych żadnej już nie mogą posiadać wartości. Otóż tym wszystkim, którzy tak myślą, rzucam wyzwanie i powiadam, że Augustyn to na schyłku starożytności pierwszy człowiek nowożytny. To umysł, który w chwili, kiedy świat klasyczny już ginął, strzelił w górę jak szczyt olbrzymi i patrzy po przez całe wieki średnie aż w nasze czasy." *β.*

St. Załęski T. J. **Jezuici w Polsce.** Tom V. Jezuici w Polsce porozbiorowej 1773—1905. **(Iesuitae in Polonia discerpta.)** Cracoviae 1906. Pars I. 517 + XXI; pars II. 1300.

Hoc tomo finitur ingens opus, quod ante decem annos publicari coeptum est. Eius momentum ad historiam ecclesiae in Polonia est summum, spectata amplissima vi, quam Societas Iesu in vitam religiosam pristini regni Poloniae exercebat. Tomus quintus, complectens volumen X. et XI. totius operis, narrat sortem Societatis post Breve abolitionis Clementinum, historiam servatae in Alba Russia Societatis et res gestas in Galicia usque ad nostra tempora. Ea, quae de Alba Russia dicuntur, magnopere illustrant documenta, quae edere coepit anno 1906 canonicus Godewski in opere „Monumenta Ecclesiastica Petropolitana" Petropoli. Elenchum rerum contentarum his quinque tomis elaboravit ipse auctor in libello Latine conscripto, qui 34 paginas complectitur. Libellus hic tamen non venum it.

Dzisiejsze zadania katolicyzmu w Polsce. Ankieta „Przeglądu powszechnego." (**Publica inquisitio** (enquête) **de iis, quae catholicismo in Polonia praestanda sint**) Kraków 1906. maj. 8⁰ (XVI + 30* + 513 pag.)

Amplum hoc opus complectitur 84 responsa, quae non solum ab episcopis et clero, sed etiam a laicis e statu nobilium aeque ac ci-

vium ad redactionem periodici „Przegląd powszechny" anno 1906 missa sunt. Thema generalis inquisitionis hoc fuit: „Quaenam catholicismo in Polonia nostra aetate praestanda sint?" Inter auctores responsorum cernimus e tribus regionibus Poloniae discerptae decem episcopos, permultos professores Universitatum, scriptores laudatos aliosque auctoritate excellentes viros. Non obstante diversitate individuali tot statuum et classium nationis apparet mira unitas in principalibus conclusionibus, quas dictat ubique viva fides, reverentia erga ecclesiam, sincerus amor patriae.

Inter gravissima officia catholicorum in Polonia primario elucet necessitas catholicae actionis socialis, de qua permulta sapienter et practice proponuntur. Cum activitate sociali iungitur in Polonia quaestio nationalis et maxime in Galicia quaestio Iudaica. Emancipatio mulierum iamiam attentionem diligentem postulat, eo magis quo negligentius hucusque catholici hanc flagrantem quaestionem tractabant. Quaedam responsa necessitatem reformationis scholarum et institutionis religiosae, sive theologicae in seminariis, sive popularis in scholis indicant. Neque ea praetermittuntur, quae ad fovendam et promovendam scientiam et artem catholicis facienda sunt. Attamen catholicismus sincerus, naturâ suâ apostolicus, Polonos etiam extra limites propriae nationis excurrere instigat. Una quidem vox Polonis labores ad unionem ecclesiarum conciliandam susceptos exprobravit, simulque adhortata est, ut tutelâ unionis relictâ, abrogatio prohibitionis transeundi ad ritum Latinum procuraretur. Ipse auctor huius postulati iam subiunxit, redactionem utique huic sententiae assensuram non esse. Mutuam conversationem et commercium inter clerum utriusque ritus iam tempore studiorum eamque in rebus theologicis proponit studiosus theologiae in seminario rit. gr. Premisliensi tanquam viam ad futuram amicam conversationem inter utrumque clerum in parochiis laborantem. Pro imperio Rossiaco iucumbit Polonis grandis missio cum in re oeconomico-sociali tum in re mere religiosa.

Accuratior delineatio harum singularum quaestionum ad mentem generalis huius inquisitionis limites „Litterarum" transgrederetur. Lectores e nostro brevissimo compendio supra exarato iam cognoscent librum hunc esse quasi quandam encyclopaediam praesentium necessitatum et desideriorum, quam diligenter pervolvere debeat, quicumque operi catholico in Polonia vires suas impendere velit. Faustissimus successus huius publicae discussionis, sicut vitalitatem catholicismi in Polonia manifestat, ita fructus solidos exspectare permittit. *M.*

Ludwik Kubala, **Stanisław Orzechowski i wpływ jego na rozwój i upadek reformacyi w Polsce. (Stanislaus Orzechowski eiusque influxus in evolutionem et cladem reformationis in Polonia.)** Leopoli 1906.

Monographia haec de eximio scriptore in re politica saec. XVI. multum lucis affert historiae reformationis et ecclesiae catholicae in Polonia, cuius studiosissimus defensor Orzechowski fuit. Ceterum bene meritus auctor pessimistice tractat de unione inter ecclesias separatas.

Postulare unionem a Graecis, Moscoviticis, Ruthenis idem esse fabulatur ac poscere exstirpationem illorum nationalitatis et characteris individualis.

Ad historiam reformationis in Polonia spectant insuper nuper editi libri:

J. Warmiński, **Andrzej Samuel i Jan Seklucyan.** Poznań 1906. XVI + 550.

Opus canonici Warmiński mense Maio 1907 ab Academia Scientiarum Cracoviae praemio dignum est iudicatum ut optima monographia historica, edita anno 1906.

Tad. Troskolański, **Dzieje reformacyi polskiej w latach** 1556—1560. (**De reformatione in Polonia ab a.** 1556—1560) Pars I. 8⁰. pag. 184.

Opus hoc alterum tomum constituit libri „Andrzej Radwan Zebrzydowski, biskup włocławski i krakowski 1496—1560." Leopoli 1905.

M.

Libri recentiores Polonici:

Ks. *Jan Urban,* Sw. Józafat Kuncewicz. Kraków 1906. 8⁰ pag. 279.

Ks. *J. Charszewski,* Dyalog polemiczny o tolerancyi religijnej. (Dialogus polemicus de tolerantia religiosa) Warszawa 1906. 8⁰ pag. 55.

Czesław O. Bogdalski, Misye w królestwie Polskiem w r. 1906. (Missiones habitae a Patribus O. Fr. M. provinciae Galicianae in regno Poloniae anno 1906.) Kraków 1907. 8⁰ pag. 101.

Ks. Dr. *Górka,* Cześć Maryi. O pobudkach i środkach nabożeństwa do N. M. P. (De motivis et mediis devotionis B. M. V.) Tarnów, 1907. 8⁰. IV + 479 pag.

Al. Jelski, Dzieje dyecezyi Mińskiej w zarysie. (Conspectus historiae dioecesis Minskiensis) Mińsk 1907. 8⁰. pag. 26.

Ks. *W. Miś,* Czy małżeństwo jest nierozerwalne? (Estne matrimonium indissolubile?) Stanisławów 1907. 8⁰. pag. 75.

Ks. *P. Semeneńko* C. R, Credo. Chrześcijańskie prawdy wiary (Veritates catholicae fidei). Kraków 1907. 8⁰. pag. 285.

Ks. *A. Pleszczyński,* Dzieje Akademii duchownej Rzymsko-katolickiej Warszawskiej. (Historia Academiae religiosae Romano-catholicae Varsoviensis) Warszawa 1907. 8⁰. pag. 253 + LV.

RUSSICA.

E. Golubinskij. **„Къ нашей полемикѣ съ старообрядцами. (K našej polemikě s staroobrjadcami).** Изданіе второе, исправленное и дополненное. (**Ad certamina nostra cum veteroritualistis).** Mosc. 1905. pp. 260, 1·70 R.

Russi praesertim primis decenniis saec. XVII in ritibus a Graecis paulum differebant librosque liturgicos habebant non in omnibus

cum Graecorum libris concordantes. Quam rituum discrepantiam cum Nicon, patriarcha post Iosephum factus, tollere decrevisset, causa novae sectae (старообрядцы, qui sequuntur veteres ritus — ab aliis раскольники, schismatici nominati) exstitit. Quod Niconis opus sectaeque originem alii aliter explicant. Mutatis nunc rerum et temporis circumstantiis Golubinskij articulos, quos in variis commentariis periodicis, praesertim in Moscoviensi Bogoslovskij Věstnik (anno 1892) de hac quaestione scripserat, in unum collegit et separato libro iam secunda vice edidit. Finis, quem auctor hoc libro prosequitur, hic est: *α*) argumentationes, quas polemici contra staroobrjadcy faciunt, partim corrigere; *β*) eis novam lucem affundere; *γ*) de differentiis inter orthodoxos et sectae asseclas indicare; *δ*) auctorem a conniventiae erga schisma obiectione liberare.

Liber in duas dispescitur partes. In prima parte (p. 1—152) de quaestionibus generalibus; in secunda (p. 153—238) de specialibus sectae ab orthodoxis differentiis sermo est. In priore parte praeprimis de separatione ab orthodoxis Niconis tempore facta et de causis huius divulsionis disseritur. Qua in quaestione auctor diversam a multis polemicis tenet sententiam. Opinionem eorum, qui huius sectae originem a privata quorundam contra patr. Niconem animi abalienatione derivant (cf. p. 81 sq.), futilem esse firmis argumentis ostendit (p. 76 sqq) suamque multis rationibus innixam proponit. Secundum ipsum res ita sese habuit:

Russi simul cum fide etiam ritus officiumque divinum a Graecis acceperunt. Tunc autem temporis, cum Russi a Graecis in rebus divinis initiati sunt, ritus nondum evoluti erant magnaque diversitas in ritibus librisque liturgicis vigebat. Temporis vero successu cum episcopi Graeci maiorem urgebant unitatem, tum in libris liturgicis praesertim post artis typographicae inventionem maior uniformitas inducebatur. Russi vero quia erant imperitia et ignorantia detenti, ritus cum fidei dogmatibus identificantes, ultro Graecos recentiores de haeresi accusabant ritusque uniformitatem hac de causa ab iis accipere recusabant (cf. p. 3 sqq., 13 sqq., 25 sqq., 145 sqq.). Russi autem (intellige Moscovienses, cf. p. 34 sqq.), ut ita de posterioribus Graecis iudicarent, sequentibus rationibus adducti sunt: *α*) ignorantia, qua ritus cum dogmatibus identificabant; — *β*) factis quibusdam historicis, quae suo arbitrio explicabant. Erant autem haec facta, quae ipsos in hac persuasione retinebant et firmabant: interitus Constantinopolis, synodus Florentina, impressio librorum liturgicorum Venetiis apud catholicos facta (p. 15 sqq.). Immo ex devotionis externae apud Graecos defectu vel moderatione Russi fidem ipsam apud Graecos oppressam esse concludebant (p. 14).

Golubinskij ostendit hanc ratiocinationem hancque ad facta historica appellationem nullam vim habere. Etenim quod synodum Florentinam attinet, Graeci exceptis iis, qui synodo intererant, synodi decreta dogmatica recipere recusarunt, in rebus autem ritualibus synodus Graecis plenam libertatem reliquerat (p. 110 sqq.). Idem de rebus liturgicis dicendum est. Quia „вообще творенія восточныхъ отцевъ изданы западными учеными вполнѣ добросовѣстно и такъ хорошо,

какъ самимъ грекамъ, а равно и намъ русскимъ, никогда бы ихъ не издать, такъ что отъ грековъ и отъ насъ русскихъ они заслуживаютъ величайшей благодарности.“ (Opera orientalium patrum ab occidentalibus universim tam bene et critice edita sunt, quam a Graecis atque etiam a Russis edi nullo modo potuerint) (p. 121). Et alio loco: „Что греки долгое время печатали свои богослужебныя книги въ Венеціи, это совершенная правда; но чтобы венеціанскіе латинскіе типографщики, печатавшіе для нихъ книги, повреждали послѣднія во время печатанія и вносили въ нихъ свои латинскія ереси и погрѣшенія, это совершенная неправда.“ (Latinos typographos, qui Venetiis pro Graecis libros imprimebant, impressionis tempore libros vel corrupisse vel opiniones Latinorum in eos induxisse, falsissimum est) (p. 123).

Quam Russorum opinionem, qua Graecos quasi haereticos esse existimabant, communem fuisse, multa argumenta comprobant (p. 83 sqq). Tamen in veris haereticis Graecos, licet eos fidei orthodoxae depravatores iudicaverint non numerabant (p. 101 sqq.).

Sectae igitur origo inde ortum suum ducit, quod, cum patr. Nicon ritus librosque liturgicos iuxta recentiorum Graecorum exemplaria ad uniformitatem iam redacta corrigere iussisset, — multi homines, qui Graecos falso fidei depravatores declarare non desistebant, contra Niconis decreta insurgentes, schismatis patres effecti sunt (cf. 13 sq., 92 sq., 107 sqq.).

At quomodo maior Russorum pars eaque sanior suam de Graecis ut haereticis opinionem mutavit? Patr. Nicone praeeunte id factum est; — is enim, cum a patr. Hierosol. Paisio (p. 28 sqq.) et a metropolis Kioviensis (quae hac opinione infecta non erat) professoribus, — respective ab Epiphanio Slovineckij, librorum liturgicorum interprete, — quos imperator ad docendum in Academiam Moscoviensem invitaverat (p. 34 sqq.), — de eiusdem opinionis falsitate ipse edoctus esset, huic fortiter restitit eamque omnibus viribus debellavit.

Licet autem Russi vel potius Nicon iniuriosam suam in Graecos opinionem deposuerint, ritus tamen dogmatibus annumerare non destiterunt (p. 58 sqq.); quae opinio etiam hoc tempore, licet minore ambitu, suam exercet vim. Eam autem de Graecis persuasionem fuisse iniustam, tum ex ritus notione, tum ex rituum apud Graecos evolutione, manifeste patet. Russi enim eo tempore, cum apud Graecos et rituum diversitas vigeret, unam ritus ab ipsis formam acceperant. Cum vero Graeci postea ritus ad unitatem redegissent, eo ipso diversitatem a Russis in ritibus induxerunt. Russi vero ob suam de Graecis opinionem, cum manuscripta ritualia imprimebant, non ad recentiorum Graecorum libros liturgicos impressos, sed ad antiquiora manuscripta, quorum alia ab aliis differebant, recurrebant. Nicon vero, cum suam de Graecis opinionem mutavisset, non ad manuscripta, sed ad recentiorum Graecorum libros liturgicos recurrit (p. 27 sqq., 59 sqq., 107 sqq.).

Quae Niconis reformatio, licet necessaria non fuerit, tamen ob ritus cum Graecis identitatem summopere utilis atque conveniens fuit (p. 58 sqq.).

Ex dictis sponte sequitur, modum polemicum contra hanc sectam usque ad praesens tempus adhibitum in multis mutandum esse, — et quod maxime contra ‚raskolniki' urgendum sit, id praeprimis esse, ut ostendatur, posteriores Graecos a praedecessorum suorum fide non recessisse ritusque tantum ad uniformitatem reduxisse (p. 76 sqq.).

In parte speciali (p. 153—238) de crucis signo, de cantico ‚alleluja', de nomine ‚Iesus', ac de verbo ‚vero' in 8⁰ articulo in Russorum symbolo adhibito, (per quae orthodoxi a ‚raskolniki' distinguuntur,) Golubinskij disserit.

Per prima septem saecula christiani crucis signum in fronte, uno digito (ordinarie) imprimebant (p. 155 sqq.). Saec. vero VIII⁰ decurrente crucem duobus digitis faciebant (probabiliter, ut sese a Monophysitis distinguerent (p. 158 sqq.). Saeculo autem XII⁰ ad finem vergente et XIII⁰ incipiente crux tribus digitis formabatur, — qui mos usque ad praesens tempus viget. Cuius rei causa prima erat symbolica, ut ss. Trinitatis mysterium significaretur: — β) secunda (probabilis), ut a Nestorianis, qui duobus digitis utebantur, differrent (p. 161 et p. 163 nota).

Russi autem a religionis christianae incunabulis duobus digitis crucem formabant (p. 163), a saec. XV. eos, qui crucem tribus digitis faciebant, anathemati tradebant (p. 164); at hisce non obstantibus multi erant, qui tres digitos in crucis signo adhibebant (p. 168 sq). Tandem a Niconis tempore exceptis schismaticis, qui raskolniki vocantur, Graecorum posteriorum consuetudo recepta est (p. 6 sqq).

Quod vero crucis signum in benedictionibus adhibendum attinet, haec evolutio locum habuit: a saec. IV⁰ benedictionem impertiebant christiani per plenam crucis positionem in vel super benedicendi capite (p. 174 sq.), idque usque ad initium saec. VIⁱ uno tantum digito (p. 175). A saec. autem VII⁰ digitos ad modum crucis disponebant simili modo atque hodie Graeci in benedictione faciunt (p. 176). Tempore decurrente (saeculis XII—XVI, cf. p. 176 sq.) huic digitorum dispositioni symbolica significatio addita est.

Quod ‚alleluja' attinet, inde a saec. V. in Oriente consuetudo inducta est, bis vel ter ‚alleluja' decantandi, donec tandem saec. XVII. decretum est, ut ter cantaretur (cf. praesertim p. 201).

At in Russia, ubi dogmata ac ritus aequali in aestimatione erant, per multum temporis spatium dissidia hac de causa excitabantur (praesertim in Pskov), donec a synodo, quae ‚Stoglav' dicitur, ut bis recitaretur, statutum et trina recitatio ut Latina haeresis reiecta est (p. 205 sqq). Quam consuetudinem „raskolniki" etiam hoc tempore retinent. Nicon vero saniore Russorum parte approbante trinam recitationem induxit (p. 218).

Nomen vero Iesus apud Russos (de Graecis non potest esse quaestio) antiquitus usque ad saec. XVI.ᵘᵐ duplici modo pronuntiabatur et scribebatur: Іисусъ et Іcусъ (Iisus et Isus); a saec. XVI⁰ solum una forma, Іcусъ (Isus) adhibebatur (eamque „raskolniki" etiam praesenti tempore servant); — a Niconis autem patriarchatu pronuntiatur: Іисусъ (Iisus).

In octavo articulo symboli, iuxta verba ‚Spiritum S.‘ occurrit in Graeco textu ‚κύριος‘, quod verbum aliqui ex Russis vertebant: истинный (ἀληθινός cf. „validus“). At a) nullum adest documentum, in quo loco κύριος positum sit αληθινός (истинный); b) quod vero ἀληθινός iuxta κύριος ponitur, id solum saec. XV. in Russia locum obtinet (p. 237). Sin loco κύριος in Russia usurpabatur истинный, huius rei ratio habebatur (cf. Filaret, Istorija russkoj cerkvi, period III, § 30). (p. 235 sqq.)

Post p. 238^am Golubinskij addit decretum imperatoris de die 17 (30) aprilis 1905, quo statuitur, ut huius sectae membra, quae omnia orthodoxae ecclesiae dogmata recipiunt, non „раскольники“ (raskolniki), sed „starobrjadcy“ (старообядны) nominentur.

Laudandus est igitur Golubinskij, quod sectae originem eiusque causas, meliore, atque veriore, quam hucusque factum est, modo proposuit. Inde sequitur alium abhinc contra sectam modum polemicum esse usurpandum.

Ut historicus vero optimae notae auctor rem solide multisque documentis innixam egregie tractat. — Maior solum nexus inter singulos (saltem in prima parte) articulos desideratur ultimaque manus operi, ceteroquin solido, apponenda est. Nonnullae quoque res obscuriores (cf. v. g. p. 121) clarius evolvendae erunt.

M. Haluščyńskyj.

Věra i Razum 1906.

I. V., Protoierej Th. Th. Sidonskij i ego filosofskie vzgljady (Πρωτοιερεὺς Th. Th. Sidonskij eiusque opiniones philosophicae), VII., p. 230—256 (sectio II—philosophica). Theodorus Theodorović Sidonskij ortus est anno 1805 in pago Arhangelsk (gub. Tver). Alumnus Academiae Ecclesiasticae Petropolitanae postea ibidem primum docuit idioma Anglicum, deinde philosophiam, atque ut facilius ad eam addiscendam iuvenibus explanaret viam, anno 1833 in lucem edidit Introductionem ad scientiam philosophiae (Vvedenie v nauku filosofii). Propter doctrinas, quas hoc in opere tutatus est, Academiam reliquit ac pastorali ministerio sese addixit; sed anno 1865 ad docendi munus revocatus in Petropolitana universitate philosophiam, deinde theologiam docuit usque ad annum 1873, quo vita defunctus est. Systema philosophicum Sidonskii hic accurate examinatur. Tria is praecipue in philosophia examini subicienda tenebat: determinationem formae τοῦ esse substantiarum mundi realis; explicationem valoris et formationis conceptuum nostrorum; expositionem legum fundamentalium activitatis nostrae: ex his tribus muneribus philosophia distinguitur in logicam, metaphysicam, physicam. Praesertim utilia sunt, quae Sidonskij docet de non repugnantia inter veritates revelationis et rationis et de methodo verae religionis discernendae.

D. Leońardov, Teorija bogovdohnovennosti Biblii v aleksandrijskoj školě (Theoria inspirationis biblicae in schola Alexandrina), VIII., p. 375—404. Erudite et copise auctor disserit de modo, mediis, ambitu divinae inspirationis iuxta Clementem Alexandrinum, de eius sententia quoad libros deuterocanonicos et apocryphos, quoad sensum et exegesim Sacrarum Scripturarum. Septemdecim propositionibus totam doctrinam Clementis de divina Inspiratione breviter enucleat. Auctor diligenter evolvit scripta philosophi Alexandrini, et recentiorem litteraturam patristicam plane cognitam habet.

N. Linskij, O vethozavětnom elementě v našem bogoslužěnii. (De elemento Veteris Testamenti in nostra liturgia),

VIII., p. 405—418. Huic scriptioni ansam praebuerunt censurae, quibus Docens A. P. Kadlubovskij in Veteris Testamenti lectiones et psalmos, qui in liturgia orthodoxa leguntur, invectus est. In quodam articulo, qui editus est in Церковная Газета (n. 7) anno superiore orta, et post breve tempus, iussu gubernatoris militaris Ḫarkovii, suppressa, Kadlubovskij singularem emisit sententiam de pravis doctrinis contra caritatem, lenitatem animi, iniuriarum remissionem, quae contineantur in Vetere Testamento, praesertim in psalmis, hosque ex liturgia expungendos duxit. Sententiam eius pluries nigro lapillo notat auctor huius articuli.

A. Běljaev, O narodovlastii (De potestate populari). IX., p. 419—444. Presbyter Gregorius Petrov, qui propter liberalismum suum et graves in orthodoxam occlesiam obiurgationes multa a Synodo passus est, in ephemeride Русское Слово (1905, n. 280) scripsit articulum hoc titulo: Cur nobis necessaria est libertas? In eo hanc sententiam exponit: populum esse verum dominum regionis, et regiminis munus esse populo inservire. Theologicis argumentis hoc axioma tuitus est Petrov, eique theologice respondet Běljaev dolens, quod facundus presbyter misceat divina et humana, et falso politicas aberrationes verbis evangelii nitatur confirmare. Acerrimo calamo scribit auctor huius articuli.

A. Vertelovskij, Ljubov' k Bogu i bližnim v žizni pervyḫ ḫristian po svidětel'stvu istorii cerkvi (Amor in Deum et proximum, qualis fuerit primis temporibus religionis christianae secundum testimonium historiae ecclesiasticae), IX., p. 445—461; X., 515—538; XII., p. 640—664. Probat auctor genus humanum, etiamsi fastigium civilis progressus attigerit, sine religione christiana, quae innititur amori Dei et proximi, verae perfectionis moralis expers mansisse. Hoc primum per viam remotionis demonstrat, exponens condicionem societatis civilis ante Christum natum apud Paganos, Buddhistas, Pharisaeos. Praesertim miserandum statum mancipiorum et feminarum in societate Romana oculis subicit. Deinde ex Evangelio eruit, quaenam sit doctrina de proximi amore, et exquirit, quomodo caritas christianorum aetate apostolica et primis saeculis exhibita sit. Praesertim disserit de prodigiis illius caritatis, quae saevientibus persecutionibus edita sunt, pluresque exponit modos, quibus Christiani fratribus suis tum materiale tum spirituale auxilium praebebant.

S. T. Buddijskaja moral' po buddijskomu katiḫizisu (Doctrina moralis buddhistica et catechismus buddhisticus), X., p. 365—382 (sectio II., philosophica). Auctor rationes enumerat, cur nostra aetate diligenter inquirere oporteat in religionem buddhisticam, quae tam ingentem sectatorum numerum habeat, ac systema religiosum pulchritudinis non expers exhibeat. Cum religio buddhistica praesertim propter doctrinas, quas habet, morales a multis laudetur, eius placita auctor examini subicit, usus versione catechismi buddhistici, quam A S. Petrunkevič anno 1887 in lucem edidit in commentariis periodicis Russkaja Mysl' (n. VIII). Fundamenta doctrinae moralis buddhisticae innuit, et in quo ascesis christiana ab ascesi buddhistica distinguatur, accurate disserit.

D. Brjancev, Izbranie episkopov v vizantijskoj cerkvi (Electio episcoporum in ecclesia Byzantina); X., p. 479—488. Confirmat quae fasciculo VI archimandrita Georgius dixit de electione episcoporum in antiqua ecclesia. Pastores ecclesiae eliguntur a ceteris pastoribus eiusdem provinciae; populus tantum exprimit desiderium habendi aliquem sibi gratum ut episcopum. Inquirit deinde, quaenam mutationes ab hierarchia Byzantina saeculo XII. in hunc usum ecclesiae inductae sint et desiderat, ut proximum concilium leges statuat, quibus electio episcoporum in Russia meliore methodo perficiatur.

A. Spasskij, Metody missionerskoj propovědi ḫristianstva v pervye tri věka (Methodi praedicationis a missionariis

religionis christianae primis tribus saeculis observatae, XI., p. 553–592. Optima et erudita dissertatio. Ex scriptis Apostolorum et primaevorum Patrum eruit auctor obiectum praedicationis fidei christianae in ecclesia primitiva. Inquirit deinde, quibus nominibus Christiani tribus primis saeculis designati sint, sive a Iudaeis sive a paganis, ac sensum investigat vocis φίλοι, quae apud Apostolum Paulum reperitur. Denique de nominibus propriis, quae in baptismate a primis christianis adoptabantur, disserit, praesertim de nominibus biblicis atque ethnicis, in quae offendit apud scriptores ecclesiasticos.

P. Anzerov, Patriaršij sud v drevne-russkoj cerkvi (Tribunal patriarchae in vetere ecclesia Russiaca), XII., p. 593—606. Tribunal patriarchae in Russia iuridicam formam organizationis exhibebat, quae apud Byzantinos vigebat, adiunctis tamen mutationibus, quae ex peculiari condicione ecclesiae Russicae oriebantur. In ecclesia Byzantina exempli gratia tribunal patriarchale erat tribunal trium appellationum; nam divisio administrativa Byzantina continebat παροικίαν, ἐπαρχίαν, διοίκησιν: in Russia e contra erat tribunal duplicis appellationis, cum non haberentur metropolitae. Auctor determinat relationes inter patriarcham et episcopos, et demonstrat supremam auctoritatem iuridicam in ecclesia Russica tempore regiminis patriarchalis non fuisse synodum, sed ipsum patriarcham. Synodus erat tanquam duma patriarchae, qui consilium inibat cum ceteris episcopis de rebus agendis, sed sibi ius vocis deliberativae vindicabat.

A. Spasskij, Obščinnyj stroj drevnih hristian i značenie ego dlja missii (Constitutio socialis veterum christianorum eiusque utilitas pro missionibus), XIII., p. 18—37. De sociali aedificio christianismi primaevi auctor erudite disserit. Tenet antiquas ecclesias fuisse particulares atque autonomas, neque in exordiis religionis christianae quemquam suspicatum esse fore aliquando, ut ecclesia tamquam societas universalis totum orbem amplecteretur (!) Colligit deinde, quae veteres scriptores de constitutione communitatum fidelium nobis tradiderunt, de muneribus episcoporum et presbyterorum in praedicatione fidei; de obstaculis, quae diffusio societatis christianae invenit ex legislatione Romana.

D Romaškov, Carskoe samoderžavie po učeniju cerkovnoj molitvy v den' Koronovanija i v den' Vossestvija na Prestol (Autocratia imperialis secundum preces ecclesiasticas, quae leguntur in die coronationis et in die ascensionis in thronum), XIII., p. 1—17. — Loquitur de titulis, quibus liturgia Russica decorat Imperatorem in precibus suis, eosque explicat praesertim ex interpretatione metropolitae Philareti. Dein ex eis deducit, quaenam sint munera Caris, ac necessitatem tutatur eius praerogativas servandi, ut prosperitas populi obtineatur.

T I. Butkevič, Ob otměně smertnoj kazni (De abrogatione poenae mortis), XIV., p. 1—12. — Πρωτοιερεύς Butkevič declarat suis principiis consonam non esse poenam mortis: eam tamen malum necessarium vocat in difficillimis temporum condicionibus. Quapropter si Duma poenam mortis nititur abolere, nullum huic propositioni suffragium dabit, neque positivum neque negativum.

A. Spasskij. Suždenija jazyčeskoj filosofii o hristianstvě (Iudicia philosophiae ethnicae de religione christiana), XV., p. 124—139. Plurimi aestimandae sunt eruditae dissertationes, quibus cl. vir Spasskij in primaevam religionem christianam inquirit. Loquitur in hoc articulo de obiectionibus, quibus Celsus et Porphyrius christianismum aggressi sunt. Deinde ex purioribus fontibus notitias recolligit de diffusione fidei christianae apud divites, litteratos, magistratus Romanos.

I. Ajvazov, Russkoe sektanstvo (De Russicis sectatoribus), XVII., p. 217—237. Asserit sectas, quae in Russia pullulant, gravissimum esse morbum totius ecclesiae orthodoxae, eumque promulgata

lege tolerantiae religiosae peiora mala nunc minari. Breviter ab exordio Russicae ecclesiae variarum haeresum origines enarrat earumque placita religiosa exponit usque ad nostram aetatem.

A. Snegirev, Vl S. Solov'ev i ego religiozno-nravstvennye idealy (Vladimirus S. Solov'ev eiusque doctrinae religiosae ac morales), XVII., p. 143—161; 179—189 (sectio II, philosophica). — Diligenter vitam narrat praeclari philosophi, qui de fide catholica in Russia optime meritus est. Opera philosophica enumerat, ac doctrinas in eis contentas lucide exponit. Praesertim laudat fidem eius, quae totum systema philosophicum informat. Dolet tam praeclarum virum scandalum dedisse orthodoxis, Latinorum dogmatis ac doctrinis inhaerendo, licet tamquam fidelis orthodoxus mortuus sit.

D. Brjancev, O predsobornyḫ sověščanijaḫ pri Sv. Sinodě i o predstavitel'stvě episkopov (De consiliis ad concilium parandum, quae apud synodum habentur, ac de praesidentia episcoporum), XVIII., p. 269—286. — Falso asseritur, ait Brjancev, ecclesiam Russicam paralysi laborare. Si hoc verum esset, iam actum esset de vita huius ecclesiae; sed inter omnes constare, plurimos episcopos, qui nervi sint organismi ecclesiastici, sanos ac vita praeditos se praebere. Theorias mitigatas ac traditionales defendit contra illos, qui omnia miscere cupiunt in ecclesia orthodoxa. Plura proponit de electione episcoporum et de numero eparchiarum augendo.

A. Palmieri O. S. A.

Simeon Nikol'skij: **Исторія церквей Антіохійской и Константинопольской за время святаго Іоанна Златоуста по его твореніямъ (Istorija cerkvej Antiohijskoj i Konstantinopol'skoj za vremja svjatago Ioanna Zlatousta po ego tvorenijam) Historia ecclesiarum Antiochenae et Constantinopolitanae tempore s. Chrysostomi secundum eius opera.** Отдѣлъ I-й и II-й. стр. XXXV + 164 + 184. Ставрополь-Кавказскій. 1906.

Finis, quem auctor hoc libro prosequitur, est, ecclesiarum Antiochenae et C-politanae statum tempore s. Chrysostomi vigentem, prout in operibus eiusdem s. Chrysostomi describitur, enarrare, testimoniorumque huius patris cum documentis historicis conformitatem ostendere. In ipsa disquisitione aliorum auctorum opera historica ei nonnisi negativam normam praebent (cf. praef. p. IV. sq.). Ad hunc finem suum assequendum Nikol'skij operum s. Chrysostomi nonnisi Russicas versiones Russicasque patrologias adhibet, aliis patrologiis utitur, ut ipsemet fatetur (cf. p. IV.), valde raro; — alia documenta tantum ut indirectum testimonium ad rem illustrandam citantur (cf. ibidem).

In praefatione de s. Chrysostomi vita, de eius operum chronologia porro de quaestione utrum Antiochiae an C-poli conscripta sint, disserit. In operum chronologia Migne (P. G. t. XLVII) sequitur.

Totum auctoris opus in duas dispescitur partes. In prima parte de ecclesiae Antiochenae statu (I., p. 1—164), in secunda parte de C-politanae ecclesiae statu (II., p. 1—184), sermo est. Quod auctor in utraque parte intendit, est, utriusque ecclesiae statum moralem et religiosum depingere; utraque pars primum de ecclesiae morali statu (I., p. 1—48; II. p. 1—114), deinde de religioso statu (I. p. 49—164; II. p. 115—183) agit. In morali autem parte de cleri (I. p. 6—13; II. p. 13—47.), monachorum (I. p. 13—25; II. p. 47—73), societatis (I., 25—47; II., 73—113) vita disputatur; in secunda parte religiosa

de fide, haeresi (I., 49—75, 92—135; II., 115—165), de schismate (I., 75—92; II., 65—177), de Iudaeis (I., 135—154), de paganis (I., 154—163) inquiritur.

Quod religiosum utriusque ecclesiae statum attinet, secundum s. Chrysostomi opera, utrobique, Antiochiae nempe et Constantinopoli, templorum visitatio, orationis amor — C-poli paulo minor, — contionum frequentatio simul cum plausibus oratori tributis magni habebatur et observabatur.

In aberrationibus a fide tum C-poli tum Antiochiae iidem cernuntur errores: frequentiora emittuntur iuramenta etiam cum veritatis laesione, — eaedem habentur superstitiones; — eaedem quoque haereses grassantur. Antiochiae magis ad cultum externum quam ad vitam internam attendebatur, — fatum quoque observabatur (cf. I., 59. 67): — Constantinopoli vero propter cleri perversam vitam populus fidem et sacramenta parvi habebat (II., 120 sqq.), — baptismum nonnumquam usque ad mortem differebat (II., 126 sq.).

Differentias, si quae erant, in excessibus, locales circumstantiae efficiebant. Velut Constantinopoli Novatianorum secta suos discipulos habebat, Antiochiae non habebat (II., 155 sqq.). Et contra Antiochiae alter alterum anathemati tradebat. Quae consuetudo ex hoc fonte originem ducit: Eustachio, orthodoxo episcopo, pulso, Arianus episcopus eligitur; at catholici, Eustachiani dicti, Arianorum episcopos admittere recusant, immo et Meletium, cum et ipse ab Arianis electus esset, quaedam Eustachianorum pars recipere renuit. Meletio ab Arianis ex urbe fugato, catholici a duobus presbyteris regebantur, Eustachiani nempe a Paulino, Meletiani a Flaviano. Cum Meletius Antiochiam rediisset, Paulinus dignitatem suam deponere noluit; hicque rerum status diutius durasset, nisi tandem res sic composita esset, ut alterutro mortuo (i. e. Paulino vel Meletio) alter ab omnibus orthodoxis ut legitimus episcopus agnosceretur. Ne vero quisquam episcopalem dignitatem futuro tempore ambiret, anathema dictum est ei, qui hanc dignitatem duobus illis viventibus ambiret vel electionem acceptaret. At Meletiani, anathemate non obstante, post Meletii mortem, Paulino vivente, Flavianum in episcopum elegerunt; eorum exemplum post Paulini mortem et Pauliniani secuti alium (Euagrium) ad episcopalem dignitatem evexerunt. Post Euagrii mortem Flavianus quidem ab omnibus ut verus episcopus agnitus est, — at hic anathematis usus eiusque neglectus fixus in Antiochenorum mentibus mansit atque similem agendi modum propagavit (I., 86 sqq.). Constantinopoli pauperes, ut eleemosynam efflagitarent, saepe adiurationibus utebantur.

C-poli et Antiochiae schisma habebatur: hic Meletiani et Eustachiani (cf. supra), — illic Ioannitae eorumque adversarii. Chrysostomo secunda vice in exsilium misso, qui cum ipso tenebant, ab eius successoribus Arsacio et Attico severe tractabantur (II., 172 sqq.).

Antiochiae — non C-poli — iudaizantium secta erat (I., 135 sqq.). Antiochiae quoque pagani sua iura plenamque libertatem in suis ritibus exercendis postulabant et pro iis acerrime certabant; — C-poli paganis suaviter idque cum successu euangelium praedicatur.

Quod moralem utriusque ecclesiae statum attinet, sequentia e s. Chrysostomi operibus erui possunt: Clerus et monachi Antiocheni vitae sanctitate, proximi amore et zelo populo praelucent (cf. I., 6 sqq. et 16 sqq.); contra C-politanus clerus una cum monachis pecuniae avidus erat, externa pompa, morumque corruptione (cleri cum diaconissis cohabitatione) populo scandalo erat (II., 15 sqq). Diaconissae quoque C-politanae aliaeque virgines Deo dicatae virginitatis votum sine ullo conscientiae remorsu non servabant (II., 47 sqq.); — monachi vero otiosi, vagantes aliisque vitiis etiam peioribus dediti erant (II., 59 sqq). Populi autem mores utrobique fere iidem fuisse videntur: ex una parte epulae, potus, theatri licet pessimi nimia frequentatio, gravis morum corruptio; — ex altera parte summa pauperies, ad quam tollendam divites manum admovere nulla ratione volunt (I., 26 sqq. et II., 73 sqq).

Auctor, ut iam supra adnotatum est, non adhibet nisi Russicos auctores, — alios vero, qui de s. Chrysostomi operibus eorumque textu, argumento, sensu scripserunt, cum summo ipsius disquisitionis damno, minime consuluit. Opus ipsum nondum, ut videtur, omni ex parte limatum est: plura enim, ut influxus, quem hae ecclesiae de fide, ritibus, sacramentis, doctrina in alias ecclesias exercebant, earum ad imperatores relatio — licet in s. Chrysostomi operibus multa de hisce inveniantur, — in auctoris inquisitione desiderantur. Quae de communismo habet, minime ad veritatem quadrare videntur (cf. II., 93 sqq). Homiliam quoque, quae sub titulo „Iterum insanit Irodiada“ inter Chrysostomi opera invenitur, sancto patri adscribit, licet argumenta firmissima contrarium sentire cogant (cf. Monfaucon, opp. s. Chrysostomi. t. XIII. p. 151; F. Ludwig, Der hl. Joannes Chrystomus in seinem Verhältnis zum byzantinischen Hof, Braunsberg. 1883, p. 115 sqq.; Bardenhewer Patrologie, Freiburg, p. 287).

Inter alia auctor basilicam, in qua s. Chrysostomus populum C-poli fidem revelatam edocebat sacramentaque distribuebat, describit Historicum A. Lebedev sequens Antiochenorum, seu synodi Antiochenae (ex a. 378) in concilium oecumenicum II (a. 381) magnum influxum affirmat (I., 97 sqq.) Secundum auctorem per Luciani scholam principia rationalistica fidem evertentia, Antiochiae quoque secta ut rivulus e suo fonte pullulavit (I., 79 sqq.)

Hisce tamen non obstantibus, in libro, quae tum at s. Chrysostomi opera melius intelligenda tum ad ecclesiarum Antiochenae et Cpolitanae historiam distinctius cognoscendam iudare possunt, multa inveniuntur. *M. Haluščyńskyj*

Труды Кіевской духовной Академіи. (Trudy Kievskoj duhovnoj Akademii) 1905. (p. t.)

A. Bulgakov: Francuzskoe duhovenstvo v koncě XVIII. v. (v period revoljucii) (De Gallico clero in fine XVIII. saec.), II., 10—29. Secundum Bulgakov praelati Gallici multiplici ratione ad rebellionem promovendam contulerunt: ipsi enim, licet. ob divitias suas et privilegia hoc potuerint — ut fidei christianae splendor augeretur atque conservaretur, ne manum quidem admoverunt, sed toti rebus politicis vacabant, immo complures ex iis, sic dicti ‚liberi cogitatores‘ fuerunt. Quae cum ita sint, mirum sane non est, quod inferior clerus vel potius

multi ex eo, qui magna penuria premebantur, rebellionis duces facti sunt. Secundum multos rebellio abusibus remedium allatura erat. Verum praelati hoc intelligere noluerunt, — inferior tantum clerus libere 'Constitution civique du clergé' acceptans ad eamque observandam iureiurando adstringens, »такимъ образомъ авторитетно заявили, что конституція не затрогиваетъ ни догматовъ вѣры, ни уставовъ богослужебныхъ, порядковъ и правилъ церковной дисциплины« (p. 18). Verbo, auctor ecclesiam plene potestati civili subditam supponens, eos, qui iusiurandum emiserunt et ad novas circumstantias sese accommodaverunt, laudat eosque solos recte egisse per longum et latum demonstrat.

Grečeskaja cerkov' v Italii (Ecclesia Graeca in Italia) II., 29—51.

Auctor anonymus de ecclesiae in Italia origine, utrum fuerit Graeca an Latina, inquirit. Praeprimis de Italia inferiore agit. Existimat autem ecclesias Italiae inferioris ritum linguamque Graecam habuisse, — saeculo vero III et IV. ritum et linguam Latinam praevaluisse. Argumenta, cum historica documenta desint, ex eo desumit, quod primi principaliores episcopi Siciliae ex Oriente fuerint et Acta martyrum antiquiora lingua Graeca conscripta sint. Cum historici ecclesiarum inferioris Italiae demum saec. VIII, vel altero dimidio saec. VII. Graecum ritum maxime propagatum fuisse statuant, — auctor iam prius hoc factum esse contendit; idque ei opera lingua Graeca saec. IV—X. conscripta evincere videntur.

Quaedam animadvertenda videntur: Primum nescio, an non legitima sit haec auctoris argumentatio: primis duobus saeculis lingua ecclesiastica fuit Graeca, ergo etiam ritus fuit Graecus, — Graeceque populus loquebatur. De rituum enim diversitate primis aerae christianae temporibus nequaquam sermo esse posse videtur. Similiter de altera auctoris opinione, vulgus lingua Graeca usum esse, iudicandum est.

Secundo nulli iniuriam factam esse censemus, si saec. III°. lingua Latina ut ecclesiastica per totam Italiam introducta sit.

Et quae de ritus Graeci sorte et persecutione dicit, valde dubitandum est, num factis historicis conveniant (cfr. p. 33 sq.).

N. Petrov: Kievskaja Akademija v getmanstvo Kirilla Gr. Razumovskago (De Academia Kioviensi dominante Cyrillo Razumovskij) II., 51—93.

Petrov de Academiae K. a. 1750—1763. statu disserens, ad haec pervenit: Razumovskij ipse cum cleri influxum et reditus deprimere et minuere conaretur, eo ipso etiam Academiae, quae futurum clerum educabat, non multum favebat nullaque subsidia ei specialia praebebat.

Metrop. Timotheus Ščerbackij (1748—1757), Academiam tantum ut dioecesanum institutum considerans, eam sibi plene subiecit. Non obstante consuetudine ipse professores et rectorem eligebat; disciplinam ac methodum docendi ad libitum mutabat; professores iuxta libros impressos, non e suis scriptis, tradere cogebat; denique nec materialiter multum Academiam iuvabat. Eius successor, Arsenius Migilanskij (ab a. 1758) contrariam sequebatur viam: maiore donavit professores libertate tum in eligendis rectore et professoribus tum in praelectionibus habendis, multum quoque materialiter Academiae succurrebat.

Maximum malum, quo Academia hisce temporibus laborabat, fuit professorum atque ipsius Academiae paupertas, nec non, quod professores vel crebro mutabantur vel tales erant professores et rectores — idque saepius — qui antea aliis officiis defuncti erant. Professores generatim e monachis assumebantur.

Attamen, ut iusti simus, Academia nominato tempore, etsi iam paulatim influxum suum amittere incipiebat, nequaquam tamen omni valore et dignitate destituta fuisse censenda est.

Disciplinarum singularum solum status hoc tempore in Academia vigentis descriptionem libenter ac grato animo desideraremus.

V. Faminskij: Moral' jazyčeskago filosofa Seneki i sovremennoe otnošenie k voprosam nravstvennosti (De ethica Senecae, gentilis phil. et de recentiorum ad ethicas quaestiones relationibus) II., 94—123.

Descripta sat bene in prima parte Senecae ethica, transit auctor in secunda parte ad tempora haec, — et concionatorem agens, vehementer recentiorum indifferentismum ethicum increpat. Contendit vero Senecam christianismum ignorasse (cfr. 112 sqq.).

I. Četverikov: Učenie o ličnom Bogě s točki zrěnija etičeskoj cěnnosti (Doctrina de Deo personali in luce ethicae considerata) II., 147—158. In colloquio $^{17}/_{30}$ martii 1905. ad magistri gradum obtinendum auctor hanc disquisitionem praelegit. In qua disquisitione, cum theoretica de rerum universitate doctrina valorem et influxum in ethicam habeat necesse sit positivistarum, idealistarum et monistarum hac in re consequentia ostensa methaphysicam de Deo personali probationem omnibus ethicae principiis praemittendam esse dicit. Quae de Deo personali doctrina sicut omnibus hominis indigentiis et desideriis satisfacere, ita et moralitatis immobile et unicum fundamentum et norma esse debet. Hanc vero methaphysicam Dei personalis probationem in opere »О Богѣ какъ личномъ существѣ. Kiev, 1904,« quo magistri gradum obtinuit, exequitur.

N. Stelleckij: Socializm — ego istorija i kritičeskaja ocěnka s hristianskoj točki zrěnija (Socialismus — eius historia et censura iuxta christianismi principia) II., 191—212, 560—605. — Exposita socialismi historia ad eius principia transit. Imprimis vero e revelatione ostendit socialistas non esse primos, qui in hunc rerum statum et in hominum sub omni fere respectu inaequalitatem invehantur. Etenim iam in V. T. homines spiritu Dei imbuti, hanc humani status miseriam intuentes, remedium ei afferre conabantur. Dein scriptores sacri miserae illius condicionis causam aliam atque socialistae assignarunt; historice enim rem considerantes in peccato omnis mali originem videbant. Altera vero inaequalitatis causa diversa hominum indoles diversa operans exsistit. Quam duplicem causam si prae oculis habuerimus, non omnem inaequalitatem omnino tolli posse facile intelligemus. Solum in ordine ad salutem aeternam omnes sine ulla exceptione aequales sunt. — Cum iuxta socialistas omnia communia esse debeant, nempe tum bona materialia tum uxores tum potestas regendi tum religio, auctor, singula diiudicans, demonstrat: principia nominata tum revelationi tum rationi nec non indoli hominum experientia cognitae repugnare.

Tota auctoris disquisitio in quibusdam partibus hoc defectu laborare videtur, quod rationes philosophicas non plene evolvat. Minus quoque clara sunt, quae de gubernio et de rerum statu nostri temporis loquitur,

V. Rybinskij: Zamětki o literaturě po sv. Pisaniju Vethago Zavěta za 1904. g. (Animadversiones in litteraturam de scriptura V. T. ex a. 1904) II., 124—146.

Recentiores in Oriente excavationes duplicem quaestionem nobis inicere videntur: de relatione nempe s. scripturae ad Babylonem nec non de inspiratione. Cum multi multa hac de re anno 1904 scripserint, Rybinskij duo principaliora opera eligit eorumque argumentum late proponit. Primum quod de relatione s. scripturae ad Babylonem tractat, est: »A. *Ieremias,* Das alte Testament im Lichte des alten Orients. Leipzig 1904.« Relato huius operis argumento ait auctorem mitiores rationalistas sequi, cum facta historica admittat, formam autem historiae e mythis desumptam esse doceat (p. 129 sq.). Secundum Rybinskij opus a Ieremias editum, licet opere Schraderi, de eadem materia tractante, inferior sit, въ цѣломъ, несомнѣнно, зто книга очень полезная, и сравнительно съ другими, по своимъ основнымъ принципамъ наиболѣе близкая къ традиціоннымъ воззрѣніямъ на содержаніе Библіи« (p. 130).

Alterum opus, quod de inspiratione agit, est monographia F. de Hummelauer: »Exegetisches zur Inspirationsfrage mit besonderer Rücksicht auf das A. T.,« — hoc opus Rybinskij latius quam primum recenset. Argumento eius exposito concludit: etiam a Russis theologis, apud quos non omnia de inspiratione clara sunt, nominatum opus speciali considerationi subiciendum esse (p. 146). »At, ut patet, non omnes Hummelaueri opiniones a Russis acceptabuntur« („Несомнѣнно, не все въ воззрѣніяхъ Гуммеляуера можетъ быть принято") (p. 146), cum nimias Hummelauer concessiones rationalistis faciat.

Articulus nondum est finitus.

P. Linickij: O trudoljubii (De labore) II., 175–190, 413—430, 495—514.

Linickij hisce in articulis philosophicam quaestionem de laboris notione eiusque divisionibus ac valore instituit. Et licet non omnia, quae dicit, teneri vel acceptari possint, in genere tamen satis bene rem pertractat.

Litteras in scholis Russicis multis versionibus inniti dicit. Secundum eius opinionem meliora opera (originalia) in maiore quantitate ad scientias naturales pertinent; — aliae autem scientiae, ut historia, ius, philosophia, philologia non multum eminent (поражаетъ скудостію и безплодіемъ) (p. 511). Quin etiam in litteris (литературѣ) »самостоятельно выработанныхъ у насъ идеаловъ нѣтъ; идеалами для насъ служаютъ все еще примѣры и образцы чужеземные« (p. 512).

Quae vero de ecclesia tenet, mira sunt (cf. p. 508 sq.).

V. Rodnikov: Zabytyj dokument (De documento oblivioni tradito) II., 213 233.

Multi historici excepto Wilken, cum Constantinopolis occupationem a 1204 a crucigeris factam describant, opus attentione dignum omittunt, nempe: »Epistola anonymi — testis oculati de capta urbe Constantinopolitana. (A. 1204). Migne, P. L. t. 213.« Rodnikov praeter versionem Russicam, etiam de ipso auctore disputat. Censet epistolam hanc, ab uno e ducibus in epistola nominatis, scilicet Ioanne Fusieno, conscriptam esse. Potissimum argumentum ex diversitate desumit, quae inter hanc epistolam et inter Villehardouin ‚Par la Conquête de Constantinople' in describendo loco, quo princeps Alexius ad crucigeros accessisse dicitur, habetur. Villehardouin affirmat iam Zarae in Dalmatia Alexium ad crucigeros cum petitione accessisse; epistola nominata autem in insula Corfu. Quae diversitas inde orta videtur esse, quod auctor epistolae unus e legatis fuerit, qui Innocentium III. propter Zarae occupationem male contra crucigeros dispositum reconciliaturi essent, et hinc Zarae Alexii adventum non viderit.

Cum vero auctor epistolae belli dux et consequenter laicus fuerit et cum alter e legatis laicus iureiurando neglecto in Syriam profectus sit, unus restat: Ioannes Fusienus. Quod et interna argumenta comprobant: Auctor epistolae, ut ex ipsa patet, vir probus fuit; — crucigeri autem ad Papam ‚dignos' viros mittunt; stilus epistolae Gallum prodit, — secundum Innocentium autem inter legatos ambo laici fuerunt Galli, cum duobus baronibus Gallicanis; (cf. p. 217 sqq.). Gallum auctorem fuisse sequentia quoque suadent: primo terrestri exercitui praeerat, ergo non fuit Venetianus vel Italus; secundo illa comparatio: »Pons vero ille (Constantinop.) potentior erat Parvo Ponte Parisiacensi« idem evincere videtur (p. 221 sq.).

Secundum Rodnikov epistola haec ‚cum auctor illam in belli campo' conscripserit, aliis duobus operibus a Villehardouin et Niceta Choniat de eadem materia conscriptis, consideratione dignior videtur (p. 224).

Animadvertendum tamen videtur, auctorem sine ulla ratione minus recte de Innocentio III. sentire. Etenim licet ipse dicat, papam ‚formaliter' (?) i. e. specie tenus contra Constantinopolis occupationem protestatum esse; — tamen ex eo, quod probus vir Romam mittitur

et quod auctor epistolae de subiectione ‚imperii Graeci tamquam filiae sub potestatem Romani pontificis ut capitis‘, loquitur, aliud papam sensisse et imperasse concludit (cfr. p. 221).

M Skaballanovič: Čto daet bogoslovu pervaja glava knigi pr. Iezekiilja, (Quid theologus ex I. cap. proph. Ezechielis habeat) II., 271—276 — Hic articulus non est nisi praefatio, quam ante colloquium ad magistri gradum obtinendum Skaballanovič praelegit.

P. Orlovskij: Čin blagoslovenija rektora na igumena učiliščnyja obiteli i učitelej v nej v učilišča otsylaemyh̆ i vsej bratii monastyrskoj ot arh̆iereja podaemyj, II., 277—284. Orlovskij ritum, quo olim rector et professores benedicebantur, ex exemplari ad cathedram Kioviensem s. Sophiae pertinenti, desumptum, proponit.

D. Bogdaševskij: Ekzegetičeskija zamětki (Quaedam exegeticae adnotationes) II., 253—270. — Difficilioribus nonnullis textibus, quos in aliis suis operibus tractat, quasdam explicationes et animadversiones addit.

Th. Titov: O zagraničnyh̆ monastyrjah̆ Kievskoj eparh̆ii XVII—XVIII. vv.) De monasteriis Kiov. dioecesis saec. XVII—XVIII. extra eius territorium sitis) I., 459-97; 607—65 II., 284—331.

A. 1686 Kiovia et cum ea Kioviensis metropolia Russiae adnexa est. Multa autem in regno Polonico monasteria erant, quae metropolitae Kioviensi subiacebant. De horum igitur monasteriorum, quae externa metropolis Kioviensis monasteria vocabantur, statu, constitutione, momento deque protopopiis et de capellania Russiaco consuli addita *T.* agit. — Monasteriorum pro orthodoxis momentum magnum erat. Cum non multae in Polonia ecclesiae parochiales orthodoxorum essent, et quae erant, valde pauperes et sacerdotes ad eas designati non multum eruditi essent, — iam quid monasteria pro orthodoxia praestiterint, facile patet. Quin etiam scholas et typographias habebant et consequenter linguam Russiacam fovebant. Capellanus ab a. 1674 consuli Russiaco Varšoviae residenti additus, initio solum necessitatibus spiritualibus consulis eiusque sociorum succurrebat; inde vero ab a. 1720 orthodoxorum protector fuit.

Quae de catholicis — Polonis et unitis — dicit, valde dubitandum est, num omnia cum veritate conveniant (cfr. p. 295).

P. Linickij: H̱ristianskaja nravstvennost‘ (De moralitate christiana) II., 234—252.

Secundum Linickij moralitas christiana hic intelligitur communis operationis indoles, operatio autem haec varia potest esse: scientifica ‚artificalis, oeconomica. Duplex ‚moralitatis‘ species habetur: fidei (vel rectius fiduciae, audaciae) et prudentiae. Fidem intelligit spem, fiduciam, qua quis imbutus summa et ardua opera aggreditur. Verbo alius titulus operi aptior esset: scilicet de charactere nationum. Verum praetermissis aliis absurdis vel confusis, parallelismus, quem auctor proponit, notandus videtur. Affirmat enim in ecclesia catholica spiritum politicum praedominari fidei, nec non spiritum provisionis et prudentiae superiorem esse (взялъ перевѣсъ) spiritu subiectionis, humilitatis, pietatis et amoris. (cfr. p. 239 sq.). Econtra in Russia, si auctorem sequimur, status politicus populi desideriis (идеалу) (въ духѣ религiозномъ) optime respondet. Ut principium regiminis in Russia historia ‚christianam conscientiam‘ imperatoris a nullo dependentis constituit. Quae independentia (intellige absoluta) regis nisi principiis bonis spretis auferri non potest; hanc enim tum historia tum recta philosophia postulat (cfr. 249 sq.).

M. Posnov: K h̆arakteristikě vnutrennej žizni poslěplěnnago iudejstva (Quaedam de indole internae vitae Iudaeorum post exsilium) II., 343—412.

Posnov de Iudaeorum post exsilium exsistentium vita porro tractat. Recensitis diversis sententiis de pharisaeorum et sadducaeorum origine nec non de horum nominum etymologia, ipse suam de eorum origine sententiam proponit. Etsi enim utriusque factionis doctrinam et mores cum ex aliis tum ex Iosepho Flavio sciamus, de eorum tamen origine diversi diversa statuunt.

Posnov, Flavii I. testimoniis innixus (— in nonnullis tamen modificat eum —), sequentia statuit: Pharisaei et sadducaei fuerunt religioso-politico-oeconomicae factiones inter Iudaeos; nequaquam autem sectae nomen eis inuri potest. Utrique originem suam e temporibus exsilium excipientibus ducunt; partes autem evaserunt primum 2^0 dimidio saec. II. Cum enim captivitas Babylonica et misericordia divina populi conscientiam e somno excitassent, omnes legi stricte observandae vacabant. At in praxi duplex animorum inclinatio apparuit: alii enim simul cum legis observatione omni aliarum gentium influxui sese subtrahentes, ad proprias legis explicationes et antiquorum traditionem recurrebant; succedente vero tempore effectum est, ut traditio plus quam lex valeret. Alii omnem traditionem respuentes et legem, quantum fieri potuit, temporis circumstantiis accommodantes, ab aliis nationibus multa recipiebant.

Quam animorum divisionem hellenismus altero dimidio saec. IV. etiam auxit. Altera enim factio e Graecorum cultura, vita, philosophia multa suis rebus adaptavit; altera vero Iudaeorum factio, hellenismum suae religionis hostem considerans, omnem culturae Graecae influxum a se amovebat. Populus vero, cum post exsilium legis observationi diligentius inhaereret, rigidiorem partem i. e. assidaeorum, sequebatur In fine saec. IIIi et initio saec. IIi , cum Graecorum cultura maiores exsereret vires, et ipse populus, culturae Graecae sese tradens, quae peiora in ea erant, avide arripiebat. Quod et ipsi pontifices multum fovebant. Sub eorum influxu Antiochus Epiphanes Iudaeorum religionem cum cultu Graecorum commutare nitebatur. At populus eius placitis restitit. Proximus huius resistentiae effectus duarum partium constitutio fuit, pharisaeorum nempe et sadducaeorum.

Quae cum ita essent, populus omnia, quae hellenismum spirabant, summo odio prosequebatur. Consequenter et ii, qui hellenismum propagabant, omnem in populum influxum amiserunt, immo populo ingrati fuerunt.

Haec cum culturae Graecae amici vidissent, etiam ab optimis desideriis sese avertentes, omnem doctorum et pharisaeorum laborem etiam bonum odio incensi spernebant et ducum, legatorum etc. officia, per quae cum externis commercium habebant, ambiebant. Neglectis igitur antecessorum suorum religiosis studiis et conatibus, rebus politicis vacabant. Multas quoque vires in pugna cum pharisaeis terebant. Itaque doctrinam a maioribus relictam nec ipsi magis excoluerunt. Et contra pharisaei, suum in populum influxum videntes, hanc potestatem magis et magis extendebant, ad eamque augendam omnem doctrinam theoreticam dirigebant. Inde pharisaeorum fraus et hypocrisis originem ducebat; at populus haec ignorans summa in aestimatione eos habebat.His praemissis, concludit auctor, facile patere nec sadducaeos nec pharisaeos, licet non fuerint religionis negatores, recte considerari posse tamquam qui legem Mosaicam et fidem Iudaeorum repraesentarent.

Unum, quod non placet, est, quod sadducaeos, quamvis multa, quae in s. scriptura etsi non clare continentur, non admiserint, fidei adhaerentes non negatores fuisse dicit (cf. p. 395 et passim). Sequens articulus de rabbinis, quos auctor ut pharisaeorum discipulos considerat, aget.

N. Petrov: Novootkrytyj al'bom vidov i risunkov dostopriměčatel'nostej Kieva 1651 goda. II., 431—472.

A. Dmitrievskij: Drevnějšij Hilandarskij Sinaksar′ po ustavu Ierusalimskomu (Antiquum synaxarium Chilandarense iuxta τυπικόν Hierosolymitanum) II., 473—493. Dmitrievskij operi suo a. 1905 edito, ad animadversiones ab Jagič prolatas quasdam correctiones et annotationes addit.

V. Čehovskij: Kievskij mitropolit Gavriil Banulesko-Bodoni (Kioviensis metr. G. Banulesko-Bodoni) II., 515-559. Hic articulus prioris disquisitionis continuatio est. Describit autem Č. metropolitae circa Academiam Kiov. meritum. Cum enim ex metropolitae munere Academiae superior esset cumque tum professores tum rectorem ipse nominaret, semper bonum Academiae prae oculis habebat. Etenim non solum materialiter ei succurrebat, verum scientificum eius honorem augere conabatur.

Dein causam, cur Banulesko-Bodoni metropoli Kiov. abdicaverit, non aegritudinem, ut in Alexandri I[i] rescripto habetur, sed desiderium, quo Banulesko metropolita Moldavensis fieri affectabat, fuisse contendit Argumenta autem ad id comprobandum non omnino spernenda profert. Quod vero Banule ko-Bodoni intendebat, a. 1808. obtinuit. Cum enim ecclesia Valachico-Moldavica anno 1808. Russiacae synodo subiecta esset, Banulesko eius exarcha et membrum s. synodi constitutus est.

In fine Čehovskij ecclesiarum et cleri a. 1800—1803 in metropoli Kioviensi exsistentium catalogum proponit.

V. Pěvnickij: Populjarnost′ — objazatel′noe kačevstvo cerkovnoj propovědi (De claritate et simplicitate sacrae orationis necessaria) II., 606—641.

P. Orlovskij: Učastie zaporožskih kozakov v vozstanovlenii Ierusalimskim patriarhom Theofanom pravoslavnoj zapadno-russkoj cerkovnoj ierarhii v 1620 godu. (Participatio kozakorum in restauranda per patriarcham Hieros. Theophan. orthodoxa occidentali hierarchia) II, 642—650. Cum a. 1596. metr. Michael Rogoza ad unionem cum R. Pontifice simul cum aliis episcopis redisset, paulatim effectum est, ut post 20 annos solum episcopus Leopolitanus Ieremias Tessarovskij schismati adhaereret. At cum Polonia tunc temporis bellis defatigata esset cumque Kozakorum exercitus praepotens esset, ideo Kozakorum praepositi ad patr. Hier., qui tunc temporis Moscoviae versabatur, ut orthodoxam hierarchiam restauraret, sese contulerunt. Eorum desideriis satisfaciens Theophanes Kioviam venit orthodoxamque hierarchiam clam sine Polonorum regis consensu creavit. Rex necessitate coactus a. 1623. nolens-volens consensit.

P. Orlovskij: Kievskij cerkovnyj Sobor 1629 goda (Kioviensis synodus a. 1629) II., 651—658.

Poloniae rex Sigismundus III., ut animos conciliaret, synodum cum unitorum tum orthodoxorum Leopolim in diem 28. octobris 1629 a. indixit. Ut animos praepararet, rex convocavit 29. Iunii unitos in Vladimir, orthodoxos Kioviam. Synodus Kioviensis solum quattuor dies duravit nullumque effectum consecuta est, cum Kozakorum exercitus ut synodus finiretur, per fas et nefas postularet.

P. Linickij: Ob iskusstvě (De arte) III, 8—40.

Linickij de artis proprietatibus et fine inquirens, hodiernum eius statum describit nec non artis finem eum esse statuit — id quod multis defendit — :izměnčivuju storonu žizni postavit′ v svjaz s neizměnnymi jeja načalami i predstavit′ v duhé etih načal (mutabilem hanc vitam in relatione ad immutabilia eius principia proponere nec non in luce horum principiorum eam reproducere) (p. 23).

A. Elčukov: Theofilakt Rusanov, znamenityj russkij ierarh epohi imperatora Aleksandra I[go] (Theophylactus Rusanov, celeber Russicus episcopus tempore Alexandri I.) III., 41—119. Inceptam prius lucubrationem (cfr. Slav. L. T. 1905. N. II.)

ad finem perducit. In duplicem partem praesens opus dispescitur: primum causas exponit, ob quas influxus Theophylacti Petropoli tam praepotens sublatus sit; deinde labores eius in dioecesi Rjazan et in exarchatu Grusiae et Imertiae describit Rusanov studia theologica tum in dioecesi Rjazan tum in exarchatu Grusiae multum promovit; et quod ad Grusiae etc. exarchatum attinet, ipse res ecclesiasticas, — quae propter recentem exarchatus (a. 1801) ecclesiae Russiacae subiectionem parum firmae erant, — organizavit et ad canones vigentes redegit.

I. Četverikov: Kritičeskij individualizm v russkoj filosofii (Istoriko-kritičeskij očerk) (De critico individualismo in Russica philosophia) III., 120—132.

Russica philosophia ultimis demum temporibus evoluta maioremque ab aliis independentiam consecuta est. Secundum Četverikov imprimis Solov'ev et G. Teichmüller eam excoluerunt. Sed cum de Solov'ev cum theologi Russiaci tum philosophi multa iam scripserint, ideo auctor solum alterum considerat; eiusque doctrinam systematice proponere crisique subicere intendit. — In praesenti articulo opus hoc incepit.

Poslanie vysokopreosv. Flavijana, mitrop. kievskago, i galickago, pastyrjam kievskoj eparhii (Epistola arch. Flaviani, metropolitae Kiov. et Haličensis ad pastores Kioviensis dioecesis) III., 133—144. Metr. Flavianus in epistola edictum tolerantiae d. d. 17. Aprilis 1905. et effectus inde consecutos prae oculis habet. Orthodoxos ait, licet fidem suam semper ‚unice salvantem‘ esse existimaverint, alias tamen confessiones cum amore et tolerantia (?) tractare solitos esse (p. 134). Nunc autem temporis, cum ecclesiae orthodoxae protectio a gubernio soli populo tradita sit, populus orthodoxus una cum clero hanc protegere ac defendere satagat, — aliasque confessiones cum amore tractet. Verum cum catholici orthodoxos ad catholicam religionem petrahere conentur, — secundum Flavianum per sui ritus pompam (solum?), — hanc suo clero commendat. Clerum igitur suum, ut processiones, contiones, sermones de quaestionibus socialibus aliaque ipse sicut catholici instituat, admonet. In rituali catholico secundum Flavianum — (nescio qua ratione) — omnia solum ad pompam, sensationem, satisfactionem producendam ordinata sunt (p. 137).

P. Linickij: K voprosu o zakoně razvitija (De evolutionis lege) III., 145—178.

Quaestionem etiam nunc valde disputatam auctor tangit. Maxime autem ad evolutionis theoriam, ut a Darwin proposita et a Spencer philosophice exculta est, attendit. Secundum Linickij nec Darwin nec Spencer nec alii evolutionis asseclae nisi contradictionis lege spreta theoriam suam statuere ac defendere possunt. Eorum πρωτοψεῦδος in eo est, quod tantummodo evolutionis initium seposito fine — attendunt. Quomodo evolutionistae contradictiones statuant, praeterea quomodo principia ab ipsis maxime a Darwin et Spencer statuta finalitatem exigant, Linickij sat bene et clare ostendit.

P. Sokolov: Stolknovenie papy Zozimy s cerkov'ju Gallii (Dissidium inter papam Zozimum et ecclesiam Gallicanam) III., 238—250.

In Praesenti articulo Sokolov nihil nisi libri »Le concile de Turin a. 417« a Babut editi argumentum cum nonnullis suis in sedem apostolicam animadversionibus refert.

A. Krylovskij: L'vovskoe Stavropigial'noe bratstvo (De Leopolitana Stauropigiana Confraternitate) III., 251—260. Auctor ad magistri gradum obtinendum praesentia praelegit. Librum quoque eiusdem tituli ad gradum illum obtinendum edidit.

E. P. Rukovodstvo Cerkvi v dělě věry (De directione Ecclesiae in rebus fidei) III., 179—237. Auctor tripliciter opus suum

divisit: imprimis enim inquirit: num Christus ecclesiae munus docendi commiserit; secundo num ecclesia sufficientia ad hoc possideat media; tertio denique alia media praeter ecclesiae infallibilem auctoritatem insufficientia esse ostendit.

Ecclesiae autem competere officium doctrinam revelatam conservandi eamque authentice interpretandi sequentibus demonstrat: *a*) Christus, ut e sacris Litteris patet, munus hoc apostolis eorumque successoribus commisit; *b*) S Scriptura teste non omnia, quae Apostoli praedicabant, scriptis cons gnata sunt; alia vero minus clare in s. Scriptura proposita sunt; *c*) idem primaeva evangelii promulgatio et fidei propagatio manifestant: initio enim doctrina a Christo tradita ab apostolis viva voce populis praedicabatur, — atque pauci tantum ex eis iique nequaquam omnem doctrinam scriptis mandarunt; immo usque ad 2. dimidium saec. II. in quibusdam ecclesiis evangelium tantum ex orali praedicatione notum erat; *d*) eandem ecclesiae auctoritatem Patres cum unanimi consensu tum praxi sua vindicant; idem ex conciliorum oecumenicorum congregatione eorumque definitionibus clare elucet.

Doctrinam autem a Christo et ab apostolis propositam integram ab ecclesia conservari ex eo consequitur, quod *a*) in tota ecclesia doctrinam esse corruptam simpliciter impossibile est; *b*) corruptionem non esse factam documenta historica comprobant; *c*) primis saeculis, quid ecclesia principalis ab apostolis fundata sentiret, inquirebatur; *d*) Antiquitus ecclesia catholica et orthodoxa idem significabat.

Ut ecclesia hoc munus rite obire posset, Christus ei donum infallibilitatis contulit. Eam hoc privilegio gaudere ex eo patet: *a*) quod s. Scriptura clare hoc testatur (cf. Matth., 16, 16 sq.; Mt., 28, 20; Io. 14, 16. 26); *b*) ipsa ut corpus Christi mysticum iure hoc exigit; *c*) idem religio revelata et ecclesiae notio postulat; *d*) denique idem clare ex historia ecclesiastica manifestum est.

Tertio alia media, ut s. scripturam solam vel inspirationem Spiritus S. vel rationem absque ecclesiae auctoritate non multum valere ostendit.

Desiderandum solum est, ut auctor eodem modo auctoritatis et infallibilitatis subiectum magis determinet.

V. Exempljarskij: K voprosu ob otnošenii nravstvennosti k politikě (De relatione ethicae ad res politicas) III., 261—308.

E factis historicis auctor ostendit antiquitus sicut et nunc gubernia in rebus politicis, internationalibus, praecipue in bello nequaquam ethicae principiis ducta esse. Illud tantum discrimen inveniri potest, quod recentiore tempore sub ‚specie iusti' (cf. decreta gubemiorum bellum edicentia) bellum geri praetenditur. Dein e principiis philosophicis et e revelatione demonstrat: ethicae principiis etiam gubernia in rebus diplomaticis et politicis absolute obligari.

Otčet o sostojanii Kievskoj Duhovnoj Akademii za 190$^{4}/_{5}$ učebnyj god (De statu Academiae Kiov. a. scholari 190$^{4}/_{5}$ praelectio) III., 309—367.

L. M. Arh. Theofan Avsenev v pis'mah svoih k Odesskomu protoiereju Serafimu Antonoviču Serafimovu (Arch. Theophanes Avsenev in scriptis ad Odessensem protopresbyt. Seraphimum A. Serafimov) III, 368—412.

V. Rybinskij: Zamětki o literaturě po svjašč. Pisaniju Vethago Zavěta za 1904 god. (In litteraturam a. 1904 de scriptura V. T.) III, 413—435.

Rem inceptam auctor prosequitur. Opera, quae de s. scriptura a. 1904 tractarunt, sive introductoria sive exegetica, bibliographice citans, suas adnotationes addit. Articulus eius inde meritum suum non spernendum consequi videtur, quod (p 427—435) opera Russica a. 1904. de scriptura V. T. edita allegat.

V. Pěvnickij: O prigotovlenii propovědej (De contionum praeparatione), III, 437—484. In hoc articulo Pěvnickij de praeparationis ad conciones necessitate disserit idque tum ex patribus tum ex profanis scriptoribus comprobat.

Sequuntur articuli, qui, cum Academia Kioviensis 6 Novembris 1905 iubilaeum professoris V. Pěvnickij celebraret, tantum de iubilari iubilaeoque agunt.

Th. Titov: Zaslužennyj ordinarnyj professor Kievskoj duḫovnoj Akademii Vasilij Theodorovič Pěvnickij (De ord. profess. Kioviensis A Basilio Th. Pěvnickij) III, 485—504.

Basilius Pěvnickij natus est a. 1832. Ab anno 1851. in Academia Kioviensi discebat, a. 1855 magister theol. factus est. A 6. Novembris 1855 docet in Academia Kioviensi; usque ad a. 1862 eloquentiam generalem tradebat, ab a. 1862 usque ad ad nostra tempora homileticae professor erat. Per aliquot annos (1869—1884) etiam pastoralem theologiam praelegebat. A. 1860. professor extraordinarius, a. 1862. ordinarius factas est; ab a. 1884. autem etiam ad Academiae regimen pertinet.

Eius meritum maximum in eo positum est, quod per publicationes suas criticas de homiletica nec non per contiones suas homileticam Russicam multum promovit. Titov eius publicationes et articulos per longum et latum enumerat. Duplicis generis autem opera Pěvnickij fuerunt: tum contiones et orationes (seu articuli) de doctrina morali christiana agentes, tum criticae publicationes de homiletica eiusque historia. Etiam nonnulla alia clarissimus professor publicavit. Inter eius opera vero imprimis consideratione dignum est: »Св. Григорій Двоесловъ — его проповѣди и гомилетическія правила. Кіевъ. 1872.« quo opere anno quem diximus doctoris gradum obtinuit. Quam plurima Pěvnickij in commentario periodico »Труды Кіевск. д. Академіи«, cuius redactor ipse iam a multis annis est, diversis temporibus promulgavit. Contiones a Pěvnickij pronuntiatae a. 1905. editae sunt sub titulo »Сборникъ словъ, произнесенныхъ въ церкви Кіево-Братскаго монастыря на вечернемъ богослуженіи, извѣстномъ подъ именемъ пассіи«, a redactione, Миссіонерское Обозрѣніе.

Desideratur solum auctoris critica horum operum recensio.

A. G. Mnimoe proročestvo Vetḫago Zavěta o Rossijskoj Gosudarstvennoj dumě (Pseudo-prophetia V. T. de Russicis comitiis) III, 660—663. N. Pereferkovič, Talmudis Russicus interpres, Isai. XXI, 11—12, cabbalistico modo ad Russica comitia applicat. Articuli auctor eius absurditatem ostendit. *M. Haluščyńskyj.*

Quaedam animadversiones de statu, qui nunc est, scientiae iuris canonici in Russia. (P. tr.)

De nomocanone poenitentiali Ioannis Nesteutae.

Libri poenitentiales vel, sicuti olim saepissime vocabantur, iudicia poenitentiae, sunt libri ad usum sacerdotum destinati et exhibent instructionem de suscipienda confessione et regulas de imponenda poenitentia. — Librorum poenitentialium ecclesiae occidentalis — ratione habita patriae — plura distinguuntur genera; exstant nempe libri poenitentiales Romani, Anglosaxonici, Gallici et Germanici. In unoquoque autem genere plures distingui possunt redactiones, quarum auctores omnino ignoti sunt. Etiam illi libri poenitentiales, qui inscribuntur nomine certi cuiusdam auctoris e. gr. Theodori, Bedae, Egberti, Columbani,

Cummeani — non his ipsis adscribendi sunt, sed sunt compilationes alterius cuiusdam ignoti auctoris.

De tempore, quo primo libri poenitentiales in ecclesia occidentali prodierint, adhuc disputatur. Probabiliter autem eorum origo non ultra initium saec. VIII^vi reducenda est.

Primi libri poenitentiales conformes erant disciplinae canonicae, Inde tamen a medio saec. VIII^vo usque ad initium saec. IX^ni apparuerunt alii, qui omnino arbitrario modo determinabant poenitentiam nullo respectu habito ad disciplinam poenitentialem in conciliis aliisque fontibus iuris communis stabilitam. Praeterea nonnullae regulae eorum adversabantur doctrinae ecclesiasticae e. gr. doctrinae de insolubilitate matrimonii; evolutum quoque erat sub fine saec. VIII^vi systema redemptionum in eo consistens, quod unusquisque poenitens loco statutae et impositae poenitentiae aliquod aliud opus bonum eligere et perficere poterat. Inde nihil mirum, quod iam initio saec. IX^ni concilia Galliae condemnarunt tales libros poenitentiales „quorum, ut ait concilium Catalauniense, sunt certi errores, incerti auctores“.

Denique saec. IX^no prodierunt libri poenitentiales Halitgari, Rabani Mauri aliorumque auctorum, qui regulas de imponenda poenitentia iam non amplius arbitrarie statuebant, sed ex fontibus iuris communis hauriebant — et proinde, relate ad priores recte libri poenitentiales „reactionis“ dici possunt. (Schmitz, Bussbücher I. 712; II. 110. 137).

Cum igitur omnes fere quaestiones, quae versabantur circa libros poenitentiales ecclesiae occidentalis solutae sint — non idem valet de libris poenitentialibus, quibus olim ecclesia orientalis utebatur. Illi libri omnes inscribuntur nomine Ioannis Nesteutae seu Ieiunatoris sibique auctoritatem vindicant illius patriarchae Constantinopolitani, qui sub fine saec. VI^ti (582—595) primus titulum „oecumenici“ assumpsit. —

Liber poenitentialis seu nomocanon poenitentialis Ioannis Nesteutae pervenit ad nos in pluribus redactionibus, quae omnes ad duo genera reduci possunt. Aliae enim redactiones continent instructionem de suscipienda confessione cum orationibus et caeremoniis, deinde regulas de imponenda poenitentia exhibent — aliae vero continent solas regulas de imponenda poenitentia pro singulis peccatis. —

Ad primum procul dubio antiquius genus pertinent sequentes redactiones:

Ἀκολουθία καὶ τάξις ἐπὶ ἐξομολογουμένων συνταγεῖσα ὑπὸ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰάννου τοῦ Νηστευτοῦ — quae est locupletissima redactio (apud Migne, P. G. 88. p. 1889 sqq.) Secunda redactio quae inscribitur: *Ἰάννου μοναχοῦ καὶ διακόνου μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου, οὗτινος ἡ ἐπωνυμία „τέκνον ὑπακοῆς“ κανοναρεῖον* —; distinguitur a priore per admodum longam introductionem.

Tertia autem redactio sub titulo: *Ἰάννου μοναχοῦ πατριάρχου Κωνσταντινοπόλεως τοῦ Νηστευτοῦ λόγος πρὸς τὸν μέλλοντα ἐξαγορεῦσαι τὸν ἑαυτοῦ πνευματικὸν πατέρα* -- brevior est quam prima, quia omissae sunt omnes precationes et caeremoniae ipsam confessionem praecedentes; in reliquis autem sunt omnino inter se conformes.

Vetustissimus codex manuscriptus huius nomocanonis est ex saec. X^mo^ (in regia bibl. Monacensi No. 498). Eodem saeculo adornata est versio slavica — (secundum Pavlov sub finem saec. IX; — adest in manuscripto Kormčej knigi, quod asservatur in museo Rumjancov'i — No. 320) — Circa finem autem saec. X^mi^ vel initio XI^mi^ exaravit monachus Euthymius, filius principis Grusiorum, versionem Grusicam. Haec sunt antiquissima positiva testimonia de existentia huiusce nomocanonis poenitentialis.

Eius indolem si consideramus, praeprimis notandum est, tempus poenitentiae, seu tempus prohibitae communionis pro singulis peccatis, in variis redactionibus varium esse. In eo tamen omnes redactiones conveniunt, quod relate ad disciplinam canonicam ecclesiae orientalis statutis conciliorum et epistolis patrum stabilitam, brevius tempus assignant. Praeterea maximam, quae haberi potest, indulgentiam erga confitentes commendant, ut scil. poenitentia non secundum gravitatem peccati sed secundum vires et voluntatem poenitentis imponatur. Habito igitur respectu ad vires et voluntatem poenitentis licuit patri spirituali tempus poenitentiae abbreviare; eodem modo confessarius in determinatione operum poenitentiae nempe ieiunii, orationis, eleemosynae, genuflexionum respicere debuit vires et voluntatem poenitentis. In redactione enim *Ἀκολουθία* (quae tamquam fundamentalis habetur) pater spiritualis interrogat poenitentem: „Fili, qualem poenitentiam potes servare"? et statim ratio huius interrogationis adducitur: „nam non secundum gravitatem peccati sed secundum vires et voluntatem confitentis determinatur poenitentia." In alia redactione, nempe in „*λόγῳ*" statuitur etiam regula, ne iis, qui nondum ad 30^simum^ a. aetatis pervenerint, maior poenitentia quam duorum vel trium annorum imponatur. Post 30^simum^ autem a. aetatis peccatoribus non maior poenitentia, quam septem annorum determinatur. Itaque habito respectu ad poenitentiam canonicam 15 vel 20 et plurium annorum — certe magna differentia et summa indulgentia in libris poenitentialibus Ioannis Nesteutae animadvertitur. Nihil mirum igitur, quod iam exeunte saec. XI^o^ patriarcha Nicolaus Grammaticus hos libros reprobavit.

Teste enim Harmenopulo (Epit. can. cap. ultim.) ad interrogationem monachorum monasterii cuiusdam in monte Atho, num liceat poenitentiam imponere secundum nomocanonem Nesteutae, Nicolaus respondit: „Scriptum illud Nesteutae, quod nimiam lenitatem adhibeat, complures perdidit." Eodem saec. XI^o^ quidam scriptor Nicon Montenegrinus iam dubitabat de authentia huius nomocanonis. His non obstantibus nomocanon Nesteutae communiter tamquam norma disciplinae poenitentialis valebat, prout testantur commentator Balsamon saec. XII^o^ (*Συντ.* IV. p. 426) et chartophylax Nicephorus saec. XIII^o^ (*Συντ.* V. 401—2). Saec. autem XV^o^ et sequenti apprehenditur iam similis reactio atque in occidente saec. IX.^o^ Illo enim tempore apparuit excerptum ex nomocanone Nesteutae, quod Matthias Blastares suo syntagmati adiunxit. Inde ortum est secundum genus nomocanonis Nesteutae, in quo poenitentiae iam non arbitrario modo statuuntur sed iuxta normas antiquae disciplinae canonicae. Redactiones huiusce secundi

generis permittunt quidem confessario tempus poenitentiae diminuere, attamen sollummodo hoc in casu, si poenitens susceperit aliquod opus poenitentiale stricte determinatum. Itaque e. gr. si quis spondet abstinentiam a vino diebus dominicis, permittitur ei diminutio temporis poenitentiae canonibus statuti, et qui dem ablato uno anno; sin autem abstinet a carne etiam duobus annis poenitentiam diminuere licet. — Haec redactio nomocanonis, quae manifesto redit ad severitatem antiquae disciplinae poenitentialis, recepta est in codicem canonicum huius temporis ecclesiae Graecae-orientalis in Pedalion, quod dicunt. Eodem tempore reactionis, saec. XV[to] prodiit in quodam monasterio montis Athos omnino alius nomocanon, qui continet praecipuas normas iuris communis ecclesiae orientalis et recte vocari potest „breviatio canonum“ (Inscribitur: *Νομοκάνων ἔχον κανόνες κατ᾽ ἐπιτομήν* — vel a loco exarationis Athonicus, vel a primo editore Pavlovius).

Notabilior eius pars respicit disciplinam poenitentialem. Poenitentia autem determinatur in eo iuxta canones conciliorum et iuxta canonicas quas vocant epistolas Graecorum patrum. Quasdam regulas communes habet cum nomocanone Nesteutae. Nimiae autem indulgentiae, quae propria est nomocanonis Ioannis Nesteutae, iam nullum est vestigium. (cfr. Berdnikov, Po povodu vt. izd. Nomocanona pri B, Tr. — p. 49 sqq.). — Ille nomocanon (zakonopravitel'nik) saec. XVI[o] versus est in linguam Slavicam (Serbicam); saec. autem sequenti prima vice Kijoviae (1620), deinde Moscoviae editus hodiedum in Russia valorem suum retinet.

Haec est historia nomocanonis Nesteutae inde a saec. X.[mo] — Iam quaeritur, quaenam sit eius historia ante saec. X. inde a fine saec. VI.[ti] quo tempore Ioannes Nesteuta patriarchatum tenebat (582—595).

Cum tamen nullum positivum testimonium de eius existentia ante saec. X. afferri possit — ideo satis fundata est altera quaestio: num revera liber ille poenitentialis originem suam habeat a Ioanne Patriarcha. Quaestionem hanc, ut supra notatum est, iam movit sed non solvit Nicon Montenegrinus saec. XI[mo]. —

Praeprimis animadvertendum est, eas redactiones nomocanonis, quae ad nos pervenerunt, Ioanni Patriarchae nullo modo tribui posse. Etenim in eis sermo est de quadragesimis duodecim apostolorum et Philippi, quae duae quadragesimae usque ad saec. IX. apud Graecos ignotae erant. Sermo quoque est de monachis parvi et magni habitus, quae distinctio demum saec. IX. stabilita erat. — His non obstantibus I. Morinus primus editor nomocanonis Nesteutae authentiam eius tenebat putans haec aliaque similia esse additamenta posterioris temporis.

Binterim autem ex supra indicatis rationibus negavit authentiam.

Ultimis decenniis praeteriti saeculi iterata vice (Nomokanon pri Bol'šom Trebnikě ed. I. Odessa 1872 ed. II. Moskva 1897) atque optima methodo authentiam libri defendebat Al. S. Pavlov, studens demonstrare nomocanonem poenitentialem in partibus essentialibus conscriptum esse a patriarcha Ioanne Nesteuta. Potissimum eius argumentum est, tempore Ioannis patriarchae systema disciplinae poenitentialis, quod praebet nobis nomocanon Nesteutae, iam fuisse evolutum. Iuxta

huius auctoris opinionem can. 102 conc. Trullani (681—2) (quod celebratum erat centum annis post mortem Nesteutae) loquitur de hoc systemate, quia severitati disciplinae canonicae (ἀκρίβεια) opponit et commendat consuetudinem et praxim leniorem (συνήθεια).

Contrarium tamen absque difficultate evincitur.

Imprimis, si in can. 102⁰ conc. Trullani sermo esset de consuetudine et praxi, quam exhibet nomocanon Ioannis Nesteutae, necessario in can. 2⁰ eiusdem concilii scriptum Ieiunatoris tamquam norma disciplinae ecclesiasticae indicandum erat. In hoc enim canone, qui nihil aliud est, quam codificatio iuris communis ecclesiae orientalis, quod tunc temporis vigebat, enumerantur omnia concilia generalia et particularia, canones Apostolici et omnes epistolae canonicae Patrum, — scripti autem patriarchae Ioannis Nesteutae nulla fit mentio. Etiamsi igitur verum esset, in can. 102 conc. Trullani sermonem de duplici norma scil. severiore (ἀκρίβεια) et leniore, quae in consuetudinem venit (συνήθεια) — nihil exinde argumenti pro existentia nomocanonis Nesteutae desumi posset — immo maior difficultas evaderet. Sequeretur enim gravis quaestio, cur concilium Trullanum approbata consuetudine, quam exhibet nomocanon, ipsum nomocanonem non approbaverit?

Attamen — ex contextu sequitur, in can. 102. conc. Trullani συνήθεια non posse significare consuetudinem tamquam aliquam normam oppositam disciplinae canonicae. Verbis enim: ἀμφότερα τοίνυν εἰδέναι ἡμᾶς δεῖ τά τε ἀκριβείας τά τε συνηθείας — quae verba deprompta sunt ex can. 3. s. Basilii — neque concilium Trullanum neque s. Basilius loquuntur de duplici disciplina severa — canonica — et leniore, quae in consuetudinem venit — sed loquuntur de duobus principiis, quae quivis iudex sciat oportet, in applicandis regulis ipsius huius disciplinae canonicae. Sensus nempe verborum reddi potest sequenti modo: Scire nos oportet, quae requirantur, ut leges canonicae cum omni severitate applicari possint; simul tamen sciamus oportet, quae sint excusantes circumstantiae, quibus positis a severitate legum recedere deceat et liceat: συνήθεια igitur significat hoc loco idem fere, quod συμπάθεια vel φιλανθρωπία (cfr. Suvorov, Vopros o nomokanoně Io. Postnika — p. 13 —), minime vero consuetudinem denotat.

Quod cum ita sit, sequitur inde grave argumentum contra existentiam et contra originem nomocanonis Ioannis Nesteutae ante concilium Trullanum. Nam, sicuti canon 102. huius concilii demonstrat, regulae canonicae spectantes disciplinam poenitentialem illo tempore tota vi et obligatione valebant. In nomocanone autem Nesteutae habetur systematica et omnino arbitraria abbreviatio temporis poenitentiae.

Insuper — usque ad concilium Trullanum prout ex memorato canone patet, valebat principium, secundum quod solummodo in casu specialis contritionis cordis et habito respectu ad alias causas excusantes peccatum poenitentis, licuit discedere a norma disciplinae canonicae. In nomocanone autem Nesteutae omnino diversum principium commendatur. Pater spiritualis quaerit ibi confitentem: Fili, qualem poenitentiam potes servare? — De vi igitur et obligatione canonum poeniten-

tialium iam nihil scitur, sed tempus et opera poenitentiae dependent omnino a voluntate ipsius confitentis.

Principia igitur et totum systema nomocanonis poenitentialis non solum sunt diversa sed plane contraria disciplinae poenitentiali ecclesiae orientalis ante concilium Trullanum. Proinde — nomocanon non potuit prodire illo tempore seu — quod idem est Ioannes Nesteuta patriarcha saec. VI[ti] non potest esse eius auctor.

Accedunt aliae rationes: St. Isidorus Hispalensis, qui vixit eodem fere tempore, quo patriarcha Nesteuta, descripsit in opere quod est: De viris illustribus — satis accurate eius vitam — hisce verbis: Ioannes sanctae memoriae Constantinopolitanus episcopus, natione Cappadox, vir fuit inaestimabilis abstinentiae et in eleemosynis in tantum largissimus, ut zelo avaritiae adversus eum imperator Mauritius permotus urbe pauperes pellendos ediceret: hic Graeco eloquio edidit de sacramento baptismatis rescriptum etc. Nomocanonis autem st. Isidorus nullam facit mentionem. Nihil sciunt de eo scriptores Graeci Io. Damascenus et Theodorus Studites. Neque Photius in opere *Μυριοβίβλιον* sive Bibliotheca quidquam loquitur de illo scripto canonico Nesteutae. Deinde neque „synodus unionis" quae vocatur, initio saec. X. (920) habita sciebat quidquam de nomocanone poenitentiali. Si enim scivisset et si nomocanon tunc temporis in usu practico fuisset — certe synodus illa statuens poenitentias propter bigamiam et trigamiam provocasset ad eum tamquam normam disciplinae ecclesiasticae (Суворовъ, къ вопросу о пап. вліяніи . . — p. 106 sq.)

Denique, prout iam supra notatum est, antiquissima manuscripta huius nomocanonis continent notitias de quibusdam institutis ecclesiasticis, quae ante saec. IX. in ecclesia orientali ignota erant; posteriora autem mauscripta continent quaedam citata scriptorum, qui vix usque ad saec. IX. pertingunt (e. gr. patr. Methodii).

Exinde sequitur, nomocanones poenitentiales, qui inscribuntur nomine Ioannis Nesteutae ante saec. X. vel saltem ante medium saec. IX. non extitisse — nec proinde patriarcham Ioannem, qui vixit saec. VI°, eorum auctorem esse posse.

Iam oritur quaestio, quomodo explicari possit, quod nomocanones nomine patriarchae Nesteutae inscripti sint et — quid tenendum sit de opinione et consensu scriptorum Graecorum inde a saec. XI°, qui originem nomocanonis illi patriarchae tribuebant?

Imprimis animadvertendum est opinionem scriptorum Graecorum in huius generis quaestionibus non magni esse valoris. Ex. gr. inde a temporibus Balsamonis omnes scriptores Graeci, deinde etiam omnes occidentales usque ad medium praeteritum saeculum Nomocanonis XIV tit., qui dicitur, auctorem Photium asserebant. Hodie autem certum est, illum nomocanonem iam diu ante tempora Photii exaratum fuisse et Photium tantum canones duarum synodorum ab ipso coactarum illi nomocanoni addidisse. Recentissimis temporibus etiam de hoc dubitatur (cfr. Суворовъ, Учебникъ церковнаго права. — ed. II. — p. 106). Veri simillime igitur totus Nomoc. XIV tit. aliis auctoribus debetur — et nihilominus scriptores Graeci communi consensu eum Photio tribue-

bant. — Etiamsi igitur scriptores Graeci inde a saec. XI^{o} unanimi consensu nomocanonem poenitentialem Ioanni patriarchae tribuissent, nondum necessario sequeretur, Ioannem patriarcham revera eius auctorem esse. Ceterum, prout exemplum Niconis Montenegrini, quem supra memoravimus, docet, scriptores Graeci hac in re non consentiunt.

Quod vero gravissimi est momenti — singuli manuscripti codices nomocanonis non eandem habent inscriptionem. Inscribuntur quidem nomine Ioannis — eum tamen dicunt fuisse vel monachum et diaconum vel discipulum S. Basilii vel patriarcham Constantinopolitanum ; versio Grusica dicit eum tenuisse patriarchatum longe post conc. Trullanum

Probabilissime igitur quidam monachus Ioannes initio X^{i} vel summum secunda parte saec. IX^{i}, qui ex vita ascetica cognomen Nesteutae seu Ieiunatoris sibi meruit, hunc nomocanonem composuit. In historia monachorum in Oriente occurrunt duo Ioannes Ieiunatores: unus monachus et deinde patriarcha sub finem saec. VI^{ti}, alter simplex monachus sub finem saec. XI^{i}. — Cur igitur non potuit tertius Ioannes Ieiunator vivere sub finem saec. IX^{i} vel initio saec. X^{i}, qui nomocanonem composuit? —

Protestanticus scriptor Holl (Enthusiasmus u. Busswelt beim griechischen Mönchtum 1898) putat auctorem nomocanonis fuisse illum monachum Ioannem Ieiunatorem, qui sub finem saec. XI^{i} vixit; sub finem saec. X^{i} adornata iam fuit versio Grusica et ad saec. X. pertinet codex ms. nomocanonis, qui asservatur in regia bibliotheca Monacensi No. 498). Proinde nomocanon iam ante tempus illius Ioannis monachi compositus erat. Russicus scriptor Suvorov (Вопросъ о Ном. Поет. p. 112) putat, nomen I. Ieiunatoris in nomocanone posse explicari ex eo, quod sub finem saec. XI^{i} monachus Ioannes Ieiunator vixit (quatenus postea in inscriptionem venire potuit). Quamvis etiam haec explicatio sufficiat, nihil tamen obstat, quominus admittatur fuisse alium monachum Ioannem, vita ascetica insignem, qui sibi meruerit cognomen Ieiunatoris et qui sit auctor libri poenitentialis.

Additamentum de eius dignitate patriarchali iam nullam generat difficultatem — omnino enim congruit cum natura nomocanonis. Etenim libri huiusce generis, qui destinati erant ad communem usum, natura sua indigebant superiore quadam auctoritate. —

Quaestionem de origine nomocanonis Nesteutae seu Ieiunatoris — subsequitur alia quaestio, quae est de nomocanonis relatione ad libros poenitentiales ecclesiae occidentalis. Scriptores Russici Pavlov et Berdnikov (Краткій курсъ цер. права. ed. II. p. 92) asserentes eum fuisse compositum a patriarcha Ioanne saec. VI. consequenter affirmant eum esse prototypum omnium librorum poenitentialium. Cum tamen iam certo constet, nomocanonem Nesteutae non esse antiquiorem saec. IX^{o}., potest sane quaeri, num inveniantur in eo vestigia librorum poenitentialium occidentis. Influxus talis eo magis supponendus est, quia saec. VIII. et sequenti libri poenitentiales per totam ecclesiam occidentalem sparsi erant. Medio autem saec. IX^{o} misit Nicolaus papa Bulgaris inter alios libros etiam librum poenitentialem, qui statim versus est in linguam Slavicam (quae versio adest in cod. manuscripto Kormčej knigi — in

musaeo Rumjancovi —: inscribitur autem Заповѣдь св. Отецъ (praeceptum ss. Patrum) et nihil aliud est quam versio libri poenitentialis „merzeburgensis" cfr. Suvorov, Къ вопросу о зап. вліяніи.. p. 1 sqq.)

Inde potest quaeri, num etiam auctor nomocanonis libros poenitentiales occidentis prae oculis habuerit. Scriptor Russicus, quem supra memoravimus, Suvorov quaedam vestigia influxus librorum poenitentialium occidentis studet invenire in nomocanone Nesteutae (Къ вопросу о запад. вліяніи.. p. 101 sqq.); tamen de vestigiis his dubitari licet.

Totus hic influxus ad hoc debet restringi, quod libri poenitentiales occidentis praebuerunt monachis Graecis saec. IX. copiam et ansam simile quid ad usum suae ecclesiae componendi.

Nomocanon igitur Nesteutae non est simplex versio librorum poenitentialium occidentis sed quoad internam indolem et formam est opus omnino independenter exaratum. *Demetrius Jaremko.*

Богословскій Вѣстникъ (Bogoslovskij Věstnik) 1906 (P. tr.)

P. Světlov: O posěščenii teatra duhovenstvom (De theatri visitatione a clero) I, 570—576. Quae clerus de theatro sentiat enarratis, auctor suadet clero, ut theatrum visitet. Ut vero scandalum, quod oriri posset, evitetur, vult ut clerus vestes laicales et tonsos capillos habeat.

I. Gromoglasov: Bastilija duha (Bastille mentis) I, 577—596. Cum scholae ecclesiasticae, quae in Russia habentur, finem, ad quem erectae sunt, minime consequantur, ideo non abs re fore censuit, Gromoglasov, libri, qui hac de quaestione tractat (»Duhovnaja škola.« Sbornik statej. Moskva 1906), argumentum referre. Articulum nondum finivit. Nondum enim, quae sit in his scholis religiosa educatio, depinxit.

V. Myšcyn: Iz periodičeskoj pečati (Ex foliis periodicis quaedam): 1. Gosudarstvennaja Duma i Gosudarstvennnyj Sovět. — Konstitucija i hristianstvo. I, 597—603; 2. Iz razgovora o politikě duhovenstva. — O predstavitel'stvě klira na soborě. — Cerkovnaja gazeta. I, 768—783; 3. Gosudarstvo i Cerkov', II, 155—174.

Myšcyn refert, quae de rebus ad ecclesiae reformationem pertinentibus in foliis periodicis scribantur, suasque adnotationes hinc inde addit. In opinionibus Myšcyn influxus protestantismi quidam inveniri videtur.

A. Kotovič: Duhovnaja cenzura v Rossii v pervoj polovině XIX. v. (1799—1855) (De ecclesiastica censura, quae in Rossia primo dimidio saec. XIXi viguit) I, 654—691.

Ecclesiastica censura in Rossia post varias vicissitudines tandem a. 1799. organizata est; hoc enim anno ,Moscoviensis censura ecclesiastica', cui postea ecclesiasticae pro censura facienda commissiones sunt suffectae, instituta est. Cuius instituti organizationem eiusque evolutionis historiam Kotovič tradere intendit. Opus inchoatum in sequentibus fasciculis persequetur.

Episc. *Evdokim*: Car i Patriarh (K harakteristikě ih vzaimnyh otnošenij) (Imperator et patriarcha); (De eorum inter se relationibus) I, 739—767. Auctor desiderans, ut status, qui inter imperatorem et patriarcham aute Petrum M., a quo status hic destructus est, vigebat, instauretur, huius status imaginem in memoriam revocat. Epistolam nempe imp. Alexii Michaëlis, — in qua mutuae inter imperatorem et patriarcham rationes expressae habentur, — ad Niconem metr. ex Novgorod de patriarchae Iosephi obitu tractantem, in extenso cum adnotationibus suis adfert. Qua occasione summis laudibus hanc

coniunctionem per duo saecula durantem effert huiusque temporis statum deplorat (Praesentis ecclesiae »organizacija i upravlenie est' ne čto inoe, kak odna iz častej gosudarstvennago upravlenija« p. 762). —

Nic. Popov: Po voprosu o sostavě predstojaščego cerkóvnago sobora (De instantis synodi membris) II, 82—97.

Auctor quaestionem de synodi membris diiudicandam esse censet non ex iure canonico, cum hoc sub influxu absolutismi imperatorum Graecorum formatum sit, sed secundum praxim per saecula in ecclesiam observatam. Quae praxis cum cleri tum populi influxum in rebus ecclesiasticis ostendit. Etenim historia ecclesiastica nos edocet clerum et populum, licet non aequalem cum episcopis, tamen plus quam consultativam vocem habuisse (p. 87 sqq). Ideo etiam in instanti synodo clerus et populus cum antiquis suis iuribus admittendus erit.

Verum notandum est: auctorem, si in rebus ecclesiasticis quidam cleri et populi influxus inveniebatur, hunc influxum nimis exaggerare, id quod quoad primas synodos oecumenicas maxime observatur (cf. p. 87 sqq.).

V. Sokolov: Predstojaščij Vserossijskij cerkovnyj Sobor; ego sostav i zadači (Instans Russica synodus ecclesiastica; eius membra et officia) II, 34—59. Sokolov praelectionem quandam, quam in loco quodam habuit, typis mandavit. Qua in praelectione populari modo ostendere nititur populum et clerum in rebus ecclesiasticis plus quam consultativam vocem habuisse, — ideo etiam in instanti synodo eodem modo procedendum esse populoque et clero saltem ,collective' sumptis maiores praerogativas denegandas non esse.

V. Lavrskij: Moi vospominanija ob arhimandritě Theodorě (A. M. Buharevě (Memorabilia de arch. Theodoro Buharev) II, 98—128, 569—609. Quae prius incepit (cf. Bogos. Věstn. 1905, II, 499 sqq.), prosequitur.

Dr. I. Stacin: Bor'ba za glagoličeskuju liturgiju rimsko-katoličeskago duhovenstva v Kroacii i Dalmacii (Conatus a clero Romano-catholico in Croatia et Dalmatia pro defendenda glagolica liturgia suscepti) II, 129—148. 417—429. Duo documenta, quae pro liturgia glagolitica magni momenti sunt, nempe, α) memorandum episcoporum, qui Slavos Meridionales in suis dioecesibus habent a 21. Mai ad 4. Iunii 1905 Romae collectorum (sine titulo) et β) epistula sacerdotum ex quibusdam dioecesibus »Preuzviseni Nadbiskupi i Biskupi crkovnih pokrajina Zagreba, Gorice, Zadra, Sarajeva« Dr. Stacin analysi subicit et suas adnotationes addit.

Liturgiae Slavicae evolutionem nigris coloribus depingit magnaque ex parte omnem culpam in Romanos Pontifices devolvit. Ad quae duo notanda esse videntur: α) auctor cl. non satis perspexit: in ecclesia catholica etiam consuetudinem novi iuris fontem esse; β) quae de R. Pontificum ad liturgiam glagoliticam saec. IX—XI. relationibus dicit, ad minimum confusa sunt atque inter se repugnant (cf. p. 135, 141, 145).

I. Gromoglasov: O predpolagaemom izdanii sv. Sinodom cerkovnyh pravil s tolkovanijami (De editione canonum ecclesiasticorum cum eorum commentariis a s. Synodo instituenda) II, 149—154. Cum Russi synodum convocare velint, canones ecclesiae cognoscendi et intelligendi sunt. Hunc in finem Gromoglasov ad novam editionem quasdam animadversiones proponit additque canones, licet omnes cognoscendi sint, non tamen omnes in praxim perducendos esse.

N. Aksakov: K voprosu o sostavě cerkovnago sobora (De ecclesiasticae synodi membris) II, 212—296. Aksakov, quid de eorum opinione, qui clerum et populum a synodo excludere volunt, sentiendum sit, inquirit. Censet auctor, cum nullus canon habeatur,

qui de synodi membris et de exclusione cleri et populi loquatur, hanc quaestionem ex praxi ecclesiastica et ss. Patrum scriptis, quae synodalibus decretis ut basi innitantur, decidendam esse. Quae si consulantur, sequentia statuit tenenda esse: α) Synodus vocatur »synodus episcoporum« solum a c. 19. Chalced. (Trullana enim idem repetiit in decr. 8., — c. 36. apost. dubius est — p. 215 sqq.); β) Episcopus in synodo non adest vi ordinationis vel alicuius iurisdictionis; nam alioquin neminem tamquam sui vices tenentem mittere posset (p. 218), — neque adest ut suae ecclesiae repraesentans, hoc enim si verum esset, ipse a synodo iudicari non posset delegationemque necessariam a populo sibi datam haberet (p. 218 sqq.); γ) neque etiam episcopis solis (exclusive sumptis) ecclesia regenda concredita est (p. 221); δ) sed episcopus in synodo adest ut ecclesiae suae antistes, qui ab ecclesia hoc munus sibi commissum habet atque coram ea de statu ecclesiae rationem reddere debet (p. 227). ε) In septem conciliis oecumenicis populi et cleri absentia per imperatoris voluntatem explicatur (p. 248), — populus tamen concilia acceptando eis oecumenicorum notam tribuit (p. 249).

Quis itaque synodo ut eius membrum adesse possit, non e conciliis oecumenicis, utpote quae nulla determinata regula sed imperatoris placitis regerentur, sed e synodis particularibus et praxi ecclesiastica discendum est. Quae si prae oculis habentur, clerus et populus ad synodum admittendi sunt; membra vero synodi omnia iisdem praerogativis instructa sunt (p. 237, 251, 265): itaque populus et clerus aequalem cum episcopis vocem in omnibus quaestionibus habent; — episcopi vero hoc solum privilegium habent, quod membrum aliquod e synodo excludere possunt (p. 265).

In toto articulo nimius protestantismi influxus conspicitur. Velut cum dicitur episcopum ad regendam ecclesiam a populo delegari nec non decreta synodalia omnem vim obligatoriam a populo accipere (cf. 219 et 249 sq.). Dein quomodo auctor sine veritatis laesione scribere potuerit: ‚tempore arianismi, monophysitismi, monotheletismi et iconoclastarum universam hierarchiam iisdem erroribus infectam fuisse‘ (p. 225), minime patet. Etiam quae ex synodis particularibus et e s. Athanasio adfert, aliter atque ab ipso explicantur et explicari possunt.

P. Sokolov: Problema věry s točki zrěnija psiḫologii i teorii poznanija (Quaestio de fide in luce psychologiae et cognitionis considerata) II, 270—301. In hac praelectione in dissertationem suam, quam ante magistri gradum obtinendum habuit, quasdam animadversiones proponit.

P. Levitov: Proekty reformy duḫovno-učebnyḫ zavedenij (Proposita reorganizationis scholarum ecclesiasticarum) II, 302—319.

I Figurovskij: Biblejskaja i Cerkovnaja istorija v duḫovnyḫ seminarijaḫ (Historia biblica et ecclesiastica in seminariis eccles.) II, 320—337. Defectus, qui in tractanda historia sacra in seminariis occurrunt, enarrat.

P. Levitov: Po voprosu o duḫovnom obrazovanii (De ecclesiastica eruditione et educatione) II. 338—349.

Quoad seminaria auctor haec postulat: 1. ut in seminaria omnes etiam filii non sacerdotum intrare possint; 2. ut si ratio adest, seminaristae, in domibus privatis habitare possint; 3. ut post finita seminarii studia seminaristae statum, quem velint, eligant; 4. ut denique discipulus coram regimine scholari sese defendere possit.

S. Smirnov: Drevnee duḫovničestvo i ego proisḫoždenie (De patris spiritualis officio eiusque origine) II, 369—381. Haec ad magistri gradum obtinendum praelectio est. Smirnov iam a multis annis de »patris spiritualis« evolutione investigans, in multis hanc

quaestionem illustravit. Communiter »patris spiritualis« officium in antiqua ecclesia ex presbyteri paenitentialis institutione derivatur; — huic opinioni Smirnov sese opponit. Secundum eum sequenti modo res sese habebat: (— A vocis terminologia (πατήρ πνευματικός) exeundo quaestionem illustrandam esse dicit —) a) »πατήρ πνευματικός« apparet prima vice in litteratura IVi saeculi, usque ad dimidium IXi saeculi; significabat autem non sacerdotem paenitentiam excipientem et ab episcopo delegatum, sed simplicem monachum (qui communiter non erat sacerdos), quem iuhior monachus ut suum in rebus spiritualibus consiliarium et antistitem eligebat; b) pater hic spiritualis, licet sacerdos non fuerit, confessionem sui discipuli excipiebat et ab omnibus etiam canonicis peccatis ipsum absolvebat; c) factum hoc Smirnov ex eo explicat, quod antiquitus monachi charismatibus pollebant et ex hoc generali dono charismatum etiam speciale i. e. donum absolvendi a peccatis derivabant; d) Praxis haec etiam inter saeculares propagata temporis successu in tota ecclesia (Graeca) universalis facta confessioque apud monachos facta confessioni ecclesiasticae suffecta est.

A. Běljaev: Professor Moskovskoj Duhovnoj Akademii P. S. Kazanskij i ego perepiska s arhiepiskopom Platonom (Prof. Moscoviensis eccl. Academiae P. Kazanskij).

A. Čireckij: O cerkovnoj reformě De ecclesiae reformatione) II, 448—496. De virorum intelligentium, quos vocant, ab ecclesia abalienatione, id observandum esse auctor dicit: hierarchiam Russicam censet totam ecclesiae reformationem in sua a potestate civili independentia et in canonum resuscitatione consistere. Auctor vero affirmat solam canonum resuscitationem in hodierno rerum statu neque utilem neque possibilem esse: nam praesertim mores esse reformandos. Ideo nexus, qui inter antiquam et recentem ecclesiam vigere debet, in eo positus sit necesse est, ut antiquae ecclesiae vita et spiritus, non littera in memoriam revocetur.

A. Kotovič: »Zakon Božij, pravila gosudarstvennaja, blagonravie i literatura« v soznanii duhovnyh cenzorov epohi Aleksandra I. (»Lex divina, codex imperii, ethica et litteratura« apud ecclesiasticos censores epochae Alexandri I.) II, 497—529. Kotovič de censoribus Alexandri I eorum agendi modo nec non de eorum regulis, secundum quas opera approbabant, tractat. Regulae, quibus censores in diiudicandis operibus regebantur, ad quattuor, quae in articuli enumerantur, reduci possunt.

Modus, quo prima regula in praxim deducebatur, pro theologiae in Russia evolutione, magni momenti est.

V. Javorskij: Prepodavanie pedagogiki v duhovnyh seminarijah (Paedagogia in ecclesiasticis seminariis) II, 610—632. Modum, quo paedagogia in seminariis tractatur, crisi subicit statumque paedagogiae tristem esse dicit.

S. Š. Sobranija pedagogov duhovnyh učilišč Moskovskoj eparhii (Consessus paedagogorum ecclesiasticorum scholarum Moscov. dioecesis) II, 633—652.

S. S. Škol'nyj vopros na predsobornyh sověščanijah (Quaestio de studiis in consiliis antesynodalibus) II, 653—663. Expositis, quae in consessibus synodalibus de studiis peraguntur, concludit nunc non esse tempus aptum, ut scholae ecclesiasticae funditus reformentur, — in praesenti tantum maiores defectus corrigendos esse.

P. Florenskij: O tipah vozrastanija (De speciebus progressionis) II. 530—568. Florenskij, explicata mathematica lege de progressione, quandam cum hac lege similitudinem in perfectione spirituali (nisu eam adipiscendi) inveniri ostendere nititur.

M. Haluščyńskyj.

RUTHENICA.

De statu praesenti ecclesiae et litterarum theologicarum apud Ruthenos in Galicia

II.

Conspectus publicationum periodicarum theologicarum apud Ruthenos (Res porro tractatur).

a) **Місионар (Misyonar)** X., 1906, N⁰ 6—12. pg. 161—380 (з місионарчиком).

Argumentum totius tomi decimi „Missionarii" reduci potest, ad 14 partes. In Iª parte continuantur res, quae vulgus docent de dogmatica et morali doctrina christiana ad modum catechizationis. Mentione digna sunt dicta de cultu Sacratissimi Cordis Domini Nostri. In IIª parte continuantur vitae Sanctorum pro singulis anni mensibus. Pars IIIª inscribitur „de regno Cordis Christi", pars IVª „in Terram Sanctam". In Vª parte „Ex orbe terrarum et ecclesia" continentur facta nostrorum dierum scitu necessaria. Sequitur pars VIª exhibens narrationes religiosas et asceticas, pars VIIª proponens exempla imitanda, pars VIIIª ss. Patrum et ascetarum dicta, pars IX. carmina in honorem Domini, Deiparae et Sanctorum. In parte Xª „Nuntius Sacratissimi Cordis" traduntur intentiones singulis mensibus in precibus pro ecclesiae necessitatibus observandae. Praeterea plurimae publicantur gratiarum actiones fidelium pro votis exauditis necnon imagines ex hagiographia et historia sacra. In genere „Missionarius" comparari potest et debet cum foliis generis „Sendbote des gl. Herzens Iesu."

„Missionarius", etiamsi parvo ambitu et sine valore scientifico, mentionem specialem meretur: gaudet enim admirabili popularitate, permulta millia exemplarium eius in populum sparguntur, ad sensum religiosum promovendum inservit laetissimo cum fructu, id quod tempore agitationum vehementissimarum ex parte liberalium et radicalium apud nos magni est momenti. „Missionarius" est imago classica sensus religiosi et necessitatum religiosarum apud vulgus Ruthenicum Galiciae.

Praeterea singulis annis editur tamquam supplementum „Missionarii" kalendarium, quod excellentibus qualitatibus et mira popularitate superat omnia nostra kalendaria.

b) **Католицкий Всхід (Katolyckyj Vshid)**, III., 1906, N⁰ 3—4. pg. 257—304.

Numerus tertius huius folii characterem iubilarem habet et dedicatur R. D. Isidoro Dolnyckyj, spirituali seminarii Leopolensis, qui quinquagesimum ab ordinatione annum explevit. Sacerdos hic iubilaris est celeber ritualista (scripsit opus „Typik Cerkve rusko-katoličeskija", L'vov, 1899, pg. 592) et cantus ecclesiastici et linguae palaeoslavicae peritus (scripsit hac lingua akathiston ad Sacratissimum Cor.). Biographia viri iubilaris carmina in honorem eius composita auctoribus J. Zawerucha et M. Ščepaniuk et historia fundatae a Dolnyckyj sodalitatis Marianae in seminario constituunt primam partem IIIⁱ numeri. Sequitur deinde

„Historico-litterarius conspectus homiliae Ruthenorum a. 1800—1850 auctore T. Kudryk (pg. 221—240, 326—342); „De philosophia christiana eiusque valore“ auctore O. Voljanskyj (pg. 241—255, 309—325); „De Roskol in Russia“ auctore V. Lysko (pg. 116—128, 256—281, 343—357). Praeterea inveniuntur contiones cclericorum in seminario habitae, bibliographia sed exclusive fere aliena, non Ruthenica et nonnulla, quae vitam in seminario spectant.

Homiliae s. Chrysostomi vertuntur usque ad XVII.am et constituunt supplementum propria paginatione instructum.

„K. Vshid“ non magnum valorem habet scientificum; editur enim a iuvenibus; est tamen documentum vitae novae et cupiditatis sciendi reformatione seminarii nostri exortae praeparatque iuvenes ad seria studia theologiae in posterum tractanda.

c) **Нива (Nyva)**, III., 1906, Nº 10—24, pg. 265—744.

Continuatur per omnes numeros dissertatio historica a I. Šyb conscripta „Historia unionis ecclesiae in Bukovyna usque ad a. 1901“, dissertatio apologetica a F. Ščepkovyč „I. W. Draper eiusque historia pugnae inter fidem et scientiam“ et versio Vladimiri Sołov'ev „Russia et ecclesia universalis.“ Haec tria in numero 24º finiuntur.

Argumentum totius tomi tertii „Nyva“ redigi potest in sex partes. In Ia parte, quae „Scientificae dissertationes“ inscribitur, continentur sequentia: O. Voljanskyj, animadversiones „de foliis, belletristica, liberalismo, nationalismo“ (pg. 341—5, 374—7), ubi ostenditur tendentia liberalismi apud Ruthenos, qui omnes partes vitae nationalis occupare vult. — Idem „De ecclesia catholica et philosophia“ (pg. 406—8, 441—4) ubi merita ecclesiae catholicae de philosophia et neothomismum tractat. — Idem „De ecclesia et imperio civili“ (pg. 463—470, 508—513); separatio imperii ab ecclesia in Gallia, ansam dedit auctori ad evolvenda principia catholica de relationibus ecclesiae ad statum civilem et ostendendi iniuriam legis separationis de die 9. Decembr. 1905. — Idem „De ecclesia et cultura“ (pg. 527—530); traduntur, quae Hip. Taine et Aug. Comte senserint de meritis ecclesiae catholicae in cultura humana exhibitis. — Idem „Sitne theologia scientia?“ (pg. 558—561, 595—598); actionem studiosorum, liberalium universitatis Pragensis, qui sub influxu famosi illius professoris Masaryk propagant ideam eiciendi theologiam ex universitatibus, imitantur studiosi Ruthenorum. Contra hanc tendentiam in praeiudicio de charactere non scientifico theologiae catholicae fundatam, ostenditur in hac dissertatione, theologiam catholicam esse veram scientiam. — Idem „Glossae ad orationem de scientia, religione et schola“ (pg. 585—588, 629—633). Oratio professoris Masaryk, cui ansam dedit notus ille casus parochi Dostal-Lutinov et professoris K. Iudae, translata est in linguam Ruthenicam et publicata in foliis liberalibus „Lit.-nauk. Vistnyk.“ Contra hanc orationem scriptae sunt „glossae“ quarum scopus est ostendere ignorantiam et malam voluntatem professoris Masaryk.

Praeterea scribit A. Govda in multis numeris „lineamenta sociologica“; I. Levyckyj vertit lectionem praelati Danner „de matrimonio, familia eiusque valore sociali“ in cursibus Salisburgensibus ha-

bitam. I. Dzerovyč proponit sententias suas de reformanda methodo religionis in scholis mediis tradendae (in 9 numeris): I. Donarovyč agit de cessatione ab opera et proponit christianam hac de re doctrinam (pg. 536—8, 574—8, 599—602): quaestio actualis propter celebrem illam cessationem ab opera tempore messis anni 1902. in Galicia factam; I. Borian vertit caput unum ex opere Markovyč „de iure patronatus apud Ruthenos“ (pg. 377—380, 441—4), ubi origo patronatus huius a regibus Poloniae deducitur: A. Redkevyč (pg. 380—6) in critico conspectu Dris W. Jerusalem introductionis in philosophiam, quam in linguam Ruthenicam transferre intendunt — ostendit, quatenus professor Vindobonensis a vera philosophia recesserit; I. Čornodola (pg. 285—290, 314—322) publicat relationem suam in conferentia pastorali cleri Myšynensis propositam „de prima confessione et communione puerorum“; denique auctor quidam agit „de socialismo et socialistis“ cum allusionibus multis ad socialismum apud Ruthenos vigentem (pg. 235—241, 270—6, 299 - 304).

In parte II^a „Ex ecclesia et orbe terrarum“ traduntur varia consilia cleri Ruthenici, quae spectant ad reformationem defectuum vitae nostrae religiosae, communicantur nuntii de rebus ad ecclesiam universalem et particularem in Galicia pertinentibus et pugnatur cum liberalismo Ruthenorum. Speciali mentione dignus est „conspectus foliorum“ ab I. Łevyckyj compositus, ubi notantur omnes liberales et radicales voces, quae in foliis Ruthenorum audiuntur. Hic conspectus praebet eximium documentum ad pugnam inter catholicismum et liberalismus apud nos cognoscendam.

Pars III^a continet bibliographiam maximam partem ab I. Bocian scriptam. Traditur in hac parte (pg. 740—1) Slavorum litter. conspectus de ecclesia Ruthenorum. Sequuntur parte IV^a „necrologia“ V^a „miscellanea“, VI^a „contiones“ cum propria paginatione“ (pg. — 191.).

Neque „Nyva“ magnum habet valorem scientificum originalem. Continet enim opera varia ex aliis libris et foliis compilata, accommodata ad necessitates et utilitates cleri Ruthenorum. Habet pro scopo, ut certi fiant sacerdotes nostri de iis omnibus, quae in scientiis et ecclesia aguntur; praebet proinde documentum novi huius motus apud clerum nostrum, qui tendit ad principia catholica in omnibus partibus vitae nationalis promovenda et stabilienda et liberalismum omni ex parte oppugnandum. „K. Vshid“ et „Nyva“ signum est et imago evolutionis conceptuum et idearum, quae evolutio tendit magno cum vigore ad principia vere catholica ubique propugnanda.

III.

Bibliographia novissima.[1]

a) Bibliographia theologica Ruthenorum.

Scriptura sacra.

Господа нашого Ісуса Христа святе Евангеліє від Матвея славянсько-українською мовою (Gospoda našogo Isusa Hrista

[1]) Indicantur hoc loco libri, qui in foliis Ruthenorum theologicis anni

svjate Evangelie vid Mattheja slavjans'ko-ukrains'koju movoju). Moskva. 1906. 16⁰. 160 + 1. (Nyva, IV. 1907, pg. 28).

Aleksander Bačyn'skij, Новый завѣтъ Г. н. Іисуса Христа въ языцѣ церковно-словеньскомъ съ переводомъ на языкъ народно-рускій съ поясненями. (Novyj zavět G. n. Iysusa Ḫrista v jazycě cerkovno-sloven'skom s perevodom na jazyk narodno-ruskij s pojasnenjami.) Leopoli. 8⁰. 8 + 992. (Nyva, IV., 1907, 28—9).

Kuliš-Puljuj-Nečuj, Сьвяте письмо Старого і Нового Завіта. (S'vjate pis'mo Starogo i Novogo Zavita.) (editio societ. biblic.).

Dr. Vasyl' Šurat, Сьвяте Письмо в Шевченковій поезиї. (S'vjate pis'mo v Ševčenkovij poeziyı (ante paucos annos editum).

Theologia practica (cum carminibus).

Dr. Ioan Bartoševskij, Нови проповѣди празничнн. Novy propovědy praznyčny.) Leopoli 1906. 8⁰. 189. (Nyva, III., 68—9).

Petro Bilyn'skyj, Проповіди на сьвята і негілі цілого року. (Propovidy na s'vjata i negili) Tres partes (sub prelo).

Julijan Dzerovyč, Цариця мая Марня, (Carycja maja Maryja. Žovkva) 1906, 8⁰ VIII + 284. (Nyva, III., 227—8).

Evgen Guzar, Нарис катихитики і методики. (Narys katyḫytyky i metodyky) L'viv. 1906. 8⁰. IV + 100. (Nyva, III., 322—5).

Atanazyj Levyn'skyj, Наука о Службі Божій. (Nauka o Službi Božij) Leopoli 1906. 16⁰. 43. (N. 8. publicationum societatis s Pauli).

Илюстровани житя сьвятыхъ угодниковъ Божихъ на каждый день въ роцѣ. (Iljustrovany žitja svjatyḫ ugodnikov Božyḫ na koždyj den' v rocě) fol. 29 X 21 cm. (sub prelo: Nyva, III., 710).

Izidor Syvstun, Исторія Церкви въ Кривомъ. (Ystorija Cerkvy v Kryvom) Leopoli 1906. 16⁰. 79.

Preosvjašč. Grygorij (episcopus Stanislaopol.) О дѣяльности сьвященичій. (O dějal'nosty s'vjaščenyčij) Stanyslavov 1906, 8⁰ 166+67.

Idem Бібліотека сьвященича, ibidem (Nyva, III., 162—3).

Yvan Dun'ko, Пѣвець (Pěvec = Cantor). Зборникъ новыхъ церковно-народныхъ пѣсень. Перемишль. 1906. (N. 3—4 publicationis s. t. „Libri missionarii").

Pavlo Štokalko, Цьвіти Марії. (C'vity Maryi) Поезиї. Leop. 1906. 8⁰ 46. (Nyva, III., 100—1).

Alia.

Dr. Vasyl Ščurat, Грунвальдска пісня (Bogurodzica dzewicza) памятка западно-руської літератури XIV. в. (Grunval'dska pisnja [XIV. saec.]) Žovkva. 1906. (Nyva, III., 643—5).

Duilhé de St. Projet — Jaroslav Levyckyj, Наукова апольогія христяньскої віри. (Naukova apol'ogija ḫryst. viry). Tres partes. Lepoli 1906. 438.

A mense Iunio 1906. coeptum est edi Leopoli folium hebdomadarium populare „Основа" (Osnova). Etiamsi primarius scopus folii est culturam et politicam secundum principia christiana catholica docere.

praesertim 1906. recensentur vel saltem commemorantur. Non omnes libri in his foliis tempore et loco editionis instructi nominantur.

tamen res religiosae non plane omittuntur. Hoc folium primum est in suo genere apud Ruthenos.

Multa historiam ecclesias Ruthenorum eorumque theologiam spectantia Leopoli publicantur a societate scientifica nomine Ševčenka, et quidem in sectione philologica et historica. In hac ultima edita est historia Ukrainae-Rutheniae conscripta a Myhajlo Hruševskyj, celebri professore Leopolitano, quod opus nondum finitum iam denuo editur et in Germanicum convertitur. Multa de historia ecclesiae nostrae hoc in opere inveniuntur.

In foliis menstruis „Літературно-науковий Вісник" (Literaturnonaukovyj Visnyk), quae decem iam annos Leopoli eduntur et ab anno 1907. in sectionem Lenpoliensem et Kijoviensem distinguuntur, multae emittuntur commentationes ad laudem doctrinae aspirantes, quae theologiam respiciunt. Dissertationes hae praesertim e linguis alienis translatae rationalismum extremum produnt et pro scopo habent sub doctrinae specie ecclesiam christianam et generatim religionem revelatam falsissimis argumentis oppugnare. Contra haec folia, quae ignorantia crassa in rebus theologicis laborant, pugnat saepe „K. Vshid" et maxime „Nyva". Ita e. g. continetur in „L. N. Visnyk" (1906, fasc. 7.) commentatio, quae inscribitur „Liberatio ab inferno", ubi doctrina christiana de vita aeterna et de purgatorio tamquam superstitio gentilis tractatur. (Cf. Nyva, 1906, 472—8). In alio numero (1906, fasc. 11) asseritur, theologiam moralem catalogum septem peccatorum capitalium ex astrologia gentili recepisse. (Cf. Nyva, 1907. 51, sqq.).

Vestigia „L. N. Visnyk" sequitur etiam publicatio Leopoli edita, quae vocatur „Літературно-наукова Бібліотека" (Bibliotheca litteraria-scientifica). Editur sumptibus societatis „Vydavnyča Spilka" et libros theologiam spectantes malos, atquead eo nonnullos pessimos spargit. In serie IIa „Bibliothecae" inveniuntur famosa scripta de Hussio (No. 15), de biblia (No. 60—61), de evangelio (No. 111), de islamismo (No. 88—90: Islamismus Christianismo anteponitur!), de Iesuitis (No. 133—134). Hoc ultimum scriptum s. t. E. Цеклер „Закон Езуїтів", Львів, 1906 — versum est ex Realencyklopädie für protest. Theologie und Kirche, Herzog-Hauck, (Leipzig, III. Aufl. VIII. B. 742—784. St.) et acriter oppugnatur in „Nyva" (IV. 1907. 67—74).

b) Bibliographia res theol. Ruthenorum spectans.

P. I. Žiteckij, О переводахъ Евангелія на малорусскій языкъ. (O perevodah Evangelija na malorusskij jazyk). Spb. 1906. 8⁰. 2 + 65. (Nyva, IV. 1907, 28).

G. I. Makarevič, Выборные начала въ духовенствѣ въ древне-русской преимущественно югозападной церкви до реформы Петра I. (Vybornye načala v duhovenstvě v drevne-russkoj preimuščestvenno jugozapadnoj cerkvi do reformy Petra I.) Poltava 1905. 8⁰. 130. (K. Vshid, III. 183—4).

G. G. Pavluckij, Деревянные и каменные храмы. (Derevljanye i kamennye hramy) Kiev 1905. 2⁰. VI + IV + 124. (Nyva III., 195—7).

1. S. Svěncickij, Церковно- и русскославянскія рукописи публичной библіотеки „Народного Дома" въ Львовѣ. (Cerkovno i russkoslavjanskija rukopisi publičnoj biblioteki „Narodnogo Doma" v Lvově). Spb. 1904. 8⁰. 65. (K. Vshid, III. 88—9).

Chotkowski, Dzieje zniweczenia Unit Kościoła na Białorusi i Litwie. Kraków. 1915.

Idem, Historya polityczna dawnych klasztorów panieńskich w Galicyi 1773, 1848. Kraków. 1905. (Kultur, 1906, 122—4).

T. Gromnicki, Armianie w Polsce, ich historya, prawa i przawileje.

Likowski, Unia brzeska w roku 1596.

Ch. Mazowiecki, Notałki historyczne o cudownym obrazie Matki Boskiej w Poczajowie i tamłejszym klasztorze. Lwów. 1905.

Dr. Wł. Mysat, Przepisy o konkurencyi kościelnej i komitetach parafialnych obowiązujące w królestwie Galicyi. Tarnów. 1906. (Nyva. III. 356—7).

P. J. Podlasiak, Martyrologium czyli Męczenstwo Unii na Podlasiu. Kraków. 1905. 8⁰. 37. (K. Vshid III. 89).

Słotwiński, Unia podlasko-chełmska.

Wołyniak, Spis klasztorów unickich Bazylianów w województwie wołyńskiem. Kraków. 1905.

Idem Lista opatów Bazyliańskich w Grodnie. Kraków. 1905.

Likowski, Geschichte des allmaeligen Verfalls der unirten ruthen. Kirche im 18—19. Jahrhd. unter polnischem u. russischem Scepter. (Nyva, III, 258—9).

Februar. 1907. *O. Voljanskyj.*

SERBICA

Bogoslovski Glasnik. VIII. (1905) nr. 4—6; IX (1906) nr. 1 - 3.

J. Živanović, Partikula яко (jako) u crkvenoslovenskom jéziku u Djelima apostolskim. (Particula „jako" in lingua ecclesiasticoslavica in Act.) VIII, 256—261. —

Particula „jako" in Act. variam significationem habet. Saepissime ponitur pro ὅτι (Vulg. quia, quod, quoniam) vel in propositionibus declarativis (2, 13. 29. 30 e. a.) vel in oratione recta (5, 23. 25 e. a.) vel causaliter (2, 6. 25. 27 e. a.) Pro graeco ὅπως (ut) in propositionibus finalibus ponitur „jako da"(8, 15. 24 e. a.) ὥστε (ita ut) similiter per „jako" exprimitur (5. 15; 9, 12 e. a.). Praeterea „jako" etiam temporaliter pro ὡς (cum, 17, 13) et concessive pro καίτοιγε (quamvis) usurpatur (17, 27). Adverbialiter ponitur „jako" pro ὡς (tamquam) (3, 22; 6, 15; 7, 37; 8, 32) et pro ὡσεί (circiter) (2, 41; 4, 4 e. a.). Auctor parum critice procedit, textum originalem non respicit, significationem particulae „jako" non semel falso explicat; e. g. Act. 1, 19 jako ὥστε (ita ut) consecutivum est non declarativum p. 256). Act. 3, 22 „jako" significat orationem rectam (non propositionem declarativam p. 256), Act. 1, 5 oratio recta per „jako" significatur, non vero propositio causalis (ut auctor p. 258 dicit); in propositionibus finalibus semper jako da ὅπως ponitur (solum „jako" nunquam sensu finali usurpatur p. 259), jako da ὅπως numquam consecutivam (ut auctor p. 260 affirmat). sed semper finalem significationem habet.

M. Solarić, Unija u Velikoj Pisanici (De unione in V. Pisanica) VIII, 339 - 48. 407 - 16. —

In parochia V. Pisanica in Croatia unio introducta est a. 1780. Uniti capellam et parochos proprios habebant usque ad 1881. Numerus unitorum

hac in parochia non erat magnus; decursu temporis numerus decrescebat, donec a. 1873. ultimus unitus mortuus est.

V. Maksimović, Svoboda savesti (De libertate conscientiae) VIII, 231—39; 349-56; 380—86; IX, 19—24. —

M distinguit libertatem conscientiae subiectivam, qua homo libere credere potest secundum persuasiones et desideria interna, et libertatem conscientiae obiectivam, quae in possibilitate persuasiones suas religiosas enuntiandi et aliis praedicandi consistit (332). Libertas conscientiae subiectiva certe a nulla potestate humana limitari potest. Ergo solum de libertate conscientiae obiectiva quaestio moveri potest, i. e. de libertate profitendi religionem et de libertate agendi vivendique secundum suas persuasiones religiosas. De natura et essentia conscientiae *M.* nec clare nec recte disserit (235—39). Nullam adhuc dari conscientiae definitionem vere scientificam affirmat (235). Libertatem conscientiae obiectivam saepe bono communi adversari posse, tamen eam non esse limitandam — propter eius subiectivam inerrantiam et honestatem (237). In parte II. (351 sqq.) de relatione ecclesiae et status ad conscientiae libertatem tractat. Quaestio de relatione ecclesiae ad haereticos secundum auctorem nostrum coincidit cum quaestione de eorum conscientiae libertate (355), quam ecclesia iis certe non potest negare (356). Membris suis ecclesia christiana libertatem conscientiae concedit quidem, sed cum limitatione quadam (383); qui enim in re gravi contrarie sentit, atque ecclesia praescribit, hic iam desinit membrum ecclesiae esse (381-2). Relate ad eos, qui extra ecclesiam sunt, ecclesia alia media non habet nisi praedicationem evangelii et spiritum caritatis (386). Potestas civilis econtra libertatem conscientiae obiectivam limitari potest et debet, inquantum bonum societatis id postulat (IX, 19—24). Auctor, uti videtur, plurima ex opere Russico Kiparisov „O svobodě sověsti“ (De libertate conscientiae) hausit.

V. Maksimović, Patriarh srpski Georgije Branković i duhovna prosvěta (Quomodo litterae theologicae sub patriarcha G. Branković profecerint) VIII, 295-317. — Occasione iubilaeo sacerdotali patriarchae Karloviciensis G. Branković data historia seminarii Karloviciensis Theologici, quale ultimis decenniis fuit, describitur. Hocce seminarium a metropolita Stephano Stratimirović a. 1794. fundatum est. Annis 1872—5 seminarium clausum erat. A. 1875. theologica studia in seminario Karloviciensi denuo inaugurata sunt. Professores utebantur compendiis Russicis theologicis. Crescente numero auditorum disciplina paulatim ita delapsa est, ut e. g. a. 1881/2 professores contra auditores theologiae ad iudices civiles recurrere cogerentur. Potestas ecclesiastica iura professorum arbitrarie limitabat. A. 1882. rector seminarii Harion Ruvarac (celeber historicus) munere suo privatus est; eodem anno prof. L. Kupusarović munus suum deposuit; a. 1884/5 rector et professor E. Radić officiis suis se abdicavit. Mores et disciplina inter theologiae studiosos miserrime delapsa sunt. Talis status deplorabilis manebat usque ad a. 1890., quo G. Branković patriarcha factus est. Annis sequentibus condiciones omni ex parte meliores factae sunt. A. 1904/5. demum seminarium clericale pro auditoribus theologiae erectum est. A. 1905/6. docebant 6 professores et 3 docentes; numerus alumnorum I. et II. cursus erat 50.

R. M. Grujić, Prilošci istorii srpskih banatskih manastira (Ad historiam monasteriorum Serbicorum) VIII, 387—406; IX, 25—36, 95—103, 181—188. — Historia monasteriorum breviter describitur; dein afferuntur multa documenta e saec. XVIII.

F. Mustjanović, Istočna crkva u Ugarskoj (Ecclesia orientalis in Hungaria) IX, 9—18, 87—94. — Karáczony in libro „Törtenelmi hazugságok“ (Mendacia historica) demonstrare intendit, ecclesiam orientalem in historia Hungarorum nullum habere momentum. *M.* contra demonstrat, Hungaros in Panonia iam invenisse christianos Slavos ritus orientalis, qui magnum influxum in Hungaros exercebant. Multa attentione digna afferuntur.

N. Djurić, Adiafora IX, 189—207. — Historiam quaestionis de adiaphoris (actus moraliter indifferendes) iuxta protestanticam „Realencyklo-

pädie“ I[3] et catholicum „Kirchenlexikon“ I[2] et iuxta prof. Russicum Bronzov exponit. Doctrinam catholicam, quae in citato „Kirchenlexikon“ et historice et theoretice clare exponitur, parum respicit, sed de ea secundum fontes protestanticos et Russicos diiudicat. Ita fieri potuit, ut affirmaret, theologos catholicos, praesertim scholasticos omnes defendere sententiam, actus morales in individuo indifferentes revera existere (191—2), protestantes econtra quaestionem „sublimius“ tractare et existentiam actuum humanorum moraliter indifferentium negare (193—95). Catholici secundum auctorem nostrum actus morales ex parte exteriore tantum considerant, et propter hunc perversum considerandi modum ad falsam hac in re doctrinam pervenerunt (192). *D.* ergo doctrinam illam de adiaphoris, quam catholicam esse putat reicit, et sententiam Schleiermacheri, quae inter protestantes secundum *D.* communis fere evasit, accipit (195–98). At si *D.* doctrinam catholicam praesertim S. Thomae accuratius inspiceret, sibi persuadere poterat, doctrinam scholasticorum cum sua quoad essentiam coincidere; nam actus moraliter in individuo indifferentes non haberi, fere communis moralistarum catholicorum sententia tenet (Noldin, De principiis 3–4 81 et 87). Iisdem fere argumentis auctor pro sententia sua utitur, quibus catholici utuntur (ex s. Scr. e. g. 1. Cor. 10, 31; Col. 3, 17; Mt. 12, 36). *D.* ulterius docet essentialem moralitatem actuum non ex obiecto, sed e fine et motivis dessumi. (200—207).

J. Zeremski, Odlazak sv. porodice v Egipat (Fuga s. familiae in Aegyptum) IX, 3—9, 81—86, 153—62. — Exegesis in Mt. 2, 13—25. Zeremski revera perspicue et scientifice singulas pericopas evangelicas explicat. V. 14. (p. 6) addendum erat evangelistam, cum diceret Iosephum accepisse puerum et matrem eius (non uxorem suam), id quoque intendisse, ut indicaret Iosephum non esse naturalem patrem Iesu. V. 15. (p. 6—8) s. familiam non 2—8 annos in Aegypto commoratam esse *Z.* concedit, immo demonstrat secundum verba evangelistae commorationem in Aegypto duos menses non transgredi, cum fuga in Aegyptum initio februarii facta sit et Herodem initio Aprilis mortuum esse certo constet. Idem cum probabilitate quadam confirmatur ex v. 22 (p. 155), ubi dicitur Archelaus tunc regnasse in Iudaea. Testamentum enim Herodis Archelao Iudaeam, Idumaeam et Samariam una cum titulo regis assignavit; Augustos imperator vero titulum regis Archelao non concessit; post decretum Augusti ergo Archelaus non amplius ut rex se gerere et appellari potuit.

F. G.

SLOVENICA.

„Voditelj v bogoslovnih vedah“. 1906–7.

Th. Lempl, Razne pripombe k zgodovini ss. Cirila in Metoda (Variae observationes in historiam ss. Cyrilli et Methodii) 1907.

Tractatus hic ut tertius accedit ad duo priores in eisdem commentariis editos ab eodem scriptore. Summa rerum, quas continent, haec fere est.

1. Fuga s. Cyrilli, qua presbyteratus ordine admisso in monasterium quoddam se recepit (Vita Const. c. 4), apte explicatur tamquam imitatio notissimae fugae sancti Gregorii Nazianzeni, cuius scriptis Cyrillus a tenera iam aetate familiarissime utebatur. Monachatum Cyrillus neque hac occasione suscepit, nec postea in Olympo, sed Romae demum ante obitum suum.

2. Quomodo Cyrillus et Methodius erga pseudopatriarcham Photium se habuerint, singulariter illustrat factum ab Anastasio bibliothecario relatum, quod Photius eremitas in monte Olympo, quia commu-

nionem cum eo declinabant, expulerit, eorumque tuguria seu speluncas igni perdiderit (Migne, Patrolog. Lat. Tom. 129. col. 13.). Hinc intelligitur, cur Methodius post expeditionem ad Chazaros non potuerit in Olympum reverti, et quod archiepiscopatum oblatum non ex humilitate tantum recusaverit, sed imprimis, quia non licuit a patriarcha illegitimo illum acceptare.

3. Iuxta „Vitam Constantini" (c. 14.) princeps Moraviae Rastislaus ab imperatore Michaele non qualemcunque doctorem, sed expresse episcopum petiit. Quare ergo imperator non misit episcopum? Potuerunt subesse variae causae, sed prae ceteris manifesta haec fuit, quia Cyrillus nullo modo consensisset, ut a Photio ordinaretur.

4. Quamdiu C. et M. in Moravia operi apostolico insudabant? „Vita Methodii" respondet: per tres annos: „Vita Constantini": per quadraginta menses; legenda Italica: per quattuor annos et dimidium. Haec dissensio apparens tantum est, non vera; nam facile intelligitur, quod scriptor legendae Italicae (Gaudericus, episcopus Veliternus) simul computaverit tempus, quod sancti fratres consumpserunt in erudiendis 50 discipulis apud Kocelum, principem Pannoniae, cum legendae Slavicae de sola Moravia loquantur.

5. C. et M. iter Romam instituerunt eo consilio, ut impetrarent erectionem novarum dioeceseon in terris Slavicis et ordinationem episcoporum pro iisdem. Itinere iam inchoato, cum apud Kocelum versarentur, litteras invitatorias Nicolai I. Pontificis acceperunt.

6. Romae C. et M. voti compotes facti sunt per Pontificem Hadrianum II. successorem Nicolai I., ita tamen, ut non aliqui eorum discipuli, sed ipsimet ss. fratres episcopi fuerint ordinati. Omnino etiam s. Cyrillum, non solum Methodium, ad ordinem episcopalem fuisse evectum exactius demonstratur in 2do tractatu (anni 1902). Episcopatum Cyrilli probat *a*) legenda Italica, quae praesertim post inventam et publicatam epistolam Anastasii bibliothecarii ad Gaudericum inter solidiores historicos fontes censeri debet. Illum eius locum, qui ordinationem Cyrilli et Methodii in episcopos refert, esse interpolatum, tam violenta et arbitraria hypothesis est, ut merito prorsus spernatur. *b*) Etiam Slavica „Vita Constantini", quam alias hac in re legendae Italicae opponere solent, satis clare Cyrillum episcopum prodit cap. 18. Nam post acceptam revelationem propinquae suae mortis „veneranda veste" indutus, sub qua nihil nisi vestis episcopum distinguens apte intelligi potest, precationem ad Deum fundit, qua se aperte praepositum gregis Dominici, nempe fidelium Moraviae, profitetur („fidelem tibi gregem serva, cui me, ineptum et indignum servum tuum applicuisti . . . Quos dedisti mihi, tanquam tuos tibi reddo, rege eos forti tua dextera" etc.). Insuper discipuli Cyrilli, Romae ordinati in presbyteros, diaconos etc., cuinam episcopo, nisi episcopo Cyrillo, obedientiae canonicae vinculo adstricti sunt? Certe non Hermanrico Passoviensi, qui eos nec miserat, nec commendaverat. Quod igitur eadem „Vita Constantini" nihilominus actum consecrationis Cyrilli in episcopum non exprimat, necessario corruptioni tribuendum est. Compilator legendae, vel aliquis posterior redactor eius capite 17.

consecratіonem episcopalem sanctorum fratrum, qui Pontifici libros liturgicos Slavicos tradiderant, vertit in consecrationem librorum istorum; quasi ecclesia unquam usum habuerit, libros liturgicos aliqua consecratione donandi. Factum, de quo agitur, confirmat *c*) legenda Moravica, utique minoris auctoritatis. Magnum autem momentum tribui debet *d*) Martyrologio Romano. Nam etsi ecclesia, praesertim antiquiore tempore, varia acta sanctorum suorum commemoret, quae huius temporis critica historia agnoscere ut vera non potest, per omnia tamen tempora valde sollicite episcopos suos notabat et consignabat, quia a valida consecratione et legitima successione episcoporum communicatio potestatis a Christo Apostolis traditae dependet. Etsi igitur C. et M. Pontifices et Confessores forte non prius saeculo 14. Martyrologio Romano inserti fuerint, id non sine solidis testimoniis factum fuisse, confidere omnino debemus. Accedit *e*) antiquum menologium Serbicum in musaeo Rumjancoviano Moskvae asservatum, quo testante Serbi iam saeculo 13. sollemne festum agebant in honorem ss. Cyrilli et Methodii, Moraviae archiepiscoporum (Martinov, Annus eccles. graeco-slavus sub 25. augusti). Similiter *f*) antiqui Rutheni Cyrillum colebant sub titulo Moraviae episcopi, ut habetur in anthologio ab Ignatio Kulczynski, et post eum ab Assemanio (Kalend. tom. III. pag. 113) citato. — Contra testimonia Cyrilli episcopalem dignitatem expresse asserentia nihil efficit silentium, quod de ea servant diversi, etiam antiqui fontes. Silent Pontifices Hadrianus II. et Ioannes VIII. in suis epistolis, necnon Anastasius bibliothecarius in suis variis de Constantino philosopho relationibus, quia nullam habuerunt ansam et idoneum impulsum, ut mentionem facerent eius episcopalis ordinationis. Reliqui vero fontes alicuius momenti, qui de eadem silent (legendae et Kalendaria) sunt omnes originis Bulgaricae. Porro Bulgaria plena erat spiritus Byzantini parum reverentiae habentis erga sacros ordines, prout in se sunt. Potuerunt igitur aliqui simpliciter ideo episcopatum Cyrilli negligere, quia pro foro terrestri revera minimi momenti erat. Nam paucos tantum dies iurisdictionem episcopalem retinuit, nec aliud pro grege sibi commisso tunc egit, nisi ut pro eo preces aliquas ad Deum funderet. Hoc igitur e mentibus evanescebat fulgebatque in eis solummodo Constantinus philosophus et institutor Slavicae gentis. Nec vero solum spiritus Byzantinus generatim, sed maxime etiam reverentia magna erga Photium vigebat in Bulgaria, etiam antequam formaliter a sede Romana separata esset. Libebat igitur memoriam ordinationis episcopalis Cyrilli, quae Romae facta est, supprimere, ne curiosius interrogaretur, quare eum non prius Photius Constantinopoli ordinaverit, neve resciretur tandem, quam alienus Cyrillus a Photio fuerit. Ergo argumentum contra episcopatum Cyrilli e silentio fontium Bulgaricorum sumptum nullius valoris est, praesertim cum legenda prae ceteris spectanda, „Vitam Constantini“ dico, episcopatum eius indirecte omnino manifestet, prout superius vidimus.

Ordinavit sanctos fratres in episcopos ipse papa Hadrianus II., in ecclesia Beatae Mariae ad Praesepe die Dominica quattuor temporum Adventus (19. Decembris) anni 868.

7. Papa Hadrianus neoconsecratis episcopis eorumque sacerdotibus concessit, ut sacram liturgiam lingua Slavica celebrarent. Ad hoc cognoscendum necessarium non est, fatigari longa disquisitione de epistola Hadriani II., prout cap. 8. Vitae Methodii continetur, utrum scilicet genuina et incorrupta ac fideliter translata sit. Cyrillus quaestionem de liturgia Slavica, quam introducere coeperat et ob quam contradictiones passus est, Romae proponere debuit et proposuit. Debuit igitur quaestio ibidem necessario discuti et auctoritative solvi. Hadrianum papam autem solutionem dedisse favorabilem, qualem ss. fratres optabant, omnes fontes testantur, qui generatim eam rem tangunt. „Vita Constantini" et „Vita Methodii" exhibent hac in re, quia in templis praelegebantur, testimonium ipsius antiquae ecclesiae Bulgaricae, ab immediatis discipulis sanctorum fratrum edoctae.

Hoc loco expenduntur etiam rationes, quae Hadrianum II. ad eiusmodi concessionem impellere potuerint.

8. Sub tempus vernum anni 869 s. Methodius archiepiscopali dignitate insignitus et simul potestate legati a latere instructus in terras Slavicas rediit et primo in Pannonia apud Kocelum erectionem novi episcopatus promulgavit atque officio suo fungi coepit. Eum sacerdotali tantum ordine provisum ad Kocelum rediisse, et ab eodem postea rursus Romam missum esse, ut episcopus Pannoniensis consecraretur (prout in eius Vita c. 8. in fine legitur), error est manifestus.

9. Subsequenti hieme, probabilissime Ianuario vel Februario anni 870 Methodius, cum in Moraviam transiisset, captus et Passoviensi episcopo Hermanrico traditus est, qui eum durissime tractavit. Postea causam dicere compulsus est coram collectis Bavariae episcopis, qui eum, iniquo iudicio condemnatum, carceri manciparunt. — Conventus is episcoporum habitus est Frisingae apud episcopum Hanonem. — Carcerem tulit Methodius per tres annos, non solum per duos et dimidium. Tempore tandem verno anni 873 agente papa Ioanne VIII. libertatem recuperavit.

10. Refelluntur scriptores, qui putant papam Ioannem Methodio occasione liberationis eius prohibuisse usum linguae Slavicae in sacra liturgia. Multo enim serius hoc fecit, scilicet anno 878 vel 879, quo tempore Methodius e p i k i a usus obedientiam differre rectissime potuit. Quod postea, cum Romam venit, papa Ioannes ipse haud cunctanter agnovit.

11. Methodius postquam liberatus est episcopale munus obibat non solum in Moravia, sed etiam in Pannonia, quam tamen ultimis vitae suae annis relinquere coactus est.

12. Iter Methodii Constantinopolitanum (de quo eius Vita cap. 13.) non factum, sed fictum est. Composuerunt hanc narrationem clerici in Bulgaria, spiritu Byzantino et Photiano repleti; quam scriptor Vitae facile credidit, quia et ipse eiusdem spiritus fuit.

13. Aliquot mensibus post mortem Methodii elapsis papa Stephanus V. (VI.), mendaciis Wichingi episcopi Nitrani deceptus, usum

linguae Slavicae in liturgia iterum strictissime prohibuit et ipsum Wichingum episcopum totius Moraviae instituit. Quomodo papa ita decipi potuerit, explicatur.

* *
*

Nota. Profitebatur scriptor per omnes suos tractatus, Methodium sacerdotem iam factum fuisse, cum in Olympo inter monachos degeret; etsi non plene certum, tamen prope certum ei hoc videbatur. Sed lecta postmodum accurata disquisitione clarissimi Domini Fr. Snopek in periodica publicatione „Sborník Velehradský“ (ann. VI., fasc. 1, p. 55. sqq.) cum eodem nunc existimat, Methodium probabiliter in ordine diaconi tantum fuisse constitutum, cum fratrem Cyrillum ad Chazaros, ad Moravos et Romam comitatus est. Romae igitur primo sacerdos, postea episcopus est consecratus. *Th. Lempl.*

Fr. Ks. Lukman, Nauk sv. Ambrozija o eucharistii (Doctrina s. Ambrosii de ss. Eucharistia), 1906 pg. 117—138 et 233—247. Auctor cum paratu critico veram s. Ambrosii de hoc Sacramento doctrinam ex ipsius scriptis depromptam proponit de reali praesentia et sacrificio eucharistico simulque scriptores — praecipue protestantes — falso eius verba explicantes redarguit.

J. Markošek, Mesijanski psalmi (Psalmi messianici), pg. 138—162. Explicatio „Carminis passionalis“ (ps. 21; hebr. 22.) porro tractatur inde a versu 17. et absolvitur.

Dr. *A Medved,* Zgodovina slovenskega cerkvenega govorništva (Historia eloquentiae sacrae Slovenicae), pg. 163—185 et pg. 264—286. Ex saeculis X.—XV. duo tantum monumenta exstant: Codex Suprasliensis et sermo i. h. ss. Cyrilli et Methodii; ex saeculo XV. vero sic dicta „generalis confessio“. Reformatio eloquentiam sacram excitavit et reformatores (Trubar, Dalmatin, Krelj) plurima scripserunt practica et quaedam etiam theoretica. — Ex catholicis post reformationem contionatoribus eminent Ioannes Bapt. a s. Cruce (V volumina contion.), Matthias Kastelic, P. Rogerius (duo volumina), Barth. Basar (unum vol.).

1. Dr. *Michael Napotnik,* **Pastirski listi (Epistolae pastorales)** Maribor 1906. Pg. 786.

2. Dr. *Michael Napotnik,* **Privilegia,** quibus gaudet parochialis Ecclesia beatae Virginis Mariae, matris misericordiae nuper aedificata et consecrata. Marburgi 1907. Pg. 41.

1. Excellentissimi Principis-Episcopi Lavantini opus sat amplum inscriptum „Epistolae pastorales“ praeter epistolas, quas ipse Praesul vigilans inde ab ingressu episcopatus (1889) usque ad finem anni 1906 clero populoque suo fideli miserat, continet litteras, quibus universi Austriae episcopi iterum iterumque Vindobonae congregati populos sibi commissos in variis vitae publicae et privatae vicissitudinibus per illa tempora monebant, docebant, dirigebant.

Praecipuarum Reverendissimi auctoris epistolarum pastoralium argumenta breviter delineabimus.

Anno 1889 de cantu angelico „Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus“ clero sermo latinus proponitur quasi programma, iuxta quod unitis episcopi et cleri viribus gloria Dei animarum-

que salus sit promovenda (p. 6—22). Anno 1890 clare et concinne exponuntur mutua episcopum inter et populum fidelem officia: ex una parte praedicatio verbi divini, administratio sacramentorum, regimen animarum; ex altera parte reverentia, oboedientia, orationisque adiutorium (22—33).

Anno 1891 commendatur necessitas et utilitas mortificationis et abnegationis sui ipsius, tum externae tum internae (63—79).

Anno 1892 s. Joseph, sponsus B. M. V. et nutritius Iesu Christi, omnibus et singulis variae condicionis dioecesanis sistitur ob oculos tamquam venerandum et imitandum exemplar iustitiae christianae (116—134).

Anno 1893 gravi et prolixa dissertatione ex Ecclesiae catholicae institutione et propagatione, ex eius duratione, unitate et sanctitate, ex influxu saluberrimo, quem exercebat in progressum culturamque generis humani, denique ex illius catholicitate et apostolicitate invicta ducitur demonstratio, eam esse opus divinum, adversus quod nnon praevalebunt portae inferi (144—181).

Anno 1894 pia associatio familiarum christianarum s. Familiae Nazarethanae dicatarum commendatur, divae Familiae virtutes domesticae exponuntur earum exercitium familiis christianis commendantur (182—199).

Anni 1895 literae pastorales agunt de infinito Iesu Christi in sanctissimo altaris Sacramento erga nos homines amore et ostendunt vias recte redamandi Regem Eucharisticum (199—218).

Epistola anni 1896 affert verbalem, historicum simul et practicum commentarium Salutationis Angelicae (218—258).

Anno 1897 ex lotione pedum apostolorum, per Christum facta in ultima cena, deducitur commendatio christianae humilitatis et caritatis (270—281).

Anno 1898 in lucem prodiit non solum pia sed etiam docta et scientifica lucubratio de angelis eorumque officiis et beneficiis erga genus humanum, ac praesentim de ducis eorum coelestis, s. Michaelis, veneratione devota (286—332).

Item epistola anni 1899 continet exactam doctrinam de Matre dolorosa eiusque cultu, addita copiosa litteratura huc spectante (356—386).

Epistola anni iubilaei 1900 consecrata est Iesu Christo Deohomini, qui „vivit, regnat, imperat," quod factum ex historia et experientia quotidiana corroboratur (402—432).

Sequenti anno 1901 reverendissimus auctor magna cum eruditione illustravit et argumentis firmis fulsit dogma de resurrectione D. N. Iesu Christi, apposita gravi exhortatione de resurrectione mortuorum (452—490).

Pulcherrima est epistola anni 1902, explanans rationes, historiam, modos, motiva devotionis salutiferae erga sacratissimum Cor Iesu, indicata simul omni quae facilius comparari potest litteratura hanc devotionem concernente (504—535).

Litterae pastorales anni 1903 agunt de iubilaeo Leonis P. P. XIII. Litterae anno 1904 editae pie et docte pertractant doctrinam de immaculata B. M. V. Conceptione in memoriam iubilaei huius dogmatis catholici (579—611).

Similiter epistola anni 1905 exponit omnia de sacratissimo Rosario scitu necessaria (622—663).

Anno denique 1906 in memoriam iubilaei celebris encyclicae Leonis XIII. „Grande munus“ profertur dissertatio historico-critica de vita et operibus ss. Cyrilli et Methodii, disquisitionibus archaeologicis priorum novissimorumque temporum innixa adiecta commonitione practica ad fidem perseveranter servandam (672—713). In adnotationibus fontes praecipui recensentur ac litteratura hac de quaestione abundanter respicitur et adhibetur.

Epistolae enumeratae, sicut et plures aliae, variis occasionibus emissae, tum excellentem eloquentiam tum insignem eruditionem doctrinamque illustrissimi auctoris produnt: una cum epistolis collectivis reverendissimi episcopatus Austriaci tangunt plus minusve omnes quaestiones actuales, quae nunc temporis tractantur animosque commovent. Ideo magna cum utilitate iis uti poterunt tum praecones sacri tum pastores animarum et generatim duces doctoresque populi fidelis. Praeterea epistolae in libro hoc collectae etiam pro scientia theologica momentum non spernendum possident: illustrissimus enim auctor cum stilo oratorio methodum scientificam coniunxit, immo epistolas nonnullas pleno apparatu scientifico-critico adornavit.

2. Speciosa et ampla B. M. V. ecclesia Marburgi (in Styria) a. 1906 titulo et privilegiis Basilicarum minorum de Urbe insignita auctaque est. Hac occasione Reverendissimus auctor ipsam ecclesiam describit, addita historia imaginis miraculosae B. M. V., quam saec. XVII. aut monachus quidam Carthusianus ipse sculpsit aut monachi Carthusiae Sizensis (Žiče, Seitz) ab extraneo sculptore conficiendam curavere. Sub inscriptione „De honoribus Ecclesiae Marianae Marburgensis ad dignitatem Basilicae evectae“ exhibetur brevis ac docta dissertatio liturgico-historica de privilegiis et insignibus Basilicarum minorum (p. 18—23).

F. G.

Katoliški Obzornik. 1906. Nr. 2 et 3.

Dr. *J. Gruden*, Lamennais. Reflexiones historicae de modernis ecclesiasticis et politicis viis. Pg 153—169 et pg. 241—249 auctor critice vitae decursum scribens exponit, quomodo Lamennais ideas suas scriptis propagaverit quosque effectus bonos et malos libri eius produxerint, quomodo paulatim per falsas propositiones suas cum Roma congressus interierit. Simul commotionem magnam, quae e scriptis eius processit et usque ad nostra tempora in societatem influit, declarat.

Dr. *A. Ušeničnik*, Analiza moderne nevere (Analysis irreligiositatis huius temporis, pg. 170—177. — Auctor quam perspicacissime proponit processum credendi et causas incredulitatis recentioris. Fides producitur hisce tribus: ratione, voluntate, gratia, quae tria in omni progredientis fidei statu simul operari debent, ut fides produci possit. Tum tria haec ad tribunal adducuntur; intellectus propter „mentalitatem“ quae vocatur et praecipue voluntas propter „immoralitatem“ noxii iudicantur. Denique voluntas tamquam vera et sola causa ultima proponitur irreligiositatis.

C., Tolstoj in religija (Tolstoj et religio), pg. 178—187. — Cog-

nitio Dei apud Tolstoi omnino pantheistica, eiusque religio in caritate, harmonia universi finisque hominis vel potius sensus in vita secundum voluntatem divinam peragenda id est in caritate consistens explicatur.

A. Ušeničnik, Nova struja moderne apologetike (Nova methodus apolologeticae modernae), pg. 250—261. Methodus nova, sic dictus „dogmatismus moralis“ explicatur et damnatur Laberthonière et aliorum, qui irreligiosos sine ullis argumentationibus, sine operatione intellectus puro „actu“ „bonae“ voluntatis adducere volunt non ad Dei cognitionem sed ad vitam in Deo: homo debet velle affirmare Deum, debet velle esse secundum Deum.

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

XII.

De motivis polemicae inter catholicos et orthodoxos.

Iam a pluribus saeculis saevit certamen theologicum inter Romanam ecclesiam et ecclesias orientales ab ea separatas. Adversarii utriusque omnibus utuntur atque abutuntur armis, quae ex penu disciplinarum theologicarum, historicarum, liturgicarum, patristicarum eruuntur. Attamen post tot innumeras pugnas ac labores, nondum affulget dies, quo foedus inter fratres sese ad invicem dilacerantes, feliciter pangatur.

Erunt fortasse, qui iudicent incassum tempus teri in huiusmodi certaminibus. Pax inter separatas ecclesias somnium quidem est ac ludibrium; itaque propriis saltem limitibus quaelibet ecclesia sese contineat aliarumque ecclesiarum existentiam penitus ignoret. Utique, si religio christiana non ad unitatem omnium in suam vivificam virtutem credentium tenderet, hoc quidem optimum consilium ad pacem fovendam proculdubio diceretur. Sed, si haec unitas in votis fidelium est pariterque a Christo tamquam praeceptum imponitur, nullum est dubium, quin omnibus officium incumbat semitas quaerendi ut tandem, sopitis intestinis discordiis, ecclesia in unum corpus constituta, catervas hostiles, quae ubique in praesentiarum grassantur, confringat.

Ad fovendam unitatem quidam argumenta theologica serius expendenda proponunt. Non negamus theologicis rationibus inniti lugendam separationem ecclesiarum. Non defuerunt qui leviter assererent scissionem ecclesiarum originem hausisse ex politicis, ut aiunt, antinomiis, scilicet ex acerbissimo odio, quod diu inter Graecos viguit et Latinos, quodque culmen attigit in Byzantina urbe a crucesignatis expugnata ac denique ad exitium perduxit civitatem totius olim Orientis reginam. Sed ut optime animadvertit Revmus Marković in opere Gli Slavi ed i Papi, tales causas plurimum quidem influxum exercuisse in scissionem animarum vix ullus negabit: fatendum tamen est a Photii aetate usque ad nostra tempora hanc scissionem praecipue prae se tulisse characterem theologicum: non amplius disputatum est de privi-

legiis veteris aut novae Romae, sed de „Filioque" et de regimine ecclesiae. Et labentibus temporibus tam alte iecit radices malum semen divisionis theologicae, ut vix ulla spes amplius affulgeat mali huius extirpandi.

Certamina theologica de quaestionibus particularibus inter clarissimos viros utriusque ecclesiae, mea quidem sententia, parum conferent ad sedandas discordias, saltem si ea argumenta tantum proferantur, quae communiter in enchiridiis dogmaticis inveniuntur et aptitudine ad persuadendum adversariis carent nec horum rationes respiciunt. Nos asserimus „Filioque" doctrinam esse revelatam in Scripturis Sanctis: orthodoxa theologia respondet in Evangelio tantum affirmari explicite processionem S. Spiritus a Patre. Volvimus Patrum scripta: plurima sententiae nostrae favent: non desunt tamen, quae doctrinae Graecorum convenire videntur: obicimus quod speculatio theologica veritatem ostendit dogmatis nostri: iterum arguitur quod humana ratio non praebet experimentum rerum fidei. Haec eadem in tutando dogmate Immaculatae Conceptionis occurrunt. Facili eruditione plurima desumuntur ex liturgia Graeca ad probandum titulis plurimis asseri dogma Latinum. Sed fere hosce omnes titulos, qui afferri solent, Graeci interpretantur veluti epitheta declarativa virginitatis ac summae sanctitatis Beatae Mariae, et plerumque philologice magis consentanea, ut opinor, eorum est explicatio. Si tanta claritate vestrum dogma fulget, nobis obiciunt orthodoxi, cur praeclari inter vestros doctores, Thomas Aquinas et Bernardus Claravallensis, idipsum negarunt? . . Quid, quod eadem congeruntur etiam in primatum et infallibilitatem Romani Pontificis! Primitiva ecclesia, ita nostris omnibus argumentis respondetur, adscribit quidem primatum honoris Romanis episcopis: denegat eis tamen ius constans et perpetuum regendi totam ecclesiam tanquam supremis episcopis. Actum enim esset de tota hierarchia episcopali, si unus tantum episcopus sibi vindicaret ius exclusivum in omnibus eparchiis ad libitum leges ecclesiasticas ferendi. Etiamsi haec et alia quae apud theologos orthodoxos saepe saepius reperiuntur, a theologis nostris validis rationibus refelluntur, tamen sententia adversariorum non mutatur. Idem argumentorum pondus abhinc pluribus saeculis repetitur: utilitas vero ex theologorum concertationibus non raro acerrimis nulla fere capitur.

Quid igitur faciendum? . . . Num theologia polemica in Orientales ecclesias omnino relinquenda? Quidam putant faciliorem viam ad parandam unionem ecclesiarum nobis dari, si praecipua controversiarum capita non ut dogmata utriusque accipiamus, sed simplices doctorum ecclesiae opiniones teneamus. »Filioque« verbi gratia doctrinam esse Latinorum Patrum, praesertim s. Augustini: eius negationem e contra in ecclesia Graeca praevaluisse. Exinde fieret, ut utraque sententia ex aequo apud theologos defendi posset. Alexander Kirěev hoc quidem medium proposuit, ut Veteres catholici foedus inirent cum orientalibus ecclesiis. Eandem viam clarissimus Alexius Malcev ingressus est, ratus in omnibus fere Romanam Ecclesiam cum orthodoxis ecclesiis convenire potuisse, nisi concilium Vaticanum Romani Pontificis

infallibilitatem tanquam dogma fidei credendam proposuisset. Sed haec sententia nobis non arridet. Ab una enim ecclesia, quae ad „F i l i o q u e“, ad purgatorium, ad primatum Romanum etc. referuntur, tanquam dogmata proponuntur: ab aliis eadem negantur. Dogma veritas est necessario credenda pro omnibus fidelibus, quibus promulgatum est, eademque i r r e f o r m a b i l i s, ut aiunt theologi. Nequit igitur fieri, ut unquam ecclesia Romana sententias suis dogmatis contrarias tuto in scholis tolerari posse affirmet. Concordia in discrepantiis liturgicis mutuis concessionibus parari olim poterit, quae vero ad dogma pertinent inter utramque ecclesiam aeneum obstaculum semper constituent. Et controversiae, quae ab utroque adversario exagitantur, tot scatent difficultatibus, ut in perpetuum utraque pars victoriam sese retulisse iactabit.

Non est tamen omnino relinquenda theologia polemica. Ea quidem quae repetitio est veterum argumentorum, quae Byzantini et Latini theologi mediae aetatis subtili investigatione discriminarunt, oblivioni dari potest: ea vero, quae novump raebet elementum, sedulo excolenda. Complura enim reperiuntur in theologia orthodoxa, quae controversiam *τοῦ* „Filioque“ renovatam exhibent, ac nostro dogmati maiorem lucis claritatem afferunt. Haec nullo modo silentio praetereunda sunt. Ex recentioribus etiam disquisitionibus complura excerpi possunt, quae l i c e i t a t e m baptismatis per infusionem in vetere Ecclesia (Cf. *Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων*) confirmant, aut probant in ecclesia etiam Romana antiquitus E p i c l e s i n, quae reperitur in liturgiis orientalibus, adhibitam esse. Hoc nobis constat ex doctissimis investigationibus Dr. Antonii Baumstark, quae vim omnino auferunt argumento ante paucos annos contra Orientales theologos his verbis a clarissimo prof. Ioanne Cieplak concinnato: „Si ecclesia Romana, omnium ecclesiarum magistra et mater, ad quam »propter potentiorem eius principalitatem oportet convenire omnem ecclesiam«, epiclesi nullam vim consecratoriam in sua liturgia tribuit, neque in ceteris liturgiis vim hanc eidem tribui posse necesse est“ *) . . . . Argumenta huius generis carent auctoritate in polemica latino-orthodoxa. Quaedam enim sunt, in quibus ecclesia Romana ab antiquitatis semita discessit, ut fatendum est in baptismate per trinam immersionem, in communione sub duabus speciebus etc., quae apud Orientales sarta tectaque servantur. Nec defuere etiam apud nostrates, qui theologicis disciplinis apprime eruditi, necessitatem epicleseos in opere consecrationis tutati sunt. Ex usu igitur ecclesiae Romanae sumi non possunt argumenta ad convincendos theologos orien-

---

*) D e m o m e n t o, q u o t r a n s s u b s t a n t i a t i o i n a u g u s t i s s i m o M i s s a e s a c r i f i c i o p e r a g i t u r. Petropoli, 1901, p. 59. Per transennam animadvertimus citatum ab auctore textum S. Irenaei, interpolatum a theologis orthodoxis censeri, ac vi carentem in probando primatu Romani Pontificis. Confer: Kurganov, Свидѣтельствовалъ ли св. Ириней епископъ ліонскій, о приматствѣ и непогрѣшимомъ учительствѣ римской церкви, въ частности — ея первосвященника? Kazan', 1893.

tales, ac nobis explanatior via est adeunda eâque omnia diligentissime sunt tractanda, ut praeiudicia dubitationesque tollantur et veritati reperiendae provideatur.

Putant quidam optimam methodum ad refellendos theologos orthodoxos eos sequi, qui graphice depingentes condiciones sive morales, sive intellectuales orientalium ecclesiarum, omniaque in pravum sensum vertentes eruant huiusmodi ecclesias propter separationem ab unitatis centro penitus pessum ire. Qui huic methodo inhaerent, sedulo notitias colligunt ad suam thesim demonstrandam; nomina recensent episcoporum, qui casti ex canonibus castitatem non observant: gravibus iniuriis officiunt Athonianos monachos, qui novitiis turpiter abutuntur: cachinnis irrident Russica monasteria, quae mirum in modum contribuant ad incolas suae patriae augendos; dolent maximam ignorantiam cleri orthodoxi, eiusque servilem sub potestate civili subiectionem. Plurima fateor vera esse in his obiurgationibus. Num sequitur, obiciunt nobis orthodoxi, ut nostra ecclesia falsa teneat in provincia theologicarum veritatum? . . . Si ex misera nostra condicione desumatis falsam viam nos terere, nobis licet arguere, saeculis IX. et X. ecclesiam Romanam, quae tum ignorantia et nefandis moribus laborabat, veram ecclesiam non exhibuisse. Dum Oriens totus severioribus disciplinis naviter ea aetate operum dat ac praeclaros viros in monasteriis suis excolit, ecclesia Romana, ut ait Baronius, turpissimam faciem ostentat. Quod vero ad morales et intellectuales condiciones cleri spectat, id praesertim ex statu civilis societatis pendet: si clerus orthodoxus ignorantia laborat, nobis silentio praetereundum non est, in America meridionali clerum catholicum raro excultum sese praebere. Si morales defectus apud orthodoxos deprehenduntur, non latet nos, licet comparatio cum orthodoxis moralem praeeminentiam nostri cleri luculenter demonstret, clerum et saecularem et regularem etiam apud nos mereri interdum, ut nigro lapillo notetur. Humani nil a me alienum puto, et dum hanc vitam agimus, pondere carnis oneramur. In Russia, ubi immensus populus tenebris ignorantiae perfunditur, fieri non potest, ut clerus qui eius curae spirituali praeponitur, nostrum clerum in studio disciplinarum theologicarum aemuletur. Sed in civitatibus, ubi maiora media praesto sunt, non viri deficiunt ex ordine sacerdotali docti et operosi. Itaque non videtur mihi aptior via ad procurandam unionem animarum haec mutuae diffamationis methodus. Falluntur, qui tenent Russos aut Graecos adduci ad catholicam ecclesiam, inflatis buccis si eis adclametur: „Separati a Romana ecclesia vos in ignorantia manetis: separati a centro unitatis vos clerum habetis, qui pietate, doctrina, zelo, bonis moribus caret“. Protestantes scissi quidem sunt ab unitate ecclesiae, nullus tamen eos ignorantiae insimulabit: quidquid vero ad mores pertinet, plures mihi cogniti sunt ex clero orthodoxo, qui christianas virtutes suis in familiis vehementer colunt: plures mihi noti sunt episcopi, qui in vinculis quibus Russica ecclesia a potestate civili constringitur, et scientia et virtutibus exornantur. Potest quidem obici parvum esse eorum numerum, hoc tamen concesso non sequitur orthodoxum clerum ignorantem esse ideo, quod a Romana ecclesia sit separatus.

Quaenam igitur media nobis adhibenda, si duplex illa classis argumentorum, quam rettulimus, efficacia caret?

Mea quidem sententia uberiores fructus colliget, qui parcens rationibus mere theologicis, aut iniuriarum telis, vitam utriusque ecclesiae diligenter comparet.

Ecclesia est enim corpus vivens, corpus Christi, ac vera Christi vita reperitur, ubi omnia membra in unitatem conflata maiore nisu ad gloriam Christi dilatandam adlaborant.

Ecclesia est civitas una, unicum regnum, unica domus. Hoc tantum in ecclesia Romana catholica actuatum videmus. Haec ecclesia limites nationum nescit: eius membra cives Romani ubique sunt. Etiam inter gentes, quae odiis nationalibus dividuntur, habetur fraternitas spiritualis in ecclesia. Ut catholicus sacerdos apud omnes catholicos populos, etiam apud hostes patriae, quamvis interdum ritu et lingua diversus, sacra officia persolvo. In Romana tantum ecclesia habetur actu, ut aiunt philosophi, ecclesia universalis. Iesus Christus noluit plurima regna divisa condere: unum tantum regnum eius est aeternum opus. Reperiturne huiusmodi unitas universalis in ecclesia orthodoxa? . . . Habeturne unum tantum regnum in eius compagine? . . . Hoc ante omnes theologicas controversias mihi innotescere debet. Ecclesia non est organismus particularis, sed est organismus universalis, qui omnes populos ut membra sua indiscriminatim agnoscit. Habentne hunc characterem ecclesiae orthodoxae? Complures iam annos sedulo studui recentioribus theologis orthodoxis nullamque apud eos responsionem inveni, quae mihi satisfaceret. Multae circumferuntur sententiae de natura ecclesiae eiusque constitutione: quidam in hierarchia praecipue consistere eam aiunt; quidam laicorum iura defendunt eiusque partem activam in regenda ecclesia vindicant; quidam dolent etiam, ut metropolita Petropolensis Vladimirus, Rossicam ecclesiam non amplius existere; affirmatur ecclesias autonomas vinculo caritatis inter se coalescere, et caritate ad unitatem redigi. Hodierni tamen conflictus inter Graecos, Bulgaros, Serbos etc. figmentum esse testantur huiusmodi caritatem. Plura habentur regna inter se divisa, non unum tantum regnum, quod eisdem legibus totum in orbem terrarum se extendat. Meum non est causas inquirere, quibus hoc unicum regnum saevientibus procellis servatur: factum tantum innuo, quod catholicam ecclesiam a ceteris orientalibus ecclesiis discernit eiusque praeeminentiam constituit.

Alterum autem motivum in polemica Latino-orthodoxa nobis praestat uniformitas doctrinae ac regiminis in ecclesia Romana. Una fides et unum baptisma. Et sub nomine fidei omnia comprehenduntur, quae ad fidem recte interpretandam pertinent. Praesertim in ordine supernaturali humana mens nequit sine principio auctoritatis controversias dirimere, ac tranquillitatem, quae ex certitudine oritur, suis mediis acquirere. In ecclesia Romana hoc habetur principium auctoritatis, quod bellantes placat, theologorum proeliis finem imponit, dubitantibus semitam monstrat, quidque ab omnibus sit credendum aperte proponit. Ubinam reperitur apud orientales ecclesias hoc principium, quo sublato, ut con-

tingit in individuis, unitas doctrinalis difficile servari potest? . . . Est quidem unitas in praecipuis fundamentis fidei, quae a conciliis oecumenicis definita sunt: sed si novae exoriuntur controversiae, quaenam est auctoritas, quae omnium consensum suis oraculis efficiat? . . Usque nunc supremam hanc auctoritatem sibi vindicabat Constantinopolitana ecclesia. Sed hoc ius in praesentiarum practice ei a ceteris negatur ecclesiis. Etenim oecumenicus Patriarcha schismaticos declarat Bulgaros, eosque anathemate punit: a Russis tamen et a Serbis Bulgari authentici censentur orthodoxi, et suam in communionem recipiuntur. Nuperrime Meletius Patriarcha Antiochensis ecclesiae illegitimus a Constantinopolitano Patriarcha declaratur, legitimus idem a Rossica ecclesia. Graeca theologia Latinum baptisma invalidum habet: Russici theologi hanc reiciunt sententiam, ac validitatem nostri baptismatis profitentur. Haec et alia gravioris momenti censenda sunt, quia ad graviora capita fidei spectant. Quomodo conciliandae tam discordes sententiae in ecclesiis, quae unitatem fidei ad invicem habere gloriantur? . . Et ubi est auctoritas suprema, quae clare doceat veram sententiam ac dubiis praecludat semitam? . . . Hoc aenigma nunquam solvere potui theologiae orthodoxae navans operam. Sublata auctoritate suprema, mea quidem sententia deficit medium unitatis fidei servandae, ac pedetentim ruit ecclesiae aedificium. Vera ecclesia necesse est habeat unitatem universalem centrumque unitatis: tunc una est civitas aut regnum supernaturale atque in se elementum perpetuae conservationis fovet et evolvit. Hoc posito inquirendum est, utrum haec unitas et hoc centrum reperiantur in ecclesia orthodoxa, an in ecclesia Romana, et si haec eis potitur, haec praesefert notam verae ecclesiae.

Tota igitur polemica hisce duobus argumentis evolvendis nostra aetate praesertim incumbere debet. Quae vero desumuntur ex apostolicitate (stricte sumpta) aut catholicitate, aut sanctitate veluti notis verae ecclesiae ad probandum ecclesiam Romanam ceteris antecellere, vi destituuntur in theologia polemica orientali. Duo vero, quae rettulimus, argumenta totam suam vim servant, eisque utendum praecipue est: si enim probatur veram ecclesiam esse Romanam ecclesiam, facile ad eius doctrinam acceptandam sternitur via. Theologiae igitur polemicae praesertim onus incumbit elucidandae notionis verae ecclesiae, argumentis ut ita dicam ex eius vita indesinenter erutis.

In his autem controversiis optandum omnino est, ut caritas praecellat. Orthodoxi non sunt hostes nostri, sed fratres separati. Ut nos valida potiuntur hierarchia, corpus et sanguinem Christi sumunt, ac Beatissimam Virginem impense colunt. Si a veritate deflectunt in theologicis sententiis, evolvamus nostra argumenta ad eos convincendos quin eos afficiamus iniuriis aut omnia apud eos pessum ire asseveremus. Apud nos fervet pugna inter catholicam ecclesiam et potestates incredulitatis: apud illos ecclesia subit iugum durissimum civilis regiminis et consequenter paralysi laborat. Sed iam videntur signa resurrectionis: complura leguntur in foliis Russicis periodicis de necessitate renovandae ecclesiae: et sperandum est fore, ut olim vinclis perfractis iterum libertate in Christo haec tam numerosa ecclesia fruatur. Si hoc

omen implebitur, dubium mihi non est, quin ambae ecclesiae mutuis relationibus propius inter se accedant ut aliquando favente Deo, scissa unitas totius orbis Christiani restituatur. *A. Palmieri.*

VI.

Doctrina Russorum de canone Veteris Testamenti.

Concinnavit Ad. Jašek.

Restant nonnullae quaestiones — nec in Occidente omnes nullam controversiam recipientes — ad quas theologi ecclesiae orthodoxae singularia responsa proponunt quaeque praecipue in improbanda Russorum atque probanda catholicorum de canone Veteris Testamenti doctrina graves videntur esse.

Cum apud nos nemo biblistarum eorum opinioni accedat, qui censent Esdram Iudaeorum canonem ita absolvisse, ut novos libros priorum corpori addere nefas esset, Russorum theologi uno ore dicunt in libros sacros per Esdram (Nehemiam et magnam synagogam) collectos canonem absolutum Veteris Testamenti esse. Ex antiquioribus scriptoribus nominandi sunt: A. Makarij [102]), prof. S. Sol'skij [103]), archim. Mihail [104]), H. Orda [105]); ex novis praecipue: A. P. Lopuhin [106]), N. Dagaev [107]), P. Jungerov [108]). — Metrop. Philaretus [109]) et Alex. Speranskij [110]) ab hoc indicio videntur dissentire.

Quid veri insit in theoria praesertim a Dagaev et Jungerov fuse explicata ac defensa [111]), apparet vel inde, quod in Occidente ne unus quidem doctus biblista nunc temporis eam tenet, sed potius omnes eam oppugnant aut praetermittunt tamquam in se impossibilem.

Jungerov ipse in Introductione enumerat seriem auctorum qui huic theoriae contradicunt [112]); sed paucos invenit — ex recentioribus neminem — qui sententiam ab ipso prolatam ac defensam adiuvent. Ut protestanticos scriptores omittamus, quorum nemo hodie credit Esdram absolute clausisse V. T. canonem, inter catholicos nostris diebus praevalet [113]) sententia, quae docet, Esdram et Nehemiam de colli-

---

102) Vvedenie v prav. bogosl. p. 476.

103) Ветхозавѣтный канонъ in Trudy Kievskoj akademii 1871. III. p. 79 et seq.

104) Библейскій канонъ священныхъ книгъ ветхозавѣтныхъ и новозавѣтныхъ in Čtenija v obščestvě ljubitelej duhovnago prosvěščenija. Moskva 1872. III. p. 133 et seq.

105) Руководство къ послѣд. чтенію прор. книгъ Вет. Зав. 1873. 3 ed. p. 190—193.

106) Библейская исторія Ветхаго Завѣта. СПб. 1896. II. ed. p. 403, 413.

107) Istorija kanona . . . p. 77—144.

108) Obščee vved. p. 81—113.

109) Начертаніе церковно-библейской исторіи. M. 1836. ed. 5. p. 412.

110) Краткій историческій очеркъ . . . . Hrist. Čtenie. 1881 p. 389—390.

111) Vide etiam Roždestvenskij, Объ участіи великой синагоги въ заключеніи канона. Hrist. Čtenie 1896.

112) Non enumerat omnes protestanticos, qui hodie duces inter suos existimantur, ex catholicis, „ut audiatur etiam altera pars", prout auctor dicit, percurrit sententias a Dankó et Loisy prolatas.

113) Rud. Cornely in Introductione (p. 39—58) defendit, duos V. T. canones apud Iudaeos fuisse: Palaestinensem, qui Esdrae et Nehemiae tempore

gendis libris sacris optime meritos esse, sed inde minime sequi, Esdram (vel synagogam magnam) collectionem sacrae scripturae seu canonem ita clausisse, acsi deinceps alii libri inspirati recipi amplius non potuerint: collectionem illam autem vel aetate Esdrae iam existentem vel ab ipso factam vel inceptam decursu temporis crevisse et auctam esse additis libris novis inspiratis, qui tam a Palaestinensibus quam ab Alexandrinis Iudaeis pro sacris habebantur. Ideoque praeter canonem Esdrinum (Palaestinensium ut aiunt) non extitisse alterum canonem Alexandrinum (seu Hellenistarum), qui cum libris protocanonicis etiam deuterocanonicos contineret, ita ut si ambitum canonis consideres, differentia inter Iudaeos non extiterit. Ita sentiunt: Fr. Car. Movers[114]), Jos. Dankó[115]), Fr. Kaulen[116]), Guil. Schenz[117]), Trochon[118]), Ant. Scholz[119]), Tob. Mullen[120]), F. Vigouroux[121]), B. Neteler[122]), J. P. van Casteren[123]), Herm. Zschokke[124]), Aem. Schöpfer[125]) Jar. Sedláček[126]).

---

fixus absolutusque sit, et in illa librorum protocanonicorum collectione Esdrae primae partes competere. Dein statuit alterum canonem Hellenistarum a Palaestinensium canone diversum, qui praeter protocanonicos etiam omnes nostros deuterorcanonicos libros complexus sit. Opinionem Cornely accepisse videtur Gio. Giac. Cereseto (Istituzioni bibliche. Introduzione generale. I. Chiavari 1890. p. 47—68). Ex antiquioribus defendunt hanc theoriam: J. G. Herbst, Einleitung in die heil. Schriften des A. T. Karlsruhe 1840. I. p. 9 et seq. V. Welte, Bemerkungen über die Entstehung des alttest. Kanons in Theol. Quartalschrift. Tübingen 1855 p. 58—95. Aug. Scholz, Einleitung in die heil. Schriften des A. T. Köln. 1845. I. p. 111; ex recentissimis: Winaud Fell, Lehrbuch der allgemeinen Einleitung in das Alte Testament. Paderborn 1903 p. 35—55. Const. Chauvin (La Bible depuis ses origines . . . cit I. p. 35—37) admittit differentiam, quae in litteratura religiosa apud Palaestinenses et Alexandrinos valebat, solummodo in praxi: „J'eu conclus que le caractère sacré de tous les livres de la Bible grecque était reconnu en fait par les Juifs des deux synagogues, mais ni pour les uns ni pour les autres la canonicité des certains écrits n'était en droit décidée". Vide etiam theoriam Magnier, Étude . . . cit. p. 172 et seq.

114) Loci quidam historiae canonis Veteris Testamenti illustrati. Vratislaviae 1842.

115) De Sacra Scriptura eiusque interpretatione commentarius. Vindobonae 1867. p. 13—17.

116) Einleitung in die heil. Schrift A. u. N. Testamentes. Freiburg 1898⁴ p. 23 et seq. Eiusdem auctoris artic. Canon in Kirchenlexikon. Freiburg. II. 1883² p. 1815 et seq.

117) Einleitung in die kanon. Bücher des Alten Testamentes. Regensburg 1887 p. 423.

118) La Sainte Bible. Introduction générale. I. Paris 1886 p. 117 et seq.

119) Zeit und Ort der Entstehung der Bücher des Alten Testaments. Würzburg 1893 p. 34.

120) The Canon of the O. T. p. 68 et seq.

121) Manuel biblique. I. Paris 1901¹¹. p. 87—94.

122) Beitrag zur Untersuchung der Geschichte des alttest. Kanons. Münster 1900. P. 26 et seq.

123) Le Canon juif vers le commencement de notre ère. Revue biblique. Paris 1896. Tom V. p. 408—415, 575—594.

124) Historia sacra A. T. p. 374—377.

125) Geschichte des Alten Testamentes. Brixen 1906⁴. P. 579.

126) Úvod do knih Starého Zákona. p. 35.

Qua in quaestione optima cum conscientia possumus assentiri G. Ceresceto[127]) affirmanti: „La strana opinione che sotto Esdra il Canone giudaico sia stato non pure riordinato, ma altresi totamente chiuso, non si trova presso veruno scrittore anteriore a Cristo, ma fu introdutta nel volgo giudeo da qualche posteriore Rabbino, e soltanto più secoli dopo Cristo“. Hoc sine exceptione conceditur tam apud catholicos quam apud protestantes [128]).

Huc pertinent etiam aliquae Russorum lucubrationes de statu religioso et litterali ultimae ab Esdra usque ad Christum Dominum periodi.

S. Sol'skij [129]) disputans de immutabili V. T. litteratura ultimae periodi, de eius auctoribus scribit: „Alteri eorum operam dantes Legi, Prophetis, historicis aliisque Sacrae Scripturae libris continuabant in spiritu horum historiam sui populi et privatarum personarum, repetebant sapienter dicta suorum magistrorum, scribebant propheticas doctrinas; alteri consecuti scientiam librorum sacrorum, sub nomine eorum auctorum et personarum, quarum fit in eis mentio, non raro edebant proprias suas religiosas persuasiones et cohortationes, suam doctrinam de Messia et Redemptore populi Iudaici. Scripta priorum, cum mente et argumento propinqua essent antiquis sacris libris, honestabantur a veteribus Iudaeis, praesertim Alexandrinis, et ab ecclesia christiana accepti sunt tamquam libri aedificantes et utiles ad legendum catechumenis: scripta alterorum cum diffidentia legebantur apud Iudaeos et ab ecclesia christiana reiecta sunt tamquam libri suppositi. Primi vulgati sunt sub nomine librorum non canonicorum, qui non habent eandem auctoritatem atque libri sacri inspirati, sed nihilominus sunt utiles et aedificantes; alteri appellabantur apocryphi, suppositi, haeretici . . . . Libri non canonici pedetentim transierunt in codices Graecorum bibliorum . . . et simul cum eis recepti sunt ab ecclesia christiana“.

---

127) Introduzione generale et spec. I. T. p. 51.

128) Ex plurimis scriptoribus praeter nunc enumeratos omnes coryphaeos, hac in quaestione nomino: B. Poertner, Die Autorität der deuterocanonischen Bücher des alten Testamentes. Münster 1893. Loisy, Histoire du Canon p. 18 seq.; H. Ed. Ryle, The Canon of the Old Testament. London 1899². P. 250 seq Fr. Buhl, Kanon u. Text des Alten Testamentes. Leipzig 1891; Karl Budde, Der Kanon des Alten Test. Giessen 1900; G. Wildeboer, Die Entstehung des Alttest. Kanons. Gotha 1891; X. Koenig, Essai sur la Formation du Canon de l'Ancien Testament. Paris 1894 etc.

129) Trudy Kiev. duḫ. akademii. 1871. II. p 92 et seq.: „Одни изъ нихъ, изучая законъ, пророковъ, историческія книги и другія древнія священныя Писанія, продолжали въ духѣ послѣднихъ исторію своего народа и отдѣльныхъ лицъ, повторяли уроки мудрости своихъ учителей, въ нихъ упоминаемыхъ, нерѣдко выдавали свое собственное ученіе, свои религіозныя вѣрованія и убѣжденія, свое ученіе о Мессіи и Спасителѣ іудейскаго народа. Писанія первыхъ, какъ близкія по духу и содержанію къ древнимъ священнымъ книгамъ, уважались древними іудеями, въ особенности александрійскими, и были приняты христіанскою церковію какъ книги назидательныя и полезныя для чтенія „желающимъ огласиться словомъ благочестія“; писанія вторыхъ съ

Archim. Mihail [130]), cum maximis laudibus doctrinam libri Sapientiae, filii Sirach, extulisset, „Iure ergo, inquit, possumus interrogare, qua de causa liber vindicans sibi tam sacram auctoritatem, non sit canoni appositus. Responsio unica adest: eo tempore, quo liber editus est, canon librorum sacrorum collectus atque sancitus (determinatus) erat: liber non est conscriptus ab aliquo propheta, quia series prophetarum eo tempore absoluta erat“. Dissertans de versione LXX. eiusque signis characteristicis: „Maioris momenti“, inquit, „inter has proprietates est praecipue, quod praeter libros sacros Hebraici canonis adiuncti sunt alii nonnulli libri partim Hebraice partim Graece conscripti. Qui horum librorum fuerint auctores, ignotum est (praeter Iesum, filium Sirach): et quando Alexandrinae versioni adiuncti sint, etiam ignotum est, sed eos antiquis temporibus adnexos esse huic versioni, certum est.“ Fretus opinionibus Philonis (De vita contempl. § 3.) et Ios. Flavii (C. Ap. 1, 8) negat Alexandrinos aliquando eandem auctoritatem omnibus libris in LXX contentis tribuisse. „Ideoque“, argumentatur, „hi libri et additamenta ad codices Hebraicos adiuncta non aestimabantur eadem atque libri canonici auctoritate, non continebantur in Sacra Scriptura inspirata: ergo Alexandrinus canon sacrorum V. T. librorum non potest alius putari atque canon librorum sacrorum Hebraicorum. Cur autem illi libri codici librorum sacrorum adnexi sint, ignoramus, sed videbimus eos in ecclesia christiana mansisse in codicibus librorum V. T. tamquamvalde utiles, bonos, ecclesiasticos“. Alio loco [131]) adfert causam, cur libri in

---

недовѣріемъ были встрѣчаемы древними іудеями и древнею христіанскою церковію были отвергнуты, какъ книги подложныя. Первыя изъ нихъ стали извѣстными въ христіанской церкви подъ именемъ книгъ неканоническихъ, книгъ не имѣющихъ одинаковаго достоинства съ книгами священными, богодухновенными, но тѣмъ не менѣе полезныхъ и назидательныхъ; вторыя стали называться апокрифическими, подложными, еретическими .... Неканоническія книги .... постепенно входили въ составъ греческой библіи .... и вмѣстѣ съ нею были приняты христіанскою церковію“.

[130]) Библейскій канонъ .... Čtenija v obščestvě ljub. duh. prosv. III. p. 142—143: Важнѣйшая изъ этихъ особенностей та, что кромѣ священныхъ книгъ еврейскаго канона къ нему присовокуплены были еще нѣкоторыя книги, частію переведенныя съ еврейскаго, частію написанныя на греческомъ языкѣ. Кто писатели этихъ книгъ — неизвѣстно (кромѣ Іисуса сына Сирахова) и когда онѣ присоединены къ составу Александрійскаго перевода Библіи — также неизвѣстно, но что онѣ съ древнѣйшихъ временъ присоединены были къ этому составу — то несомнѣнно .... Итакъ, помянутыя книги и прибавки къ книгамъ, будучи прибавлены къ составу священныхъ еврейскихъ книгъ, не поставлялись наравнѣ съ ними по ихъ достоинству, не заключались въ самомъ составѣ книгъ богодухновенныхъ, и слѣд. Александрійскаго канона священныхъ ветхозавѣтныхъ книгъ нельзя считать отличнымъ отъ состава книгъ священныхъ еврейскихъ. Почему собственно онѣ присоединены къ этому составу книгъ священныхъ мы не знаемъ, а увидимъ, что въ христіанской Церкви онѣ удержаны при составѣ книгъ ветхозавѣтныхъ, какъ особенно полезныя, добрыя, церковныя.

[131]) Idem p. 150—151: „Со временъ Ездры и Неемін, когда съ послѣднимъ пророкомъ Малахіею кончился рядъ пророковъ ветхозавѣтныхъ, уже ни одна книга не была священною въ древнемъ смыслѣ и не могла

canone Alexandrino post Esdrae aetatem conscripti minorem quam libri canonici adepti sint auctoritatem. „A temporibus Esdrae et Nehemiae, quando cum ultimo propheta Malachia series prophetarum V. T. finita erat, ne unus quidem liber erat sacer in vetere sensu; propterea non potuit recipi in canonem librorum sacrorum. Haec est causa, cur omnia scripta posteriora manserint extra canonem sacrum. Aliqui libri postea tamquam praecipue utiles, aedificantes, religiosi agniti atque in codicibus Alexandrinis adnexi sunt ad canonicos, sed iis non annumerabantur neque eadem pollebant auctoritate. Cetera scripta titulis biblicis ornata de argumento biblico tractantia, forma biblica, sed sine spiritu et charactere biblico elaborata non sunt recepta nec potuerunt recipi in Sacram Scripturam manseruntque extra eam". Recensitis opinionibus s. Cyrilli Hierosolymitani et s. Athanasii concludit [132]): „Ex tota mole biblicorum V. T. librorum solummodo libri canonici inspirati habiti sunt necessaria et infallibillis regula fidei et morum, vere divina revelatio — libri non canonici ducebantur praecipue pii, utiles, ecclesiastici, sed non inspirati".

Ad quaestionem, quomodo libri non canonici in codices Graecos pervenerint, respondet Alex. Speranskij [133]): „Qua ratione factum sit,

---

войти въ составъ книгъ священныхъ. Вотъ почему вся послѣдующая литература осталась внѣ канона священнаго. Нѣсколько книгъ послѣ признаны особенно полезными, назидательными, церковными и въ александрійскихъ кодексахъ прибавлены къ каноническимъ, но не присоединены къ нимъ и не считались наравнѣ съ ними. Вся же остальная литература съ библейскими заглавіями, съ библейскимъ содержаніемъ, съ библейской формой, но безъ библейскаго духа и характера, не вошла и не могла войти въ составъ священныхъ книгъ, а осталась вся внѣ его".

[132]) Idem p. 152: „Такъ, изъ всей массы библейской ветхозавѣтной письменности выдѣлены были только книги каноническія, богодухновенныя, какъ необходимое и непогрѣшимое правило вѣры и жизни, какъ истинное божественное откровеніе — и книги не каноническія, какъ особенно назидательныя, полезныя, церковныя, но небогодухновенныя".

[133]) Краткій историческій очеркъ . . . . Hrist. Ct. 1881 p. 394: „На нашъ взглядъ присоединеніе александрійскими іудеями книгъ, не находящихся въ священномъ канонѣ палестинскихъ іудеевъ, легко и удовлетворительно объясняется слѣдующимъ предложеніемъ, опирающимся на самый характеръ и положеніе александрійскихъ іудеевъ. Религіозныя писанія были тогда рѣдкимъ явленіемъ. Сами іудеи вслѣдствіе близости къ грекамъ и благодаря занятіямъ греческой философіей, не будучи столь строги въ религіозномъ образѣ мыслей какъ палестинскіе, а при отсутствіи глубокаго знанія закона и пророковъ, не обладая даромъ критическаго изслѣдованія, придавали большое значеніе появлявшимся тогда сочиненіямъ религіозно-нравственнаго характера и имѣвшимъ несомнѣнное превосходство предъ языческими сочиненіями. Специфическаго же отличія этихъ съ религіозно-нравственнымъ характеромъ произведеній отъ каноническихъ книгъ, по крайней мѣрѣ по формѣ, они не могли замѣтить; они видѣли, что и здѣсь прославляется благочестіе, мужество и мудрость іудеевъ. Послѣ того какъ уваженіе къ нимъ возрасло еще болѣе, ихъ присоединили къ священнымъ книгамъ, какъ дополненіе. Такимъ образомъ безспорно, что александрійскіе іудеи оказывали больше уваженія къ нашимъ неканоническимъ книгамъ сравнительно съ палестинскими и на практикѣ пользовались ими наравнѣ съ каноническими, на что указываетъ и самое расположеніе ихъ въ греческой Библіи. Вопроса же о канонѣ, его объемѣ въ строго догматическомъ смыслѣ они не поднимали и не рѣшали".

ut libri, qui non reperiuntur in canone Palaestinensi, ab Alexandrinis Iudaeis canoni adicerentur, facile et satis explicatur sequenti hypothesi fundata in ipso charactere et condicione Iudaeorum Alexandrinorum. Libri religiosi eo tempore erant rari. Iudaei ipsi in commercio cum Graecis vivebant eorumque philosophiae operam dabant; unde evenit, ut non tam rigorosi essent in quaestionibus religiosis quam Palaestinenses; praeterea carebant solida scientia legis et Prophetarum nec ornati erant critico iudicio. Ideo magni aestimabant eo tempore opera, quae religioso-moralem characterem prae se ferebant atque sine dubio scriptis paganorum plus valebant. Hos libros vero religioso-morali charactere compositos a canonicis certe non ex ipsa forma distinguere potuerunt, cum viderent in iis pietatem, virtutem, sapientiam Iudaeorum celebrari. Itaque hi libri paulatim maiorem auctoritatem adepti annumerabantur ad libros sacros tamquam supplementum. Ideoque non est dubium, quin Alexandrini maiorem quam Palaestinenses Iudaei auctoritatem libris non canonicis attribuerint et in praxi eodem modo atque canonicos adhibuerint, quod ex ipsa eorum in Graecis bibliis dispositione patet. Quaestionem de canone eiusque exstensione in sensu stricte dogmatico nec ponebant nec solvebant."

Alius auctor[134]) de quaestione, cur libri non canonici in canonem recepti non sint, sequentia statuit: „Libri qui in biblia Hebraica recepti sunt, collecti erant paulo post captivitatem; propterea non sunt alii, nisi qui noti erant usque ad illud tempus. Posteriores V. T. libri scripti sunt duobus vel etiam tribus saeculis postea, post reditum Iudaeorum ex Babylone. Sed hac periodo inter Iudaeos Palaestinenses nemo erat, qui tanta apud populum esset fide, ut propria potestate hos libros ad priores adiungere posset. Apud Hebraeos usque ad Nativitatem I. Chr. vigebat opinio, hunc vel illum librum posse declarari sacrum solummodo a propheta, sed prophetas in medio suo iam non viderunt. Praeterea narrationes et sententiae in his libris contentae quamvis sint laudabiles, tamen adeo recentes in memoria et repraesentatione populi Hebraici erant ut Hebraei, quippe antiquitatem sacrorum suorum magni facere soliti, in his non omnia viderent sacra."

Cognitionem, propagationem et usum librorum non canonicorum apud Iudaeos etc. in primaeva ecclesia adscribit Paulus Sokolov[135] divulgationi versionis LXX; hanc autem in ecclesia introduci necesse fuit, cum in sinum ecclesiae etiam ethnici reciperentur, quippe qui christiani ex ethnicis conversi linguae Hebraicae ignari originalem textum bibliorum intellegere non possent.

Una mihi praeter haec mentione digna esse videtur quaestio, quantam nempe auctoritatem a Novi Testamenti scriptoribus libris non canonicis attributam esse censeant Russi theologi.

Alex. Speranskij[136]) haec scribit: „Ipse Christus eiusque s. apostoli sine dubio noverant libros non canonicos, quod ex nonnullis locu-

[134]) Dagaev, Istorija . . . p. 271.

[135]) Istorija vethozav. Pisanii. p. 67 et seq.

[136]) Kratkij istorič. očerk. Hrist. Čt. 1881 p. 395: „Самъ I. Христосъ и Его святые апостолы безъ сомнѣнія были знакомы съ неканоническими

tionibus patet. Simul tamen Dominus — aeterna Veritas — et apostoli eius, qui Spiritu Sancto dirigente scripserunt, certe accurateque distinxerunt, quae a Spiritu Dei provenerunt et quae sola humana industria concinnata sunt, ideoque ultimos (sc. non canonicos) libros pro inspiratis non susceperunt. Ex locis enim librorum non canonicorum, qui indirecte in N. T. citantur, cum sufficienti probabilitate licet supponere, sacros N. T. scriptores, etiamsi sicut aequales sui libris non canonicis uterentur, nihilominus ipsius Domini exemplum secutos eis non divinam originem tribuisse; numquam enim hi libri propter auctoritatem suam citantur.“

A. N. Speranskij fretus laboribus Germanicorum protestantium, qui in quaestione de „apocryphis“ (= in sensu protestantico) primas partes tenent, F. Keerl [137], Franc. Bleek [138], R. Stier [139], in speciali articulo „Testimonia sacrorum N. T. scriptorum de non canonicis V. T. libris eorumque valor eorum ex iisdem testimoniis derivatus“ ad hanc conclusionem pervenit [140]: „Omnes loci paralleli, quos ex N. T. et

---

книгами, на что указываетъ самый образъ нѣкоторыхъ изреченій. Въ тоже время самъ Господь, какъ вѣчная Истина, и апостолы-писатели, какъ руководимые Духомъ Божіимъ, ясно и отчетливо различали яже Духа Божія и яже ума человѣческаго и посему не принимали послѣднія за богодухновенное Писаніе Содержащіяся въ новозавѣтныхъ священныхъ писаніяхъ косвенныя указанія на неканоническія книги позволяютъ съ достаточною вѣроятностію предположить, что новозавѣтные священные писатели хотя и пользовались неканоническими книгами вмѣстѣ съ современниками, однако, слѣдуя примѣру самого Господа, не какъ книгами божественнаго происхожденія, ибо никогда не ссылались на авторитетъ ихъ“.

137) Die Apokryphen des Alten Testamentes. Leipzig 1852.

138) Über die Stellung der Apokryphen des Alten Testamentes im christl. Kanon. Theol. Studien u. Krit. 1852.

139) Die Apokryphen, Vertheidigung ihres althergebr. Anschlusses an die Bibel. Braunschweig 1853.

140) Свидѣтельства новозавѣтныхъ священныхъ писателей о неканоническихъ книгахъ Ветхаго Завѣта и значеніе ихъ на основаніи этихъ свидѣтельствъ. Hrist. Čt. 1881 p. 683—709. P. 707—709: „Всѣ приведенныя нами параллельныя мѣста изъ Новаго Завѣта и неканоническихъ книгъ Ветхаго Завѣта производятъ такое впечатлѣніе, что необходимо признать между ними взаимное отношеніе для объясненія существующаго между ними сходства . . . . Какъ слѣдуетъ объяснять это сходство? Сходство, обнаруживающееся не только въ мысляхъ, но и выраженіяхъ разсмотрѣнныхъ нами параллельныхъ мѣстъ, есть, на нашъ взглядъ, результатъ знакомства новозавѣтныхъ священныхъ писателей съ неканоническими книгами, оставившаго замѣтные слѣды на воззрѣніи, образѣ представленій и на самомъ языкѣ писателей. Новозавѣтные священные писатели, имѣя подъ руками греческій переводъ священныхъ книгъ Ветхаго Завѣта, безъ сомнѣнія вмѣстѣ съ священными книгами еврейскаго канона читали и другія, хотя и не входившія въ канонъ, но тѣмъ не менѣе пользовавшіяся уваженіемъ въ глазахъ ихъ современниковъ и составлявшихъ прибавленіе къ канону. Подъ вліяніемъ знакомства съ этими книгами у новозавѣтныхъ священныхъ писателей вырабатывался тотъ или другой складъ мыслей. Впослѣдствіи, когда они занимались составленіемъ своихъ письменныхъ памятниковъ, имъ невольно приходили на память нѣкоторыя мысли и выраженія изъ неканоническихъ книгъ, хотя они и не имѣли въ виду ссылаться на нихъ; подобно тому какъ мы нерѣдко въ раз-

libris non canonicis V. T. attulimus, cogere nos videntur, ut agnoscamus esse inter eos relationem propter convenientiam quae inter eos est . . . Quomodo est ista convenientia explicanda? Convenientia haec non solum in sententiis, sed etiam in expressionibus locorum a nobis excussorum secundum nostram opinionem inde orta est, quod scriptores N. T. noverant libros non canonicos; quae notitia manifesta vestigia in sententiis, in iudiciis, in ipsa lingua scriptorum reliquit. Sacri scriptores N. T. in manibus habent Graecam versionem sacrorum librorum V. T.; itaque sine dubio cum libris sacris canonis Hebraici legebant etiam alios libros ad canonem non pertinentes, qui nihilominus magna apud coaevos erant auctoritate, et quasi appendix erant canonis. Quorum librorum notione cum imbuti essent sacri N. T. scriptores, in eis orie-

говорѣ или письмѣ сами не замѣчая того употребляемъ цѣлые ряды мыслей и оборотовъ изъ недавно прочитаннаго нами сочиненія, возникшіе въ нашей душѣ по извѣстному закону ассоціацій представленій по сходству. Такъ было съ пророками позднѣйшаго времени, когда они говорили языкомъ своихъ предшественниковъ: такъ случилось и съ новозавѣтными священными писателями, когда они невольно воспроизводили нѣкоторыя мысли и выраженія извѣстныхъ имъ неканоническихъ книгъ.

На основаніи всего доселѣ сказаннаго можно съ несомнѣнностію утверждать, что новозавѣтные священные писатели не оставили прямыхъ свидѣтелствъ о неканоническихъ книгахъ Ветхаго Завѣта. А это обстоятельство говоритъ въ пользу того, что іудеи, которымъ были ввѣрены словеса Божія, имѣли правильный взглядъ на книги, содержащія источникъ Божественнаго Откровенія и книги чисто человѣческаго происхожденія, усвояли тѣмъ и другимъ должное мѣсто, должное значеніе: ибо въ противномъ случаѣ, еслибы іудеи поставляли неканоническія книги наравнѣ съ книгами Божественнаго Писанія, или еслибы эти книги, пользовавшіяся большимъ уваженіемъ среди іудеевъ, по свидѣтельству Флавія, а слѣдовательно и находившіяся въ употребленіи среди нихъ, содержали въ себѣ ученіе противное духу Откровенія, заключали сѣмена тѣхъ гибельныхъ направленій, съ которыми боролся Христосъ и апостолы, — свидѣтельства І. Христа и новозавѣтныхъ священныхъ писателей были бы необходимы, чтобы въ первомъ случаѣ разоблачить заблужденіе іудеевъ, а во второмъ — сдѣлать необходимое предостереженіе относительно употребленія такихъ якобы вредныхъ книгъ и пресѣчь зло въ самомъ корнѣ его. Если же мы ничего подобнаго не находимъ, то вправѣ заключать, что І. Христосъ и апостолы своимъ молчаніемъ относительно неканоническихъ книгъ выразили свое согласіе съ воззрѣніемъ на нихъ іудеевъ. А что наше заключеніе не поспѣшно и вмѣстѣ съ тѣмъ не ошибочно, это могутъ подтвердить непрямыя, косвенныя свидѣтельства новозавѣтныхъ священныхъ писателей относительно неканоническихъ книгъ, восполняющія пробѣлъ прямыхъ свидѣтельствъ. Разсмотрѣнныя нами параллельныя мѣста изъ Новаго Завѣта и неканоническихъ книгъ привели къ тому заключенію, что новозавѣтные священные писатели наравнѣ съ современными пользовались этими книгами, но не какъ книгами Божественнаго происхожденія, потому что никогда не ссылались на авторитетъ ихъ. Они усвояли неканоническимъ книгамъ значеніе памятниковъ исторіи, религіи и языка, значеніе свидѣтельствъ въ пользу правильнаго пониманія іудеями ветхозавѣтныхъ Писаній и правильнаго раскрытія содержащагося въ нихъ ученія, значеніе назидательныхъ памятниковъ, содержащихъ правила истинной нравственности“.

bantur variae conceptiones. Postea cum se occuparent compositione suorum litterariorum operum, sponte eis in memoriam venerunt nonnullae sententiae et expressiones ex libris non canonicis, quamquam non habebant consilium ea citandi, simili modo sicut nos non raro loquentes vel scribentes totas series sententiarum ac versuum adhibemus non animadvertentes, ea ex opere a nobis recens perlecto exorta esse in animo nostro per notam legem associationis repraesentationum (idearum) secundum analogiam. Quod accidebat etiam apud prophetas posterioris temporis, quando loquebantur lingua suorum antecessorum: quod evenit etiam scriptoribus N. T., quando inviti reproduxerunt nonnullas sententias et expressiones notas sibi ex libris non canonicis. Ex omnibus hucusque dictis licet certo concludere sacros N. T. scriptores non reliquisse directa testimonia de non canonicis V. T. libris. Quae circumstantia favet sententiae, quae asserit Iudaeos, quibus verba Dei concredita erant, habuisse legitimum conceptum de libris continentibus fontem revelationis Dei et de libris mere humanae originis, eosque tribuisse tum his tum illis debitum locum, debitum valorem; nam in contrario casu — si Iudaei libros non canonicos aequiparassent libris Sacrae Scripturae — vel si hi libri — quibus teste Iosepho Iudaei maximam tribuebant auctoritatem et quibus propterea utebantur — continuissent doctrinam contrariam menti revelationis vel semina comprehendissent perniciosarum opinionum, quas I. Christus et apostoli impugnabant necessario haberentur testimonia I. Christi et s. scriptorum N. T., quae primo in casu errorem Iudaeorum aperirent, in secundo casu cavere iuberent eiusmodi libros utpote noxios atque malum in ipso semine exstinguerent. Quodsi nil huiusmodi reperimus, iure est concludendum, I. Christum et apostolos tacendo de libris non canonicis consensum suum cum opinione, quam Iudaei de iis habebant, expressisse. Hanc conclusionem non esse temerariam atque erroneam, confirmari potest ex testimoniis indirectis sacrorum N. T. scriptorum de libris non canonicis, quae penuriam directorum testimoniorum compensant. Recensiti enim a nobis loci paralleli e N. T. et libris non canonicis innuunt sacros N. T. scriptores eodem modo ut coaequales eorum his libris usos esse, non tamquam libris divinae originis, quia numquam ad auctoritatem eorum provocant. Attribuebant libris non canonicis valorem documentorum historicorum religionis ac linguae, valorem testimoniorum, quae rectum Iudaeorum intellectum Sacrae Scripturae V. T. rectamque interpretationem contentae in iis doctrinae demonstrant, valorem denique monumentorum piorum regulas verae moralitatis continentium.

S. Paulum cognovisse librum non canonicum Sapientiae Salomonis admittit N. N. G l u b o k o v s k i j [141]), in erudito articulo philosophico-

[141]) Св. апостолъ Павелъ и неканоническая книга премудрости Соломоновой. Hrist. Čtenie a. 1902. (Apr.) p. 447—503; a. 1903. (Febr.) p. 237—260, (Mai) 702—723, (Aug.) 129—160, (Oct.) 407—441, (Dec.) 776—817. A. P. Lopuhin in versione operis a Fr. W. Farrar compositi: **Жизнь и труды св. апостола Павла.** СПб 1887 p. 827 accipit cognitionem et usum Sapientiae Salomonis a s. Paulo pro „paene sine dubio“ (почти несомнѣнно).

biblico putat tamen eos discrepare in anthropologia, eschatologia, pneumatologia, doctrina de praedestinatione, de origine paganismi. Auctor libri Sapientiae Salomonis directe haurit ex ethnica philosophia, tamen statuit non adversaria, sed convenientia theologiae dogmaticae V. T., cui auctor Hebraeo-Platonicus evitando omnia inconsentanea hoc systema adaptat. Externa vis philosophica potius formalis erat et ipsa sua oppositione efficiebat, ut auctor — educatus in doctrina V. T. — magni hereditariam fidem prouti omnes ceteri aestimaret. Platonismus non penetravit eius animum et Pseudo-Salomon in omnibus easdem ideas tenet atques auctores biblici. E contra s. apostolus Paulus non pendet ab alieno iudicio non haurit ex doctrinis Hellenisticis.

Summam facientes ex omni materia a nobis pertractata doctrinam Russorum de canone V. T. ad sequentes theses reducimus:

I. Canon librorum sacrorum V. T. ab ecclesia Russica acceptus, creditus atque defensus idem erat, quem ecclesia Romana in conciliis Tridentino et Vaticano definivit et sanxit.

II. Paulatim vero influxu doctrinae protestantium magistrorum theologi Russorum (a saec. XVIII.) auctoritatem libris deuterocanonicis denegabant.

III. Primum nostros deuterocanonicos, quibus adnumerabant Psalmum CLI., III. Macc., orationem Manassis, III. Esdrae, negata eorum inspiratione nominabant apocryphos, hodie eos unanimiter non canonicos appellant.

IV. Magni aestimabant libros non canonicos: Iudaei omnes, Iesus Christus, Apostoli, s. Patres ideoque etiam theologi Russorum.

V. Libri non canonici pertinent ad biblia, augent pietatem, utiles sunt ad legendum, ab omni errore fidei et morum sunt immunes, sed carent inspiratione ideoque non sunt divini (sed solummodo ecclesiastici).

Doctrina haec est hodie apud theologos Russorum communis, ab ecclesia praesulibus approbata, sed non ecclesiastica auctoritate definitive decisa.

EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

Dictionnaire d' archéologie chrétienne et de liturgie. t. I. 1905–6. (Absolvitur) »Azymes« inscribitur caput ultimum huius tomi conscriptum a doctissimmo *F. Cabrol.*

Agentes de diversitate in materia Eucharistiae theologi ecclesiae orientalis ad vindicandum usum suum afferre solent et exemplum Christi Domini atque apostolorum et defectum rationis, ob quam panis azymus, symbolum ritusque V. T. proprius, in N. T. adhibeatur. (Act 15, 23—9) (Cf. e. g. E. Uspenskij, Obličitel'noe bogoslovie. Ufa 1891, p. 102—7). Tenent enim plerique ad Ioannis evangelium provocantes (cf. Tournebize in Terre sainte 1901, 140) cenam Domini fuisse 13. mensis Nisan, ante pascha Iudaeorum, neque in azymis panibus celebratam esse[1]) — quod tamen iam non ab omnibus admittitur (Cf. Slav. litt.

[1]) Hoc nonnulli (e. g. Metrophanes Kritopulos, Conf. cp. 9 ap. Kimmel, App. p. 115.) ex ipsa voce „panis" demonstrabant, unde fractio panis in Emaus eis incommoda erat.

theol. I, 21).[2]) Etsi enim conceditur Christum pascha anticipasse, fermentata iam tunc omnia remota erant. Neque apostolos extra tempus paschale aut apud gentes azymis abstinuisse facile demonstratur; Iudaeos certe etiam alias in vita communi azymis usos esse, notum est vel e scriptura sacra Gen. 19, 2. (Contra I. Dmitrevskij, Istor. dogmat. i tainstv. izjasn. b. liturgii Spb. 1897, p. 162 et al.)

C. censet cum Duchesne (Autonomies ecclés. Égl. séparées Paris 1896, p. 97—8) quaestionem, sitne Christus usus pane fermentato an azymo ad liquidum perductam non esse; sed ex eo certitudinis defectu concludendam esse libertatem usus utriusque panis. Nec apostolorum usu eam restringi, cum si alteruter exclusus fuisset, silentium de re tanti momenti explicari non posset.

De usu posteriore diversae sunt sententiae. I. Sirmond S. I. Latinos ab initio usque ad saeculum IX. panem fermentatum consecrasse existimat (cf. Krausii Real-Encyclopaedie f. christl. Alterth. I, p. 172); I. Mabillon O. S. B. in ecclesia Latina unquam fermentatum panem in usu fuisse negat (Migne, P. L t 143, 1219—78); quem multi (Io. Cabassutius, Chr. Lupus, A. Landini [Diss. 11.] E. Martene [De ant. eccl. rit. l. 1, c. 3, a. 7, §§ 5 ss.] Le Brun) secuti sunt; denique cardin. I. Bona arbitratur, neutrum genus panis apud Latinos per prima octo saecula exclusive in usu fuisse; id quod comprobant Graveson, Tournely, Juenin, Drouin, alii.

Testimonia clara et certa usus vel azymi panis vel fermentati in ecclesia a *C.* non iudicantur esse antiquiora saeculo VIII (Beda, M. XCII, 593. 595. 597 pro azymo, Io. Philoponus, Galland, XII, 610 pro fermentato). Iustini (M. VI, 428), Irenaei (M. VII. 1028), Gregorii Nyss. (M. XLVI, 581) ἄρτος κοινός de utroque pane explicari potest; item verba Tertulliani (Ad ux. 2, 5. M. I, 1296; de Cor. 3. M. 2, 80). Neque Iustini (Tryph. 41, M. VI 564) aut Origenis (In Mt t. 12. M. XIII, 989) testimonia, cum symbolice explicari possint, neque Io. Chrysostomi (H. de prod. Iud. M. 49, 379. 388) aut Epiphanii (Haer. 30, 16. M. 41, 432) clara sunt.

---

[2]) In litteris Russorum hac de quaestione (praeter librum Glubokovskii alibi l. c. indicatum) agunt: G. Pavskij, Kogda i kak soveršil tainstvennuju večerju I. Hristos? (Hr. Čt. 1830 [XXXVIII] 55 ss.; qui ibidem de apostolorum quoque [p. 93 ss.] et patrum II. et III. saec. [p. 255 ss.] usu agit); D. Hvol'son, Poslědnjaja pashal'naja večerja Iisusa Hrista i den' Ego smerti (Hr. Čt. 1875, II, 430—80; 1877. I, 821—70; II, 557—610; 1878, I, 352—419); arhim. Vitalij (Grečulevič), Poslědnjaja pashal'naja večerja Iis. Hr. i den' E. sm. (Stran. 1876 [IV], nojab. 97—126: dek. 185—289); V. Roždestvenskij, V město vvedenija k učenoj polemikě (Cerk. Věstnik 1877 N. 10); a. Vitalij, Otvět na učenuju polemiku po voprosu o poslědnej pashal'noj večeri I. Hr. i dně E. sm. (Stran. 1877 [IV] Nojab. 170—217); A. Nekrasov, Po povodu predložennoj professorom D. A. Hvol'sonom popravki v čtenii 17 stiha XXVI gl. Ev. ot Mth. (Prav. Sobes. 1878, II, 113—132); prot. Gorskij, Soveršil li Gospod' Iisus Hristos pashu Iudejskuju na poslědnej večeri Svoej s učenikami? (Pribavl. k Tvor. sv. oo. 1853 [XII], 446—491); svjašč. M. Bogdanov, Vkušal li Iisus Hristos vethozavětnuju pashu na poslědnej večeri s učenikami (Rukovodstvo dlja selskih past. 1861, I, 405. 428. 452); Anon., O vremeni prazdnovanija Pashi (ibid. 1872, I, 556—68); D. I. Prozorovskij, K voprosu o vremeni soveršenija Iisusom Hristom poslědnej pashal'noj večeri (Stran. 1881, I, 595—610); Molčanov, Pashal'nye spory (Pravosl. Obozr. 1880, I, 758); ep. Mihail, O Evangelijah i Evangel'skoj Istorii. Gl. V, 254—274: T. Butkevič, Žizn' Gospoda našego Iisusa Hrista 657—70; F. V. Farrar, Žizn' Iis. Hr. (1904) 843; Th. I. Troickij, Poslědnjaja pashal'naja večerja Iis. H. po sinoptikam i Ioannu. Kaz. 1889. D. I. Bogdaševskij, Tajnaja večerja Gospoda našego Iisusa Hrista. Kiev 1906.

Sunt loci, quibus mentio fit de azymis, qui respiciunt usum iudaizantium, qui usque ad IV. saeculum apud christianos Mesopotamiae et Persiae vigebat, »septem dies azymorum« (Cf. J. Parisot in edit. Patrol. Syr. t. I. (Aphraates) col. 522. 535 et in Dictionn. de théologie t. I, col. 2656.)

Alii loci (Cypriani ep. 63, Cp. scr. e. L. t. III, p. 712; Augustini, Serm. 217 M. 38, 1010; Gregorii, In Evang. h. 23 M. 76, 1179) nihil probant, alii (Ambrosii M. 17, 628—30; Dacii Mediol. Mabillon, Vetera analecta Paris 1723, p. 531) apocryphi sunt; Isidori epistola ad Redemptum (M. 73, 906), quae azymis favet, dubiae est auctoritatis; canon 6. concilii Toletani (XVI.) ab aliis alio trahitur.

Non tamen omnia testimonia a *C.* expenduntur (e. g. illud Rabulae in ep. ad Gemellinum episcopum [Bickell, Ausgewählte Schr. d. syr. Kirchenv. S. 251], ex quo manifestum est, saltem in provinciis Osrhoene et Euphratesia saec. V° panes azymos consecratos esse).

Vocabulo fermenti a s. Melchiade, Innocentio I. aliisque Romanis pontificibus adhibito (Thomasi-Vezzosi, Opera t. V, p. 453) *C.* negat posse exprimi idem, quod voce fermentati; nec tamen ipse usus illius (Lib. pontif. p. 168, 169 not.) certam explicationem proponit. Quod fermenti vocabulum Baronius (ad a. 313, n. 49) et Du Cange (Glossar.) simplicem panem benedictum significare existimarunt, alii (card. Thomasius in notis ad Capitulare Evangelior. opp. t. 5, p. 452—3; card. Bona R. liturg. c. 23; Mabillon, De azymo c. 10) ipsam Eucharistiam ita appellatam esse docent (cf. Euseb., H. e. l. 5, c. 24 M. 20, 507—8.). Cf. De Waal in Krausii Real-Encyclopaedie f. christliche Alterthümer, t. I, p. 172 (Brod).

Restant usus prisci testes ecclesiae antiquitus separatae; inter quos Nestoriani, quorum liturgia, si in universum aestimatur, non recentior descendente saeculo V° putatur, pane fermentato utuntur. Accedit, quod antiquissimus ritus fractionis hostiae in liturgiis Copticis et Graecis necessario coniunctus erat cum usu panis fermentati, cuius crustam sacerdos subsecabat. Armeni semper azymis usi sunt; quorum liturgia a Caesarea derivata est. Si verum est, quod ipsi affirmant, usum eorum nunquam mutatum esse, iam saeculo IV. azymi panes in illa provincia adhibebantur Accusantur autem ab adversariis suis, quod, cum a Constantinopoli circ. a. 520 separarentur, in liturgia nonnihil et nominatim illud novaverint; nec Lebrun (Explication de la messe, 1778, V, p. 120) aliud opinatur. Idem vir doctus ecclesiam Copticam aliasque ecclesias Orientales azymis saltem in quibusdam casibus uti docet. Maronitis est usus azymorum; quando tamen introductus sit disputatur; cf. Corblet, Hist. du sacrement de l'euchar. Paris 1885, t. I, p. 172.

Postremo *C.* enumerat quae hac de quaestione ab aliis scripta sunt; quae, paucis additis, hic exscribi utile videtur esse. Petrus Dam., Expos. Can. Miss. M. 145, 881; Dominicus Grad., Ep. ad Petr. M. 141, 1456; Anselmus Cant., Ep. ad Walr. de trib. Waler. c. 1. M. 158, 541; card. Humbertus, Adversus Graecos M. 143, 940 sq; Fragmentum disput. c. Graecos M. (P. G.) 143, 1215; Michael Cer. M. 120, 794 s; Joseph. Methonensis, Apol. pro 5 capp. M. 159, 1189—1228; Nechites (Nicetas) M. 188, 1239; Nicetas Steth., Contra Armenios et Latinos (ap. J. Hergenröther, Monumenta Graeca ad Photium pt. 1869 p. 139—154); Michael Glycas, Ep. de azymis (ap. Andron. Demetracopulum, Graecia orthodoxa. Lips. 1872); Thomas a Iesu, De unione schismaticor. (M. Theol. curs. c. t. V, 424—434); Allatius, De libris et reb. eccles. Gr. Paris 1646; Macedo, De ritu azymor et ferm. Verona 1677; F. M. Florentini, Tumultuaria disq. de ant. usu ferm. p. et az. Lucques 1680; Ciampini, Coniectura de perp. azymor. usu. Romae 1688; Bona, De reb. liturg. Aug. Taurin. 1729 t. II. p. 150; Mabillon l. c.; Sirmond, Disquis. de pane az. et f. Op. ed. Venet. t. IV, 351 sq.; Le Quien, Diss. Damascenicae, diss.

VI. M. (P. G.) 94, 367 416; S. Fr. Bucher, De caena Domini in Volbeding, Thesaurus comment. selectar. Vitebergae 1721, t. II, 219 238; Sambini, De hist. eccl. diss. XI. Patav. 1729; Zosimus Peristianus, De Christo Pascha suum praemature atque in p f. celebrante. Patavii 1730; J. Liron, Du pain azime in Singular. histor. 1738, t. II, p. 389-411; Natalis Alexander, Hist. eccles. 1778, t. VII, c. 380—9; Thomasi, Opera omnia Rom. 1754, t. VII, p. 51—62; Benedictus XIV, De fest. Dom. §§ 138—152; Cabassutius, Notit. eccles. II, 2; De Vert, Explication des cérémonies de l'Égl. I, p. 2. 23; Bocquillot, Traité de liturgie; Got. Hermannus, Historia concertationis de pane az. et ferment. in c. Doñi Lips. 1737; Martene, De ant. eccl. ritib. c. III, a. 7; Grancolas, Antiquités liturg. t. I, p. 564; Honor. de S. Maria, Animadv. in reg. et us. Critices t. II, l. 4, diss. 5; Renaudot, Liturg. orientales Paris 1715, t. II, p. 353 sq.; Bingham, Origines eccles. § 5 Halae 1724—38, t. VI, p. 266.; J. Mason Neale, A history of the holy eastern Church, Lond. 1850, p. 1. Gen. introd. p. 1051—1076; Giese, Erörterung der Streitfrage üb. d. Gebrauch der Azymen. Münster 1852; Pitzipios, L'église orientale Rome 1855, p. 96—7; 125—130 (übs. v. Schiel, Wien 1857 p. 153—9); Ioann Čokrljan, Pravoslavie. U Beču (Viennae) 1860, p. 235—242; H. Schmitt, Harmonie d. morgenl. u. abendl. Kirche. Würzb. 1863 p. 295-9; Marković, O Evkaristii s osobitim obzirom na epiklesu c. 5.; F. Probst, Sakramente u. Sakr. Tüb. 1872. p. 200—3; Brandi, Dell' unione delle chiese [3] Roma 1896; N. Nilles, Kalendarium [2] II, 221—9; Revue de l'Orient chrétien 1896, 313; Revue benédictine 1889 (VI) p. 485—499.

ΝΕΑ ΣΙΩΝ 1906 (III.), I. et II.

Archim. Chrysost. A. Papadopulos, Σχέσεις τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου πρὸς τὴν Ῥώμην. I, 225—237. Exponitur, rationem, cur Innocentius ad Nicaenos canones provocans non ipse litem diremerit sicut Leo I., Sardicensibus confisus, esse illam, quod saltem canones 3. 4. 5. tunc nondum exstiterint. (De ceteris lis est; cf. A. Spasskij in Bogoslovskij Věstnik 1902, ijun' et J. Friedrich in Revue intern. de théol. 1902, No. 37; 1903, No. 43). Quos a. 417 circiter ortos esse e Gratiani decreto anni 375 et synodo Romana anni 380 et ex usu illius temporis, quem Theophilus secutus sit (M. 47, 25) ostenditur. Inde illud Io. Chrysostomi, quod nonnulli occidentales urgent, Innocentio scriptum (M. 52, 535) infirmum est, praesertim cum similia aliis episcopis scripserit (M. 715. 654—5. 700. 702. 714).

Idem, Οἱ Πατριάρχαι Ἱεροσολύμων ὡς πνευματικοὶ χειραγωγοὶ τῆς Ῥωσίας κατὰ τὸν ιζ' αἰῶνα (cum introductione de relationibus inter Graecos et Russos ante saec. XVII.) I, 341-363; 449—470; 579—601; II, 2—31; 177—196; 314—329; 413—428; 481—497.

Idem, Ἐπιστολὴ Κυρίλλου τοῦ Λουκάρεως πρὸς τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Καντερβουρίας Abbot. I, 3—10. Cyrillus promittit ei Metrophanem Critopulum et queritur de simulatione Iesuitarum.

Archim. Kallistos, Μελέτη περὶ τοῦ Νομοκάνονος τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Φωτίου. (Pars huius commentationis iam a. 1905 edita est). I, 11—27; 118—138; 250—265.

Gregor. Papamichael, Ἠθικὰ διδάγματα. E longa serie capitum ad nos maxime spectat illud, quod inscribitur Τὰ „ὑπεροφειλόμενα" (II, p. 233—246). Sententia *P.* est, quid singulis hominibus praeceptum sit, quid non sit, repetendum esse ab eorum determinato habitu et condicione, non tantum a natura humana in abstracto spectata. Singuli qua tales particularem Dei de se voluntatem explere debent, quae est pars voluntatis divinae universlis seu legis moralis. Ita esse explicanda consilia evangelica: »Ἐὰν τὸ καθῆκον ἀναφέρεται εἰς τὴν ὅλην ζωὴν τῆς ατομικῆς ἠθικῆς ἐλευθερίας καθ' ὅλην αὐτῆς τὴν τῆς ὑποστάσεως ἑνότητα, τότε οὐδεὶς δύναται νὰ πράξῃ τι πέραν τοῦ καθήκοντός του ἤ, ὅπερ τὸ αὐτό, οὐδεὶς δύναται νὰ πράξῃ τι περισσότερον ἐκείνου, τὸ ὁποῖον ἄγει εἰς τὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ὁρισθέντα

αὐτῷ σκόπον. "Ὥστε αἱ εὐαγγελικαὶ συμβουλαὶ καὶ γνῶμαι οὐδὲν ἄλλο εἶνε, ἀλλ' ἢ εὐαγγελικοὶ γνώμονες καὶ κανόνες διὰ τοῦ ἐπὶ μέρους ἄτομα καὶ καθ' ὡρισμένας περιστάσεις, διὰ τοῦτο δὲ δὲν δύνανται νὰ ἐκφρασθῶσι καὶ διατυπωθῶσιν ὡς γενικαὶ καὶ ἀπόλυτοι ἐντολαί, καίτοι εἶνε οὐχὶ ὀλιγώτερον τούτων ὑποχρεωτικαὶ καὶ ἐπ' ἴσης ἐπιβάλλονται δι' ὡρισμένον τι ἄτομον, εἰς τὸ ὁποῖον ἀφορῶσι.« (p. 239). Verba illa Christi ad adolescentem explicat ita: ut sis perfectus, oportet (πρέπει) te vendere quae habes, debes (ὀφείλεις) sequi me; sc. tu in tua condicione et in tuis circumstantiis; solum hoc addendum ab adolescente esse Christus sciebat, ut dignus evaderet, qui electis adnumeraretur. »Τὸ τοιοῦτο περιστατικὸν τοῦ διλήμματος δὲν συμβαίνει βεβαίως εἰς ὅλους καὶ συγχρόνως· πότε δι' ἕκαστον συμβαίνει, ἀπόκειται εἰς αὐτὸν νὰ τὸ γνωρίζῃ δοκιμάζων καλῶς καὶ ἐξετάζων ἐπιμελῶς καὶ ἑαυτὸν καὶ τὰς περιστάσεις, ὁπότε καὶ τῷ εἶνε καθῆκον, θεία ἐντολὴ καὶ ἀπαίτησις, ἣν ὀφείλει νὰ ἐκτελέσῃ αὐτὸς ἀτομικῶς.« p. 240. — Similiter ii, »quibus datum est«, ut studeant castitati, non sunt homines electi, sublimes, perfecti, sed illi, qui perpensis omnibus rebus ad persuasionem pervenerunt, debere se eligere virginitatem, quia solum hac perfectionem consequi possint. (Cf. Slav. l. th. I, 68). Magnopere errant, qui sperant singularem mercedem se accepturos esse, si caelibatum elegerint. Quapropter neque verum est caelibatum esse rem multo nobiliorem quam matrimonium. (Cf. Slav. litt. th. I, 65). — Cum s. Paulus virginitatem non praecipit, sed tantum suadet, loquitur in genere, non ad homines particulares; ideo dicit »alius quidem sic, alius vero sic« (1 Cor. 7, 7); »Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat« (v. 20) »propter instantem necessitatem« (v. 26). — Denique quidquid fit, fieri debet in caritate; atqui caritatis praeceptum infinite patet (p. 245). Quo quisque magis perfectioni studet, eo magis sentit, quantum distet ab eo gradu, quem occupare debuerit. – Ambrosium, quem catholici allegant, notat tractare rem secundum Ciceronem ad opinionem stoicorum

P. haec scripturum fuisse non puto, si saltem ea, quae Bellarminus (De monachis l. 2, c. 7—13), Suarez (De relig. II (tr. 7), l. 1, c. 6—9), Maldonatus (in Mt 19), Schwane (De operib. supererogatoriis et consiliis evangelicis. Monast 1868), Ballerini-Palmieri (Opus morale IV, n. 48) inspexisset. Ceterum Makarij (Pravoslavno-dogm. bogosl.[3] II, 461—2 [§ 228]), Sil'vestr (Otvět pravoslavnago na shemu starokatolikov o dobryh dělah: Trudy 1875, I, 9—78; 167—213), Uspenskij (Oblič. bogosl. Ufa 1891, p. 63—6), M. Grigorevskij (Hrist. Čt. 1906, II. 564), alii non melius rem suam defendunt.

Praeter haec notari hic possunt etiam ea, quae de casuistica et de collisione officiorum iudicat II, p. 132 s. »Ἀλλ'.. ἡ αὐστηρὰ ὀρθόδοξος χριστιανικὴ ἠθική, ἔχουσα ὑπ' ὄψιν τὸν ὑπ' αὐτῆς διαπαιδαγωγηθέντα καὶ ἠθικῶς καταρτισθέντα ἄνθρωπον, δὲν ἀναγνωρίζει πραγματικὴν σύγκρουσιν καθηκόντων καὶ ἑπομένως πολὺ ὀλίγον εἶνε διατεθειμένη νὰ υἱοθετήσῃ μικρολόγους κανόνας τῆς διαρρυθμίσεως τῆς διαγωγῆς τοῦ ἀπέναντι τῶν μυρίων δυνατῶν συνδυασμῶν καὶ περιπτώσεων τῆς καθηκοντολογίας, διότι ὁ τοιοῦτος ἄνθρωπος ἔχει ἑκάστοτε τὴν ἱκανότητα καὶ νὰ προλαμβάνῃ τὰς συγκρούσεις διὰ τοῦ ἠθικοῦ καταμερισμοῦ τοῦ χρόνου του καὶ νὰ εἶνε βέβαιος, ὅτι εἰς ἑκάστην περίπτωσιν ἔπραξεν ὅ, τι ὤφειλε νὰ πράξῃ.« Scilicet obici solet Latinis »pharisaeismus et levitas« in doctrina de moribus (Uspenskij, Obl. bogosl. p. 148); casuistas Romanos negligere internam hominis dispositionem, gradum conscientiae et voluntarii et determinare operis pretium secundum res externas; inde oriri doctrinam de collisione officiorum. Hac de re a *P.* agitur a p. 120—133.

In miscellaneis agitur p. 212—6 de relatione Pii X ad ecclesias Orientis. Queritur scriptor, Orientales, quos Leo XIII. semper magni aestimabat, a Pio X. contemni. Abbatiam Cryptoferratensem esse sublatam, commentarios Bessarione subsidio privatos, liturgiam Slavicam coërceri; ubi accurate narratur quendam episcopum Bosniae ad reprehensionem secretarii papae respondisse, se epistolam illius in corbem coniecisse, cum a peritis decessoribus illius numquam reprehensus

sit ob ea, quae utilia vel noxia populo suo iudicaverit. — Generatim existimat Pium X. a doctrina colenda alienum esse.

La Ciudad de Dios. Anno XXVI (Vol. 69. 70.) Madrid 1906.

P. *Cipriano Arribas,* O. S. A., Estudio crítico sobre el probabilismo moderado. I, 361—372; 539—546; 653—663. II, 36—45; 107—117; 294—307; 443—453; 557—567; 645—656.

Perlustrata doctrina s. Alphonsi et eis, quae alii (Ballerini, Arendt, Lehmkuhl, Sabetti, Le Bachelet, Caigny, Aertnys, Gaudé, Jansen, Marc, Ter-Haar etc.) de hac re exposuerunt, *A.* ostendit, discrimen inter aequiprobabilismum et probabilismum, prout a theologis practice propugnantur, fere nullum esse. Ratio est, quia et »excessus probabilitatis, nisi magnus sit, evidens esse nequit« (Aertnys, Theol. mor., de consc. n. 89) unde »quotiescumque intellectus, adhibita ad cognoscendam legem rationabili diligentia, certam tutioris opinionis praeponderantiam clare percipit, libertas remanet in plena sui iuris possessione (P. Marc. C. ss. R., t. 1, nn. 99. 105) nec continget »ut spectatis intrinsecis rationibus quisquam probabilem censeat opinionem, cuius oppositam habet ceu probabilissimam« (Gury t. I, n. 77.) Itaque *A.* consentit Lehmkuhl et Arendt, discrepantiam inter utrumque systema esse exiguam theoreticam, practicam aut nullam aut vix ullam. (I, p. 362. 424. II, 646 ss.) Quodsi addimus non solum aequiprobabilistas a probabilistis revera vix differre, praeter quae systemata moralia in theologia catholica nullum approbatur, sed etiam nomen probabilistarum amplecti viros plurimos, Societati Iesu non adiunctos, ut d'Annibale, Hähnlein, Bouquillon, Göpfert, Rappenhöner, Raphael a s. Josepho, Huppert, Leimbach etc., satis apparet, quam iniuste a nonnullis theologis Russorum Iesuitis probabilismus exprobretur.

Rivista internationale. 1906. Vol. XLI. P. *A Palmieri,* Il prossimo sinodo generale della chiesa russa. P. 161—187. Exponuntur sententiae Russorum de necessitate et utilitate concilii generalis ecclesiarum Russiae ac de quaestionibus cum eius constitutione coniunctis.

Bessarione 1905—6.

C. Tondini de Quarenghi, Une etrange profession de foi russe. (Fasc. 87 p. 241—6).

Exponitur, S. Synodum Russorum contentam fuisse confessione Polockiensi (qua episcopi et clerus uniatorum (12. febr. 1839) ad ecclesiam Russicam accedebant), qua tantum exprimebatur solum Iesum Christum verum caput unius verae ecclesiae esse, nec ultra de ullis quaestionibus antiquitus inter ecclesiam Occidentalem et Orientalem controversis requisivisse consensum.*) Ita enim iudicavit: »Toržestvennoe v postanovlennom sobornom Aktě ispovědanie, čto Gospod' Bog i Spasitel' naš Iisus Hristos edin est' istinnaja Glava edinoj istinnoj Cerkvi, i oběščanie prebyvat' v edinomyslii so svjatějšimi Vostočnymi Pravoslavnymi Patriarhami i Svjatějšim Synodom, neostavljajut ničego trebovat' ot Greko-Uniatskoj Cerkvi dlja istinnago i suščestvennago soedinenija věry, a potomu ne ostaetsja takže ničego, čto moglo by prepjatstvovat' edineniju ierarhičeskomu.« Hac confessione dicit *T.* potuisse s. Synodum omnes catholicos sibi unitos esse declarare. »Les Evêques et le clergé uniates émettaient une Confession de foi qui se trouve en toutes lettres, dans le Catéchisme du Concile de Trente, et le Saint Synode eût pu, fort logiquement, en se basant sur la même »Confession

---

*) Cf. Zapiski Iosifa Mitropolita Litovskago, izdannyja Imperatorskoju Akademieju nauk, po zavěščaniju avtora. Spb. 1883. — Wł. Chotkowski, Dzieje Zniweczenia Sw. Unii na Białorusi i Litwie, w świetle „Pamiętnikow Siemaszki". — Sbornik statej izdannyh Svjatějšim Synodom po povodu pjatidesjatilětija vozsoedinenija s pravosl. Cerkov'ju zapadno-russkih Unjatov Spb. 1889 (II. p. p. 6. 11).

du foi«, déclarer comme également incorporés à l' Église russe, je ne dis pas les Pères du Concile de Trente, parce qu'ils étaient déjà morts, mais tous les Catholiques qui, en professant de croire ce qu'on lit dans le dit Catéchisme professent une doctrine commune aux deux Eglises.« Conferuntur deinde verba Catechismi Romani (de IX. symb. art. q. 11 et 13) cum verbis Confessionis orthodoxae (Petri Mogilae) I, q. 85. Unde apparet utrosque confiteri ecclesiam habere unicum Caput Iesum Christum et consentire etiam in notione vicarii eius, de solo numero vicariorum dissentire. Ecclesiam tamen initio consensisse de monarchica forma regiminis, cuius proprius est vicarius unus, ostenditur e voce ἀρχιποιμὴν τῶν λογικῶν προβάτων, quae etiam nunc in liturgia Graeca (Μηναῖον 29. Iun. ad Laud. [ἀρχιποιμένα τῶν λ. πρ. κατέστησεν[de s. Petro adhibetur.

A. Palmieri, Il ristabilimento del patriarcato in Russia e le polemiche della stampa Russo-Ortodossa. (Fasc. 88 p. 42—47). Exponuntur sententiae diversae Russorum de commodis et incommodis instituendi patriarchae.

Revue Bénédictine, Avril 1906.

A. Palmieri, Un document inédit sur la rebaptisation des Latins chez les Grecs (p. 215—232).

Ecclesia Graeca seu strictius patriarchatus oecumenicus Constantinopolitanus baptismum, quem Latini per aspersionem vel infusionem conferunt, invalidum declarat. Cyrillus V. secundo suo patriarchatu (1752—57) decretum edidit, cui etiam Matthaeus, patriarcha Alexandrinus ac Parthenus, Hierosolymorum antistes nomen dederunt, quo definitur: ab ecclesia orthodoxa in fide orthodoxa Latinos baptizatos non baptizatos haberi et secundum apostolicos canones ac synodos absque dubitatione denuo baptizari (Gedeon, Κανονικαὶ Διατάξεις t. I, Constantinop. p. 254). Nuper Anthimos VII. (1894—97) super Leonis XIII. litteris ad unionem ecclesiae utriusque adducendam datis, cum rescriberet, Latinos baptismum invalide conferre declaravit. Nam baptismum Latinorum rem novam, tangentem essentialia fidei ac relinquendam dicit. Accedunt Graeci theologi moderni plerique: Elias Tandalides, Παπιστικῶν ἐλέγχων τόμος τρίτος, Constant. 1853 pp. 55, 57; Constantinus Oecumenos, quem ipsi theologum saeculi XIX. clarissimum habent, Τὰ σωζόμενα t. I. pp. 398—515; Chrysostomus, Drama antistes, Περὶ ἐκκλησίας t. II. p. 410; Zigavinos archimandrita, Ἀπάντησις εἰς τὴν ἐγκύκλιον ἐπιστολὴν Λέοντος II Πάπα Ῥώμης περὶ ἑνώσεως τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας μετὰ τῆς δυτικῆς. Marseille, 1894, p. 179. Omnes hi auctores, quamvis invalidum baptismum per aspersionem collatum declarent, tamen Latinos ad Gentiles pertinere, id quod sequitur, affirmare non audent.

Contra Graecos tria militant: Usus ipsorum saepe contradicens, ecclesia orthodoxa Russia in hac re non consentiens, origo huius erroris funesta.

Ioachim II. (1860—63; 1873 — 78) litteris patriarchalibus et synodalibus supra decreto Cyrilli V. celeberrimo datis, laudans illud simul ecclesiae independenti (autocéphale) regni Hellenici plenam hac in re libertatem fecit. (Theodoca, Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου Constant. 1897 pp. 369, 70). S. Synodus a. 1878, 24/IV. anabaptismum necessarium esse decernens, subsequenti anno sola unctione chrismatis denuo collata contenta fuit (ib. p. 370). Infantes etiam dispensati a. 1880 dein a. 1885 diaconi (ib. p. 371, 74). De doctrina eccl. Russicae hac in re discrepanti legi potest Serafimov, Pravila i praktika cerkvi otnositel'no prisoedinenija k pravoslaviju nepravoslavnyh hristian, Kostroma, 1882, pp. 131 - 138. — Maltzev, Antwort auf die Schrift des hochw. Domkapitulars Röhm, Berlin, 1896, p. 64—66. —

Si historiographos consulis, originem anabaptismi a monacho quodam Graeco ipsos deducere reperies. Ita Sergius Macree, Ὑπομνήματα ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας, apud Sathas Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη, t. III. Ve-

net. 1872 pp. 208 224; Dapontes, Καθρέπτης γυναικῶν, Lipsiae, 1766, t II. pp. 178–81; Hypsilanti, Τὰ μετὰ τὴν ἅλωσιν, Constant. 1870, p 365; Kumas, Ἱστορία τῶν ἀνθρωπίνων πράξεων, Viennae, 1831, t. X. pp. 33—41. Ipsum fuisse pseudomonachum, c. a. 1750 populum praetentu invalidi baptismi contra Latinos excitasse, tandem sine vestigio disparuisse conveniunt. Sed documenta gravissima hac in re nondum edita sunt. Ad quae pertinet illud, quod Palmieri ope Papadopulo-Kerameos, multum in rebus Byzantium spectantibus versati, primo in lucem edidit, quodque historiam famosi Auxentii magnopere aperit. Est desumptum ex catalogo patriarcharum Constant. a Pancratio Dimeros seu Dimaris, diacono Ianinensi, exarato. Qui catalogus ineditus in bibliothecae Constantinop. collectione litteraria Graeca servatur et in codice, signato numero 14, continetur. Titulus Ms ab ipso Pancratio exarati sequitur: Κατάλογος χρονολογικὸς ἀκριβῶς μάλα καὶ συνοπτικῶς περιέχων τοὺς βασιλεῖς Ῥωμαίων καὶ Ὀθωμανῶν καὶ πατριάρχας Κωνσταντινουπόλεως ἀπὸ τοῦ αψνς' ἔτους, συντεθεὶς παρὰ Παγκρατίου ἱεροδιακόνου Δημάρου τοῦ ἐξ Ἰωαννίνων. Ille catalogus non amplius integer, ex omnibus hucusque de Patriarchis Const. editis teste Papadopulo-Keramevs spectata critica ratione et copia rerum primo loco venit. Quod pseudomonachum Auxentium controversiamque anabaptismi spectat, clarissimum ac pulcherrimum valoris baptismi a Latimis collati contra Graecos exhibet testimonium. Pauca rem evincunt 1751. Παΐσιος β' τόδ', ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ Μαχμούτη διὰ κοινῆς προσκλήσεως τῶν ἁγίων ἀρχιερέων ἔλαβεν τὸν θρόνον καὶ ἐπατριάρχευσε θεοφιλῶς ἔτος ἓν καὶ μῆνας τρεῖς. Σημείωσαι ὅτι ἐπὶ τούτου τοῦ σεβασμίου πατριάρχου ἀνεφύη ἐν τοῖς περιχώροις Νικομηδείας εἷς ψευδομόναχος καὶ ἐλαοπλάνει πολλούς. Ὑποκρινόμενος ἀρετὴν καὶ ἁγιότητα ἔλεγεν θεόθεν πεμφθῆναι κηρύξαι μετάνοιαν.« Totus est fraus et fallaciae; praestigiator, qui fictis cum aliis composito consilio miraculis mundum decipit, impurus etc. De anabaptismo legimus: »Ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἀναβὰς ὁ ψευδοερημίτης ἐπὶ τὴν θυρίδα τῆς κελλίας αὐτοῦ ἔλεγε τῷ ὄχλῳ. »»Χριστιανοί, σήμερον κεντρώθηκα νὰ κηρύξω τὸν ἀναβαπτισμόν, καὶ νὰ ἠξεύρητε ὅτί οἱ Ἀρμένιδες καὶ οἱ Φράγγοι εἶναι ἀβάπτιστοι, καὶ δὲν πιστεύουν τὸν Χριστὸν καὶ τὴν Παναγίαν καὶ τὸν καλόγηρον (οὕτως ἑαυτὸν ἐκάλει). Διὰ*) τοῦτο ἀναβαπτισμός, ἀναβαπτισμός.«« Quibus sane vesaniis et fraudibus Cyrillus V, aequalis pseudoprophetae, valorem dogmaticum tribuit. Lebedev, Istorija grekovostočnoj cerkvi pod vlastiju Turok (Sergiev Posad, 1896, t. I. p. 322 323), patriarcham vituperat quod antiquam consuetudinem (drevnecerkovnoe obyknovenie) qua Latini in ecclesiam orthodoxam solum uncti denuo sancto chrismate recipiebantur, improbe mutaverit.

J. Knabenbauer, S. I. **Commentarius in duos libros Machabaeorum.** Parisiis 1907

Notus scripturae sacrae commentator novum industriae suae fructum edidit. Ubi dolemus locos maioris momenti non diligentius tractari quam alios. De illo enim 2 Mach 12, 46 haec pauca commemorantur (p. 410—1): »Nihil ex hoc loco colligi pro doctrina catholica de purgatorio existimat Keil, quia . . . — Sufficiat nobis ab auctore illam sententiam et Iudae attribui et vehementer commendari; testimonium evidens est praeterea de fide Iudaeorum illius temporis. — Etiam Grimm monet Iudam potuisse velle sacrificium in bonum superstitum; cf. v. 42. Sed auctor libri explicite aliud de Iuda enuntiat. Dein monet *Gr.*: si pro mortuis sacrificium offerendum curabat, ita fieri poterat, ut apud Deum iis impetraret remissionem poenarum in orco (Hades). Optime; ita censet *Gr.* et nihilo minus contendit nihil rite colligi pro doctrina purgatorii. Vir doctus non videtur suspicari quidnam illa doctrina contineatur; alioquin intellexisset se remissione illa poenarum in orco verissime adstruxisse illam ipsam, quam impugnat, doctrinam.« Verum est obvium huius loci sensum videri omnino esse eum, unde

---

*) Revue Bénédictine: Γιά.

concludatur Iudam et sacerdotes et synagogam, item populum pecuniam conferentem credidisse (quae sententia saltem minime improbatur a scriptore inspirato), orandum esse, ut mortui post peccata citius liberentur a poenis pro illis peccatis luendis. Alioquin enim aut dicendum esset, intelligi peccata synagogica, quae sola auferri possint sacrificiis V. T., non theologica, aut efficaciam precum pro tempore praeterito (ut ante mortem actum contritionis elicuerint), aut solutionem a peccatis, pro quibus luendum non esset, sed fortasse tantum minor gloria acceptanda. Quae tamen data opera excludenda erant.

J. B. Rebours, **Traité de Psaltique.** Jérusalem 1906, 290 p. De cantu in eccl. Graeca.

Iezekiel Beladiniotes. Ὁ Ἐθνομάρτυς Πατριάρχης Κύριλλος ὁ Λούκαρις. Athen. 1906. 24 p.

Memoria liturgiae slavicae in dioecesi Auxerensi. (Publicationes Palaeoslav. academiae Veglensis A. 1906 fasciculus 1 4.) Ex archivio dioecesano Auxerensi excerpsit Jos. Vajs. Veglae 1906.

Anno elapso, quo Illmi metropolitae Illyrici (Goritien), Dalmatiae (Jadertinas) Croatiae (Zagrabien.) cum suis suffraganeis Romam ad consulendum de quaestione liturgiae Glagolito-romanae vocarentur, triste spectaculum oculis nostris apparuit. Plura enim folia periodica Italica potissimum dicionis Austriae et externa, et quod peius est catholica, imo etiam ea quae principaliora habentur, tali modo de quaestione liturgiae Glagolito-Romanae attinet scripserunt, ut in apertam cum historio contradictionem devenerint. Hanc agendi rationem Illmus episcopus Veglensis rei Glagoliticae vindex intrepidus in Actis Curiae episcopalis Veglen. (Num. 9, pag. 143 et sqq.) publice notavit.

Interea in publicationibus dioecesanae academiae Veglen. opusculum supra nominatum prodiit, quod apologia quaedam est liturgiae Glagolito-Romanae in dioecesi Auxerensi ab adversariis impetitae. Auctor omnia et singula quae ex SS. Congregationum Litteris, Visitatoris Apostolici relationibus, Synodorum dioecesanarum Actis nec non Visitationum canonicarum protocollis proferri poterant, attulit, sicque adversarios ex locis, ad quos ipsi confugiebant, convincit. Itali in opusculo potissimum Fr. Salatae (L' antica diecesi d' Ossero e la liturgia Slava) Polae 1897 edito confisi sunt, qui custodes archivii dioecesani Auxerensis accusavit, quasi nollent ex archivio ea in lucem proferre, quae commentis suis ad confutandum ius liturgiae in dioecesi Auxerensi favere sperabant. At frustra; nam acta nunc publicata liturgiae Slavicae patrocinantur.

Opusculum seriem annexam habet singulorum sacerdotum, qui Sacra lingua slavica peragebant, nec non indicem glagoliticorum missalium, breviariorum, ritualium, tabellarum etc., brevi omnium, quae ab Illmis Ordinariis dioecesim visitantibus tamquam liturgiae in dioecesi legitime vigenti necessaria comparari iubentur.

Talis modus cum adversariis agendi optimus est, librumque, qui non solum quae ex ignorantia vel passione falso asserebantur confutat, sed etiam partem historiae dioecesis Auxerensis, quod ad liturgiam Slavicam attinet, illustrat, commendat.

Ant. Malvy, **La Réforme de l' Église russe.** Paris 1906.

Motum et agitationem religiosam in Russia quae modo obtinent, plenius describere non intendit auctor, sed quaedam puncta quasi super profundo turbido lucentia exhibere sive religionis reformandae facta publica praecipua notare prae oculis habet. Cui in conscribendo libello completa collectio praecipuarum publicationum a theologis Russicis anno 1905 editarum ad usum fuit.

Motus ille, qui iam totam Russiam velut mare immensum inundavit, ex duplici ortum duxit fonte, ex privata activitate et auctoritate

publica, quae iuxta se currentes, nullam forte de se invicem notitiam habebant.

Consilium ministrorum cum capitibus potestatis administrativae extremo anno 1904 ad »deliberationem propriam« convenerunt, ut spes edicto imperiali de 12/12 04 exhibitas multo negotio implerent. Praecipua quaestio eis fuit de secta »Raskolniki« dicta, quae postquam publice discessit, a magistratibus et legibus multum vexabatur. Ad quam sessionem Antonius, metropolita Petropolitanus, excellens eruditione et ingenio, ascitus fuit. Quamquam ille libertatem conscientiae defendit, tamen concessionem »Raskolnicis« faciendam ipsi ecclesiae orthodoxae iniustam ac periculosam fore declaravit.

Comes de Witte, qui praesidebat et praesuli consentiebat, rem ad imperatorem rettulit. Sua maiestas dein eundem metropolitam benigne invitavit: »ut de petitionibus et desideriis hierarchiae certior fieret.« Praelatus pluribus adhibitis iuris canonici professoribus academiae Petropolitanae, imperatori post dies aliquos libellum supplicem dedit.

Quae dum a magistratibus aguntur, eadem quaestio de reformanda religione iam etiam a presbyteratu in lucem editur

Sacerdotes enim numero 32, omnes Petropolitani, in foliis quae »Cerkovnyj Věstnik« vocant, placita sua »de necessitate mutandae gubernationis ecclesiae Russicae« divulgaverunt. Hi praesuli suo litteras supplices, postea 5./IV. editas, de eadem re insuper dederunt. »Per duo iam saecula«, ita illi »siluit ecclesia«. Regimen atque magnam vim rei publicae ad internas res ecclesiae radicem esse omnium malorum; episcopos a magistratibus civilibus eligi, transponi, deponi; s. synodum a gubernio formari; ipsos postulare has ob causas concilium generale, vere repraesentans ecclesiam.

Quae de una hac re a Martio usque ad Iunium 1905 prodierunt, volumen amplum, 600 p. continens constitunt.

Antonius in libello superius nominato maiorem petiit libertatem et independentiam a gubernio, ut clerus ad rem publicam administrandam admitteretur, denique ut conventus generalis tum cleri tum laicorum convocaretur ad actuales utriusque potestatis necessitates ordinandas.

Illo tempore etiam de Witte, nescitur utrum per se an libello illi Antonii motus, »De actuali ecclesiae Russicae statu« spripsit, propius quam ipse praelatus petitioni sacerdotum accedens. Praeter alia, illud Dostoevskyi »A tempore Petri M. ecclesiam Russiacam ea paralysi laborare« suum faciens, patriarcham abhinc non fuisse caput personale scribit sed non nisi consilii permanentis praesidem. Ipse quoque comes concilium postulat, ad quod omnes meliores vires ex clero et laicis congregentur. »A duobus saeculis«, inquit »siluit ecclesia; non audivimus vocem eius; nonne tempus est, illi aurem accommodare et de illa sciscitari, quid cogitet de forma, quam contra suam voluntatem suasque traditiones a sacra antiquitate transmissas, accepit?«

Interim Pobědonoscev, procurator supremus s. Synodi, timens operi Petri N. ab imperatore impetravit mandatum: »Tollatur res de consilio ministrorum ac transferatur ad s. Synodum.«

Sed hic supremi procuratoris extremus conatus ad irritum redactus est. Nam s. Synodus, sessionibus 15., 18., 22. Martii habitis, libellum supplicem et relationem pro religione reformanda ad imperatorem edidit.

Insequentes res politicae effecerunt, ut quaestiones istae de ephemeridibus, in publicationes theologicas, quibus excellit Russia, paulatim transirent.

Ineunte anno 1906 prodiit maximo totius fere cler cum applausu catalogus electos designans ad consilium futurum praeparandum. Inter quos etiam nonnulli archipresbyteri et professores laici, clarissimi inter scriptores, habentur.

Iam vero magis in dies semper ecclesia orthodoxa in ipsa sua

interna forma et vita exagitari et turbari videtur. Non solum quod clerus saecularis sive albus, immo aliquando et laici ad s. Synodum eligi, et ad consilium futurum vocari student: quod clerus albus etiam ad episcopatum admitti vult; sed disputatur iam etiam de ipso principio vel fonte, in quo sit omnis potestas in ecclesia. Altera sententia non differt a catholicismo nisi defectu primatus papalis, docetque omnem iurisdictionem penes solos esse episcopos iisque divinitus impositione manuum tribui; altera omnem potestam delegari a populo episcopis affirmat. Quod principium democraticum, etsi nondum aperte prolatum tamen ex placitis argumentis quae pro futuro formando concilio afferentur, et logica necessitate deducitur et in dies latius diffunditur. —

En brevis conspectus libri »La Réforme de l' Église russe« inscripti, maxima cura ac diligentia compositi, quem rerum in Russia modo gestarum futuris scriptoribus magnopere commendamus.

O. Žídek.

RESPONSA AD INTERROGATIONES.

I.

De salute peccatoris morientis in attritione existentis.

In fasciculo primo huius anni (p. 92—94) quaestioni propositae, utrum cum Graecis defendi possit, „Deum etiam iis, qui in peccato gravi moriuntur, ignoscere posse et ignoscere vere, si pro eis preces fiant in terris“, responsum, doctrinae claritate commendatum, propositum est. Cum tamen ad illud plures obiectiones factae sint, iuverit, paucis quid de tota quaestione sentiendum videatur ita aperire, ut et responsi iam dati et obiectionum, quae factae sunt, simul debita ratio habeatur.

Ac primum quidem videtur propositio proposita sensu omnino sano et catholico accipi posse. De fide est ex ipso concilio Florentino, eos, qui in actuali mortali peccato discedunt, mox in infernum descendere, ex inferno autem nullam esse redemptionem. Quare quaestio non iam de homine mortuo, sed de moriente intelligenda est. Hic homo supponitur esse in statu peccati mortalis, attamen habens, ex Dei gratia, contritionem imperfectam seu attritionem. Quaeritur, num hic homo, si pro ipso preces in terra fundantur, salvari possit. Ad quam quaestionem sine ulla dubitatione respondendum est: e t s a l v a r i p o s s e e t d e f a c t o m u l t o s p r o D e i m i s e r i c o r d i a s a l v a r i. Attamen quaeritur, qua via oratio fidelium salutem huius hominis obtineat. Recte sane animadversum est per vim orationis impetrativam a Deo obtineri posse et obtineri reipsa quasdam gratias, ad quas ex opere operato obtinendas vel sacramentum nullum institutum vel saltem in casu dato non applicatum est; et inter has gratias sine dubio salus talis hominis merito comprehenditur. Sed quaeritur, primo, quis effectus immediatus talis orationis sit, seu quaenam sit praecise ista gratia, quae immediatus fructus talis orationis est, seu quaenam secundo, utrum oratio suum effectum f i n a l e m i. e. salutem animae i n f a l l i b i l i t e r obtineat.

Quod primam quaestionem attinet, ille effectus immediatus orationis sine dubio in gratia Dei speciali reponendus est, qua talis homo

ad contritionem perfectam, iam iustificantem, disponatur et moveatur et inducatur; haec enim est illa gratia, quae tali homini in his circumstantiis ad salutem necessaria est, et generatim credendum est, Deum usque ad ultimum vitae halitum erga hominem non iustitia puniente, sed misericordia adiuvante uti velle, et voluntatem Dei salvificam, veram et sinceram solum cum ipsa morte finem habere. Deum semper ad preces fidelium talem gratiam inducentem ad contritionem perfectam iustificantem concedere, negare non est necesse et credere pium est et sanae fidei de Dei infinita misericordia omnino congruum.

Omnino alia autem est quaestio, num in omnibus hisce casibus etiam effectus completus et finalis, salvatio dico animae, reipsa obtineatur. Iamvero licet hoc in multis casibus, quae Dei est misericordia, piissime credamus, tamen aeque certum est, id de omnibus casibus dici nullo modo posse. Haec enim semper est conditio hominis, sub gratia positi, quod ipsius est per cooperationem suam talem gratiam reddere efficacem, et sicut durante longissima vita sua, non obstantibus omnibus precibus pro ipso fusis consensum denegare potest, ita etiam in hoc supremo momento, a quo tota pendet aeternitas, hunc consensum negare potest. At, dixeris, quomodo probabile est hominem, qui attritionem iam habere supponitur, gratia ad contritionem perfectam impellente non uti? Attamen haec possibilitas nullo modo excludi potest. Nam etiam gratiae ad contritionem perfectam moventes, etsi omnes et singulae ad illum effectum obtinendum vere sufficiant, tamen possent esse maiores vel minores. Maior vel minor autem gratiae vis tum obiective a veritate illa pendet, quam gratia mentem illuminans ei proponit atque ab impulsu voluntatis, qui per modum inspirationis talem illuminationem sequitur, tum subiective a dispositione habituali huius hominis. Potest enim esse, ut de homine agatur, qui vix unquam in vita sua a caritate perfecta se moveri sivit, unde esse potest, ut etiam nunc moriens, etsi terrore inferni concutiatur vel etiam spe coeli alliciatur, tamen in amore Dei perfecto, etsi eum, si omnes vires resumat, ponere possit, tantam difficultatem nunquam a se vinci solitam inveniat, ut de facto ad talem actum non assurgat. Sic quidem sperare licet Deum, quo ferventiores pro tali homine preces fundantur, eo maiores et convenientiores eidem gratias in hoc ultimo momento concedere; attamen, etiamsi gratiae maxime insignes sint, manet homo semper liber, etiam maximam gratiam potest vel omnino negligere vel ita negligenter se ad consentiendum movere, ut eum prius mors occupet, quam ad contritionem perfectam perveniat. Ipsi Iudae in supremo vitae momento Iesu amantissimi magistri gratiam defuisse credere non possumus, et ipsam etiam Beatissimam Virginem pro eo orasse valde probabile est, attamen Dominus dicit, melius ei fuisse, si nunquum natus esset, quod signum est eum, gratiae non cooperando salutem non esse consecutum; et ipse etiam bonus latro, cum iuxta Dominum in cruce pendens, gratiam pretiosissimam obtinuisset, eadem sicut latro malus non uti potuisset. Quare sicut unus homo non obstantibus omnibus orationibus pro ipso fusis et non obstantibus omnibus gratiis intuitu harum

orationum ipsi collatis, potest sua culpa ne ad contritionem quidem imperfectam pervenire, sic alius poterit contritione perfecta ipsi necessaria sua culpa destitutus ad aeternitatem infelicem transire. Omnia quidem in illo supremo momento de Dei infinita misericordia sperare et ferventissimis orationibus postulare possumus, effectum etiam orationis proximum i. e. gratiam ad perfectam contritionem necessariam eum nunquam denegare pie sperare et credere possumus, at de ultimo et pleno salutis effectu absolutam certitudinem habere non possumus.

Quibus omnino suppositis, ad singula, quae ad solutionem iam prius propositam obiecta sunt, haec responderi possunt:

Ad textum concilii Tridentini ibidem allatum animadversum est, eum de viventibus loqui non autem de morientibus. Verum quidem est, concilium immediate et directe hominem sanum spectare vel saltem eum, qui adhuc per confessionem saluti animae consulere possit, de eoque enuntiare attritionem illam sine ipso sacramento re suscepto ad iustificationem non sufficere, neque decretum immediate tangit alteram quaestionem, utrum in mera attritione existens et sine sacramento moriturus tamen adhuc et qua via salutem consequi possit. Iam vero, ut in expositione illius decreti recte animadversum est, attritio qua talis, nulla omnino re accedente i. e. neque confessione neque extrema unctione neque contritione perfecta, nullo unquam in casu iustificare potest; oppositum esset doctrina a revelatione omnino aliena. Sicut tamen ex iis, quae diximus, luculenter patet, inde quaestio prorsus diversa nullo modo tangitur, utrum non mediantibus orationibus fidelium ad illam attritionem etiam in eo, qui nec poenitentiam nec extremam unctionem accipere potest, aliquid aliud accedere possit, quo posito salutem aeternam consequatur. Ad quam quaestionem affirmative, sicut fecimus, respondendum est.

Ad explicationem orationum in missa pro defunctis datam animadversum est, talem dramaticam alias nullibi in orationibus ecclesiae inveniri. Nolo hic epiclesim commemorare, ut quae et ipsa controversiae locum daret. At: illae orationes etiam in sententia ab obiciente proposita, quod scilicet attritio cum nuda additione orationis fidelium aliquod totum ad salvationem animae sufficiens constituat, omnino eodem sensu explicandae essent. Nam aut hanc vim adscribunt tantum orationibus ante mortem factis aut etiam orationibus post mortem factis: si primum, explicandum manet, quidnam istae orationes post mortem factae et liberationem ab inferno postulantes efficiant, quove tendant: si alterum, tunc modus, quo suum effectum consequantur, sane explicandus est, nec poterit aliter explicari quam eo, quod a Deo tanquam ante mortem factae accipiantur, quo ipso habetur repraesentatio illa dramatica temporis iam praeteriti.

Quod explicationem datam efficaciae precum attinet, sustinetur ab obiciente, ecclesiam, dum orat, esse simpliciter infallibilem, tum quod in obiecto petitionis, vero scilicet bono, errare nequeat, tum quod petentis indignitas, quae efficaciam precum privatarum impedire solet, hic exclusa sit. Iam vero in expositione prius data recte omnino statuitur, etiam ecclesiam quoad exauditionem precum suarum habere conditionem

appositam, dummodo gratiae tales ordini divinae providentiae sint conformes. Id enim nullo modo negari potest: nam ecclesia certo ardentissimis a Deo precibus unionem ecclesiarum separatarum postulat, quam esse verum bonum et obiectum ipsius petitionis Christi, „ut omnes unum sint". „ut fiat unum ovile et unus pastor", extra omne dubium positum est; attamen nondum ecclesia exaudita est.

Profecto verum est, ecclesiam, si quidem absolute aliquid petat, infallibiliter id impetrat: sicut et Christus, pro Petro eiusque cessaribus absolute petens, ne fides eorum unquam deficiat, effectum huius petitionis, infallibilitatem dico Romani pontificis certo obtinuit. At inde non sequitur sive ecclesiam omnia, quaecumque petit, absolute petere ideoque infallibiliter obtinere, sive etiam tantum ecclesiam quidquid sibi placuerit, saltem posse absolute petere *). Nonne enim, si posset et non faceret, crudelis dicenda esset? Quare, si una ex parte constat, ecclesiam pro omnibus fidelibus perseverantiam finalem petere [etiam respiciendo ad promissionem Christi, ut in Canone Missae: „in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum"] ex altera tamen parte in extremo iudicio multo fideles propter defectum bonorum operum in ignem aeternum detrudi, profecto hoc signum est, ecclesiam perseverantiam finalem omnium fidelium non solum de facto non petere absolute, verum etiam ne posse quidem petere absolute ideoque eam promissionem impetrationis in nostro casu non esse intellegendam absolutam sed [etsi non a ratione pulchritudinis e damnatorum existentia orientis aut ab ulla ratione quae cum universali voluntate salutifera Dei componi nequeat, tamen] a divino beneplacito, certe optime fundato, dependentem. Dr. *P. S.*

II.

De valore absolutionis in ecclesia Orientali.

A priori videtur exclusum esse, ut iurisdictio necessaria ad valorem absolutionis tot pastoribus animarum non concedatur ab eis, qui eam concedendi copiam habent: quomodo enim rationem redderent tantae inclementiae in eos, qui bona fide ab eis abalienati sunt?

Cum demonstratum esse videatur (cf. p. 63—8) s. Sedem sacerdotibus ecclesiae Orientalis a se separatis potestatem extraordinariam confirmandi et oleum infirmorum consecrandi in universum non abstulisse, iurisdictionem ad sacramentum poenitentiae necessariam eos habere, vix prudenter negatur. Nullo modo dubitari potest hac de re in periculo mortis. Attendendus est etiam error communis. Accedit, quod ecclesia Romana, ni

*) Ecclesia absolute nihil petit nisi absolutam promissionem Domini accepit, ut in precibus stricte sacramentalibus e. g. in ordinatione sacerdotis, in unctione infirmorum; in precibus quae ad victoriam de inimicis suis obtinendam — non tamen determinato tempore — obtinendam — et in eis, quae ad simpliciter mala avertenda spectant etc. In sęcentis aliis casibus talem absolutem promissionem non habet; neque scit, num res, si impetratur, certo bona sit futura, e. g. si precatur: a peste, fame et bello libera nos Domine. *K.*

fallimur, nunquam ab eis, qui se ei denuo coniunxerunt — ut nonnumquam integrae nationes — confessionem generalem de tota vita postulavit, id quod postulare debuisset, si absolutiones priores omnes invalidae fuissent. Cf. de hac quaestione librum: Memento de Théologie morale à l'usage des missionaires par le P. Rom. Souarn des Augustins de l'assomption n. 129—138. *Red.*

De Velehradensi conventu theologorum commercii studiorum inter Occidentem et Orientem cupidorum.

Postquam privatim — maxime Dris Fr. X. Grivec industria — complures theologi consilium ceperunt enitendi, ut distracti inter se et a coniunctione avocati Occidentales et Orientales in pristinam concordiam reducerentur, ex alienis amici redderentur, rationum utilitatumque communicatione fruerentur, denique infelix illud ecclesiarum discidium tolleretur, — unde et »Slavorum litterae theologicae« ortae sunt et societas Apostolatus ss. Cyrilli et Methodii iam pridem Velehradii condita adducta est, ut novis illis commentariis praesidio suo munitis negotia sua augeret, — mirum non erat, quod de re maximum emolumentum promittente, de conventu eodem spectante a viris hoc studio inflammatis agi coeptum est. Res Deo manifeste iuvante ita evenit: Inter Pl. R. D. Mons. Dr. A. C. Stojan et R. D. A. Špaldák per occasionem conventus Apostolatus supra nominati eiusque coetus academici superiore anno Velehradii habiti convenit, ut ad studia pertinentia ad aperiendam viam pacis et concordiae inter Occidentem et Orientem, ad controversias disceptandas, opiniones praeiudicatas corrigendas, animos offensiores recolligendos, amicitiam de integro renovandam, inquam ad haec, studia eorumque desideria augenda et dirigenda conatus caperetur convocandi eos, qui his rebus operam dare vellent, Velehradium in Moraviam — quo loco sive commoditatem spectas sive religionem, nullus aptior invenitur —, ubi doctorum virorum, in his rebus perfectorum, lectiones audirent. Quae cum pararentur varia consilia proposita — maxime a R. D. Werner — et animi rei studio ardentes effecerunt, ut praeparatum institutionis triduum in conventum omnium theologorum commercii studiorum inter Orientem et Occidentem cupidorum mutaretur, qui non solum de rebus in cognitione positis instruerentur, sed etiam de variis rationibus in agendo positis deliberarent.

Ex invitatis ad legendum benigna excusatione impedimentorum usi sunt RR. DD. Dr. J. Kern, Dr. M. Končar, Dr. J. Pachta, Mons. L. Duchesne, Pl. de Meester, P. Pierling, A. Malvy, M. Jugie: promiserunt se verba facturos esse: R. D. I. Urban de eis, quae a theologis occidentalibus pro Orientalibus effici possint et debeant, R. D. A. Špaldák de debita Orientalium ad ecclesiam Romanam relatione. R. D. A. Palmieri de sententiis catholicis apud theologos Russiae R. D. Dr. Fr. Grivec

de tentaminibus unionis, R. D. B. Spáčil de indulgentiis, R. D. M. Haľuščyńskyj de epiclesi, R. D. Fr. Snopek de consensu ss. Cyrilli et Methodii cum doctrina Romana, R. D. I. Černý de liturgia eorundem; RR. DD. Spáčil et Černý tamen impediti sunt, quominus legerent. Quae in »Slavorum litteris theologicis« simul cum tempore conventui celebrando a R. D. V. Wirsig, Velehradensis collegii rectore, constituto indicata sunt, unde etiam in alia folia (ut Corriere d'Italia, Num. 193; Cerkovnyja Vědomosti No 20, p. 825) transierunt. Deinde litteris scriptis singillatim plurimi episcopi et theologi — occidentales et orientales, Slavici et externi — ad conventum invitati sunt, Celsissimus vero dioecesis Olomucensis princeps archiepiscopus Fr. Sal. Bauer, ut s. Methodii, patroni caelestis, successor, rogatus est, ut tutelam conventus susciperet. Cum res iam maturae esse viderentur R. D. J. Rybák et ea quae legenda et ea quae deliberanda erant descripsit atque apte disposuit et libellis, qui in variis commentariis (Časop. kat. duchovenstva, Vlast, Hlas, Čech etc.) descripti sunt, dispersis nota fecit. Nonnulli diurnorum scriptores vim et momentum futuri conventus sapienter praesenserunt et exposuerunt ut in praeclaro illo Pragensi »Týden« n. 29 (42) [1]) et in Labacensi »Slovenec« n. 158 [2]).

---

[1]) Čím důležitější, rozsáhlejší a obtížnější jest započaté dílo, tím snáze se stává, že energie a vytrvalost činitelů jeho poněkud ochábne a že zapotřebí jest vzpružení, aby dílo opět čile pokračovalo, rostlo a se dařilo. „Spojenými silami“ volá se dnes na všech stranách, schůze a sjezdy jsou dnes zpravidla pružinou při sebe menší akci. Jak jinak mohla by býti účinněji vzpružena idea Cyrillo-Methodějská, jak jinak mohlo by zdatněji podporováno býti dílo podniknuté pro unii mezi pravoslavným Východem a katolickým Západem než sjezdem těch, kteří si této unie přejí, pro ni pracují, ji připravují? Proto sluší uznati, že sjezd vědeckého odboru Apoštolátu sv. Cyrilla a Methoděje na Velehradě, který se bude pod protektorátem Jeho Excel. nejdůst. p. arcibiskupa Olomouckého konati ve dnech 25.—27. července t. r., znamená pro myšlenku Cyrillo-Methodějskou důležitý krok v před. Sjezd ten pořádán jest pro všechny, kdo se o východní otázku zajímají a oživení a rozproudění pokusův o sblížení církve východní s církví římskou si přejí. Jaké naděje na unii byly kladeny u nás v Čechách při založení Apoštolátu sv. Cyrilla a Methoděje v roce 1885! Zdaž odpovídají těmto nadějím také skutečné události? Tážeme-li se na výsledky misionářské práce na Východě, zůstaly daleko za očekávaným úspěchem. Ale kdo zná poměry a překážky zdárného misionářského působení, nediví se tomu. Neboť jak mohou tamní tak četní misionáři z různých států a zemí evropských pracovati energicky, vytrvale a vynalezavě, i když opatrně, pro unii, dávají-li se strhnouti pohnutkami jinými a pracují-li spíše pro zájmy evropských států? Vedle toho scházel dosud v práci Apoštolátu pro unii systém. Proto ohlášený sjezd unionistů na Velehradě jest slibným začátkem práce organisované a soustředěné na to, co jest v plánu Apoštolátu hlavním a vůdčím, na uskutečnění idey Cyrillo-Methodějské. Dnes pracuje se všude hlavně tiskem a agitací. Tak i zde. Tisk jest práce literární, vědecká; agitace jest práce misionářská a sběratelská. Sjezd ustanoví její program, objasní překážky, ukáže cesty a prostředky k jejich odstranění, usnese se

Celsissimo Protectore sub vesperum diei 24. Iulii sollemniter excepto conventus initium sumpsit.

Convenerunt: † Franciscus Salesius, Princeps-Archiepiscopus Olomucensis; † Andreas Metropolitanus Halicensis, Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum, Episcopus Kamenecensis Podoliae (comes Szeptycki); † Fr. Robertus Menini O. C. Archiepiscopus Vic. Apost. in Bulgaria; Dr. Fr. Grivec, docens theol. Labaci, delegatus RR. D. Episcopi Labacensis; Dr. Fr. Kovačić, theol. prof. Marburgi, delegatus RR. D. Principis Episcopi Marburgensis; Dr. Fr. Reyl, Ep. Consistorii Consiliarius, delegatus RR. D. Episcopi Reginae-Hradecensis; Io. Bączek (Varsavia); A. Barvinsky (Leopoli); H. Beránek (Brno-Zábrdovice); Dr. A. Breitenbach (Kroměříž); A. Bukowski (Widnawia); Er. Cyrus (Praga); J. M. Černý (Kalksburg); A. Číhal (Niclesii); E. Dlouhý (Olomucii); Dr. D. Dorožynskij (Leopoli); E. Dostál (Holice); Dr. Fr. Ehrmann (can. Olomucensis); J. Filip (Prostějov); Fr. Gája (Zahnašovice); Iv. Gašperčik (Olomucensis); Cyr. Grebeníček (Znoimae); Lud. Grygera (Vracov); Mc. Hałuščyńskyj

---

na resolucích a postará se, aby přešly ve skutek. Dokud se sjezd nesešel, měl jeden pracovník na tomto díle zápasiti s překážkou tou, jiný opět s jinou, a k tomu jeden o druhém nevěděl, neřku-li, aby byl mohl mu poraditi. Sjezd sblíží a seznámí vespolek všechny činitele pro unii pracující a po zralé úvaze všech zkušených ustanoví jednotný postup v práci, kterým se bude jednotlivcům říditi. Myšlenka sjezdová pro účely unie není sice zcela nová; něco podobného zamýšlel již prof. Zdziechowski, laik, ale nepodařilo se mu ji uskutečniti. Za to poštěstilo se letos svolavatelům sjezd zabezpečiti. Volba místa jest co nejvhodnější. Tam pracuje se lépe, kde jest nadšení: a Velehrad jest místo posvátné a drahé jak pravoslavnému tak katolíku, místo, odkud vzešla Slovanstvu víra jediná a kde mu má také navrácena býti. Pozvání ku sjezdu jako svolavatelé podepsali p. Dr. Ant. Stojan, poslanec a p. Dr. Ant. Podlaha, metropol. kanovník v Praze.

[2]) Največje versko in kulturno vprašanje, kar jih pozna svetovna zgodovina, je vzhodno cerkveno in kulturno vprašanje, vprašanje o razmerju med vzhodno in zapadno cerkvijo, med vzhodno in zapadno kulturo. Globoke kulturne razlike, različnosti narodnega značaja in duha so sodelovale pri onem boju med vzhodom in zapadom, ki se je končal s cerkvenim razkolom. Prvi evropski učenjaki (Krummbacher, Ehrhard, Diehl, Gelzer, Duchesne), priznavajo, da spada vzhodni razkol med najusodnejše dogodke svetovne zgodovine; ta razkol je imel posebno za vzhod najstrašnejše posledice. Odkod to globoko nasprotje med Srbi in Hrvati, med Rusi in Poljaki, orientalci in zapadnjaki? Vse to je provzročil razkol, ki je pretrgal prijateljsko in zaupno občevanje med vzhodno in zapadno cerkvijo, vzhodno in zapadno kulturo, vzhodnim in zapadnim duhom.

Stoletja so se veliki in goreči možje trudili, da bi rešili to velikansko vprašanje, a brez posebnega uspeha. A vkljub vsem neuspehom vedno spet vstajajo učeni in goreči možje, ki poskušajo pripomoči k rešitvi tega ogromnega problema . . .

Kdor le nekoliko pozna sedanje ruske razmere (dovolj je le površno pregledati „Die Grundprobleme Russlands“ profesorja Zdziechowskega), se lahko prepriča, da so usodepolne krize, ki sedaj pretresajo Rusijo, v zvezi z vzhodnim cerkvenim in kulturnim vpra-

(Buczacz): A. Hlinka (Rosenbergensis); B. V. Hříva (Napajedla); Dr. T. Hudec (Brno): Iac. Hudeček (Hradištii): A. Janda (Kroměříž); A. Jašek (Něm. Loděnice): Fr. Jemelka (Val. Meziříčí): V. Jonáš (Pragensis): K. Kizlink (Uh. Hradiště): Dr. A. Kolísek (Hodonín): K. Komárek (Spytinov): J. Konečný (Blatnice); A. Kusela (Boršice); Cyr. Laichman (Halenkovice): Dr. Th. Leonini (Roma); Th. Ležohubsky (Leopoli): E. Matzel (Cracoviae); Nic. Mikič (Feričanci): J. Mysliveček (Podivín); Dr. D. Njaradi (Zagreb): Com. Ed. O'Rourke (Innsbruck): A. Palmieri (Romae): Dr. J. Pazman (Zagreb): Fr. Pospíšil (Olomucii): Dr. Fr. Přikryl (Týn): Dr. Sv. Ritig (Djakovo); J. Saip (Pragae); Dr. J. Samsour (Brunae): Al. Sauer (Uh. Hradiště): Dr. I. Schneider (Křižanovice); Fr. Sedláček (Budišov): V. Skácel (Podštát): Andr. Snoj (Labaci); Fr. Snopek (Kroměříž): Cesl. Sokołowski (Varsaviae); A. Šťaffa (Boršice); Fr. Starý (Prostějov): Dr. A. C. Stojan (Dražovice); T. Šilinger (St. Brno): L. Škarek (Velehrad): A. Skrabal (Olomouc); A. Špaldák (Pragae): Dr. B. Šústek (Brunae); Dr. Fr. Tomášťík (Česká Ruda); Io. Urban (Cracoviae): Dr. C. Večeřa (Magno-Olexovicensis): Mich. Werner (Posonii): V. Wirsig (Velehrad); Fr. Vlach (Olomucensis); Jos. Vraštil (Velehrad): Io. Vychodil (Charváty); J. Zalokov (Pittsburg); Ot. Žídek (Velehrad); Vas. Žoldak (L'vov).

In universum aderant theologi 76 et natione et munere ac statu diversissimi: Bohemi, Slovaci, Rutheni, Russi, Croatae, Sloveni, Itali, Germani; complures ex Ordine s. Basilii M., item e Societate Iesu, duo ex Ordine Praedicatorum, duo ex Ordine Crucigerorum, tres ex Ordine s. Augustini, clerus saecularis variae dignitatis.

Hi vespere, in magna aula collegii salutati a Pl. R. Dre Stojan, cum lecta essent deliberanda consilia, quae iam ante conventum proposuerunt domini RR. D. Iosefus Kessler, Episcopus Tiraspolensis, RR. DD. A. Csávosy, B. Hendl, A. Palmieri, P. Perica, St. Petranović, J. Rybák, J. Šauer de Augenburg, A. Špaldák, M. Werner, oblati sunt excellentissimis DD. Archiepiscopis, ut ab ipsis et inter se cognoscerentur.

Postero die sacro sollemni a Celsissimo Protectore celebrato congregati hora 9. in eadem aula collegii summo consensu omnes Excellentissimum Dominum Andream Metropolitam Galiciae (Comitem Szeptycki) praesidem conventus delegerunt, actuarios (negotium gerentes) RR. DD. Dr. Stojan, Špaldák, Černý. Excellentissimus Praeses brevi alloquio quantum munus ad theologos Slavicos pertineat quantumque sit quaestionum in conventu tractandarum momentum ostendit; etsi enim non omnia ad ipsum

šanjem ... Prav pravi dr. F. Koneczny, poljski zgodovinar in izvrsten poznavavec slovanskih razmer, da je od rešitve vzhodno-cerkvenega vprašanja odvisna bodočnost Rusije.

Gotovo je primerno, da se zbudi najživejše zanimanje za to veliko kulturno in versko vprašanje etc.

usum referantur, ratio et scientia res et usum praecedant oportere. Neglecta esse sananda, opinionas corrigendas. Optimo eventu rei susceptae exoptato peroravit.

Haec excellentissimo Praeside praefato primus legit R. D. Io. Urban de eis, quae a theologis catholicis pro ecclesia Orientali agenda sint. Planum erat eum rebus minutatim perquisitis et pervestigatis sententias suas explicare. Res — verecundia quoque oris commendata — omnium ingenti assensu audita et cum propter novitatem tum propter gravitatem argumenti plausibus studiisque prorumpentibus excepta est. Initium melius nemo speraverat. E rebus a R. D. Urban expositis attentione dignissima sunt, quae de membris ac notis ecclesiae et quae de mutatis quaestionibus inter Orientem et Occidentem controversis protulit.

Ad quae praeclare explicata ipse Excellentissimus Praeses haec fere addidit: Si consideretur doctrina ecclesiae orientalis vix ac ne vix quidem quidquam est, quo a doctrina ecclesiae catholicae discrepet. Quo enim tempore discidium inter ecclesias ortum est, dogmata omnia communia erant, utraque pars ecclesiae erat orthodoxa. Tempore procedente catholica ecclesia nonnulla decrevit, quae tamen ecclesia Orientalis neque ponit neque negat, cum solum ea teneat, quae in primis 7 conciliis constituta sunt, ita ut orthodoxus, qui velit primatum Romani Pontificis agnoscere, secundum principia ecclesiae orientalis reprehendi non possit. Pernecessaria enim est distinctio inter doctrinam ecclesiae Orientalis et doctrinam theologorum Orientalium. Alia sane legitur doctrina saepe in libris theologicis, alia auditur in ecclesiis, alia usu manifestatur — et alia est doctrina ecclesiae. Haec enim ea est, quam tota communitas ecclesiastica vel potius omnes communitates ecclesiasticae ecclesiae orientalis a Romana separatae ponunt: quae est secundum principia maxime fundamentalia, in symbolicis libris omnibus exposita, doctrina septem conciliorum oecumenicorum. Unde doctrina ecclesiae orientalis a doctrina ecclesiae catholicae secundum illius principia et ut ita dicam iure dogmatico non aliter differt quam doctrina ecclesiae catholicae saeculi noni a doctrina eiusdem post 10 saecula, cuius dogmata iam tunc in nucleo extabant. Unde ostendi potest nos catholicos multo propius accedere ad veros orthodoxos quam illi theologi Orientales accedant, qui a vera orthodoxa doctrina et disciplina antiquae ecclesiae recedunt.

Dr. Th. Leonini adiecit in testimoniis sanctorum Patrum afferendis negligi solere ab Occidentalibus sintne in conciliis oecumenicis allegati necne, quod apud Orientales magni fit. Praeterea exposuit aliam rem nominari ab Orientalibus theologiam moralem, aliam ab Occidentalibus: illi de christiana morum perfectione, hi de finibus liciti, graviter et leviter illiciti agunt.

His rebus auditis disceptatum est de proposito primo ita ut, sicut et postea semper, primum ipsi, qui rem proposuerant, eam

(si aderant) explicarent et argumentis probarent, deinde ea disceptationi et arbitrio conventus permitteretur. Ea, quae disceptationibus approbata, immutata vel reiecta (2 prop.) sunt, in conspectu decretorum conventus, omissis eis, quae non latius patent, enumerare praestabit.

Alter recitavit R. D. Palmieri O. S. A., vir excellentis ingenii ac theologiae Russicae peritissimus, de rationibus catholicis in theologia Russica.

Quae fuso orationis genere magna delectatione et admiratione omnium pro singulari rerum cognitione exposuit, omnibus persuaserunt, se non incassum venisse, etiamsi iam aliud nihil essent percepturi. Clarissimus vir accurate ostendit theologos Russorum, quamvis infensi sint catholicis, propter fundamentorum communionem nonnumquam adduci, ut catholice sentiant et catholicis utantur argumentis. Ne Antonius quidem, Archiepiscopus Volhyniensis, catholicae doctrinae insignis adversarius, excipitur, quippe qui incommodorum laicae procurationis ecclesiae gnarus ad sententiam catholicam de capite sprirituali, potestati civili non obnoxio, pervenerit.

His rebus cognitis varia proposita deinceps disceptata sunt, cuius disceptationis multi, etiam ipse excellentissimus Praeses, partem ceperunt. Deinde epistolae (vel telegrammata) lectae sunt, missae conventui a RR. DD. M. Ledochowski[3]), H. Gaisser[4]), L. Duchesne, Dre F. X. Slavič (Sarajevo), Dre A. Jeglič,

---

[3]) Magno cum gaudio nuntium de cogendo Velehradii conventu de quaestione orientali ecclesiastica accepi plurimasque gratias ago pro benigna invitatione. Proh dolor occupationes mihi non permittunt, quominus Romam relinquam, hinc solum a longinquo labores Vestros precibus meis iuvare conabor. Addictissimus M. Ledochowski S. J.

[4]) Saecularibus festis occurrentibus S. Ioannis Chrysostomi, Universalis Ecclesiae Doctoris et Luminis Ecclesiae Orientalis rugilantis, Congressus solemnitatis huiusmodi promovendae causa Romae constitutus, consilio die XII. Iulii habito, unanimi voto deliberavit decrevitque:

ut Illustrissimis Praesulibus ad Velehradum in Moravia in concilio congregatis fausta quaeque feliciaque in Domino apprecentur, ut Dei gratia praeveniente fideliter pro unione utriusque Ecclesiae laborantes ministri gratiae multiformis de felici possint exitu gaudere.

Insuper humiliter enixeque rogat congressus, ut unitatis strenui propugnatores inspirante S. Doctoris lumine nomen opusque impendant solemnitati eiusdem Sancti centennali die XIII. Novembris in templo Principis Apostolorum Romae celebrandae, atque ad hunc effectum mittant suorum nomine et mandato delegatos, ut eo gloriosior evadat coadunatio collineetque in animum unum utraque Ecclesia, et de sepulchro S. illam aedem ornante sumant pignus fraternae caritatis fideique unitatis omnes plaudentes.

Denique ne inefficacia remaneant desideria et vota pii operis perficiendi, neve memoria excidat solemnitas tanto magistro digna, volumen insigne prodiet in lucem, cuius sumptus liberalitati commendantur illorum, qui se praebebunt emptores et fautores huius operis, cuius pretium inclusis simul aliis opusculis constabit 15 fere libellis seu coronis.

Episcopo Labacensi, Dre Iv. Šarić (nomine capituli Vrhbosn.), Const. Czechowicz, Eppo Premisliensi. Postremo Celsissimus Protector telegramma recitavit ab Emin. Card. Merry del Val ipsi missum: »Summus Pontifex inceptis consiliisque Apostolatus ss. Cyrilli et Methodii bene precatus cupit, ut felicem exitum sodales assequantur iisque amantissime benedicit.«

Post meridiem duae lectiones habitae sunt, prior a R. D. Dre Fr. X. Grivec, de conatibus unionis inter ecclesias separatas restituendae, posterior a R. D. M. Hałuščyńskyj O. S. B. M. de vi epicleseos. Utraque accurata rei investigatione excellebat.

Tempore reliquo acriter disceptare perrexerunt (RR. DD. Sokołowski, Urban, Palmieri, Židek, Ritig, alii) de eis, quae scribenda et edenda sint pro Occidentalibus et Orientalibus.

Proximo die (26. Iul.) sacro a Celsissimo Domino Francisco Salesio Bauer Principe Archiepiscopo (ab hora 6^{30}) et post eum ab Excellentissimo Domino Roberto Menini Archiepiscopo facto primum RR. D. Dr. Fr. Reyl, mentione facta quattuor locorum suae dioecesis, s. Clementis nomine nexum aliquem cum ss. Cyrillo et Methodio hucusque exprimentium, vota Reverendissimi Episcopi sui favoremque erga conventum pronuntiavit.

Deinde Excellentissimus Dominus R. Menini haec fere verba fecit: Summo gaudio a Pl. R. Dre Stojan oblatam copiam accepi invisendi locum, ubi corpus requiescit s. Methodii, qui tanta laboravit in Slavis ad Christum adducendis, praesertim apud Bulgaros, Moravos et Bohemos. Gaudeo item, quod personaliter benefactorem meum insignem, Celsissimum Protectorem conventus cognovi; gaudeo, quod tot homines docti et desideriis sanctis repleti huc convenerunt ad consilia sua efficaciter promovenda atque Deo adiuvante ad effectum perducenda. — Numquam obliviscar verba Summi Pontificis, cum ante 27 annos me in Bulgariam mitteret. Populus Bulgarorum, inquit, debet aliquando uniri matri ecclesiae, a qua fidem accepit; forsitan ego et tu iam defuncti erimus, sed tempus illud certe adveniet. Interim labora, Deus erit tibi adiutor. — Ego, etsi indigne, laboravi, certavi, et si gloriari oportet, aliqua passus sum — prope cursum meum consummavi, neque dicere possum cum Apostolo: reposita est mihi corona iustitiae — tantum misericordiae Dei, cuius proprium est misereri semper et

---

Haecce omnia perpendentes et ad viscera vestrae caritatis appellantes has litteras tamquam pignus unitatis fraternitatisque Vestrae commendamus dilectioni, preces insimul Vestras pro felici exitu humillime impetrantes.

Romae, die XX. Iulii a. s. 1907. Collegium graecum de S. Athanasio P.

Hugo Athanasius Gaisser O. S. B.,
Rector eiusdem Pont. Collegii Graeci (via Babuino 149),
Praesidens Congressus Chrysostomiani.

parcere. — Populus Bulgarus simplex est et rectus, nostri catholici Bulgari sunt exemplares in moribus; blasphemia apud nos non cognoscitur neque contra eam praedicatur; vigent publicae poenitentiae apud nos ut temporibus antiquis; nullum indultum Bulgaris conceditur, qui totam quadragesimam in oleo et oleribus a feria IV. Cinerum usque ad Pascha vitam agunt. Bulgari non catholici nos magni aestimant, saepe a nostris sacerdotibus benedictionem petunt. Ad Bulgaros in partem ecclesiae catholicae propensos reddendos complures res conferunt. Primum, quod in Macedonia Bulgari orthodoxi vexantur, cum Bulgari catholici plena pace et securitate fruantur. Deinde Bulgari excommunicati sunt a Patriarcha Constantinopolitano. Restat igitur, ut in pristinam matrem innitantur, a qua maximo cum ecclesiae detrimento se separarunt. Princeps Ferdinandus catholicus est. Politicae quidem rationes eum impulerunt, ut filium suum a me, cum lacrimis dico, catholice baptizatum ab ecclesia Romana separari permitteret. Sed hoc exstincto inter Bulgaros et ecclesiam catholicam discidio sanari potest. Bulgari venerantur Borisem regem, qui lumine Christi eos illustravit; ast hic coronam regiam non a Patriarcha Constantinopolitano, sed a Papa accepit. Convenit igitur, ut Bulgari celeberrimi regis sequantur exemplum. Bulgari ardenter colunt ss. Cyrillum et Methodium; at hi fuerunt catholici, Romae consecrati episcopi. Nihil igitur iustius, quam ut Bulgari exemplum sequantur eorum. — Neque potest obici, quod ecclesia catholica ritum Latinum desideratura sit. Bulgari gratias agere debent Romanis pontificibus, qui ss. Cyrillo et Methodio concesserunt, ut lingua Slavica in liturgia uterentur, quod Graeci Patriarchae non videntur unquam concessuri fuisse. Neque dicant papam negare usum linguae Slavicae in liturgia Latina. Illud enim probandum est, hoc periculis plenum. Slavos, Bulgaros par est in ritu suo orientali lingua Slavica uti. Ecclesia catholica non laedit domesticos mores ullius gentis, est »internationalis«: Gallus remanet Gallus, Germanus manet Germanus.... Christus dixit Apostolis »docete gentes« non »supprimite nationes«. Concipi potest clerum esse nationalem, seminaria esse nationalia; sed religio si esset nationalis, non esset catholica.

His magno plausu exceptis Dr. Fr. X. Grivec acta cum Ioanne Terribili de concilianda cum Romano Pontifice concordia et Possevini consilia quam diligentissime exponere perrexit.

Deinde R. D. Ad. Špaldák de officiis disputavit, quae ab Orientalibus praestanda sint catholicis, quippe qui neque haeretici neque schismatici haberi possint; item de officiis, quae ab eisdem praestanda essent catholicis, si haeretici aut schismatici essent.

Inter singulas lectiones proposita disceptata sunt maxime de discidio inter ecclesiam Orientalem et Occidentalem communi omnium christianorum precum et laboris impetu impugnando. (RR. DD. Schneider, Stojan, Kovačič, Ritig, Pazman, alii).

Post meridiem A. R. D. Fr. Snopek, archiepiscopalis Archivarius de s. Methodii orthodoxia agens solidae doctrinae propriam scrutationem levitati adversarii sui prof. Brückneri opposuit.

Cum re perlecta plaudentibus omnibus pulpitum reliquisset et plausum a se ad magistrum suum, ipsum Celsissimum Protectorem modeste deflexisset, hic iam abiturus, actis nomine conventus a Pl. R. D. Dre Stojan pro benevolentia quam conventui exhibuit, gratiis, studia et concordiam conventus laudavit ac divinum auxilium laboribus eius adfore confisus eidem bene precatus est.

Quo facto tempus, quod supererat, omne in disceptandis propositis consumptum est. Multis laudatus est ritus orientalis eiusque notitiam aeque ac sanctorum, qui ab Orientalibus coluntur, divulgandam esse statutum est (disceptarunt RR. DD. Ležohubskyj, Palmieri. Leonini, Urban, Hałuščyńskyj, Sokołowski, alii). Deinde de bibliotheca Cyrillo-Methodiana, communi omnium ecclesiasticae quaestionis orientalis studiosorum (RR. DD. Škarek et Matzel) et de ceteris propositis. In eis, quae in his disceptationibus exposita sunt, inter alia tacta est quaestio theoretica de valore absolutionis in ecclesia Orientali, nec leviter tractata. Excellentissimus Praeses. R. D. Hałuščyńskyj, R. D. Urban haec fere docuerunt. Occidentales non possunt dubitare de valore absolutionis Orientalium. Dubitant nonnulli de hac re, quod sacerdotes Orientales careant iurisdictione ad absolvendum necessaria. Quaestionem, num habeant sacerdotes separati ab ecclesia catholica habitualiter, ordinariam, iurisdictionem connectere solent cum ea, num habeant iurisdictionem in foro externo; hac utique volunt eos privatos esse. Verum — censet R. D. Urban — coram Deo, nisi peccatum formale habeant, censuram non incurrunt nec iurisdictione privantur. Certe vero — ut clare rem explicavit Excell. D. Praeses — ex ipso dissensu theologorum catholicorum (quorum doctissimus quisque in suffragiis quondam collectis valorem agnoscebat) probari potest absolutionem illam Orientalium validam esse. Ecclesia enim supplet, si iurisdictio est probabilis; atqui probabilis est iurisdictio, quam theologi probabilem ducunt. Adest certe etiam titulus coloratus. Denique non est commiscenda iurisdictio fori externi cum iurisdictione ad sacramentum poenitentiae necessaria. Illa numquam conferebatur per ordinationem, haec apud Chaldaeos, Armenos hucusque simul cum ea traditur, ubi approbatio aut iurisdictio ad absolvendum determinatae regionis homines necessaria non est, quia legi ecclesiasticae orientali non derogavit decretum concilii Tridentini. Quodsi quis graves rationes habeat ad negandum valorem huius legis orientalis, negare tamen non potest eiusdem legis probabilitatem. — Ad haec accedit — quod addidit R. D. Hałuščyńskyj, quod ecclesia catholica nec a Ruthenis sibi unitis nec alias postulavit, ut peccata

antea commissa denuo confiterentur. — Mentio facta est etiam huius rei, quod in processibus matrimonialibus etiam ubi lex Tridentina promulgata est matrimonium contractum coram orientali parocho semper habetur validum non minus quam si coram parocho occidentali ineatur.

His rebus perpensis et eis, quae placebant, decretis constitutum est collegium decem virorum (RR. DD. Palmieri, Leonini, Kovačič, Grivec, Pazman, Njaradi, Urban, Stojan, Špaldák, Werner), qui de modo decreta exsequendi deliberarent et inter se curam distribuerent eadem ad effectum perducendi, de conatibus suis proximo conventui — post duos annos habendo — rationem reddituri.

Postero die (27. Iul.) Excellentissimus metropolita Andreas sollemni ritu Graeco-Slavico (cum duobus presbyteris) liturgiam celebravit. Qua finita brevem contionem ad congregatos coram altari socios conventus habuit. Magnum gaudium suum expressit et Deo ipsisque sociis gratias egit, quod conventus prosperrime successit. Cum ea sit divinae cooperationis ratio, ut res parvas, quibus hominum pia industria par est, modo sancte et concorditer agantur, auxilio suo mirifice foveat, ut magnae evadant, Deum studia, labores, iacturas ipsorum bene iuvaturum esse atque effecturum, ut Slavi omnes uno Christi ovili comprehendantur. Quapropter ad precum et operae assiduitatem hortatus est. Post haec hymno »Te Deum« Deo gratiae actae sunt.

Hora octava convenerunt illi decem viri, a conventu exsequendis decretis delegati, cum Excellentissimo Praeside et iis, quibus interesse placebat, ad deliberandum de singulis rebus iussu conventus efficiendis.

Consilio habito ii, quorum intererat, ad ea, quae Velehradii visenda sunt, ducti sunt et unumquidque ostensum est. Quo facto socii discesserunt.

E decretis a conventu haec, cum latius patere videantur, exscribere utile duximus:

1. De omnibus quaestionibus controversis componendae sunt quam accuratissimae et solidissimae commentationes pro »Slavorum Litteris Theologicis«

2. Ipsi Orientales theologi rogandi sunt a conventu, ut propriam doctrinam nobis in eisdem commentariis exponant.

3. Libelli inter Occidentales propagentur de opportunitate et necessitate unionis ratione nostrorum temporum habita agentes.

4. Vertantur in linguas Slavicas et in Latinam libri Orientalium de historia ecclesiae eorum et de eius statu huius temporis; item libri, qui ad maiorem aestimationem Orientalium conferre possint.

5. In singulis linguis Slavorum Occidentalium edantur commentarii, sive novi, sive ex aliis transmutandi ad unionis desideria propaganda.

8. Vertantur libri occidentales in Russicum, qui praeparent animos mutua sui cognitione ad mutuam aestimationem.

9. Consulant inter se Orientales et Occidentales de rebus theologicis atque commercium epistolarum foveatur.

10. Occidentales theologiae professores optimas Russiae facultates theologicas, Russiae theologi optimas catholicas visitent.

11. Orientales rogandi sunt, ut instituant inter se sodalitatem, quae precibus communibus unionem ecclesiarum separatarum impetrare conetur.

12. Curandum est, ut in qualibet Slavorum occidentalium natione introducatur sodalitas unionem promovens.

19. E communi bibliotheca Cyrillo-Methodiana Velehradii deposita singulis quaestionis orientalis (ecclesiasticae) studiosis libri ad determinatum tempus (ad summum tres menses) gratis — expensis tamen missionis statim solutis — commodentur.

20. Instituta et maecenates, aeque orientales atque occidentales, rogandi sunt, ut praemia instituantur et distribuantur pro commentationibus et libris ad quaestionem orientalem ecclesiasticam pertinentibus.

21. Instituantur cathedrae speciales in occidentalibus universitatibus praestantissimis generatim et in facultatibus theologicis Slavicis, ad historiam et criticam confessionis Graeco-Russicae pertinentes.

24. Docti ordines, praecipue Iesuitarum et Benedictinorum rogentur, ut studiis quaestionum theologicarum controversarum peculiari modo operam dent.

25. Bibliopolae occidentales et scriptores orientales rogandi sunt, ut libros suos bibliothecae Cyrillo-Methodianae gratis mittant. Item scriptores occidentales rogentur ut theologis orientalibus opera sua mittant.

26. Curandum est, ut denuo edantur libri excellentes antiqui ad opus unionis maxime pertinentes.

27. Proximo anno habeantur conventus particulares singularum nationum ad studia unionis alenda.

28. Secundo quoque anno generalis conventus habeatur eorum, pui quaestioni orientali ecclesiasticae student.

* * *

Praeter hanc uberiorem relationem ipse conventus alias duas consribendas curavit, brevem Russico sermone pro Orientalibus et brevissimam Latinam pro Summo Pontifice, ei ab Excellentissimo Domino Relatore de conventu, archiepiscopo Menini tradendam. Russicam subicimus:

Konspekt kongressa.

Zašedanija kongressa prodolžalis' tri dnja s 25 po 27 Ijulja (novago stilja).

Prisutstvovali: Arhiepiskop Olomjucskij Francisk Salezij Bauer (protektor kongressa); mitropolit Galickij i arhiepiskop L'vovskij Andrej Šeptickij; arhiepiskop Sofii i Filippopolja Menini i drugie prelaty. Krom togo na kongress javilis' predstaviteli počti ot vsěh slavjanskih nacial'nostej Avstrii: čehov, kroatov, slovencev i dr. Vsego na kongressě bylo okolo 80 čelověk.

V pervye dva dnja zasědanij byli pročitany 6 referatov, v slědujuščem porjadkě:

1. o. Ioann Urban: V čem zaključaetsja objazannost' katoličeskih bogoslovov po otnošeniju k Russkoj Cerkvi.

2. o. Avrelij Pal'm'eri: Katoličeskija tečenija v russkom bogoslovii.

3. o. Francisk-Ksaverij Grivec: Popytki edinenija.

4. o. M. Galuščinskij: Značenie prizyvanija Duha Svjatago (ἐπίκλησις) dlja osvjaščenija Darov.

5. o. Adolf Špal'dak: Normal'nyja otnošenija Russkih k Rimskoj Cerkvi.

6. o. Fr. Snopek: Pravoslavie prepodobnyh Kirilla i Methodija.

Vsě referaty budut izdany otděl'noju knigoju.

Proizneseny byli rěči: mitropolitom Andreem (o značenii kongressa, o ego cěli i otnošenii k dělu soedinenija cerkvej), arhiepiskopom Bauer in arhiep. Menini (na tu že temu).

Predsědatelem kongressa vybran mitr. Andrej. Poslě každago referata iměli město sověščanija o različnyh sposobah najbolěe těsnago sbliženija katoličeskih učenyh s pravoslavnymi dlja osnovatel'nago oznakomlenija s pravoslavnoj bogoslovskoj naukoj, v osobennosti že ruskoj kak glavnoj predstavitel'nicej naučnago progressa vostočnoj cerkvi.

Vyraženy byli želanija ustanovit' reguljarnyja naučnyja snošenija katoličeskih universitetov s pravoslavnymi duhovnymi Akademijami Peterburga, Moskvy, Kieva i Kazani; vvesti v slavjanskih gimnazijah Avstrii izučenie russkago jazyka; osnovat' pri katoličeskih universitetah otdělnyja kathedry dlja izučenija pravoslavnago ispovědanija i liturgiki vostočnoj cerkvi; ustanovit' osobyja premii za lučšija sočinenija, kasajuščiesja russkoj cerkvi, organisovat' osoboe obščestvo dlja perevoda russkih naučno-bogoslovskih proizvedenij na inostrannye jazyki i pr.

Na konec vsěmi bylo vyraženo poželanie, viděť na buduščih kongressah russkih pravoslavnyh bogoslovov.

Kongressy budut sobiraemy reguljarno čerez každye dva goda priblizitel'no v koncě Ijulja (po novomu stilju).

Aliorum iudicia de nostro periodico.

Échos d' Orient 1907 No. 63 pag. 125: »Promouvoir les études théologiques parmi les différentes nations slaves en faisant connaître tout ce qui se publie chez elles sur les sciences sacrées, favoriser ainsi le libre échange des idées et dissiper les malentendus qui s'opposent à la réunion de tous les Slaves dans le sein de la véritable Eglise, tel est le magnifique idéal que la revue Slavorum litterae theologicae se propose de réaliser. Nous applaudissons de tout notre coeur à sa noble entreprise, et les Échos d'Orient sont heureux de saluer en elle une soeur travaillant au but commun: l'union des Eglises.

A en juger par les numéros des deux premières annès 1905 et 1906, les Slavorum litterae theologicae sont destinées au plus brillant avenir. Deux au début, les directeurs sont maintenant au nombre de six: trois à Prague, un à Cracovie, un à Laybach et un à Zara. C'est dire qu'ils sont très bien placés pour suivre la pensée slave chez tous les peuples où elle peut se manifester. La langue adoptée est de latin, pour le plus grand avantage des ètrangers, qui, déjà rebutés par la langue russe, n'auraient certainement pas le courage ee s'attaquer à toutes les langues soeurs et cousines. La revue compte quatre fascicules par an. Chacun d' eux se compose d' environ 80 pages et porte invariablement les divisions suivantes: Bohemica; Bulgarica; Croatica; Palaeoslavica; Polonica; Russica; Ruthenica; Serbica; Slovenica; Quaedam de quibus theologi utriusque ecclesiae dissentiunt; Extranea, res Slavorum spectantia; Miscellanea. Les recensions sont très soignées et donnent la substance des ouvrages. Quant aux articles sur les questions controversées, ils sont bien documentés et présentent le plus vif intérêt. Parmi les sujets déjà traités, signalons: Le canon de l'Ancien Testament chez les Russes, de M. Jašek; Le divorce pour cause d'adultère, d'après l'Ecriture Sainte, du R. P. Špaldák; La doctrine sur l'Église, du même.

Tous ceux qui prennent intérêt au mouvement intellectuel de la grande nation slave, tous ceux que préoccupe l'oeuvre sainte de l'union des Eglises trouveront dans les Litterae theologicae de quoi satisfaire leur curiosité, de quoi stimuler et éclairer leur zèle. Au début du premier fascicule, les directeurs terminaient leur article-programme par ces mots: Deus approbet opus nostrum! Nous faisons le même souhait, en y ajoutant ces mots: Et homines pariter! *M. Jugie.*

Revue de l'Orient chrétien 1907, N. 1. p. 111—2.

Les travaux publiés en langue slave nous sont et nous seront longtemps peu accessibles, car nous ne sortirons pas facilement du cycle des langues néo-latines, germaniques et sémitiques. Des professeurs autrichiens placés au confluent des mondes slave, germanique, sémitique et latin ont donc entrepris, depuis 1905, de signaler et de résumer en latin les travaux slaves relatifs à la théologie. Nous souhaitons voir éclore une revue analogue pour les travaux historiques et philologiques.

Theologisch Tijdschrift 1907. 288: Het bevat overzichten van hetgeen op theologisch gebied verschijnt in Slavische landen, Rusland,

Polen, Bohemen, Bulgarije, Servië en Croatië. Het beoogt de studie der wetenschappelijke theologie in die landen te bevorderen, ook door de verbreiding der kennis van de werken van Westersche godgeleerden. Daar het in de Latijnsche taal geschreven wordt, stelt het Westersche theologen in staat op de hoogte te komen van hetgeen er op theologisch terrein onder Slavische Christenen omgaat. De redactie bestaat niet uit aanhangers der Oostersche of Grieksche kerk, maar uit katholieke Slaven, die streven naar toenadering tusschen al de Christelijke kerken in de genoemde rijken. Het verdere, nog grootschere doel is de volledige verzoening van de geheele katholieke kerk in het Oosten en in het Westen. *F. P.*

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Luc. Jelić, Jadrae.

Annus III. (1907) Pragae Bohemorum. Nr. 4.

BOHEMICA.

Jos. Plaček, **O starších klášterech česko-moravských, zvláště řehole benediktinské (De vetustioribus monasteriis Bohemiae et Moraviae praecipue Ordinis s. Benedicti).** Commentatio edita in programmate gymnasii Hunohradeciensis. 1907 P. 18. Exposita historia singulorum monasteriorum *P.* concludit monasteria antiquissima fundata esse non ita ad fovendam religionem, sed ut pecunia principis collocata reditum referret et ut principi firma subsidia praesto essent.

Vlast XXII. 1905–6.

A. Lenz, Lze říci podle pravdy, že byl Hus, trvaje v Čechách, ač bloudil u víře, vnitř katolíkem? (Num dici possit, Io. Hus, quamdiu in Bohemia esset, intus catholicum fuisse, etsi in fide erraret?) P. 1—7; 97—105; 193—203; 289—296. Probari potest id quidem, Hus non persuasione ductum, sed ex alia causa mortem subiisse, quippe cum non solum animo fluctuaret sed etiam paene subiecturus se esset. Tamen cum in Bohemia esset et in ipso itinere ad concilium Constantiense sententias Viclifii mordicus tenebat, quamvis enisus sit, ut haeresis suspicionem averteret. Itaque non demum Constantiae haereticus factus est, sed antea iam erat.

B. Jiříček, »Mojžíš a Darwin« (De Moyse et Darwin). P. 21—24; 143—148; 218—222; 313—320; 385—391; 465—470; 561—566; 641—645; 737—742. Nullam esse pugnam inter doctrinam revelatam, cuius Moyses testis est, et doctrinam empiricam de rerum natura, cuius personam gerit Darwin, ostensurus *J.* tria capita selegit, quae methodo scientifico-populari tractat adhibitis omnibus quae hucusque de natura explorata sunt. Quae tria capita sunt a) de origine mundi; b) de formatione terrae et dispositione rerum in ea; c) de homine cum brutis comparato. *Aloysius Stork.*

Ad. Špaldák, **Člověk a zvíře.** Sbírka klassických studií o anthropomorfistickém pojímání života zvířat, s filosofickým úvodem P. A. Špaldáka o duši zvířat. (**De homine et bruto.** Commentationes optimae de anthropomorphismo in vita brutorum explicanda collectae praemissa philosophica disputatione de anima brutorum.) Pragae 1907. 154 pag. 1 K 60 h.

Liber hic constat e duabus partibus, quarum altera corpus quoddam est selectarum de discrimine inter hominem et animalia bruta

commentationum, altera huic corpori praemittitur, philosophica „de anima brutorum“ disputatio. Hic ipse Š., multa quae hac de re scripta sunt perscrutatus, agit de anima seu forma organismorum et de sensatione brutorum et de intellectu eorundem.

Selectae illae commentationes sunt magnam partem e B. Altum, Der Vogel und sein Leben, qui optime agit de cognitione (in nido eligendo, hostibus fugiendis etc.), de cantu et vocatu, de amore avium: cuius libri saepe editi praestantia nota est. Quae hic, novitate rerum laetissima, exponuntur, persuadent omnibus, qui ad veritatis lucem oculos non claudunt. Quapropter magnopere commendanda sunt imprimis viris doctis, qui hinc in babylonica illa perturbatione, quam Darwinismus excitavit, iucunde de quaestionibus antiquissimis, quas tempus hoc postulat, instruantur. Quae Altum docet vix unquam corrigentur, saltem si caput rei consideremus, et absolute vera sunt.

Alia hausta sunt e Wasmann S. J., Vergleichende Studien über des Seelenleben der Ameisen und der höheren Tiere: ubi agitur de militia et architectura formicarum. Formicae modo, quo se gerunt, nonnumquam nos obstupefaciunt ita, ut multi et docti viri revelata spernentes decepti sint, et ut ad rem sine intellectu brutorum explicandam magna sagacitate multisque experimentis haud raro opus fuerit. E. Wasmann egregium se in suo genere Roscium praestitit: non solum facile acquiescimus eis, quae dicit, sed ea etiam admirationi sunt. Explicationis simplicitas, claritas, perspicuitas animos percellit; simul subridentes dolemus sententias praematuras eorum, qui bestiis intellectum tribuunt.

Ultima commentatione a Michelis conscripta inquiritur in causam similitudinis inter simiam (bestiam hominis simillimam) et hominem: si enim explicatio eius obvia (e consanguinitate) reicitur, si tenetur simias non casu ortas sed creatas esse a Deo, alia requiritur explicatio, quam Michelis, consilii divini in rebus creatis indefessus scrutator, paucis proponit, alteri certe praeferendam.

Optime haec electa sunt, etsi alia quoque (e. g. e Fabre, Souvenirs entomologiques, e Knickenberg, Der Hund und sein Verstand etc.) addi potuerunt. Et praestat certe capita optima selecta proponere, quae multi lecturi sunt, quam integros libros transferre a paucis legendos.

Restat, ut de eis, quae Š. ipse scripsit, referamus. Docemur hic ecclesiam, cum in concilio Viennensi definiret animam esse formam corporis, non sanxisse scholasticam doctrinam de forma substantiali, corpora esse constituta e materia prima et forma substantiali; neque ullam sententiam de forma ex eis, quae tunc inter scholasticos florebant, approbasse. Definitum esse solum animam rationalem vere ac per se, i. e. essentia sua et non per accidens, esse formam corporis humani; unde solum id clare ac determinate sequitur, hominem ex anima et corpore compositum esse unum unitate entitativa, animam esse partem totius eamque complentem, determinantem, non determinatam (formam, non materiam), eamque (sive reduplicative, sive specificative sumptam) complentem corpus (i. e. partem materialem, corporalem, non spiritu-

alem) ad hominem. At non sequitur inde animam rationalem in corpore humano esse unicum vel ullum principium formationis (organizationis) internum, organismum sive humanum sive alium natura sua indigere proprio principio substantiali (forma, anima) ut vivere possit. Itaque non solum vegetabilibus, sed etiam brutis et homini — salvo decreto concilii — substantiale principium vegetativum, simplex vel compositum, animam vegetativam abiudicari posse Š. existimat: omnem organizationis processum in corporibus vivis sine crimine haeresis alio modo explicari posse — puta legibus communibus omnium organismorum. Quae Š. ita esse non dicit, verum ut ita esse dicantur integrum esse iudicat. Sine haeresi igitur dici potest animam in homine non esse id, quod corpus nutrit, corpori incrementum confert, membra efformat: hoc a legibus quibusdam materiae organicae repeti potest. Haec de theologica rei ratione.

Si philosophia consulatur, idem apparet. Ne philosophice quidem demonstrari potest organismos praeter materiam continere propriam aliquam formam entitative ei unitam, specialem quandam substantiam, qua organizatio et compositio corporis contineatur atque efficiatur. De vegetabilibus ita sentire Tongiorgi S. I. aliosque notum est. Verum etiam sententia opposita, principium substantiale in organismis necessarium esse, gravibus innititur argumentis, quae Š. indicat.

Tenebunt certe legentium animos, quae exponuntur „de sensu brutorum.“ Herbas non habere animas facile est concedere: de brutis persuadere idem, difficillimum, nisi eis, qui creaturam spiritualem negant. Certe enim, si bruta sentiunt vere ac proprio vocis sensu, e corpore et anima (sive simplici sive composita) constituuntur. At de sensu quaeritur. Ea, quae Š. affert, mirifica sunt. Laicos naturae investigatores hac in re longius puto progressuros fuisse, nisi brutis cum homine aequatis occaecati esse solerent. Magnae sane quaestiones hic occurrunt. Quantae difficultates oriuntur, si animae brutis tribuuntur! Copiosa argumenta hic proponuntur, etsi non omnia exhauriantur (omittuntur quaestiones de fallacia sensus, de daltonismo etc.). Š. nihil diiudicat, quamquam eum inclinare ad partem eorum, qui bruta animas habere negant, tenendi ansas dat. Ad quaestionem fierine possit, ut tantam fallaciam in natura statuamus, quantam sensus brutorum negatus secum fert, non respondet nisi fortasse indirecte commentatione illa de simia et homine. Praecipuum sane momentum est in argumento negativo, quo animis brutorum in rebus creatis locus nullus videtur relinqui. Si enim secundum conc. Lateranense IV. Deus ab initio simul utramque condidit creaturam, spiritualem et corporalem et deinde hominem ex utraque compositum, homo solus videtur esse ens compositum et animam habere. Scientia sui, qua phaenomena illa, quae ab anima procedere dicuntur, differunt a motibus, qui a physiologis reflexi vocantur, in indivisibili est nec minor materiae tribui potest, maior spiritui, sed potius quidquid sui scium est, naturam spiritus habere dicendum est. Ad magnas has quaestiones tractandas Š. iure invitat legentes, cum plurima in his rebus dubia et incerta sint, quae clara esse primo aspectu videntur.

Scriptori huic iuveni grati esse debemus, quod tanta libertate et auctoritate has quaestiones movit earumque vim, terminos, diversas solutiones exhibuit: quae apud nos, quantum scio, a nullo theologo via et ratione tractatae sunt. *F. Žák.*

CROATICA.

Hrvatska Straža. (Dirigente Dr. A. Alfirević). Krk (Veglia). IV., a. 1906. —

Hic commentarius periodicus finem apologeticum prosequitur ac philosophiae et apologiae christianae optimum officium praestat. Plerique articuli, etsi momento scientifico non careant, anonymi sunt, quod certe non est laudandum. —

Sinkretizam i princip utilizacije. »De syncretismo et principio utilitarismi« (pg. 1—19). Syncretismus temporis recentioris omnia bona elementa, quae in variis religiosis et philosophicis systematibus inveniuntur, componere atque ex iis commune aliquod systema theologicum efficere intendit, quo omnia, quae essentialia et vera in singulis agnoscuntur, comprehendantur. Conditor et princeps syncretismi recentioris est Cousin; disciPuli eius sunt Joufroy, Damiron, Michelet, Lerminier. Auctor anonymus syncretismum illum quoque, quem »reformatores« catholici qui vocantur defendunt, falsum esse demonstrat. Theologiam ac philosophiam »perennem« scholasticam (S. Thomae Aquinatis) sequendam esse, ut pantheismus evitari possit.

D. Dujmušić, Evolucijonizam i katoličke dogme. (De evolutionismi ad dogmata catholica relatione) (pg. 467—493). Ostenditur, catholicismum evolutioni in sensu evolutionistarum recentium non esse obnoxium, cum ecclesia catholica divinae sit originis eiusque dogmata veritates a Deo revelatae sint, quare immutari nequeant.

Jadran, Pravda Božja u povjesti naroda. (De iustitia divina in nationum historia) (pg. 385—405). Demonstratur Deum nationes propter peccata ab iisdem patrata iudicare et punire. Quae viri politici scribunt ac sentiunt, eis populus tacendo consentit; quae si mala sunt, peccata nationalia evadunt. Quae non solum ex historia populi electi demonstari possunt, sed aliorum quoque populorum (Graecorum, Gallorum, Hispanorum) historia illustrantur. Croati multa perpessi sunt, quia populus Croaticus regem suum Zvonimirum occidit. Quapropter expiatio nationalis necessaria est; e. g. ecclesia aliqua extruenda, peregrinatio nationalis facienda (Cf Slav. l. th. II., 24).

Commentatione de »iuris origine« (563—574) probatur, iuris originem non in suprema populi voluntate, sed in Deo quaerendam esse. *Fr. H. Žundálek.*

POLONICA.

Świat Słowiański. Operi edendo praeest dr. F. Koneczny. A. I.—II., Cracoviae 1905—6.

Licet huius comentarii periodici a laico cura geratur idemque fere solum a laicis scribatur, tamen plurima in sensu catholico conscripta sunt ac res ecclesiasticae et religiosae quoque tanguntur.

Ipse qui praeest Dr. *F. Koneczny* sub inscriptione »Z ruchu religijnego w Słowiańszczyźnie« (I., 349—380) vim religionis apud Slavos catholicos et orthodoxos Russos describit. Res catholicas apud Slovenos optimo loco positas esse testatur, qui populus parvus hac in re omnibus Slavis catholicis antecellit. Dein agitur de ideis

religiosis apud Russos: Dostoevskij, Tolstoj et Vl. Solov'ev, de commentario periodico »Novyj Put'« (Nova via) a. 1903—4, qui ab a. 1905. »Voprosy žizni« (Quaestiones vitae) vocatur, in quo non solum sacerdotes sed etiam laici quaestiones religiosas ac philosophicas pertractant. Denique de »unionis studiis« agit ac »Slavorum litteras theol.« laudat. (Cf. Slav. l. th. I, 285).

A. Grzymała-Siedliecki de sectis religiosis in Russia (I, 2, 1—18) tractat. Quae sectae ecclesiae orthodoxae summum parant periculum, quia populum Russicum ad deliberandas quaestiones religiosas propensum valde alliciunt, cum ecclesia »officialis« sensum mysticum neglexerit. Idem scriptor in articulo »Klasztor Suzdalski i Sołowiecki« (II, 1, 7—22) duo monasteria Russicorum palaeodoxorum (starovèrci) describit.

J. Urban, unus ex dirigentibus conspectum nostrum, praeclare »quid ecclesia et theologia Russica de Occidente sentiat« (II, 1, 142—158) exponit. Secundum celebrem V. Bělinskij (1810—1848) Russi atheistae, secundum Dostoevskij autem natio theophorica sunt ac tota »slavophilorum« schola »sanctae Russiae« sublimem locum religiosum inter ceteras nationes tribuit. Quae extrinsecus saltem omnino inter se contraria iudicia *U.* aliquo modo conciliari posse iudicat. Religiosa indoles naturae Russicae quasi innata est, qua in re Dostoevskij verum dicit; tamen clara Dei et verae religionis notio, clara persuasio christiana deest Christianismus in Russiam in forma byzantinismi pervenit, qui solum liturgiam attulit, animos doctrina revelata non imbuit. Unde factum est, ut icones eodem fere loco sint atque idola paganorum, et Trinitatis voci teste L. Tolstoj aliisque a vulgo sensus subiciatur tres esse patronos hominum Christum, Mariam, S. Nicolaum. Ieiunio, s. missae sacrificio et sacramentis magica quaedam vis tribuitur. Plebs Russica litterae adhaesit, unde saec. XVII. magnum illud veterofidelium schisma oriri potuit, propter aliquot litteras et modum digitos componendi. Preces plebis Russicae physicae sunt — »le moujik russe prie avec tous ses membres« (Leroy Beaulieu). Russus igitur sub quodam respectu polytheista ac fetišista est; peccata pietati non adversari, praecepti ieiunii observationem, liturgiam sufficere putat. Classis eruditorum in Russia religione caret; potior eorum pars neque catholicismum neque orthodoxiam curat, paucissimis exceptis, e. g. iis, qui »Voprosy žizni« opera sua iuvant. Plebs Russica non solum liturgiam catholicam, sed etiam paganam tolerat ac facile utrique se accommodat.

Hierarchia orthodoxa a vetustistissimis temporibus ecclesiam catholicam odit; unionem cum ecclesia catholica nunquam tentavit. Ut nonnulli Russi et statum ecclesiae potestati civili obnoxiae miserum (Kapterev) et libertatem ecclesiae catholicae veram (Bajkov) esse agnoscant, tamen praeter Vl. Solov'ev et, qui hunc praecesserat, Čaadaev, nemo videtur in ecclesiam catholicam propensus fuisse.

Homjakov ecclesiam orthodoxam in medio inter catholicam et protestanticam positam esse demonstrabat. Nonnulli theologi Russici (Kirèev, Svètlov) ecclesiam catholicam, Anglicanam et veterocatholicam veras esse ecclesias Christi affirmant, ut unionem cum veterocatholicis et Anglicanis promoveant; pars maior (praecipue Sergius) id negant.

Nunc in Russia de ecclesia reformanda ac de concilio convocando agitur. Metropolita Antonius a. 1905 ut restitueretur patriarchatus petiit. Pobèdonoscev horum studiorum ac patriarchatus adversarius erat, qui nunc est synodi praefectus (procurator) Obolenskij fore ut concilium convocaretur promisit. Lis est, utrum soli episcopi, an etiam clerus inferior et laici, id quod maior pars cleri et omnes fere professores academiarum clericalium desiderant, huius concilii membra esse possint. Si pars conservativa vicerit, forma ecclesiae non mutabitur. Factio liberalis autem in ecclesiam protestantium errores introducere studet, quod ipsam paulatim imperio saeculari subiciet.

Unioni restituendae in proximo concilio ecclesiae Russicae nemo favebit. Doctrinam theologicam emendari ac perfici necessarium est, etsi tot res ad theologiam spectantes edantur in Russia quot praeter Germaniam et Angliam nullibi. Emendatum institutum seminariorum clericalium ac libertas sentiendi optimos fructus certissime afferent.

Fr H Žundálek.

RUSSICA.

K. Zaprùdskij, **Vselenskij sobor.** M. 1906 (0·40 r.) 91 pag.

Hoc libello *Z.* notionem concilii oecumenici explicare et illustrare conatur. Primum negat concilia vocari oecumenica ob omnium totius orbis terrae episcoporum convocationem: oecumenica vocantur propterea, quod episcopi civitatum principalium imperii Romani aderant ut legati quidam (представители) provinciarum (p. 8). Ut agnoscit concilio etiam infimum clerum et saeculares interfuisse, ita (cum Hefele) solum ius consultativum eis tribuit (p. 10). Vera membra (dějstvitel'nymi členami), quae de ipso dogmate atque disciplina ecclesiastica disceptabant, fuisse tantum episcopos (p. 11). Ut concilium sit oecumenicum, *Z.* innixus actis conciliorum saltem praesentiam patriarcharum postulat (p. 13). Praeterea etiam metropolitanorum praesentia necessaria erat (p. 13. 14). Episcoporum praesentia in concilio ex arbitrio patriarcharum vel metropolitanorum pendebat. Decreta vim habebant secundum *Z.* a libero omnium assensu non ab aliqua superiore auctoritate (p. 16): nonnumquam assensus concilii de aliqua re potiori parti praesentium innitebatur (p. 16.). P. 17ª. *Z.* de praeside conciliorum quaestionem instituit atque contendit, nullo modo cum certitudine cognosci posse, quis hoc munere functus sit. Distinguens inter momentum dogmaticum et canonicum conciliorum priori vim infallibilitatis ex ipsa concilii natura tribuit et ita aperte opinioni asseclarum Homjakovii atque ipsorum patriarcharum, qui encyclicam a. 1859 ediderunt, adversatur, qui sanctitatem et valorem dogmaticum decretorum non ab ipsa natura concilii sed ab accedente consensu populi christiani repetebant (p. 19—21). Quod momentum canonicum attinet, opinionem professoris Berdnikov (Po povodu recenzii na izslědovanie Pavlova 40—7) et episcopi Ioannis — contra prof. Laškarëv (Hr. Čt. 1899, II, p. 480—2), quem opininionis suae fere unicum adversarium esse dicit — amplectitur, canonicas conciliorum definitiones esse mutabiles (p. 21—24.) — Concilium oecumenicum non esse organum ordinarium sed extraordinarium ecclesiae nec adversus id ullam esse provocationem exponit p. 24—6. Unde definit concilium oecumenicum: concilium oecumenicum est conventus extraordinarius, exiguum tempus manens, episcoporum-legatorum (metropolitanorum et patriarcharum) omnium ecclesiarum sui iuris (autocephalarum), qui in suis decretis a Spiritu s. regitur ideoque in rebus fidei pro omnibus temporibus iura magistri infallibilis atque legum sanctoris et iudicis supremi (adversus quem apellari non possit) tenet. — Ius convocandi concilia oecumenica *Z.* imperatoribus tribuit atque Romano pontifici idem omnino denegat: quam tamen sententiam argumentis non persequitur. (26—30).

Post haec paucis modo agendi conciliorum descripto (p. 30—36) ut exemplar huius rei acta selecta concilii oecumenici VI. proponit (p. 37—74, quae pars fere dimidiam partem libri aequat). Quo facto inquirit, quid imperatores in rebus fidei generatim, maxime vero in conciliis oecumenicis, valuerint. Christiani imperatores, qui vere pii et hoc nomine digni erant, numquam doctrinae, gubernationi, rebus liturgicis ecclesiae se interponebant: haec ad solam ecclesiam pertinent (p. 77: Učenie, upravlenie i svjaščennodějstvie v cerkvi vědaet nerazděl'no cerkovnaja vlasť). Tota imperatorum vis in his rebus eo continebatur, quod iura ecclesiae tuebantur et brachio saeculari eam defendebant: in concilio vero oecumenico quam maxime curabant solum externum modum agendi, ut concilium sine ira et studio et sine detrimento fidei et ecclesiae et conformiter cum legibus Romanis ageretur (p. 75—84). Tamen sub finem agnoscit hanc legitimam atque laudabilem imperatorum curam saepenumero eis causam abusus praebuisse et caesaropapismum procreasse: Kak neobhodimoe slědstvie etih otnošenij dolžen byl javit'sja v cerkvi cezaropapizm." (p. 84); cuius abusus varia exempla affert (84—91) Dr. *Th. Leonini.*

Богословскій Вѣстникъ (Bogoslovskij Věstnik) 1906. (P. tr.)

A. Vvedenskij, Analiz idei prostranstva (Analysis notionis spatii) I., 403—430, 692—709. Articulus nondum finitus est.

I. Pjatnickij, Sekta strannikov i eja značenie v raskolě (De peregrinantium secta deque eius in schismate, quod dicitur, raskol', dignitate) I., 431—468, 639—653; — Istorija sekty strannikov (historia sectae peregrinantium) II., 382—416. Initio *P.* litteraturam, quae 16 paginas complectitur quamque magna ex parte ipse perlustravit proponit.

Secta, de qua auctor agit, ut evolutio sectae raskol' spectari potest. Radices suas haec secta maxime in districtu Jaroslavl fixit, unde in alias regiones propagata in dies magis crescebat. Usque ad quintum decennium saec. XIX[i] secta fere incognita erat, donec furta, quae in eorum loco centrali grassabantur, eos patefecerunt. Primus eorum parens fuit Euphimius quidam, qui post varias vitae vicissitudines a. 1772 seipsum iterum baptizavit sicque novae sectae auctor exstitit. Pjatnickij hic solum sectae historiam enarrat — de eius organizatione et doctrina sequentibus articulis locuturus.

S. Smirnov, Kto soveršal tainstvo pokajanija v drevnej cerkvi (De administratore sacramenti poenitentiae in antiqua ecclesia) I., 469—502, 607—638, II., 1—33.

Omissis aliis quaestionibus, quarum solutio non in omnibus placet, quaedam de administratore poenitentiae notanda videntur. Secundum auctorem usque ad IV. saeculum secretam confessionem presbyter poenitentialis suscipiebat, a XII. saec. autem πνευματικὸς πατὴρ (p. 616); quis vero saeculis intermediis hoc munus exercuerit, auctor hic inquirit. Censet confessionem secretam usque ad dimidium III[i] saec. in ecclesia notam non fuisse (p. 493). Primos, qui de illa testantur, Socratem et Sozomenum citat (p. 607); id tamen minime impedit, quominus alio loco (p. 622 sq.) recentiora testimonia adducat.

Submotis presbyteris poenitentialibus poenitentiae cum publicae tum occultae administrandae officium a Nectarii tempore episcopus ipse obibat (p. 612); sed illud quoque effectum est, ut post presbyteri poenitentialis suppressionem „tajnaja ispověd' na Vostokě faktičeski na dolgoe vremja ostalas' počti bez organa" (poenitentia secreta per longius tempus in Oriente administratore cereret — p. 613); hac de re, non tamen definiens accurate tempus, auctor in articulo praesenti quaerit.

Itaque in Oriente „stala obščeobvjazatel'noj, tol'ko togdě

načala priznavat' nepremĕnnym sredstvom proščenija vsjakago grĕha vsĕh hristian (p. 614) (secreta confessio demum saec. XII. ut obligatoria utque medium necessarium ad peccatorum remissionem obtinendam considerabatur).

Sed quis magnorum conciliorum tempore poenitentiam publicam vel privatam administrabat? Pavlov (p. 617) et Almazov (p. 621) parochum, Suvorov (p. 619 sq.) monachos etiam dignitate sacerdotali non ornatos presbyteri poenitentialis successores esse dicunt. Smirnov vero contendit episcopos fuisse ordinarios administratores poenitentiae (p. 622 et 625); at praeter episcopos et alios fuisse dicit, qui ut episcoporum delegati confessionibus excipiendis vacarent (p. 626 sqq.) Adsunt enim testimonia. (cf. p. 634), quae ostendunt etiam presbyteros saec. IV, V, VIII, IX. ligandi et solvendi potestatem exercuisse. At non omnes presbyteri videntur hoc officium demandatum habuisse, sed pars eorum; at quibus hoc officium committebatur, probabilius generalem delegationem accipiebant (p. 635 sq.). Non sunt tamen hi presbyteri cum presbyteris poenitentialibus antiquis, quorum munus patr. Nectarius suppressit, identificandi, quia illi antiqui absolvendi potestate destituti solum ius habebant poenitentiam persolventibus invigilandi. Ceterum confessio s e c r e t a ab illo solum, cui placebat, peragebatur (p. 2.). Qua in re haec quoque consuetudo vigebat, ut etiam simplices monachi nulla in dignitate sacerdotali positi secreto confitentes absolverent. Saec. X. et XI° consuetudo haec latius propagata erat, ad quod iconoclastarum haeresis, in qua propugnanda monachi excellebant, multum conferebat (p. 12 sq. et 15, 20, 23). Et hoc monachorum ius seu potius usurpatio a patriarcha quodam (Nicephoro Confessore?) et ab aliqua synodo saec. IX[i] approbatum est.

Res, quam auctor tractat, clara imprimis explicatione et distinctione indiget; quam Smirnov non in omnibus partibus praestitit; inde multa confusa, — ne plus dicam — videntur esse.

M. Turĕev, Živyja duši. Očerk nravstvennyh sil sovremennoj Rossii (De viventibus quaedam. Moralium virium in recenti Russia descriptio) I, 503—528, 720—738, II, 60—81, 183—211. Nondum finita sunt.

V. Myšcyn, Političeskija partii i ih idealy (De politicis factionibus deque earum desideriis) I, 529—569. Rem prius inceptam auctor persequitur. Varias factiones politicas, quae exsistunt, enarrat et, quibus rebus inter se differant, describit. Quibus explicatis, quae dixit, ad hodiernum rerum in Russia statum applicat.

I. Pjatnickij, Učenie strannikov (De ‚fugientium' doctrina) III, 1—25; Idem: Organizacija i bogosluženie sekty strannikov (De sectae ‚fugientium' organizatione et cultu) III, 189—211.

Evolutione et historia sectae in prioribus articulis, enarratis, nunc eius doctrinam proponit. Quae dissertatio, ut et in prioribus articulis, multis innititur documentis. Fundamentale sectae dogma iuxta Pjatnickij est sectae persuasio Antichristum personaliter inde a Petri M. regimine in Russorum imperatorum solio sedere. Antichristus ante Petri M. tempora varias vicissitudines subierat: post Christi enim nativitatem per mille annos catenis vinctus erat, — postea imperatores Graecos invaserat, tum ut praecursor in patr. Nicone apparuerat, exinde visibiliter per imperatores Russos regnat (1 sq.). Ideo Antichristi (i. e. gubernii) iussibus renitendum, nullumque eius decretum observandum (p. 6 sqq.) Ceteri homines praeter sectae asseclas haeretici sunt, qui veris christianis (scl. Stranniki) fugiendi sunt; secundo baptismo Antichristo et haereticis renuntiandum est (p. 12). Quicunque potestati civili oboedit, inter haereticos ab eis computatur. E sacramentis praeter baptismum solam poenitentiam amittunt. In vita communismum introducere conantur (18 sqq.).

Quod sectae organizationem attinet, triplex membrorum, quae ad sectam pertinent, distinguitur gradus: 1. primus gradus est eorum, qui sectae associati et denuo baptizati sunt; 2. secundus eorum, qui sectam profitentur, licet nondum baptizati sint; 3. tertius eorum, qui sectam auxilio adiuvant (p. 189 sqq.). Ad sectam omnis licet pessimus, recipi potest, his

tamen condicionibus impletis: 1. ut priori societati, e qua fugit, renuntiet; 2. ut omnia documenta, si quae habet, annihilet; 3. ut denuo baptizetur; 4. ut praescriptam poenitentiam impleat (p. 190). Qui sectae solum auxilium praebet, omnia praestare potest, quae ab ipso exigit gubernium. E sectae membris (baptizatis denuo) eligitur superior, qui potestate tum spirituali tum administrativa gaudet, immo etiam sacramenta conferre potest (p. 193). Maioris momenti res a concilio, ad quod omnes superiores pertinent, deciduntur (194) Inducta est quidem a Nicolao Semenov alia organizatio (p. 195), at licet secta leges et superiores habeat, nemo tamen eos observat vel timet (p. 200).

Dein varios sectae ritus describit, quos secta iuxta exemplaria ante Niconem edita, celebrat (p. 200 sqq.). Ad munus superioris eligitur etiam mulier, quae nonnullas caeremonias ecclesiasticas obire potest.

V. Lavrskij, Moi vospominanija ob arhimandritě Theodorě (Mea memorabilia de archimandrita Theod. Buharev) III., 26—60. Rem prosequitur.

E. Voskresenskij, O reformě duhovno-učebnyh zavedenij (De ecclesiasticarum scholarum reformatione) III., 61—81, 378—402. Auctor varios scholae ecclesiasticae defectus indicat et quae corrigenda sint, ostendit. Inter alia magistratuum scholarium decentralizationem et membrorum, quae ad scholarum magistratum pertinent, electionem a professoribus faciendam, proponit.

N. Solov'ev, Melodičeskoe pěnie pravoslavno-russkoj Cerkvi, III., 82—107. — Garmoničeskoje pěnie pravoslavno-russkoj Cerkvi III., 212—253 (De melodico et harmonico cantu in ecclesia Russiaca). Auctor cantus Russiaci originem, evolutionem, historiam enarrat.

A. Pokrovskij, O soborah Jugo-Zapadnoj Rusi XV.—XVII. věkov (De synodis australis et occidentalis Russiae saec. XV.—XVII.), III., 108—151.

Auctor de tempore agit, quo metropolis Kioviensis separatam vitam degebat (a. 1459—1687). Illo tempore confraternitates ecclesiasticae magnum influxum in rebus ecclesiae regendis habuerunt: hae enim simul cum clero regebant ecclesias, clerum eligebant, ei invigilabant, res ad ecclesiam spectantes in synodis decidebant (p. 118). Maximum influxum habuerunt confraternitates Stauropigiales (quae solum a patriarcha et a metropolita patriarchae exarcha pendebant). Confraternitati autem Leopolensi a patriarchis, Antioch. Ioachim (a. 1586) et Hieros. Ieremia (a. 1589) commissum est, ut ecclesiae orthodoxae per Polonorum dicionem exsistenti, invigilaret et inoboedientes, licet episcopali dignitate ornatos excommunicationi traderet (p. 120 sqq.). Itaque enarratis ecclesiae per illud tempus historia, confraternitatumque origine, historia et influxu, transit ad eius temporis synodos describendas, ut inde argumentum eruat: etiam recentiore tempore Russicam ecclesiam simili ratione gubernandam esse atque inferiorem clerum et laicos ad ecclesiae regimen et ad synodos admittendos esse.

E synodorum huius epochae et confraternitatum historia haec habentur: in synodis adfuisse semper episcopos et clerum inferiorem, nonnumquam etiam laicos, confraternitatesque, episcopis renitentibus, e patriarchae Cpolitani gratia, magnum in ecclesia regenda influxum habuisse. At haec annotanda esse videntur: patriarchas Cpolitanos confraternitates variis donis ornasse, ne super ecclesiam per Polonorum dicionem exsistentem, iurisdictionem, quae temporis successu minuebatur, amitterent. Secundo synodis affuisse etiam clerum inferiorem ac laicos nemo negat — at quo iure et qua voce nemo illustravit; — auctor quidem eorum magna iura supponit, at nulla ratione id probare conatus est. Idem de privilegio confraternitatum in regendis ecclesiis dicendum est. Quam ampla fuit earum potestas et ad quas res sese extendebat?

G. Voskresenskij, Iz cerkovnoj žizni pravoslavnyh Slavjan (Quaedam de orthodoxorum Slavorum vita ecclesiastica) III, 152—187. Auctor facta maioris momenti, quae in Serbia inde ab a. 1903 acciderunt, ex fas-

ciculis periodicis Serbicis adnotat. Ex illis cernitur magna ecclesiae Serbicae a gubernio dependentia. Candidati theologiae idonei ad facultates theologicas exterarum nationum, etiam protestanticas (cum synodi consensu) mittuntur (p. 165). 18. Augusto 1905 electus est novus metropolita. Electores fuerunt: episcopi, omnes archimandritae, omnes districtuales protopresbyteri, rector seminarii, — e laicis primus minister, praeses et vicepraeses comitiorum, (skupština), minister cultus et rector universitatis (p. 172). Magna schola mutata est a. 1905, 2 octob. in universitatem cum tribus facultatibus: philosophica, iuridica et technica (p. 185 sq.).

N. Kuznecov, K voprosu ob učastii duhovenstva i naroda v vyššem cerkovnom upravlenii (Quaedam, quae spectant ad quaestionem, num inferior clerus et populus in regimine ecclesiastico partem habere debeant) III, 259—297. Kuznecov, membrum commissionis quaestiones ad synodum praeparantis, inquirit, num clerus et populus, si ad synodum admittantur, etiam extra synodum ad regimen ecclesiasticum pertinere debeant. Ad quod affirmative respondet, tribus potissimum ductus rationibus: 1. Populus et clerus melius quam episcopus, quae in dioecesi aguntur, novit (275 sqq.). 2. In vetere ecclesia similia habentur exempla (p. 290 sq.). 3. Id etiam recentiorum ecclesiarum constitutio commendat. In ecclesiis enim Serbica in Austria (292 sq.), Constantinopolitana (p. 294), Antiochena (294 sq.), Černogora (p. 295), Bulgarica (ibid.), Rumenica in Hungaria (p. 296), in Bosnia et Hercegovina (p. 296 sq.) praeter synodum episcoporum, qui res dogmaticas et spirituales decidunt, aliae quoque — magna ex parte permanentes — synodi habentur, quae in ecclesiarum regimine participant. Nonnulla tamen habentur, quae cum theologia orthodoxorum minime quadrant.

A. Kotovič, Komitet 4. apr. 1851 goda (Commissio 4. aprilis a. 1851) III, 298 - 325. Mense Aprili a. 1851 constituta est commissio eaque secreta, quae s. synodo subiecta libros, qui de rebus ad religionem christianam spectantibus tractant, censurae subiciat. Quae commissio sublata est 25 maii 1860. De huius commissionis origine, evolutione atque eius relatione ad aliam commissionem (ex 2 apr. 1848; annullata a. 1855), quae alios libros sibi commissos habebat, Kotovič hoc articulo agit.

N. Kapterev, Car i cerkovnye moskovskie sobory XVI—XVII stolětij (Imperator et Moscovienses synodi ecclesiasticae saec. XVI—XVII) III, 326—360. Res nondum finita est, ideo de ea infra agemus.

V. Belen, Slavjanskaja ikona svjatyh Kirilla i Methodija v basilikě sv. Petra v Rimě (De Slavica imagine ss. Cyrilli et Methodii in basilica s. Petri Romae exsistente) III, 361—377. Usque ad a. 1857 omnes putarunt imaginem, quae in „capella dei reliquie" basilicae s. Petri invenitur, fuisse a Constantino M. RPontificibus donatam. At Ioannes Kukulević ostendit id verum non esse, cum imago Slavicam inscriptionem habeat sanctosque Slavorum apostolos repraesentet. Auctor varia opera, quae imaginem describunt, nominat aliorumque de ea opiniones refert. Ex iis, quae *B.* affert, elucet, imaginem hanc basilicae s. Petri a Slavorum apostolis, Cyrillo et Methodio donatam fuisse. *M. H.*

V. Sokol'skij: **„Евангельскій идеалъ христіанскаго пастыря"** (Evangel'skij ideal hristianskago pastyrja) Kazan' 1904 (in invol. 1905) **„Imago idealis evangelica pastoris christiani"** pp. 426, pretium 2 rub.

Totus liber quinque partibus constat. In introductione scriptor de methodo, qua in opere conscribendo usus est atque de ipso tractationis scopo disserit (pp. 5—29). In parte prima agitur de debita pastoris ad curam animarum suscipiendam praeparatione et de vitae eius pastoralis initio (pp. 30—187). Pars secunda: Pastoris opus (пастырское дѣло) (pp. 188—319). Pars tertia: Pastoris vita (pp. 320—418).

Conclusio: Explicatio schematica parabolae „de bono pastore“ cum applicatione ad pastorem ordinarium (pp. 419—426).

Thema, quod sibi scriptor proponit, in eo est, ut pastoris christiani exemplar, secundum Iesu Christi doctrinam repraesentetur. Licet Christi persona in tota sua amplitudine considerata sit sublime exemplar, quod viribus humanis attingi nequit, tamen omnibus christianis, speciatim vero pastoribus grave onus incumbit Christi vestigia premere ipsumque pro viribus imitari (pp. 5—12). Ipse Christus munus pastorale instituit: proinde protestantes, qui hoc negare conantur, a veritate aberrant (pp. 12—17). Hoc posito quaeritur: quomodo Christus, ut pastoris christiani exemplar sacerdotibus exponatur? Quidam methodo comparationis contenti ostendunt pastoribus ea, quae Christus gessit et illos, ut Magistrum divinum imitentur, invitant. Hoc tamen non sufficit, remanet enim semper illa quaestio: quomodo ad pastores nostrae aetatis haec omnia applicanda sint, quomodo ipsi id queant attingere, quod Pastor Supremus in Semetipso ostendit? Proinde scopus theologiae pastoralis est, ut integrum exemplar pastoris christiani repraesentetur, nempe ut eius persona viva (его живую личность) ostendatur. Non vero in eo scopus theologiae pastoralis ponendus est, ut omnia media, quibus pastor ad oves suas pascendas et ad ultimum finem conducendas utitur, enumerentur (contra Ios. Aertnys) (pp. 18—19). Ut hoc obtineat, scriptor methodo synthetica simul atque analytica utitur et e Sacris Litteris atque S. Patrum operibus summum pastoris christiani exemplar eiusque vitam intimam delineare conatur (19—26). Sub finem introductionis litteratura Russica, quae theologiam pastoralem spectat, succincte percurritur et opera extranea, quibus scriptor usus est, enumerantur (pp. 27—29). In parte prima, cap. 1. scriptor ostendit, quomodo Christus, qua homo, se ad missionem pastoris praeparaverit. Primo quidem in Sacris Litteris videmus Christum iuvenem assidue Legi Divinae operam dantem, exercitantem humilitatem et oboedientiam (pp. 30—39). Cordi illi erat etiam solitudo et quies, ubi Patrem suum caelestem invocare consuevit, contemplatio naturae, atque vitae humanae consideratio. Inter educationem Iesu pueri et iuvenis corporalem et spiritualem erat semper harmonia perfecta (39—47). Unde eruitur, quam necessaria sit pro pastore christiano praeparatio ad sanctum munus suum. Licet gratia divina et pastoralis praxis plurimum efficiant, tamen quam primum oportet, ut pastor theoriam diligenter addiscat simulque assidue in se ipso perficiendo laboret. Proinde necessaria est specialis praeparatio ad vitam pastoralem, in qua scientia simul cum educatione spirituali quam strictissime sit unita. (47—60). Speciatim vero pastori curandum est, ut se ipsum perficiat, vitamque fere — asceticam ducat (жизнь готовящагося должна быть . . . аскетическая, почти монашеская p. 65). (pp. 60—67).

Cap. II. Sicut Christus puer in templo relictus (Luc. 2, 48—50) ostendit specialem Suam obligationem in domo Patris Sui esse, sicut apostoli a Christo vocati sunt, ita et pastor debet habere vocationem divinam, ut ipse cum Magistro Suo Caelesti dicere possit: „in eis, quae

Patris mei sunt, oportet me esse". Vocatio est condicio sine qua non muneris pastoralis (pp. 68—73). Vocatio debet esse duplex: una, quae est interna, quando nempe amor Dei hominem totaliter penetrat et homo ipse se ita Deo vocanti subdit, ut voluntatem Dei suam faciat (pp. 73—96) altera — vocatio ecclesiastica, quae diversis circumstantiis vitae, status, educationis vocatorum constituitur. Tales circumstantiae quattuor enumerantur: a) ortus ex familia ecclesiastica, b) educatio in seminario, c) interna dispositio et amor erga sacerdotium, d) voluntas episcopi (pp. 113—114). Tamen scriptor quamcumque ideam „levitismi" seu spiritum castae, ut dicunt, reicit (p. 103 et in nota). Tales circumstantiae tantummodo considerandae sunt ut signum voluntatis divinae, quae electum iuvenem speciali providentia protegit. (pp. 96—118).

Cap. III. Ex baptismate Christi eruitur divina officii pastoralis institutio et necessitas consecrationis per Spiritum Sanctum, quae in sacramento Ordinis conficitur. (pp. 119—140). Doctrina protestantium, quae negat gratiam in Sacramento ordinis conferri, omnino reicienda est. (pp. 144—150).

Cap. IV. Antequam munus suum pastorale Christus incipiat, a Spiritu in solitudinem ducitur, ubi triplici tentationi, nempe cupiditati carnis, cupiditati oculorum, superbiae resistit. (151—167). Cum omnes tentationes in nostra voluntate ultimatim nitantur, pastor, qui illis resistere cupit, oportet amorem proprium totaliter annihilet ac se ipsum divinae voluntati penitus conformet (pp. 168—171). Nostra aetate pastores primae tentationi succumbunt, cum bona materialia magni aestiment credentes illa tamquam fundamentum vitae christianae necnon morum probitatis poni debere, cura spirituali omnino neglecta (pp. 171—176). Neque debet pastor Dominum tentare ab Ipso miracula petens, secus in secundam tentationis speciem continuo labetur. Non miraculis, sed influxu morali ipsius personae pastoris homines convertendi sunt. Proinde sacerdos nullo modo mediis externis fideles meliores reddere cupiat, sed ipse per suam propriam personam novam vitam in societatem introducere conetur (долженъ самъ вносить въ нее освѣжающую струю p. 181) pp. 166—181). Quam maxime tamen pastor a superbia abhorreat atque vanam gloriam fugiat. Haec tertia tentatio talis est, ut necessario omnes calamitates vitae spiritualis secum ducat. (pp. 181—187).

Pars secunda, quae „opus pastoris" inscribitur, eo tendit, ut munus pastoris sub triplici aspectu nempe magistri, animarum curatoris (врачъ душъ) et sacramentorum administratoris tractetur (cap. V., pp. 188—205).

Cap. VI. Christi praedicatio neque tempore, neque loco restringebatur, sed erat universalis (pp. 206—209). Ipse loquebatur cum hominibus sicut Pater cum filiis omni methodo scientifica reiecta (p. 208—212). Obiectum principale praedicationis Christi erat „Regnum Dei", quod idem omnino est ac „regnum caeleste" (contra Grigórij Petróv) eiusque Caput est Christus (pp. 212—217). Ut regnum Dei in terra denuo stabiliatur Christus de caelo descendit, in se assumpsit peccata nostra, iustitiae divinae satisfecit. Hoc modo peccatum delevit et gratiam Dei mundo redonavit (pp. 217—231). Hanc doctrinam Christi eiusque opus pastorale pastor christianus fidelibus exponere debet; at dogmata

evangelica aperire tantum potest, non evolvere. quia dogmatum evolutio ab ecclesia orthodoxa non agnoscitur (по православному ученію догматы не развиваются, а только могутъ быть раскрываемы p. 231). Dum pastor Christi doctrinam exponit, unice Dei gloriam salutemque animarum quaerat oportet. (pp. 231—232). Circumstantiae, in quibus pastor nostra aetate versatur, tales sunt, quae ab eo prae ceteris postulent doctrinae evangelicae puritatem, ut persona Christi in toto suo splendore reluceat. Caveat pastor doctrinae Christi humanas ac fallaces inventiones admiscere, sed tanquam veritatis columna ignaros doceat et rebelles arguat. (pp. 232—236). Ut praedicatio fructum afferat, verbum magistri indiget unctione et persuasione intima, ita ut pastor veritates, quas praedicat, revera sentiat eisque tanquam cibo nutriatur. (236—240). Doctrina evangelii prorsus omnibus proponenda est; tamen caveat pastor, ne margaritas ante porcos proiciat. (240—244). Tanquam animarum curam gerenti pastori onus incumbit oves suas errantes ubique quaerere et omni cum diligentia eas corrigere (pp. 244—246).

Cap. VII. Analysi facta cap. 8, 3—11 evangelii Ioannis videmus in mundo esse continuam luctam bonum inter et malum, seu inter regnum Dei et regnum diaboli. Homo dum per paenitentiam ex uno regno, diaboli scilicet, ad aliud transit, non solum externe, verum etiam interne mutatur *(μετάνοια)* (pp. 247—254). Ex eodem loco eruitur pastorem posse ferre iudicium seu condemnare moraliter peccatorem eumque corrigere. (pp. 254—258). Talis peccatorum correptio debet niti in fundamento caritatis. Pastor debet corrigere in peccatore peccatum ipsum, non personam, diligenter perquirere omnes vel minimas peccati circumstantias atque ipsum peccatoris characterem, ne aliqua re neglecta loco remedii venenum animae apponat. Speciatim tota pastoris cura eo dirigenda est, ut caritate conscientiam peccatoris transmutet, ut illlum amet tamquam ovem errantem paratusque sit animam suam ponere, ut illum salvet (pp. 258—286). Correptio paterna pastoris secundum diversa temperamenta hominum est dirigenda. Generatim quattuor temperamenta nominantur: sanguinicum, cholericum, melancholicum, phlegmaticum. Ipse Christus diverso modo agit cum singulis apostolis: cum Petro — sanguinico, Ioanne — melancholico, Thoma — phlegmatico, Iuda — cholerico (pp. 286—298). Inter animorum curam et sacramentorum administrationem nexus strictissimus deprehenditur (pp. 298—299).

Cap. VIII. Inter ista sacramenta praecipuum locum tenet eucharistia, ad cuius celebrationem pastor se quam piissime praeparare debet: ad quam praeparationem iuvat de passione Christi meditari (pp. 300—310). Omnia sacramenta intime inter se connexa sunt; proinde pastor, sicut bonus hortulanus, per sacramenta plantas i. e. animas fidelium sibi a Deo commissas curare debet, bonos palmites inoculando, noxios abscindendo (pp. 310—319).

Tertia pars continet ea, quae ad vitam pastoris pertinent, sive ad vitam individualem, sive ad ea, quae eius activitatem in mundo spectant.

Cap. IX. Christus lugebat cum lugentibus, gaudebat cum gauden-

tibus, breviter: semetipsum totaliter hominibus tradidit. Pastor, Christi discipulus atque imitator, eodem modo se gerere debet, ita nempe oves suas diligere, ut vitam suam pro illis ponere paratus sit. (pp. 320—325). Licet homini simplici talis virtus impossibilis sit, tamen pastori haec omnia per gratiam sacerdotii praestantur, quae sola efficere potest, ut pastor semetipsum abneget, talesque ei vires confert, quibus adiutus iugum suum facile gestare queat. Propterea catholici characterem indelebilem sacerdotio adscribunt (num recte agant, scriptor non dicit, sed videtur huic sententiae favere) (pp. 325—339). Specialis qualitas pastoris in connexione quadam intima cum Christo ponenda est. (pp. 339—344),

Cap. X. In relationibus pastorum ad invicem potiorem partem obtinere debet humilitas, quae omnes tendentias ad primatum excludat. (pp. 345—354). Magni quoque momenti est unitas a Christo tantopere desiderata, mutua fiducia et sustentatio, ut hoc modo melius viribus unitis diabolo ceterisque inimicis religionis christianae resistere possint. (pp. 354—367).

Cap. XI. Quod mundum spectat eiusque insidias, pastor in Christum, sicut Ipse in Deum-Patrem, semper sperare debet et nunquam animum amittere propter persecutiones, quas in mundo discipuli Christi patiuntur (pp. 368—387).

Cap. XII. In vita sua intima sacerdos est homo orationis. Oratio est eius panis quotidianus, aer, quem respirat. Ne usum orationis amittat, perpetuo in ea se exercitare debet (pp. 388—401). Orationem sequitur vita sancta, qua pastor aliis exemplum praebeat oportet. Vis exempli talis est, ut sine exemplo omnia, quae pastor dicit et facit, fundamento suo careant. (pp. 401—407). Quapropter pastor, cuius doctrina et vita inter se discordant, est petra scandali pro fidelibus suis omnique influxu salutari in societate caret. (pp. 407—418).

Conclusio comprehendit explicationem parabolae de bono pastore Ioann. 10, 1—16. 18. Scriptor ostendit discrimen inter pastorem verum et mercenarium (pp. 419—426).

Non possumus non salutare hunc librum magna cum eruditione conscriptum et, quod speciatim laude dignum est, cum unctione, qua scopus operis, i. e. Christi personam vivam in pastore ostendere, melius attingitur. Profecto non possumus consentire cum scriptore in illis locis, ubi ipse privilegia S. Petro apostolo data vel non agnoscit (pp. 130 et 192) vel tanquam remedia apostolo lapso applicata repraesentare conatur (pp. 81—84, cf. p. 190 nota et p. 305). Obscurum quoque est, quid sibi velit scriptor istis verbis: „Обращенные Имъ (т. е. Христомъ) слушатели и собесѣдники будутъ обращены не случайно, не чрезъ вторичное недоразумѣніе, какъ у католиковъ (?) съ ихъ угожденіемъ вкусамъ (?) но именно чрезъ утоленіе ихъ духовной жажды . . .“ p. 237. Item pars patristica non satis est evoluta, quod operi haud parum nocet. Ceterum auctor omnino catholice rem pertractat, neque auctores catholicos spernit, sed eis libenter utitur. Omnibus, qui theologiae pastorali student, opus hoc non parvo adiumento erit.

Dr. *Leonini.*

Христіанское Чтеніе. 1906.

E. Voroncov: Gospod' Iisus Hristos i Melhisedek, car Salima (Dominus Iesus Chr. et Melchisedec, rex Salem, Hebr. VII., 1—4), I., 3—26. Auctor explicationem huius textus praebet. Secundum ipsum nec de urbe Salem nec de origine Melchisedec quidquam certi constat (p. 7). At quoniam Christus cum Melchisedec comparetur eique opponatur, necesse est Melchisedec non mystica persona, sed verus homo fuerit. Parallelismus inter Melchisedec et Christum non tam in nominis quam in muneris similitudine positus est. Melchisedec dicitur sine parentibus, sine genealogia fuisse, quia per Spiritum S. supernaturaliter regeneratus et a Deo ad fungendum sacerdotio speciali modo designatus erat idque aliter ac sacerdotes levitici, quorum munus carnalem ab Aarone originem requirebat, quique filios suos ut successores legitimos relinquebant (cf. praesertim p. 19). »Initium dierum et finis vitae« officii sacerdotalis exercitium adnotant, ideo »sacerdotalium«, respective »sacerdotalis« verba subaudiuntur (p. 21 sq.) »In aeternum« i. e. usque ad vitae finem sine filiorum successione (p. 24 sq.). »Assimilatus« dicitur secundum ea, quae superius explicata sunt.

Sub finem auctor — quibus rationibus adductus sit, non intelligitur — concludit: adiectivum »Summi« non necessario Dei attributum esse, sed epitheton ornans, — vini autem et panis oblationem nihil nisi oblationem donorum ab amico factam fuisse (p 26). Textus, quos citat, unde deprompserit, non omnino constat.

E. Kagarov: Religija drevnjago Egipta (Nonnulla de antiquae Aegypti religione I., 27—43, 226—238, 366—378. Cum documenta, quae de Aegyptiorum religione tractant, nondum omnia perlustrata sint, accuratam huius religionis historiam tradere hoc tempore impossibile est. Ideo Kagarov, principalioribus documentis, quae publicata sunt, comparatis, quaedam tantum momenta huius religionis evolutione tradere intendit. Secundum ipsum religio Aegyptiorum, sicut quaevis alia religio, licet quaedam e monotheismo elementa contineat, monotheistica non fuit. Evolutionis enim theoriam ad religionem quoque applicat.

E. Akvilinov: Hristianstvo i social-demokratija v otnošenii k sovremennym sobytijam (Christianismus et socialistica-democratia in relatione ad recentiores eventus) I, 27—43. Articulus hic nihil nisi popularis explicatio relationis inter christianismum et socialismum est.

I. Lihnickij: Osvjaščennyj sobor v Moskvě v XVI—XVII věkah. (De sacris synodis saec. XVI.—XVII.). I., 71—93, 239—255, 437—453, 716—734

Russica ecclesia, respective metropolis Moscoviensis ab a. 1459 ut independens, licet non de iure, sed saltem de facto se gerebat. At quo magis patriarchae Cpolitani iurisdictioni sese subtrahebat, eo magis potestas civilis in res ecclesiasticas sese ingerere coepit (p. 78 sq.), ecclesiaque ut institutum a gubernio civili dependens considerabatur.

Ex altera vero parte cum saeculum XVI. et XVII., synodorum »aurea aetas«, considerentur, oboritur quaestio, quid de horum saeculorum synodis iudicandum sit. Cui desiderio, a cl. auctore satisfactum est.

Paucis itaque de priorum saeculorum synodis narratis, synodorum saeculis XVI.—XVII. habitarum evolutionem et historiam tradit. Secundum auctorem — hac in re prof. Pavlov sequitur — »соборъ сталъ не столько органомъ дѣлъ, сколько органомъ государственнаго законодательства по дѣламъ церкви« (synodi non tam ecclesiasticarum rerum, quam civilis legislationis in rebus ecclesiae organum fuerunt. Inde ex hoc tempore receptum est, ut magnus dux non solum synodis praesideret, sed etiam quaestiones proponeret, quae ad internam ecclesiae competentiam spectabant (p. 442 sq.). Synodorum illis temporibus frequentia et evolutio ex metropolitarum de rebus ecclesiasticis cura, ex principum, qui sibi episcopos propensos reddere conabantur,

contra metropolitas pugna et maxime ex rebus socialibus eo temporis spatio vigentibus (81 sq.) explicanda est. Ut membra synodi, quae adesse debebant, soli episcopi considerabantur, inferior clerus non omnibus synodis aderat. Immo saecularis clerus tantum in tribus synodis praesens erat (p. 246, cf. p. 244) Tempus convocandae synodi et membrorum numerus a temporis respectivi adiunctis nec non a quaestionis in synodo discutiendae indole dependebant (p. 245). Imperator cum magistratibus ex officii munere synodum visitabat (p. 251).

Auctor, quantum documenta edita permittunt, omnia quae ad synodi convocationem, membra, procedendi modum, alia id genus pertinent, singillatim pertractat. Pauca tamen adnotanda esse videntur. Auctor, similiter atque alii historici Russici, non decidit quaestionem, quomodo singulae illis saeculis synodi dividendae sint. In nonnullis enim synodis pauci aderant episcopi, nonnumquam 7 aut 8 (cf. p. 244_{60}); at hisce non obstantibus pari in veneratione atque aliae synodi habentur. Confuse quoque loquitur, qualem vocem, decisivam an consultativam, alii praeter episcopos in synodis habuerint.

I. Brilliantov: Obrazovanie anglikanskago duḫovenstva (De intellectuali cleri Anglicani educatione) I., 94—111. Hic articulus Russicam versionem observationum E. Armand'ii in »Revue Catholique des Eglises.« 1905. No 2 depositarum, praebet.

R. Smirnov: Pravovoe položenie raskoła pri imperatricě Anně Ioannovně (Iuridicus status schismatis (raskoł) tempore regiminis Annae f. Ioannis) I., 112—128. Ad opus suum, quod ad magistri gradum obtinendum proposuerat, adnotationes addit.

M. Orlov: Čego trebuet istinnyj smysł avtonomii v otnošenii našiḫ akademičeskiḫ nauk? (Quae ad studiorum in Academia autonomiam requirantur), I., 129—136. Methodum in disciplinis disponendis servandam esse consulit.

Th. Makar'ev: Reforma duḫovno-učebnyḫ zavedenij i v častnosti duḫovnyḫ učilišč (De ecclesiasticarum scholarum reorganizatione). I., 137—157.

V. Popov: Alfred Ieremias. Babylonisches im Neuen Testament. Leipzig. 1905. I., 158—166. Relato sat late libri argumento eum omnibus commendat.

N. Nikol'skij: K voprosu o cerkovnoj reformě (Nonnulla ad ecclesiae reformationem spectantia). I., 177—203. — Anno 1905 mense aprili proposita sunt ab Acad. Petropolitanae professoribus postulata de rebus, quas ad ecclesiae Russicae reformationem necessarias esse ducebant. Ad tria autem capita reduci possunt: primo, ut in inquirenda christianae fidei veritate summa libertas permittatur; ideo annullanda est censura ecclesiastica nec non ius nonnullorum (i. e. hierarchiae), qui soli de rebus fidei decernunt, abolendum est; secundo: notio »conciliarii« iterum resuscitanda est populusque in regenda ecclesia particeps sit oportet; tertio: episcoporum in fideles potestas iuxta pristinae ecclesiae normam reformanda ac restringenda est; sacerdotibus quoque saecularibus ad ecclesiasticas praelaturas aditus pateat (p. 179 sq.)

Ad haec professorum Acad. desideria Nikolskij adnotationes suas addidit, quae huc fere tendunt: quaestio de forma regiminis ecclesiastici secundarii momenti est; — praeprimis enim spiritus evangelicus — qui nunc temporis desideratur — iterum in ecclesiam introducendus est. Nam sola veterum canonum resuscitatio ad finem intentum minime perducit parumque antiquae ecclesiae agendi modo concordat. Antiquitus enim non solum canones, si opus erat, mutabantur, verum etiam de rebus maioris momenti ut de fidei fontibus, s. canone, aliis, documenta id ipsum testantur (p. 183 sq.). Immo in Russica ecclesia mutata regiminis eccl. forma nonnullae doctrinae mutabantur (p. 185). »Вѣдь ни для кого не секретъ, что синодальная форма управленія вы-

зывала у насъ тяготѣніе и къ такимъ принципамъ вѣры, какихъ мы прежде не знали«. (Post Petrum M. synodalis ecclesia doctrinas antiquitati ignotas introducebat: p. 185) Recentiore tempore non episcopi, sed academiae fidei custodes et revelationis magistri merito reputantur (p. 185).

Ut autem ad evangelii spiritum aditus pateat, praeprimis duo in Russorum ecclesia observanda sunt: primo in rebus fidei summa cuique libertas permittatur; secundo ab omnibus, principaliter ab episcopis, veritas inquirenda est (p. 186 sqq., p. 196 sq.). Quae duo cum nunc temporis non habeantur, synodus legitima impossibilis est. De ecclesia vero synodali post Petri M. tempora confitetur: eius regimen canonibus adversari — ideo decreta ab ea emissa, etiam catechismum metr. Philareti perscrutanda esse, ut inquantum ipsa cum ecclesiae orthodoxae fide sint conformia (p. 202 sq.), manifestum fiat.

Secundum ipsum de rebus fidei decernunt non episcopi, sed academiae, cum recentiores episcopi sint »остались теперь сосудами благодати, но не вмѣстилищами ученія« (charismatis, non doctrinae possessores et custodes: p. 185). Quae de synodorum et ecclesiae infallibilitate tenet, protestantica sunt (p. 195 sq.). Et generatim magnus protestantismi influxus in auctoris disquisitione cernitur.

V. Uspenskij, Religija Oskara Uajl'da i sovremennyj asketizm (Oskari Wild religio et recentior ascetismus) I., 204—225. Uspenskij tradita Oscari Wilde religioso systemate in recentiorem ascetismum invehitur, utpote qui »odium mundi« a Christo praeceptum minime intelligat. Secundum Uspenskij revelatio, miracula, sancti non sunt sufficiens criterium ad discernendam veram a falsa religione (p. 218).

P. Iustinov, Thedovsěevščina pri žizni eja osnovatelja (De Theodosii systemate tempore eius vitae) I., 256—281, 391—414, 591—615. Annus 1771 communiter consideratur ut terminus a quo nova, fractio in raskol paulatim sese evolvebat. Iustinov ex actis sectae tum publicatis tum manuscriptis ostendit iam ipsum sectae fundatorem Theodosium (1665—1711) totum systema composuisse.

D. Abramovič, K voprosu o reformě russkago pravopisanija (De reformatione orthographiae Russicae). I., 282—305. Auctor necessitatem ostendit esse veram, ut Russicus scribendi modus corrigatur et reformetur.

A. Rodosskij, Zapiska ob ustanovlenii ežegodnago prazdnovanija dnja osnovanija S.-Peterburgskoj duhovnoj akademii, I., 306—312. Ab a. 1809, quo academia Petropolitana reorganizata est, dies eius fundationis celebratus non est usque ad a. 1865. Radosskij actus, secundum quos a. 1865 haec festivitas peracta est, prelo committit.

N. Pokrovskij, Želatel'naja postanovka cerkovnoj arheologii v duhovnyh akademijah (Desiderata quoad archaeologiam in academiis ecclesiasticis). I., 333—350. Pokrovskij, auctor solidi operis »Очерки рамятниковъ христіанской иконографіи искуство. Спб. 1900 г.«, exposita archaeologiae ecclesiasticae in Russia evolutione, argumentis sat gravibus prolatis propriam disciplinae archaeologicae cathedram fundandam esse ostendit.

A. Brilliantov, Učenyja zamětki i pis'ma prof. V. V. Bolotova po perevodu bogoslužebnyh knig na finskij jazyk. I., 379—390; 671—696. Bolotov, cum commissio specialis ad vertendos libros liturgicos in linguam finlandicam instituta esset, animadversiones suas hac de re huic commissioni mittebat. Quas animadversiones Brilliantov cum adnotationibus suis publicat.

N. Glubokovskij, Ellinskoe obrazovanie sv. Apostola Pavla (De s. Pauli in litteris Graecis educatione) I, 350—361, 499—532, 651—670, 844—857; II, 3—24.

Secundum Glubokovskij Iudaei in tantum eruditionem in Graecis litteris tempore apostolorum respuebant, in quantum hae litterae religioni revelatae repugnabant vel eam oppugnabant. Immo linguae Graecae scientiarumque Graecarum cultura apud eruditos Iudaeos magni habebatur. Quare etiam apostolus Paulus, qui Tarsi incola et civis Romanus erat, hanc eruditionem minime negligere potuit, – id quod Glubokovskij per longum et latum ostendit. Maxime notanda sunt, quae Glubokovskij de s. Pauli civitate Romana habet.

M. Cel'cov, Ḫristianstvo i politika (De christianismo et rebus politicis) I. 415—436. Ex religionis christianae ratione auctor ostendit eam ad res civiles indifferentem esse non posse. Ideo si res civiles a religionis principiis regantur, quamvis societatem quam maxima pace et prosperitate gaudere.

A. Bronzov, K voprosu o vegetarianstvě (Quaedam de vegetarianismo) I, 454—462. Ad rationes physiologicas, quas El'pe (L. K. Popov) tractat, Bronzov motiva ethica addit, quibus hominibus carne utendum non esse persuadere conatur.

N. Pokrovskij, O měraḫ k soḫraneniju pamjatnikov cerkovnoj stariny. (De antiquarum rerum conservandarum ratione) I, 471–498. Auctor rationibus, quibus res antiquae usque ad praesens tempus conservabantur, enarratis, ut id efficacius fieri possit, etiam sua placita proponit.

P. Žukovič, Arḫiepiskop Meletij Smotrickij v Vil'ně v pervye měsjacy poslě svoej ḫirotonii (arch. Meletius Smotrickij, quid Vilnae primis mensibus post suam consecrationem egerit) I., 533—551, 697—715, 858–877. Inter episcopos a patr. Theophane a. 1620 ordinatos fuit Meletius Smotrickij, archiepiscopus Poločensis. Is sub finem a. 1620[i] Vilnam proficiscitur, unde ad orthodoxos varias in regiones epistolas mittit, quibus unionem in periculum adduxit. Inde tamen a 6. Febr. 1621 ep. Smotrickij cum asseclis utpote sine regis approbatione a patriarcha consecratus, in iudicium citatur et 28. martii 1621 a metr. Rutskij excommunicatur. Quos eventus auctor usque ad 16. Iunii 1621 — nonnumquam minus accurate — describit.

M. Sokolov, Gruzinskij monastyr' v Vizantii (De Iberorum monasterio sito in territorio Byzantino) I, 552—579; II, 570—583. A. 1084 fundavit Gregorius Pacurianus († 1086), μέγας δομεστικὸς δύσεως, pro solis Iberis monasterium in honorem Dormitionis B. M. V. iuxta pagum Stenimach prope Philippos in Bulgaria. Fundator Pacurianus pro monachis specialem τυπικόν iuxta typicon monasterii Cpolitani, μόνη παναγίου, composuit monachosque a cuiusvis potestatis tum ecclesiasticae (etiam patriarchalis) tum civilis iurisdictione exemit. Cuius typici regulas auctor communicat.

E. Akvilonov, O nedozvolitel'nosti služenija pravoslavnym duḫovenstvom panniḫid v ḫramaḫ po usopšim inověrcam-ḫristianam. (Sacerdotibus orthodoxis officium defunctorum pro mortuis non orthodoxis celebrare non licet) I, 580—590. Akvilonov, cum eadem de quaestione in Церк. Вѣст. (1905, Nr. 35) scripsisset, tres contra eum oppugnantes V. A. Sokolov, A. Grinevič, P. Malyḫin, insurrexerunt. In praesenti dissertatione eandem ac prius defendit opinionem id est officium defunctorum pro mortuis non-orthodoxis celebrare non licere. Ecclesia enim est societas non solum, ut volunt Protestantes, interna, sed etiam visibilis, externa p. 581. Et si pro vivis non-orthodoxis orat, id propterea facit, ut eos in sinum suum attrahat, — quoad mortuos vero id fieri nequit. Quodsi nullus canon, qui id prohibeat, ostendi potest, id inde explicatur, quod Patres de mortuis nihil decernebant, sed solum eos misericordiae divinae committebant (p. 599 sqq). Verum privatim cum non-orthodoxis, immo privatim et pro mortuis non-orthodoxis orare licet. (p. 591 sqq).

V. Roždestvenskij, Iz čtenij po hristianskoj apologetikě (Praelectiones de apologetica christiana) I, 629—650, 823—843. Secundum auctorem apologeticae christianae finis est, scientifice illustrare et defendere dogmata fundamentalia fidei christianae et morum. Eo autem ab apologia (defensione) christianismi communi differt, quod in apologetica dogmata christiana non solum defenduntur, sed quod id scientifico modo fit et quae res et qua ratione defendendae sint ostenditur. Talem autem tractandi modum possibilem esse auctor ostendit eo quod systemata Kant et Comte oppugnat.

M. Čel'cov, Pravoslavnoe pastyrstvo i obščestvennaja dějatel'nost' (Clerus orthodoxus et res sociales) I, 725—747, 878—888. Ex religionis christianae notione et ex historia ecclesiastica auctor ostendit clerum orthodoxum praesertim nunc temporis posse et debere sese rebus socialibus immiscere easque secundum Christi spiritum illustrare ac regere.

A. Vysokoostrovskij, O pravě duhovnyh akademij prisuždať učenyja stepeni po filosofskim naukam I, 748—777. Auctor omni ratione evincere conatur convenire, ut academiae ecclesiasticae ius et potestatem habeant discipulos suos doctorum philosophiae gradu ornandi.

I. Sokolov, Bogoslovskija i svjaščenničeskija školy na pravoslavnom grečeskom Vostokě (De scholis theologicis et clericalibus in orthodoxo Graeco orienti) I, 778—791, 889—908; II, 99—115, 234—253, 391—413 Auctor scholarum recentiorum in patriarchatu Cpolitano evolutionem et statum describit. Ex omnibus scholis solum quae fundata est a. 1844 in insula Chalki prope Cpolim, externis academiis similis est.

A. Brilliantov, Proishoždenie monofisitstva (De monophysitismi origine) I, 793—822. Alexandrini, ut Athanasius et praesertim Cyrillus Alex., scripta refutabant, quae Apollinarii factio mitior sub orthodoxiae nomine divulgabat. Et licet Cyrillus ea catholico sensu explicare conatus sit, tamen nonnulli termini, ut μία φύσις errori viam pararunt. Ex altera vero parte, cum Nestorii praedecessores Diodorus et Theodorus nondum damnati essent, contra terminos, δύο φύσεις' dubia movebantur. Quo ex duplici fonte Monophysitismus ut rivulus sponte sua scaturivit.

L. Brodskij, K voprosu ob edinověrčeskom episkopě (De unius-fidei sectantium quaestione) I, 909—930; II, 116—132. Unio sic dictorum ,raskolniki' cum ecclesia orthodoxa (единовѣріе) innititur condicionibus, quas a. 1800 Moscov. metr. Platon composuit. Ex illo tempore raskolniki, qui cum orthodoxis uniti erant, sacerdotes, qui ab orthodoxis episcopis ordinati erant, recipiebant. A. 1864 ac 1905, ut suos proprios episcopos haberent, petierunt. Ideo 6 apr. 1864, s. synodus episcopos, quid ipsi hac de quaestione sentirent, interrogavit. Ex episcopis duodecim id ecclesiae orthodoxae legibus repugnare responderunt, decem vero assentientes rescripserunt. Quorum episcoporum responsis adductis auctor suam opinionem profert. Secundum ipsum tota lis sic componi potest, ut praedicti raskolniki unum episcopum habeant, qui non, ut voluerunt orthodoxi episcopi in suis ad s. synodum responsis suam dioecesim habeat, sed s. synodo assistat et unionistarum curam spiritualem gerat.

P. Smirnov, Pervyja popytki raskol'nikov priobrěsti arhiereja (De primis eorum, qui raskolniki vocantur, conaminibus habendi proprium episcopum) II. 41—78. Nonnulli raskolniki inde iam ab an. 1730 orthodoxis episcopis, ut sibi proprium episcopum ordinarent, expetebant. Quae conamina documentis publicatis auctor describit.

E. Voroncov, K izjasneniju psalma 103 (104), 4 (Ad exegesim ps. 103 [104], 4): Ex contextu et grammatica Hebraica auctor ostendit

ante verba ἀγγέλους et λειτουργούς articulum τοὺς adesse debere; ex V. Testamento, contextu, Patrum explicatione, angelos stricto sensu sumendos esse evincit.

V. Verjužskij, Sèverno-russkoe prihodskoe duhovenstvo v koncě XVII vèka (De boreali clero curato orthodoxo in fine saec. XVII) II, 79—98, 285—301, 425—441.

A. 1628 fundata est dioecesis Holmogorskaja (Холмогоры.) Primus episcopus designatus est Athanasius. Cuius dioecesis cleri tum quoad scientiam tum quoad mores statum atque episcopi conamina ad clerum erudiendum vitiaque praesertim ebrietatem tollenda, auctor exponit.

K. Harlampovič, K biografii Veniamina, arhiepiskopa irkutskago (De vita Benjamin, archiepiscopi in urbe Irkutsk) II., 133—155, 302—310, 442—459. Benjamin, (Basilius Ant. Blagonravov) natus est 1825. Acad. in urbe Kazan absolvit 1850; dein per octo annos historiam ecclesiasticam in eadem academia tradidit. A. 1862 episcopus ordinatus est; a. 1871 archiepiscopus in urbe Irkutsk factus est, ubi usque ad mortem (1892) permansit. Inde ab a. 1862 totus quantus missionibus inter paganos habendis occupatus erat et ita prospere laboravit, ut per triginta annos cum sociis suis fere 40.000 infideles ad christi fidem adduxerit. Cuius episcopi vitam, labores et opera auctor in praesenti articulo recenset.

P. Žukovič, Zaporožskie getmany Borodavka i Sagajdačnyj v svoih poslèdnih cerkovnyh i političeskih dělah, II., 189—212, 341—369. Duces Borodavka et Sahajdačnyj, cum Poloni cum Turcis et Tataris ad Chocim bellum gerebant, Cozacorum exercitui praefuerunt. Uterque dux curavit, ut orthodoxi episcopi a patr. Theophane sine regis consensu consecrati ab eo approbationem et iura acciperent, quam duplicem utriusque actionem auctor describit.

P. Smirnov: Načalo bezpopovščinskoj polemiki po voprosu o brakě, II, 213—233, 370—390, 669—695. Ex iis, qui raskolniki audiunt, alii primis sectae suae annis sacerdotium respuebant. Hi ut sectae suae adhaerentes virginitatem servarent, curarunt. Haec eorum conamina et disceptationes, prout primis temporibus locum habuerunt, Smirnov narrat atque simul duo documenta, quae hanc quaestionem respiciunt, edit.

P. Iustinov, Rjapinskij period v istorii thedosèevščiny, II., 696—714. Raskolnikorum factio, quae a Theodosio originem ducit, inde ab a. 1712—1719 in pago Rjapin commorabatur. In praesenti articulo eorum vita, doctrina, alia id genus evolvuntur.

M. Grigorevskij, Značenie blagodati Božiej, věry i dobryh děl čelověka dlja opravdanija ego pred Bogom, po r. katoličeskomu učeniju (Quid gratia Dei, fides, bona opera in hominis iustificatione secundum Rom. catholicam doctrinam valeant) II., 254—284, 414—424, 555—569.

G. quid catholici de gratia, fide, bonis operibus teneant ac doceant, inquirit. Ex catholicis theologis auctor nullos alios novit nisi Bellarminum, catech. Rom., Perrone; aliorum enim nonnisi nomina citat vel eorum doctrinam ex protestantium aut orthodoxorum libris exponit. Immo et illorum trium, imprimis catech. Rom. et Bellarmini doctrinam ita evertit, ut absurda illis attribuere non timeat. Quare mirum esse sane non debet, si in catholicorum doctrina innumeras inveniat haereses (Kromě iskažennago učenija o sv. Duhě, katoliki obnarodovali ešče eretičeskij dogmat o neporočnom začatii Božiej Materi, nepravil'no učat o Sv. Pisanii, otnimaja ego u mirjan, iskažajut učenie drevnej cerkvi o tainstvah, lžeumstvujut v učenii o cerkvi, usvojaja prinadležaščuju ej nepogrěšimost' odnomu papě, i pogrěšajut v učenii ob opravdanii i spasenii čelověka) (p. 255.).

Ex singulis, quae de catholicorum doctrina quoad gratiam, fidem et bona opera tradit, aliquid exhibebimus.

Secundum auctorem catholici docent, cum homo iustificatus bona opera exerceat, Deum erga eum debitorem constitui (p. 256). Licet Christus pro omnibus mortuus sit, tamen nemo nisi is fructum ex Christi passione consequitur, cui eius merita applicantur (p. 257). Ex Tridentino (sess. VI., praesertim cap. XVI.) et ex theologorum catholicorum explicatione concludit secundum catholicam doctrinam redemptionem esse superfluam (Vsmatrivajas' bliže v privedennyj nami dekret Tridentskago sobora i iměja v vidu sočinenija katoličeskih̬ bogoslovov, my nah̬odim, čto logičeskim slědstviem i vyvodom iz katoličeskago vozzrěnija na pervorodnyj grěh̬ javljaetsja sovsěm uže nehristianskaja mysl': opravdanie naše v tom vidě, kak ono soveršenno H̬ristom, soveršenno izlišne) (p. 259). Dein inter hominem in statu naturae purae et hominem lapsum catholici nullam asserunt esse differentiam (p. 261 sq.). Catholicorum opinio de disharmonia inter animam et corpus hominis in statu naturae purae positi logice statuit Deum peccati auctorem esse (p. 262.). Etenim »si Deus dedit legem, quae nonnisi bonum praecipiat, et hominem donavit libertate, qua pari modo bonum et malum velle possit, Deus inconsequenter agit et mali auctor iure merito dici potest (p. 264). Stricte loquendo catholici peccatum originale non agnoscunt (Sobstvenno pervorodnago grěh̬a katoličestvo ne priznaet) (p. 263), quia peccatum originale etiam in depravatione naturae humanae in naturalibus consistit (p. 265), id quod catholici admittere nolunt. Cum vero peccatum originale putent catholici in sola gratiae amissione consistere (p. 265), ideo in eorum opinione redemptio prorsus superflua est (p. 265 sq.). Immo et gratia originalis, quam catholici statuunt, nonnisi externum adiumentum homini additum est (p. 266), quod a catholicis tali ratione concipitur, ut illud peccati ab Adamo commissi causam esse recte concludi possit (Učenie rimskoj cerkvi o pervobytnoj blagodati, pri poslědovatel'nom ego razvitii, pripisyvaet toj že blagodati vinu padenija čelověka) (p. 267). In canone 9. sess. 6. Tridentini Semipelagianorum sententiam, quae docet hominem propriis viribus ad gratiam Dei sese disponere, contentam esse statuit. (V 9 kanoně 6 sessii jasno govoritsja čto čelověk dolžen sobstvennoju voleju prigotovljat' i raspolagat' sebja k prinjatiju blagodati) (p. 270). Tridentini decreta de gratia contradictionibus plena sunt (p. 271). Secundum Trid. doctrinam gratia antecedens nonnisi nominalis est (p. 272), gratiae vero concomitantis munus est hominem, qui bene velle incipit, adiuvare (p. 272). Tridentini doctrina (sess. V.), quae statuit concupiscentiam in homine baptizato remanentem non esse peccaminosam proprio sensu, s. scripturae (Paulo) repugnat et ludicra est (naivnaja), nam, si concupiscentia non est peccatum, virtus est (p. 274).

Secundum catholicos, qui »opus operatum« in sacramentorum operatione statuunt, sacramenta sine omni hominis cooperatione, modo mere mechanico (p. 275 sq.) et magice (p. 276. 281) gratiam sacramentalem producunt. Catholici autem suam de »opere operato« theoriam inde sumpserunt, quod posuerant hominem non teneri omnibus viribus Deo adhaerere (nam kažetsja, čto ona (teorija) est' slědstvie toj juridičeskoj, zakonničeskoj točki zrěnija, s kotoroj katoličestvo voobšče razsmatrivaet svoi otnošenija k Bogu i pri kotoroj čelověk možet sčitat' sebja kak by vpravě ne prinadležat' Bogu vsěm serdcem i pomyšleniem) (p. 280 sq.).

Catholici et orthodoxi in fidei explicatione eo inter se differunt, quod orthodoxi fidem vivam et efficacem concipiunt, catholici vero mortuam (p. 416). Et ad orthodoxorum fidei explicationem magis accedit protestantium, quam catholicorum explicatio, cum sec. orthodoxos fidei obiectum sit praesertim misericordia Dei, et fides resideat in voluntate, atque assensus non ad intellectum sed ad cor referatur (p. 418). Secundum catholicos fides potest esse viva, etsi mores sint

pessimi (p. 423); quare fides in iustificatione non multum valet (ona iměet ničtožnoe značenie v opravdanii) (p. 424).

Perverse quoque catholici de bonis operibus sentiunt (nravstvennaja dějatel'nost' čelověka ponimaetsja v katoličeskoj cerkvi grubo-mehaničeski, v smyslě summy vněšnih postupkov), cum secundum eos bona opera nonnisi virtutis internae m e c h a n i c a quaedam complementa sint (p. 556). Supererogatoria catholicorum opera simili ratione ac protestantes explicat (cf. p. 563 sqq.), ita tamen, ut etiam apertos errores committat. E. g. in cap. 14. sess. 8. Tridentinum damnat sententiam, quae in poenitentia simul cum culpa omnem poenam idque s e m p e r remitti dicit (»numquam«) — auctor tamen concludit post omnem peccati remissionem s e m p e r (v s e g d a) poenam remanere (p. 566 sq.).

Totum vero opus ita concludit: u b l a g o d a t i i v ě r y k a t o l i č e s k a j a c e r k o v o t n j a l a p o č t i v s j a k o e z n a č e n i e i s i l u v o p r a v d a n i i. Věda tol'ko znakomit hristianina s Bogom. Blagodat' pomagaet liš' emu v ego samostojatel'noj dějatel'nosti. I tol'ko eta poslědnjaja iméet vse dostoinstvo v dělě opravdanija: čelověk sam načinaet ego, sam i zakančivaet (p. 569). (Secundum catholicos gratia et fides fere nihil valent in hominis iustificatione; homo ipse propriis viribus gratiae et fidei munus exercet.)

V. Serebrenikov, V o z r a ž e n i j a L e j b n i c a p r o t i v f i l o s o f i i D e k a r t a (Leibnizii in Cartesii philosophiam animadversiones) II, 487—516. Serebrenikov inquirit de Cartesianae philosophiae in Leibnizium influxu, de utriusque philosophiae differentia nec non, in quo utraque philosophia emineat idque maxima ex parte ex ipsius Leibnizii operibus.

E. Voroncov, K v o p ŕ o s u o c i t a c i i 39 (40) p s a l m a v p o s l a n i i k E v r e j a m (De citatione ps. 39/40) in epistola ad Hebraeos) II, 517—533. Secundum auctorem v. 2—8 c. X. ad Hebr. referuntur ad munus Christi messianicum et ingressus in mundum initium operis messianici designat.

K. P. Tyle, N a p r a v l e n i j a r a z v i t i j a v č a s t n y h r e l i g i j a h i v g r u p p a h s r o d n y h r e l i g i j (De evolutionis ratione in particularibus religionibus) II, 534—554. Quarundam religionum indole characteristica annotata evolutionem cuiusvis religionis particularis in eo sitam esse dicit, quod diversae res diversique influxus evolvuntur idque independenter ab invicem, donec tandem differentiae tollantur atque harmonia plena efficiatur. Quae de V. T. post captivitatem Babylonicam doctrina deque fidei ad rationem relatione dicit, rationalismum spirant. Quomodo evolutio ad religionem christianam applicanda sit, manifestum non est.

F I. Jankovskij, O p r e o b r a z o v a n i i r u s s k o j p r a v o s l a v n o j c e r k v i (De Russicae orthodoxae ecclesiae reorganizatione) II, 621—643, 80 —831. Ut Russica ecclesia perfecte reformari possit, auctor sequentia, ut executioni mandentur, consulit: separatio ecclesiae a gubernio utpote necessaria perficienda est, — dioeceses multiplicentur (sint pro Russia 2000) — episcopus a laicis eligatur, quae e l e c t i o a c i v i l i g u b e r n i o a p p r o b e t u r, — in electione cum episcopi tum inferiorum eccl. ministrorum potius ad morum sanctitatem, quam ad doctrinam attendendum est, — episcopi autem s i n g u l i p l e n e a b i n v i c e m s i n t i n d e p e n d e n t e s, — quivis vero episcopus degradationis processu excepto similia iura ac nunc s. synodus possidet, habeat, — episcopi possunt esse uxorati — decanorum officium tollendum, — parochus, cuius subditi 100 numero non excedant, ex ipsis parochianis eligatur, — episcopus et inferior c l e r u s n o n n e c e s s a r i o h a b e r e d e b e n t e r u d i t i o n e m t h e o l o g i c a m, scholae ecclesiasticae ac seminaria extinguenda sunt, — metropolita ac patriarcha nullam praecedentiam nisi honoris habeant, clerus rebus, quae ad

gubernium spectant, sese ne immisceat, — officium ecclesiasticum et ieiunium abbreviandum ac mutandum est.

A. Kotovič, Čerty i uslovija razvitija russkoj bogoslovskoj mysli v epohu Nikolaja I. (De indole et condicionibus evolutionis studii theologici tempore Nicolai I) II, 644—668, 854—877. Auctor ex scriptorum eius temporis operibus, quid Russi tunc de rebus ad religionem pertinentibus senserint quaque ratione eorum opiniones evolutae sint depingit.

V. Popov, Hristianskaja ljubov′ kak istinnoe osnovanie i cěl′ čelověčeskoj žizni (Caritas christiana ut fundamentum et finis vitae humanae) II., 715—731. Caritatis christianae dotibus enarratis ex rebus irrationalibus, ex hominis natura et ex s. scriptura concludit caritatem christianam esse vitae humanae fundamentum ac finem.

P. Levitov, O sčastii (De felicitate). II, 732—743. Ut felicitatem quis hisce in terris assequi possit, sequentia ei praestanda sunt: quae in vita eveniunt, aequo animo tractare, — vitam in quadam optimismi luce acceptare, — ad praesentia magis, quam ad ea, quae in futurum evenire possint animum attendere, — quam minimam rerum externarum indigentiam habere.

Arhim. Mihail, Sumašestvie kak povod k razvodu (Mentis aberratio sufficit ad vinculum matrimoniale dissolvendum) II, 832—853. Commissio, quae ad legum civilium codificationem instituta est, proposuit, ut perfecta mentis aberratio ad matrimonium solvendum sufficiat. Arch. Michaël a commissionis rigorismo abhorrens consulit, ut etiam periodica mentis aberratio, epilepsis et melancholia disrumpere possit vinculum matrimoniale.

M. Posnov, K voprosu ob istočnikah hristianskago věroučenija i zadačah ego (De fontibus christianae fidei eiusque fine) II., 773—800. Secundum auctorem theologo quoad religionis christianae fontes, i. e. s. scripturam et traditionem haec praestanda sunt: primo debet illas intelligere et, quid illae doceant, scire; secundo ostendere debet illarum pulcritudinem atque in vitam influxum; tertio debet eas defendere.

N. Nikol′skij, O prepodavanii patristiki v S. Peterburgskoj duhovnoj akademii v 40—50 godah XIX. stolětija, II, 878—888. Anno 1841 inducta est specialis cathedra pro patristica in academia Petropolitana. Huius disciplinae prima fata ex scriptis P. Kolossovskij auctor enarrat. *M. H.*

Vladimir Solov′ev: **Россія и вселенская церковь** (Rossija i vselenskaja cerkov′). Переводъ съ французскаго (La Russie et L'Eglise universelle). Russia et ecclesia universalis. Liber versus e Francogallico: La Russie et L'Eglise universelle. Cracoviae. Typographia V. L. Ančic et Soc. 1904. 8⁰ pag. 222.

Liber I. De religionis Russiae et Orientis christiani statu. In capite I. exponitur narratio Russica de s. Nicolao et Cassiano et eius applicatio ad ecclesias divisas. Ss. Nicolaus et Cassianus Dei iussu in terram profecti sunt, ut res terrenas cognoscerent. Perambulantes terram vehiculum viri, in luto infixum, conspexerunt. S. Nicolaus quidem virum infelicem adiuvit et hinc non solum laudatus est a s. Petro sed etiam praemio donatus, ut festum suum bis celebraretur singulis annis ipseque post s. Petrum in Russia maximi fieret; s. vero Cassianus, qui veritus, ne alba vestis macularetur, nullam manum moverat, solum semel quarto quoque anno (29. Febr.) festivitate laetatur. „Ecclesia occidentalis, missioni apostolicae fidelis, luto vitae quotidianae immergi non timebat. Sola

per longum tempus, immo per integra saecula iura legesque servare artesque colere docens, gentibus barbaris sui iuris tenacibus, institutis moribusque incultis, tum de rebus externis, tum de spirituali animorum cultura sedulo providit. Operi admodum difficili velut s. Nicolaus vehiculo in via incumbens, non tam servavit sanctimoniam atque innocentiam quam genus humanum miseriis suis eripuit.

E contra ecclesia orientalis dedita ascetismo rigido et mysticismo contemplativo, neglectis interim rebus politicis officiisque socialibus, quae omnia maximi sunt pro hominibus momenti, uti s. Cassianus in paradiso praeprimis sine macula in veste apparere cupiebat. In occidente ecclesia omnibus viribus bonum quodvis amplectebatur; hic in oriente prae amore et timore amittendae castitatis caritatem dimittebant. Qui inter utramque ecclesiam dissensus etiam causa remotior est eius divisionis atque consistit in dissimili ipsius vitae spiritualis idea. Haec idea in se non erronea sed incompleta apparet (pag. 7—8). Christianus orientalis solum orat; occidentalis vero et orat et laborat. Uter est verus Christianus? (pag. 8). Monachi s. montis Athonis exemplar sunt ecclesiae orientalis orantis, ei ad imitandum propositum. Sed ubi est ecclesia laborans, quam Christus condidit, et cui exemplum ipse orans et laborans dedit? Non exuere nostram naturam orientalem sed complere, non relinquere propria sed assumere communia opus est Nostrum est, veritatem facilem et necessariam agnoscere, veritatem illam, orientem solum partem esse ecclesiae universae seu catholicae, et partem absque centro in se, quod a providentia in occidente locatum, cuique nos cum proprietatibus nostris iuncti et iustitiae caritatique satisfaciemus et ulterius in omni disciplina spirituali et in omni actione sociali progrediemur. Multum abest, ut s. Cassianus alius omnino homo contemptorque vestis immaculatae fieri debeat, dummodo defectum proprium compleat. Strenuum fratrem suum occidentem non ira persequi, sed socium eum potius ducemque in via perficienda sumere debet (pag. 10—11).

In II. cp. tractatur sententia illa, quae occidentem aberrasse dicit ac Russiam sibi sufficere secundum illud: In Oriente lux est, affirmat. Disputatur dein de condicione Russiae in Europa a providentia assignata, et concluditur, modernos sibi huius condicionis non esse conscios.

In sequentibus capitibus maiori brevitati studebimus, summas tantummodo res attingentes, paucis exceptis.

III. cpte statuitur magnum discrimen inter populum Russicum eiusque scholam theologicam. Quae orthodoxis sancta sunt, valent etiam pro catholicis, et quod populus orthodoxiam habet, idem est ac si haberet fidem catholicam. Tempore, quo Russi a Constantinopolitanis fidem susceperunt, Graeci quidem adhuc Romae addicti erant, sed iam corrupti particularismo nationali, cui patrocinabatur patriarcharum ambitio, imperatorum ratio politica, doctrinae denique scholarum theologicarum. Dum clerus et scholae placita erroresque Photii ac Caerularii secuti, schisma illud deplorandum invenerunt, ipse populus Russicus fidem integram servavit. Essentia orthodoxismi consistit in negatione „filioque,“ imma-

culatae conceptionis (quamquam Russi Deiparam „preneporočnaja" h. e. immaculatam per excellentiam nominant), primatusque papae. Quam triplicem negationem a nulla auctoritate spirituali, quae ab omnibus ut suprema esset agnita, sancitam esse, auctor fusius persequitur. Nec ullum concilium oecumenicum doctrinam oppositam catholicorum damnavit. Maxime apud Russos auctoritas papae odio habetur et papam arbitrantur inimicum Orientis! Sed quid volunt loco papae? Conciliumne oecumenicum? Iam mille annos nullum in Oriente celebratum est neque secundum Philaretum Moscoviensem ibi fieri potest. Neque s. Synodus Petropolitana nec patriarcha Constantinopolitanus possunt esse caput universae ecclesiae. Quapropter alternativa relinquitur, aut affirmare cum sectis extremis, ecclesiam proprietatem divinam perdidisse, aut caput in Occidente agnoscere.

Capite IV. agitur de dissidentibus in Russia, de vera causa schismatis, et quid Philaretus Moscoviensis nominet ecclesiam universalem.

Primum ad obtinendum statum religiosum meliorem in Russia est, ut postuletur ecclesia independens a caesaropapismo, quae cum populo omnem vitam socialem et politicam participet, ecclesia libera auctoritate pollens et vigens. Adhuc desideratur vera administratio spiritualis in ecclesia Graeco-russica. Quare dissidentes aliqui aperte affirmarunt, veram ecclesiam anno 1666 de mundo evanuisse, Russiam vero vivere sub spirituali imperio Antichristi, Petropoli residentis. — Summa doctrinae Philareti Mosc. est: ecclesia universalis continet omnes ecclesias particulares, dummodo servaverint, sicut Russica, prae reliquis puritatem doctrinae divinae; huius autem iudicium solum penes Spiritum s. est. De vinculo visibili et coniunctione mutua sociali nihil curat vel potius ea negat. —

Omissa refutatione opinionum slavophilorum (cp. V.) atque tristi servitute ecclesiae Russicae sub iugo caesaropapismi gementis (cp. VI.) pauca de officiali eius administratione (cp. VII) depromemus.

Aksakov ea de re fusius disserit, quorum summam attingemus. — Ecclesia orthodoxa administratur per s. Synodum, cuius membra supremo procuratori civili vel militari subiecta, imperator nominat. Praeterea etiam episcopi secundum placita s. Synodi designantur. Similiter etiam gradus hierarchici prout gradus militares dividuntur (metropolita respondet marescalco, archiepiscopus generali divisionis, episcopus generali brigadae). Paulus I. merita cleri consequenter ordine militari praemiari consueverat. Hinc missio quoque cleri naturâ suâ inservit mediante procuratore potestati civili. Solum vi orthodoxia servatur in possessione sua. Transgressores sistuntur speciali iudicio et in Sibiriam relegantur. Pogodin, historicus Russicus concessit, promulgata libertate conscientiae dimidiam partem populi eamque meliorem religionem catholicam amplexuram esse.

Tribus ultimis capitibus l. l. (cp. VIII — X) agitur de communione ecclesiae Russicae cum Graeca, et hanc unionem nullam esse demonstratur. Anno 1885 imperium Russicum manifeste declaravit, ecclesiam orientalem potestatem suam in manus imperatoris tradidisse-

Quae plane sunt infallibilitas imperatoris et caesaropapismus. Neque patriarchae Constantinopolitanus et Hierosolymitanus ultra suas ecclesias proprias agnoscuntur, quamvis id saepe appetierint. Hinc orientales ecclesiae nullum commune caput sive centrum habent.

L. II. „Monarchia ecclesiastica a Iesu Christo fundata“ continet cp. X—XV., quibus potissimum divina institutio primatus eiusque ad s. Petrum eiusque successores traditio tractatur; idem historice probatur speciatim ex relationibus, quae inter concilia oecumenica et summos pontifices exstabant. Commemoramus obiter synodum Ephesinam, in qua legati papae iudicio super Flavio enuntiato contradixerunt (cp. XIII.), et Chalcedonensem, quod concilium monophysitismum dammavit (cp. XIV). Merito doctrina s. Leonis M. de primatu exhibetur ac per fratres Graecos confirmatur.

Haec summa libri doctissimi scriptoris Russici. Liber sane maximi momenti est in deliberanda quaestione unionis utriusque Ecclesiae. Scriptor Russicus omnino constitit in fundamento religionis catholicae, discrimina explicavit naturali modo et viam unionis adipiscendae designavit. Qui liber ut propter excellentiam atque momentum suum in omnes linguas non solum Slavicas verum etiam alias vertatur optandum est. *Fr. Žundálek.*

Russkij arȟiv. Moskva 1906.

Zapiski arȟiepiskopa Ȟersonskago *Nikanora*. P. 321—357.

Nicanor archiepiscopus in memoriis suis exponit de quibusdam episcopis, quibuscum usus ei fuit ab a. 1889—1890 Petropoli, quo tempore sessionibus synodi intererat. Imprimis agitur de Isidoro Petropolitano, Platone Kioviensi metropolitis; item de Ioannikio metropolita Moscoviensi et Alexio archiepiscopo Litthuanico. Inter alia notanda sunt correctio librorum liturgicorum, quae illo tempore a Synodo suscepta erat, sed numquam ad finem perducta est (p. 328. 330) et iubilaeum quinquagenarium adnexionis Ruthenorum ad ecclesiam Russiae a. 1839 factae (322. 324. 340. 350). Dum de sollemnitate hac agit *N.* in orationem a Platone metropolita habitam acriter invehitur (344—5). Hic enim cum de Ruthenis ecclesiae Russicae unitis exponeret, ecclesiam catholicam et orthodoxam non propter rationes dogmaticas, sed propter res parum intellectas (nedorazuměnija) scissas esse dixit; quapropter omnes religiones bonas esse, ecclesiam vero catholicam sororem esse orthodoxae contendit. Totam praestantiam ecclesiae orthodoxae posuit in maiore doctrinae puritate et cum Christi praeceptis convenientia.

Quae narrantur, splendido sermone Russico sed magna ironia scripta sunt, quae maxime ad synodum eiusque membra et modum, quo res tractari ab eis solent, pertinet. *Th. Leonini.*

Труды Кіевской Духовной Академіи. (Trudy Kievskoj Duhovnoj Akademii) 1906. Tom. I.

M. Posnov, memoriam maiorum ac defunctorum anniversarium academiae ecclesiasticae celebrans, sermone panegyrico cohortatur ad sequenda exempla patrum in tuenda religione avita et ingenio moribusque Russorum integris servandis, quantum pro rerum progressu ac necessitatibus temporum licet. Scopum scholae academicae in eo esse ait, ut fideliter servet ac propugnet hereditatem a maioribus acceptam, a qua deflectere fas ei non sit.

D. Bogdaševskij, O ličnosti sv. Apostola Pavla (p. 1—16).

Laudatur vita Apostoli gentium sermone, qui praecipue ad aedificationem dirigitur. Conversio non naturae viribus adscribenda sed miraculosa est; gloriosa vincula apostoli praecedente s. Chrysostomo extolluntur. Praeter alias eximias animi dotes studium unitatis, pacis atque humanitas celebrantur. Proponitur denique tanquam exemplar, quo perturbationes, lites, discordiae similiaque de re publica tollantur.

B. Zavitnevič, Iz sistemy filosofsko-bogoslovskago mirovozzrěnija A. S. Homjakova (p. 16—49).

Ingeniose agitur de ecclesia et de libertate investigationis atque inquisitionis rerum sacrarum; de vi ac valore s. scripturarum; de progressu in evolvendis veritatibus; de doctrina ecclesiae et de opinione fidelium privata; de momento ac valore oecumenicorum canonum. — Priusquam de singulis his quaestionibus pauca proferamus, essentialem Homjakov inter ac Romano-cath. eccl. differentiam indicamus. Quamvis caput ecclesiae sit ipse Christus et Spiritus s. in ea inhabitet, non tamen inde sequitur, a Christo ac Spiritu s. ecclesiam servari in veritate perpetua influxu, qui tangat immediate totum corpus ecclesiae. Licet cum auctore certe ingenioso consentiamus ex ea parte, qua quaestiones supra de ecclesia ut societate supernaturali positas solvit, reicimus immediatum illum influxum in corpus et quae inde deducuntur; praesertim in quaestione ex allatis ultima. Quod principium Homjakovii in tractatu hoc non probat, sed potius ut demonstratum supponit. — Quam concedit libertatem ecclesia in veritatis revelatae inquisitione? Bene praemittitur ab auctore prospectus historicus de misero generis humani statu, excepto uno populo Iudaico, si veritates illas tres, de Deo uno, lapsu generis humani, spe futuri redemptoris, primitus ab ipso Deo revelatas, spectas. Plura inde apparent, imprimis illud, ab ecclesia concedi libertatem in conatu et nisu ac studio acquirendi, perspiciendi veritates ab ecclesia generi humano servatas. Quae libertas, etsi sit aliquatenus restricta, homine digna apparet, quia fundamenta, quibus innititur, sunt veritas perspecta, ecclesiam esse indefectibilem columnam veritatis, et in vita interna fidelis cuiuscumque in ecclesia, qua aptus redditur ad cognoscendam veritatem. Libertas intellectualis non in eo versatur, ut mens sibi facere seu constituere possit de novo veritates, sed in eo, ut libero usu facultatum suarum eas intellegere possit. Finis huius analysis seu inquisitionis consistit in acquirenda maiore claritate, non in inveniendis novis veritatibus. Altera quaestio profert quaedam praeclara de moderna critica bibliae s. Scientifica critica solum relationes quasdam textus sacri ad extra, puta temporis, auctoris etc., non vero sensum sive spiritum internum suo iuri ac iurisdictioni quasi subicere potest; de hoc soli ecclesiae iudicium competit; et quis potest contra eam iudicare? Testantur veritatem textus character eorum, qui transmiserunt s. libros; qui character ostendit eos mera instrumenta traditionis fuisse, porro auctoritas s. librorum penes doctos et indoctos totius antiquitatis. Critica quidem veritatem prout in textu aliquo continetur, perdere potest; non vero prout vivit in ecclesia (et prout subest magisterio authentico apud nos). Etsi critica epistolam aliquam non Pauli esse sive Evangelium non Marci esse ostenderet, quid inde? Ecclesia dicit: »Meum est«, et iam cras ab universa ecclesia ut verbum Dei habetur. Nam epistola s. Pauli non a Paulo, sed a Spiritu s. est auctoritate donata. Solum canon bibliam sacram facit, non critica, neque potest critica canonem ab ecclesia separare. Intellectus ecclesiae praevalet s. scripturae sicut liber in intellectu praevalet libro materiali. Neque omnis veritas revelata est in scriptura contenta neque sensus eius est facilis; testatur hoc moles explicationum. Morti tradidit s. scripturam, qui negat ecclesiam. — Quod ad progressum in explicandis veritatibus fidei et morum attinet, a limine omnis disconvenientia aetatis subsequentis cum prioribus excludi debet. Nam sensus eccle-

siae, i. e. intellectus gratia illuminatus fidelium vinculo amoris inter se ligatorum, semper idem est, sicut veritas non mutatur; semper enim idem est principium indefectibilitatis ecclesiae supernaturale. Auctor distinguit inter mentem humanam, quae cognoscit alia aetate alia distinctione, claritate, certitudine mundum divinum ie. veritates in se spectatas, et inter ipsum hunc mundum supernaturalem et spiritualem, qui ut obiectum semper idem cognoscitur, sed magis aperitur ac detegitur. Iam ante s. Ioannem Evangelistam Christus Dominus ab aliis multis »Filius Dei, imago Patris, splendor etc.« appellabatur; sed nondum »Verbum Dei.« Quando s. Thomas dixit: »Dominus meus et Deus meus«, nonne clare intellexit mysterium Incarnationis? Sed quia res in se infinita, nunquam lingua nostra finita eam comprehendere potest. Clarius etiam in pugna cum haeresi Nestoriana mysterium expressum est v. g. generatio aeterna etc. Inquisitio veritatum revelatarum pertinet ad membra ecclesiae, qui respectu doctrinae subiacent ecclesiae. Nam et veritates revelatae ecclesiae sunt, et ad eas recte perspiciendas organum aptum, i. e. vivens vitam ecclesiae requiritur. Nam sicut caeco non de coloribus, surdo non de sonis facultas iudicandi inest, utpote non viventi in mundo colorum vel sonorum, ita ei, qui non in ecclesia aut non cum ea vivit, aptitudo deest de veritatibus supernaturalibus, quae sunt quasi mundus ab eo alienus, sanum ac verum iudicium efformandi. Organum purum ac mundum sit necesse est. — Ultima quaestio de valore conciliorum oecumenicorum tractans in ipsam essentiam ecclesiae intrat. Docet auctor non necessario ipsis conciliis veritatem inesse. Cur hoc? Quia solum universa ecclesia i. e. fideles cum pastoribus uniti, non pastores pro se soli, sedes ac subiectum sunt veritatis atque infallibilitatis Acceptatio decretorum concilii ab universa ecclesia demum concilium esse oecumenicum, si ita loqui fas est, probat inde, quod ecclesia universa hoc pacto consentit. Sed unde habitat in ecclesia veritas infallibiliter, si non per pastores conservatur? Immediata illustratione singuli fideles, prout sunt membra ecclesiae, de veritate, a Spiritu sancto ipsi sicut et pastores eodem prorsus modo docentur. — Confirmatio concilii acceptatione fit, et concilium evadit oecumenicum; quod criterium historicum maximi facit auctor. Haec utique ab auctore hic non probantur, nisi aliquot animadversionibus v. g. de episcopo Honorio aliisque. Honorius damnatus est non ut doctor haeresis sed ut fautor haeresis et quidem fautor negative, per neglegentiam, non a solis orientalibus sed auctoritate Romanae sedis, vel potius damnata est memoria eius, cum ipse iam non viveret. Cf. supra p. 147—194. Pariter singuli apostoli dono extraordinario infallibilitatis pro munere suo apostolico donati erant; cui non obest imprudens modus agendi sancti Petri, qui non error in fide, sed nimis condescendens conversatio erat. —

Th. Miščenko, O sostavě pomèstnago sobora vserossijskoj cerkvi (p. 50—111).

Auctor magna sane diligentia in id incumbit, ut praeter episcopos etiam inferiori clero presbyteris et diaconis ac laicis seu parochiae seu plebi ius ad concilium constituendum vindicet vel quod ad idem redit, ut necessitatem eos adhibendi probet.

Praecipua pars laboris in argumento patristico versatur. Quod paucis percurremus ac dein quae sequuntur, colligemus.

Secundum Euseb. Histor eccl. ed. Schwartz-Mommsen, l. v. c. 16, 19 „τῶν γὰρ κατὰ τὴν Ἀσίαν πιστῶν πολλάκις καὶ πολαχῇ τῆς Ἀσίας εἰς τοῦτο συνελθόντων“ Fideles contra Montanistas (a. 160—180) concilia celebrabant. Quo ex facto nihil de iure illo vel de necessitate adhibendi laicos ad concilia legitime inferri potest. Neque alii v. g. Hinschius protestans (System des Kirchenr. III., B. 9., S. 325) aliud deduxerunt, nisi iam saeculo 2. conciiia esse habita. — Euseb. V., 19, 2 „παρὰ ἀδελφότητι“ quid probat? Non est sermo hoc loco de synodo, sed scripta Apollinaris episcopi

reiecti haeresi Montanistarum in toto orbe documento esse dicuntur. — Circa a. 190 controversia de tempore celebrandi Pascha vigebat. Euseb. V., 23, 2 de »synodis episcoporum« hac super quaestione convocatis loquitur. Auctor hanc vocem »synodis episcoporum« non sensu exclusivo sed positivo intellegi vult. Probationis causa Irenaeum (Euseb. V., 23, 3 et V., 24, 11) et Polycratem Ephesium (ib. V, 24, 1) affert. Quibus testimoniis (litterarum fragmentis historiae internexis) ostendere vult, tempore Eusebium antecedente laicos seu populum (parochias) conciliis interfuisse; hinc Eusebius synodos episcoporum sensu positivo intellegit. Sed non potuit Irenaeus nomine fidelium scribere, etsi synodo non interfuerunt? Cum vero nomine »Gallicarum ecclesiarum« scribat, suppositi fratres episcopi esse possunt. Polycrates scribit Victori »πρὸς — ἐκκλησίαν« sensu, quo capiti ecclesiae Romanae. His tamen ipsis litteris episcopos ad synodum convocatos sibi consensisse refert. Sed demus interim auctori, hos locos modo refutatos validos esse. Quid inde? Solum tunc, si haec testimonia de laicis (parochiis) necessario seu iure divino adhibitis mentionem facerent, consequeretur, eos, quia prius adfuissent, postea quoque convocari debuisse. Tertullianus »De ieiunio adversus psychicos« catholicos propter ieiunium vehementissime impetit. Ibi c. 13. legitur: »aguntur per Graecias illa certis in locis concilia . . . . et ipsa repraesentatio totius nominis christiani magna veneratione celebratur.« Inde forte sequitur, laicos suffragia consultativa tulisse? — Firmilianus Cappad. (inter epist. Cypriani 75) scribit: »necessario apud nos fit, ut per singulos annos seniores et praepositi in unum conveniamus ad disponenda ea, quae curae nostrae commissa sunt, ut, si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur.« Quid πρεσβύτεροι, ἐπίσκοποι, προιστάμενοι primis temporibus significaverint, valde controversum est. Primo sensus huius loci demonstrandus est. Si autem ad conventus sacerdotes etiam convocabantur, estne consequens, illud necessarium fuisse? Illud »necessario apud nos fit« non divinum exprimit ius, secus non solum »apud nos« sed »ubique« necessarium esset. Obvio sensu episcoporum synodi intelleguntur. — In testimoniis sequentibus ab auctore ex s. Cypriano et s. Cornelio allatis, ob oculos versari debet status quaestionis. In locis ex s. Cypriano allatis de poenitentibus iterum recipiendis agitur. Hac in re testimonium populi magni momenti erat et ipse prius in lapsis ad ecclesiam recipiendis de eorum vita ac conversatione interrogabatur. Cyprianus ad clementiam propensus contra voluntatem populi aliquot lapsos recepit; sed usus eum maiorem cautionem docuit. — Clerus Romanus (Migne, ep. 31) cum Decio ecclesiam persequente plures quam alias christiani defecissent, contione habita, episcopos non proprio consilio sed consensu etiam presbyterorum et laicorum adhibitorum hac super re decidere oportere declaravit. De dignitate ac probitate recipiendorum probanda seu de testimoniis praestandis agebatur. Idem de s. Cornelio (ep. 49 Cypriani) dicendum est. His ad potissimam partem, ad materiam ex prima aetate et ss. Patribus collatam, sufficienter respondimus. Ipsum etiam principium, cui auctor argumentationem totam quasi fundamento superponit, admitti nequit. Nam factum et ius ad factum et necessitas ipsius facti non idem sunt. Auctor solum ipsum factum, i. e. conciliis clerum inferiorem laicosve interfuisse, demonstrare ac probare potest; nam de iure seu necessitate facti, id quod supra vidimus, ne vestigium quidem invenies, excepto forte uno testimonio Firmiliani, cuius sensum verum si modo non eruimus, tamen in eis necessitatem universalem seu pro ecclesia tota exsistentem non contineri ipsa verba »apud nos« evincunt. Quid ergo? Cum neque de iure divino neque de necessitate facti ipsius in materia allata sermo sit neque haec omnino ullo modo ex traditione probari possint oppositum sequitur, eiusmodi institutionem divinam, quo laici seu clerus inferior ad synodos necessario convocandi sint, non esse. Nam iura divina seu institutiones divinae,

quas in fontibus revelationis non invenimus — habetur enim hic simplex factum sine ulla eius necessitatis significatione — pro nobis non existunt. Huius facti ratio potest esse consuetudo humana seu ius humanum. Quod etsi in Russia aliquo tempore fuisset, a synodo episcoporum seu ab ipsis episcopis, penes quos est iurisdictio, derogari potuit.

Th. I. Titov, Dva mněnija Makarija Bulgakova, byvšago mitropolita Moskovskago, po povodu ustavu duhovnyh Akademij 1869 goda (Str 112—142).

Ratio studiorum cum iuxta litteras a s. Synodo 24/XI. 1905 datas reformanda sit, versatissimi cuiusque hac in re sententia exquiritur. Quare iudicia duo Makarii de ordine studiorum a. 1868 composito proferuntur, quae ipse tunc archiepiscopus Harkoviensis confecit. Archipraesul altero suo arbitrio id unum oppugnat, quo statuebatur, in ecclesiasticis academiis etiam philosophiae gradus tribuendos esse. Nam academias non amplius ecclesiasticas fore, contendit Macarius, sed ad dimidiam partem profanas. Periculum rationalismi fore; philosophiam solum theologiae servire tanquam ancillam, non esse disciplinam adiutricem; alumnos, cum eis gradu doctoris philosophiae acquisito aditus ad rei publicae officia aliaque munera pateat, ad ecclesiae servitium minus accessuros esse; eodem iure quo philosophiae aliis quoque disciplinis universalibus ut historiae profanae, litteraturae etc. gradus concedendos esse; nonne vice versa eodem iure, quo theologia ad philosophiae promovet gradus, universitates ad theologiae gradus promoturas esse; neque s. Synodum posse gradus philosophiae confirmare, cum non de fide agatur. Quare Makarij postulat, ut professores tradentes in academiis ecclesiasticis disciplinas universales profanas v. g. philosophiam, historiam, litteraturam etc., praeter examen ex illa disciplina gradus specialis disciplinae theologicae habeant. Qui gradus theologicus ad tradendam philosophiam ex dogmatica erit, ad tradendam historiam ex historia ecclesiastica etc.

M. Th. Jastrebov, K voprosu o vsesvjaščenstvě hristian 577—597, profunde et docte de sacerdotio spirituali et hierarchico scripsit explens locum, qui a libris dogmaticis maximam partem vacuus relictus est. Scriptor quidam librum de hac re edidit qui inscribitur: »Biblejskoe i svjatootečeskoe učenie o suščnosti svjaščenstva« (Kiev, 1904) qui in libro, innixus argumento biblico-patristico sacerdotium omnibus fidelibus unum et commune propugnat. Cuius sacerdotii, qualis ab adversario cogitatur, Jastrebov primum notionem in hunc modum colligit: *a*) Sacerdotium commune, connexum cum morte et redemptione Christi, ut fructus eius immediatus, in eo est, ut possint fideles immediate servire Deo eique hostias offerre spirituales. *b*) ipsum fontem ultimum habet Christum, summum sacerdotem, quocum organice fideles uniuntur.

Dein bipartito Jastrebov argumentum biblio-patristicum evolvit forma polemica usus.

1. Locus classicus ex Apocal. I, 5, 6. ». . καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ, . .« Quibus ex verbis non sequi thesim de communi sacerdotio proprie dicto, tum constructio grammaticalis mere coordinans (καὶ) tum ambiguitas obiecti (ἡμᾶς) ac temporis, quod sacer scriptor intendit, satis clare probant. Si confers cum V, 10 et XX, 6, ubi manifesto sacerdotium spirituale intelligitur, etsi nolis cum Jastrebov tribus his locis idem intelligi, tamen his verbis sensum improprium in eodem libro subesse, admitti cogeris.

Dein tres scriptores eccl. afferuntur, loco primo s. Iustinus. In dialogo cum Tryphone Iudaeo s. martyr mundationem Iesu sacerdotis veteris testamenti (Zach. 3, 1—4) cum purgatione nostra a peccatis confert. »Purgati« prosequitur s. Iustinus »verbo invocationis Filii Dei vere sacerdotalis populus evadimus, sicut ipse Deus testatur, quod omni loco apud omnes gentes ipsi offertur oblatio et hostia munda

(Malach. 1, 11). Et Deus a nullo assumit oblationem, nisi a suis sacerdotibus (εἰ μὴ διὰ τῶν ἱερέων αὐτοῦ). Itaque omnes, qui nomine eius offerunt hostias per Iesum Christum oblatas (ἃς παρέδωκεν) i. e. perfectas in omni loco terrae a Christianis in Eucharistia panis et calicis (ἐπὶ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου), omnes ii, sicut prius Deus testatur, Ipsi sunt grati. Hostias vero, a vobis oblatas et a sacerdotibus vestris perfectas (δι' ἐκείνων ὑμῶν ἱερέων γινομένας), Deus reicit « Cum s. Iustinus hic Malachiae 1, 11 ac sacrificii incruenti et sacerdotum Iudaicorum mentionem faciat, non est dubium, quin de sacerdotio proprio loquatur.

Sed quid significat ipse s. martyr his: »purgati verbo invocationis Filii Dei« (ibi)? Ex modo loquendi patristico, ut ait auctor noster, his verbis designantur personae SS. Trinitatis invocatae in collatione baptismi. Ergone omnes baptizati etiam proprio sensu sacerdotes? Non, sed omnes sacerdotes utique prius baptismo purgandi.

Doctrina s. Augustini hac in re est indubia, spectatis De civ. Dei locis l. X, c. 20; l. XVI, c 22; l. XVII, cp. 20; l. XXII, cp. 8, n. 6. Familiare est s. doctori, dignitatem sacerdotalem coniungere cum sumptione s. Eucharistiae. Qui sumunt Christum in sacramento altaris, eius sacerdotium aliquam in partem accipiunt, quatenus uniuntur ei, qui sacrificii est institutor invisibilisque continuo peractor. Movetur difficultas ex loco commentariorum s. Augustini in 1. Reg. 2, 27—36. Vir Dei Heli nuntium de obitu filiorum atque translatione sacerdotii ad virum secundum cor Dei affert. Sublimiorem sensum deducit s. doctor. Vir secundum cor Dei sacerdos magnus est Christus ipse, ad quem translato sacerdotio venit residuus Aaronis ex domo, petens panem suum, loco etiam ultimo contentus. Ubi hic est sermo de sacerdotio proprie tali omnium fidelium?

De Tertulliano iam montanista nobis non est difficultas, cum etiam hac in re erraverit. »Exhortatio de castitate« vero pertinet iam ad montanistam.

2. Alter locus classicus de sacerdotio spirituali est s. Petri 1. ep. 2, 5. 9. Jastrebov docte probat aliud esse ἱερωσύνη aliud ἱεράτευμα. Sacerdotium proprio sensu in scriptis apostolicis termino ἱερωσύνη designatur. S. Paulus ad Hebraeos 7, 11 12. 14. 24. Eadem differentia observatur etiam inter δικαιοσύνη et δικαίωμα. Rom. 3, 25. 26 δικαιοσύνη, postea 5, 16 δικαίωμα. Terminus ἱερωσύνη significat sacerdotium active ut virtutem, facultatem sanctificandi, alter vero terminus ἱεράτευμα passive statum sanctificationis exprimit. Inter utrumque nexus causalis obtinet. Primum ordine et natura est sacerdotium Christi, dein sacerdotium hierarchicum denique sacerdotium spirituale. Cum in s. Petri 1 epistola, 2, 5. 9 legatur ἱεράτευμα, quaestio soluta est.

Revera etiam in patrologia non occurrit locus, quo ἱερωσύνη de simplicibus fidelibus dicatur.

S. Gregorius Nyss. ita loquitur: »ὁ δὲ τῆς ἀληθινῆς ἱερωσύνης λαβόμενος (λαμβάμενος?) καὶ τῷ μεγάλῳ ἀρχιερεῖ ἑαυτὸν συντάξας μένει πάντως καὶ αὐτὸς ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, οὐκέτι θανάτῳ παραμένει εἰς τὸ διηνεκὲς κυλόμενος (opp. Paris. 1638, t. 3, p. 179). Latinus (ibid.) textus: »Qui autem est ab eo acceptus, qui verum sacrificium est. . . .« Etsi quis »ὁ δὲ τῆς ἀληθινῆς ἱερωσύνης λαβόμενος« transferat »Qui autem verum sacrificium assumpsit . .« ideoque non referat ad Christum Dominum sicut Latinus interpres fecit, vix potest seria esse difficultas.

Scriptores ecclesiastici, ab auctore illo sacerdotium commune propugnante allati, ἱεράτευμα fere pro gratia Dei et pendente a sacramentis, habent. Origenes affirmat: »Omnes uncti unctione sancti chrismatis, sacerdotes facti sunt, sicut s Petrus . . .« (Bib. i svjatoot. uč. o sušč. svjašč., str. 41—42). »Tu in lavacro baptismatis«, ita loquitur s. Chrysostomus »factus es rex, sacerdos et propheta« (ib. str. 46). »Sacerdotes veteris testamenti«, inquit s. Cyrill. Alex. »erant sanctificati, aqua loti et oleo uncti . . . Ita et nos praesanctificati, gratia desuper ornati, ad perfectionem spiritualem uncti« (str. 47.)

Patres et scriptores ecclesiastici, considerantes dein, quae sint partes nostrae in statu illo sanctitatis (»ἱεράτευμα«) seu in quo sit sanctitas subiective spectata collocanda, significant eam in abnegatione sui pro Deo, proximo, bono spiritualis hominis facta consistere, eamque propter similitudinem sacrificii externi, sensibilis allegorice oblationem, holocaustum, sacrificium vocant. »Sed quisque nostrum in se ipso et suum holocaustum habet et ipse hostias adolet, ut flagret in aeternum« (Origenes, str. 42). Similiter s. Cyrill Alex. (ib. str. 47). S. Leo M. (str. 48). S. Gregor. Nyss. (ib. 44, op. Paris. t. 3, p. 178. 179) alte et profunde disserens: »Inde discimus«, ait »ipsum, qui se in holocaustum et sacrificium obtulit factusque est Pascha, contemplati, etiam se Deo offerre in »hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium« (Rom. 12, 1). Rationem et modum eius servitii in eo esse, ne conformemur huic saeculo, sed reformemur in novitate mentis nostrae, ut probemus »»quae sit voluntas Dei bona et perfecta et beneplacens (Rom. 12, 2).«« —

Sane laudanda sunt auctoris eruditio et perspicuitas ac studium doctrinae catholicae contra innovationes protestanticas defendendae. Quam methodum theologi orthodoxi, ut in quaestionibus cum Romano-catholica ecclesia controversis observent, unice optamus.

Quod reliquum est huius I. tomi, breviter absolvemus. Sane quaestio de reformandis scholis ecclesiasticis saepe adhuc occurrit, difficilis et necessaria, sed non spectans aedificium veritatis et scientiae. Etiam de synodis et conciliis generalibus Russiacis iterum tractatum esse invenies; est enim quaestio multum agitata. Ex historicis laboribus duos invenies: alterum de Messia et regno Messiano, pro dolor, iuxta apocryphos libros, saltem partim compositum, alterum Roždestvenskii de historia reformationis Anglicanae vel potius de historia librorum liturgicorum, qui tempore reformationis conscripti sunt. Agitur de Henrico VIII, Eduardo VI, Elisabetha. Symbola seu confessiones fidei diversae secundum originem suam et evolutionem bene describuntur. Item influxus internus seu episcopalis ab externo, politico, gubernii distincte exhibetur. Vestigia protestantismi non critici non semel occurrunt v. g. cum de despotismo Romae absque ulla vera ratione sermo est. *O. Žídek.*

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

V.

De sacramento poenitentiae.

Thesis IV.

Contritio procedens ex motivo caritatis, vi cuius bonitas divina sive absoluta sive in nos relativa ob se ipsam super omnia appretiative diligatur, semper iustificat ante actualem subiectionem sub potestatem ecclesiae.

Declaratio. 1. Contritio definitur detestatio (odium) et dolor (tristitia) de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Hoc propositum, si dolor non est ex motivo universali, sed speciali, debet, ut adsit perfecta dispositio ad gratiam remissivam, esse formale

et explicitum: si motivum est universale, ut amor Dei, timor inferni, dicimus propositum universale in dolore virtualiter contineri et hoc sufficere ad veram contritionem sive perfectam sive imperfectam.

Contritio vel est perfecta vel imperfecta. „Divisio haec petitur ex effectu. Cum nimirum contritio eo spectet, ut hominem disponat ad reconciliationem cum Deo, ea contritio dicitur perfecta, quae id ex se sola assequitur, h. e. absque reali usu sacramenti; quae autem non sufficit ex se sola ad hoc. dicitur imperfecta". Palmieri, De poen. th. 21, II. Cf. De Lugo, De poen. disp. V, s. 1.

„Cum in peccato non sit nisi culpa et poena, peccatum detestatur homo vel ratione culpae vel ratione poenae. Si detestatur ratione culpae, motivum detestationis erit turpitudo seu malitia peccati, quae detestatio a pluribus virtutibus, quibus peccatum opponitur, elici aut imperari potest... Si vero detestetur homo peccatum ratione mali, quod inducit, hoc vel est poena a Deo inflicta, aeterna aut temporalis, aut privatio beatitudinis; ideoque motivum eius erit timor aut spes vel desiderium". Palmieri ibid.

2. Defendimus imprimis motivum amoris benevolentiae (super omnia) certe esse motivum contritionis perfectae; deinde etiam relativam Dei (in nos) bonitatem ad motivum dicti amoris pertinere. Nomine scilicet caritatis in thesi nostra non intelligimus caritatem habitualem, sed dilectionem actualem; nec simplicem quandam complacentiam, sed amorem, quo aliquis iam placens bonum ad se vel alium referendo alicui vult bonum (cf. Thomas Aq., S. th. I. II, q. 26, a. 4): neque amorem materialiter tantum sumptum, quo homo vult quidem id, quod Deo bonum est, sed propter aliud, velut honorem Dei propter honestatem actuum, quibus honor Deo vel appetitur vel exhibetur vel ratione poenae alioqui subeundae (sicut digitus amici, quem orno annulo, est finis cui materialis), sed amorem formaliter sumptum, quo ipse diligitur ob motivum proprium talis amoris, i. e. ideo, quia Deus bonus est. Paucis discrimen inter utrumque amorem comprehendi potest hac ratione: in amore Dei materiali obiectum materiale est bonum Dei, obiectum formale seu motivum seu finis qui (sc. qui appetitur) formalis bonitas a Deo distincta: in amore formali motivum est aliquid in ipso Deo, sive ut bonum Dei sive ut bonum amantis: finis cui (sc. is, cui appetitur bonum) formalis seu terminus amoris est vel Deus vel homo (prout amor est benevolentiae vel concupiscentiae). Cf. Palmieri, De poen. th. 22, n. 1.

Porro amor Dei formalis duplex distinguitur: benevolentiae et concupiscentiae, prout motivum est infinita Dei bonitas in se, qua bonum Dei vel bonitas eius, qua bonum nostrum.

Amoris benevolentiae est igitur velle Deo bonum, quia bonum Dei est, et quidem velle Deo bonum et internum et externum, nimirum gaudere de perfectione eius interna et desiderare ei gloriam externam formalem, i. e. cognitionem et approbationem perfectionis divinae per actus internos vel externos, unde idem amor Dei in ipsum proximum extenditur. Bonitas Dei est duplex: absoluta (attributa absoluta) et relativa (attributa relativa, velut benignitas, misericordia divina, per-

fectio eius. vi cuius est bonum sufficiens ad beandum nos et beans nos actu, modo ne desimus). Sunt qui perfectam caritatem non haberi nisi quae ad attributa absoluta vel ad essentiam divinam referatur existiment, duce Duns Scoto, qui haec tradit (In l. 3, d. 27, n. 7): „Potentia respiciens aliquod obiectum commune, sive in ratione motivi sive in ratione termini, non potest perfectissime quietari nisi in eo solo, in quo est perfectissima ratio obiecti adaequati; omnis autem potentia intellectiva et volitiva respicit pro obiecto adaequato terminante totum ens [sententia scotistica]; igitur in nulla natura, sive creata sive increata potest perfecte quietari, nisi in illa, in qua est perfecta ratio entitatis: tale autem est solum ens primum, non sub ratione aliqua relativa, sed sub ratione, qua est hoc ens". Amor ille, qui ex attributorum relativorum consideratione oritur, amor gratus vocari solet: qui ab actu elicito gratitudinis, virtutis moralis, probe discernendus est. „Beneficia non sunt proprium motivum amoris, sed causant debitum rependendi amorem benefactori; diligendus enim est ob suam bonitatem tantus benefactor, beneficiaque exigunt, ut amemus illum propter se. Gratitudo itaque erga Deum imperat amorem eliciendum ob increatam bonitatem. Quodsi considerentur non tam beneficia quam bonitas tanta benefacientis, iam non itur extra increatam bonitatem Dei, quae est motivum amoris". Herinckx, De carit. q. 6, n. 39.

Cum hoc amore benevolentiae minime pugnat, quod ad naturam cuiusvis appetitionis pertinet, ut bonum appeti non possit nisi ut conveniens ipsi appetenti; ut igitur et huius amoris fundamentum sit, quod Deus (finis cui et qui) est nostrae voluntatis bonum et Dei dilectio nobis conveniens. „Haec est enim natura voluntatis, ut non tendat nisi in bonum; sed si obiectum aliquod non habet respectu ipsius rationem boni, perinde est ipsi, acsi non esset bonum. Oportet ergo, ut obiectum, quod voluntas amat, sit bonum voluntati, hoc est sit aliquo modo bonum suum, ad ipsam nempe spectans, bonumque sit, cuius dilectio sit bona voluntati. — Verum aliud est obiectum esse bonum voluntati, aliud diligi a voluntate eo, quod est sibi bonum." Palmieri, De poen. th. 22, n. V. Nec solam condicionem esse hanc convenientiam cum appetente seu unionem inter voluntatem amantem et finem cui, sed eam verum constitutivum obiecti formalis amoris omnis, neque ab amore puro alienum esse concedimus. Aliud enim est amare aliquem ita, ut amans sit finis cui, aliud ita, ut ametur tamquam unitus amanti propter coniunctionem, quam cum eo habet, sive ut ei similis vel eius finis et causa sive ob amorem eius erga amantis personam (Contra Scheeben, Natur u. Gnade S. 192 f.).

Amoris concupiscentiae (quocum fere semper sponte sua amor benevolentiae coniungitur) obiectum formale est „ipsa divina bonitas [ut communicanda nobis]" (Palmieri, De poen. th. 22, n. 2). Quo amore in Deum ipsum directe ferimur, non spectantes ipsum ut merum medium pro alio fine (qui) obtinendo, sed in ipso nostrum bonum collocantes, appetentes igitur Deum ut ultimum nostrum finem qui. „Quamvis in hoc amore finis cui sit ipse diligens [et amor sit proprie nostri] non est tamen finis cui ultimus; etenim hic amor sui

ipsius ordinabilis est per se in amorem, quo Deo tamquam fini cui bonum velimus; qui amor perfectior proinde ab alio non excluditur, sed in illo virtualiter saltem continetur; volentes enim frui suo bono, volumus ipsum cognoscere, amare et glorificare, et cum nostra possessio Dei ad eius gloriam referatur, in Deum finem cui implicite tendimus, cum ipsum finem qui ultimum nobis amamus [nec obiectivam beatitudinis humanae sub gloria Dei subordinationem positive excludimus]". Palmieri, De poen. th. 22, n. 2. Possum autem Deum concupiscere vel in quantum mihi dat se ipsum, vel in quantum mihi dat creata; i. e. vel potest amor concupiscentiae excitari principaliter ex ipsa infinita perfectione, secundum quam Deus est finale beatitudinis nostrae obiectum, vel etiam „ex motivo propriae creatae perfectionis, quam per talem unionem consequimur, e. gr. ex gaudio superabundanti et pace, quae exsuperat omnem sensum aliisque huiusmodi perfectionibus creatis, quae ipsam beatitudinem nostram formalem intrinsece constituunt, vel ex ea per se fluunt". Schiffini, De virtut. infusis th. 32 fin.

Utrumque hunc modum multi v. g. idem Schiffini, ad virtutem caritatis pertinere censent. Sed ratio huius, quod „obiectum proprium motivum caritatis est summa bonitas, secundum quam Deus est in omni perfectionum genere infinite perfectus" (cf. eius th. 29) negari potest; est enim summa bonitas qua bonum Dei. Aliis videtur amor concupiscentiae potius ad spem pertinere, quam ad caritatem, id quod iam I. D. Scotus sensit. (Cf. Suarez, De carit. disp. 1, s. 2, n. 1; De spe disp. 1, s. 3, n. 4; Franc. Sales., Traité de l'amour de Dieu c. 17; Tournely, De sacr. poenit. qu. 5, a. 3, c. 2; contra Bonaventuram, Henricum, Richardum, Paludanum, Durandum). Ratio eorum est, quod pro motivis diversis diversae distinguuntur species actuum et virtutes. Atqui ex motivo alio ille amat, qui Deum amat ob se ipsum, sistendo iam in ipso, ac qui amat Deum ideo, quod est amantis bonum. Ergo cum amor prior sine dubio amicitiae sit et caritatis, amor alter, sc. concupiscentiae, referendus est ad speciem actuum virtutemque aliam, quae non apparet nisi spei. Et revera spes includit, sicut desiderium, ita radicitus amorem boni, quod quis sibi sperat; proinde est spei theologicae amare sibi obtinendum praecipuum promissum bonum, h. e. Deum. — Sed certe dici non potest amor concupiscentiae esse formaliter actus spei; cuius motivum formale est potentia et misericordia divina per suam promissionem homini obligata. Unde factum est, ut ab aliquibus quarta virtus theologica statueretur.

Uterque amor benevolentiae et concupiscentiae aeque ac caritas et spes simul consistere possunt, (etsi cum debita subordinatione implicita) idque et habitu et actu. Cf. Palmieri, De poen. th. 22, n. 6 s.; Schiffini, De virtutib. infusis th. 32: 23 Proposit. damn. ab Innoc. XII., prop. 1. 5. 7. 10. Nec ullum est fundamentum doctrinae contrariae Quietistarum, qui amorem Dei purum dicunt solum eum, qui est ex sola benevolentia erga Deum ut in se bonum, quaeque excludit concupiscentiam omnem in ipsum Deum, ut bonum nostrum.

Sane „licet in actu dilectionis praescindi possit a desiderio fruendi Deo, nequit hoc tamen desiderium positive excludi: et licet possit elici actus caritatis hoc modo, ut etiamsi frui non deberemus Deo, illum tamen propter suam infinitam bonitatem diligere vellemus, haec tamen condicio habenda est ut impossibilis reapse, et idcirco nequit absolute reici desiderium et spes visionis divinae. Et sane ineptus esset amicus, cui cordi non esset amato coniungi". Palmieri, De poen. th. 22, XIV. Cf. Augustin. Serm. 178, n. 11; In Ps. 53, n. 10: De civ. Dei l. 10, c. 4 etc.: Hugo Victor. De sacr. l. 2, p. 13, c. 8.

3. Non cuiusvis gradus caritatem intelligimus in thesi sed eam, qua Deus diligitur super omnia appretiative. Potest enim esse etiam huiusmodi, „ut placeat nobis Deus eique bonum velimus, eius gloriam appetentes, sed tamen affectu adhuc inefficaci, qui sit potius velleitas quam voluntas. Huiusmodi amorem quisque in se aliquando experiri potuit, quo in Deum animus fertur, nondum tamen eius vi potens omnia adversantia fortiter superare, h. e. nondum Deum super omnia diligens". Palmieri, De poen. th. 22, n. 1; cf. Thomas Aq., Suppl. qu. 5, a. 3.

Amor Dei super omnia (sc. amabilia, etiam collective sumpta; cf. Ysambertus, De gratia ad q. 109 disp. 6, a. 1) dupliciter concipi potest, appretiative et intensive. Excessus nimirum unius amoris super alium potest esse duplex, appretiativus atque intensivus. Ille est, cum praelucente existimatione intellectus, cui commensuretur affectus voluntatis, voluntas unum bonum aliis formaliter vel virtualiter praefert; iste est, cum unus actus habet prae alio plures gradus intensionis. Intensio vero est modus quidam accidentalis actus, positus in quadam vehementia sive nisu tendendi in obiectum; qui modus se tenet ex parte subiecti. Atque aliquis gradus inest semper actui: dicitur vero actus intensus, cum plures possunt veluti distingui gradus, sine quibus actus circa idem prorsus obiectum esse posset. Hic modus pendet per se non ex dignitate obiecti neque ex eius cognitione, sed generatim vel ex modo potius cognitionis obiecti, cum nempe obiecti cognitio magis experimentalis est, seu magis praesens sistit nobis obiectum amatum, vel ex existimatione speciali obiecti aut praeexsistente habituali inclinatione in illud et utramque consequentibus vehementioribus actibus indeliberatis. Unde generatim homines intensius feruntur in obiecta sensibilia, quibus propter modum cognitionis humanae afficiuntur magis. Itaque excessus appretiativus positus est in existimatione rationali obiecti et affectu eam consequente, quo magis unum quam aliud diligitur; excessus intensivus positus est in modo, quo in obiectum aliquod fertur appetitus: potest autem alter excessus esse sine altero. Etenim amor appretiativus potest remitti; quantumvis vero remittatur, manebit appretiativus, »quia gradus manens respicit idem omnino obiectum, quod gradus superiores; nam intensio amoris non est ad diversum obiectum, sed ad omnino idem per plures gradus. Ergo potest esse amor appretiativus et remissus« (De Lugo, De poen. disp. 5, s. 2), ideoque sine certa intensitate. Atque e contrario potest actus unus excedere alium quoad intensitatem sine excessu appretiati-

onis; amor enim, quo pater diligit filium, quamvis eum non praeferat Deo, potest in ipsum pluribus gradibus vehementiae ferri, quam actus amoris in Deum". Palmieri, De poen. th. 23. II.

4. „Contritio ex amoris perfecti motivo concepta est detestatio peccati [gravis] supra omnia detestabilia, supra omnia nempe mala ipsamque poenam aeternam. Sicut enim Deus dilectus omnibus et sibi quoque ab amante praefertur, ita malum Deo oppositum omnibus malis praefertur sive magis odio habetur. Cum igitur detestatio sit voluntas condicionata erga praeteritum: vellem non peccasse, detestatio peccati super omnia est voluntas condicionata hoc modo: si subeundo haec mala possem tollere praeteritam offensam, id facerem: sive: si redirem ad statum praeteritum, potius vellem illa pati, quam peccare. Quoad propositum vero est voluntas absoluta admittendi potius quodvis malum quam peccatum, ita ut animus paratus sit potius, si necesse foret, vel poenas inferni, citra culpam, subire, quam peccare". Palmieri, De poen. th. 25, III. Attamen „contritus debet [quidem] ita esse dispositus, ut velit potius omnia mala perpeti, quae a Deo iuste ac sapienter et paterne immitti possunt, quam peccare, non vero tenetur potius velle omnia mala [impossibilia sane] eligere, quae a Deo immitti non possunt iuste, sapienter ac paterne, seu talia, quae non possunt a Deo immitti sine destructione suarum perfectionum." E. Amort, De sacr. poen. disp. 3, quaer. 16.

Ceterum „advertunt prudenter theologi communiter huiusmodi comparationem explicitam inter peccata et cetera mala neque esse necessariam, neque interdum utilem ad habendam contritionem: non quidem necessariam, quia sufficit virtualis et implicita; non est vero utilis, quia non raro esset periculosa, si infirmioribus proponeretur illa condicionalis explicita: si occurreret talis vel talis casus infamiae vel mortis subeundae, ad vitandum peccatum, quid faceres? Quod tamen periculum cessat, quando solum implicite proponitur detestatio peccati super omnia." De Lugo, De poen. disp. 5, s. 2, n. 20. Cf. Thomas Aq., Quodl. I., a. 9. Časop. katol. duchov. 1906, p. 401—3. Sed petes, quid sit implicite detestari super omnia? Hic excessus super omnia, virtualiter in detestatione contentus, consistit efficienter „in excellentia motivi seu rationis operandi, quae talis est, ut de se sit potens ad firmandam voluntatem in tali affectu" (Suarez, disp. 3, s. 9), formaliter in ipsa firmitate voluntatis, „qua voluntas fertur in suum obiectum" eique adhaeret, quae tanta est, ut durante illa voluntas non possit peccatum eligere potius quam aliud quodvis malum. „Et haec dicitur adhaesio super omnia, quia etiam sine comparatione explicita habet eam implicitam, quatenus est suprema et firmissima adhaesio, qua voluntas positive potest adhaerere obiecto. Ex quo firmissimo modo adhaerendi oritur, quod, si tunc haberet voluntas affectum etiam absolutum circa aliud obiectum diversum, quam primum adverteret illud opponi cum hoc alio firmiore affectu, deberet ab illo infirmiore desistere: sicut, si intellectus assentiatur certo uni obiecto et probabiliter alteri contrario, quia non advertit esse contrarium, sed tamen, quam primum advertit oppositionem, debet desistere ab

assensu illo probabili, quia opponitur cum hoc alio assensu firmiore; ille ergo modus positivus adhaerendi, ex quo oritur haec praelatio, quando advertitur contrarietas inter actus vel obiecta, dicitur merito implicita seu virtualis comparatio cum aliis, licet eorum non recordemur explicite." De Lugo, De poen. disp. 5, s. 2, n. 23.

Neque in huiusmodi detestatione opus est desiderare absolute, ut „peccatum praeteritum impediri posset cum iactura salutis aeternae" sicut „qui dolet magis de iactura filii quam de iactura mercium desiderat posse reducere filium ad vitam cum iactura mercium" (De Lugo ibid. s. 3, n. 33; 31). „Non est, inquam, hoc desiderium inefficax necessarium poenitenti et detestanti peccatum super omnia. Ut enim voluntas condicionata, qualis est detestatio peccati, vera sit, non est necesse, ut homo velit ipsam condicionem; sicut ad affirmationem condicionati non requiritur affirmatio condicionis; idcirco non est opus, ut homo desideret dari sibi occasionem poenas inferni citra culpam patiendi, cum praesertim haec quoad praeteritum sit abstractio quaedam, et istae poenae non sint obiectum sub ulla ratione desiderabile; sed satis est ea dispositio animi, quae talis sit, ut vellet homo, si opus esset. Eadem ratione quoad propositum necesse est quidem, ut homo paratus sit potius pati poenas aeternas quam peccare; sed non est opus, ut desideret poni se in iis adiunctis, ut debeat potius eligere actu et pati poenas inferni, quam peccare." Palmieri, De poen. th. 23, III. Si vellem alterutrum, vellem mortem, sed nolo utrumque. Cf. Mayr, Theol. schol., tr. 12, n. 258.

5. Duplici modo ex motivo caritatis procedere potest contritio. Vel habentur duo actus distincti, quorum alter est actus elicitus caritatis, alter actus, ab hoc imperatus, contritionis, constituentes tamen unum morale; ubi peccata iam actu priore delentur. Vel non elicitur prius actus caritatis, sed statim ex motivo caritatis detestatio (quae proinde et ipsa est actus virtutis caritatis; cf. Palmieri, De poen. th. 4, II.) peccati elicitur, quatenus peccatum est contra bonum Dei in se. Huius actus docet Suarez, De poen. disp. 4, s. 2, n. 6 obiectum quod esse peccatum, a quo refugit, Deum autem esse tantum obiectum quo, non quod, i. e. hunc actum respicere Deum solum ut rationem proximam detestandi peccatum; actus odii peccati non est formaliter actus amoris Dei, licet sit actus virtutis caritatis. Cf. Duns Scotus, In l. 4., d. 14, q. 2. — Quomodo „iustificet" haec contritio exposita supra (th. I., Declar. 1.) notione remissionis peccatorum vix ambiguum esse potest; cf. Schol. 2. h. th.

6. Thesis huius partem primam catholici omnes tenent secundum essentiam, imprimis adversus Lutherum, qui contritionem effectum esse iustificationis posuit. Propositum explicitum requirunt Caietanus, Simmonet, Bellarminus, Toletus; votum explicitum postulant Canus, Tournely; Bolgeni contendit actum proprium caritatis erga Deum esse amorem concupiscentiae. Si A. Šost'in credimus, Russorum theologi primam partem omnino negant. Ipse certe inter alia scribit in Pravoslavnaja bogosl. enciklopedija t. VI. (1905) st. 236. „Ni odin iz nih̯ [sv. otcev] ne dumal, čtoby to spasitel'noe sokrušenie,

kotoroe vytekaet iz ljubvi k Bogu, moglo zagladit' grěḫi samo po sebě, **vně** vsjakoj ispovědi i tainstvennago razrěšenija.“ Cf. st. 234. Sed malum eum fidei Russorum interpretem esse malim existimare, quam de eorum consensu, etsi non expresso, dubitare. Certe baptismum compensari posse docent et qua ratione id probant, haec eadem et poenitentiae sacramenti vicem contritione expleri posse demonstrat. Velut arḫim. Sergij, Pravoslavnoe učenie o spasenii. Serg. Posad 1895, p. 216—8 hoc modo rem exponit: „Poetomu, daže neprinjatie tainstva v ustanovlennoj formě možet ne povredit' čelověku, raz obrazovalos' v nem eto suščestvo istinnago ḫristianstva — želanie carstva Ḫristova. Ne uspěvšij, po nezavisjaščim ot nego pričinam, osuščestvit' svoego želanija sočetat'sja so Ḫristom, těm ne meněe prinimaetsja naravně s kreščennym. »Soizvolenie (v etom slučaě) cěnitsja, kak samoe dělo, potomu čto (i v etom dělě) osnova dělu polagaetsja proizvoleniem« (Efrem Sirin. Ispověd'. t. I., 234). Kreščenie kroviju zaměnjaet tainstvennoe kreščenie vodoj, konečno, ne svoej vněšnej formoj, ne omoveniem, vměsto vody, kroviju, ibo byvaet mučeničeskaja smert' i bez prolitija krovi; ono toževstvenno s nim po vnutrennemu smyslu: kak to, tak i eto proisḫodjat ot bezpovorotnago rěšenija služit' Ḫristu i otrečenija ot svoiḫ grěḫovnyḫ želanij.“ (ed. 3. Petrop. 1903, p. 212). Cf. *Δαμαλᾶς, Περὶ ἀρχῶν* p. 108.

Partis secundae tamen, quae ab omnibus, qui contritionem ex caritate procedentem ad efficacem usum clavium necessariam esse ducunt, si constantes esse velint, negabitur, etiam Russorum theologos, saltem plurimos, adversarios habemus. Eidem parti expresse opponitur Michael Baius docens extra casum necessitatis contritionem perfectam culpas non remittere; deinde Estius, In l. 4. dist. 17, § 2 haec tradit: „Non est dubium, quin urgente articulo mortis, quando sacerdos haberi non potest, in homine vere contrito votum sacramenti suppleat, quod ex parte sacramenti deest . . . Sed praeter hunc casum etiam alias idem contingere non est dubitandum, nimirum, quando occurrit casus scandali, aut alterius peccati incurrendi, si absolutio petatur. Item, quando quis omnino non potest aut certe difficillime potest opportuno tempore adire sacerdotem, a quo absolvatur, velut si habitet inter infideles aut teneatur in vinculis aut simili quopiam impedimento prohibeatur. An sit certus aliquis gradus intensionis, ad quem cum pertigerit contritio vel dilectio Dei in catechumeno vel poenitente, perpetua lege coniunctam habeat remissionem peccatorum, incertum est, immo non apparet.“ Item Aur. Piette, Elucidationes difficilior. theol. quaest. p. 4, q. 7 negat omnem Dei amorem super omnia ex certa lege hominem iustificare. Denique Westermayr, Das Papstthum, Heft 8, Abth. 2, Th. 1, S. 70 solum in casu necessitatis peccata ante et extra actualem usum clavium remitti putat.

In quaestione partis tertiae H. Hurter haec propugnat (Th. dogm. comp. 9, t. 3, n. 468): „Quaeritur, quaenam caritas ad contritionem perfectam requiratur. Responderi solet, requiri amorem amicitiae et benevolentiae, quod verissimum est. Si ulterius quaeris, quodnam sit huius caritatis motivum formale, non eadem est theologorum responsio.

Plures respondent requiri, ut Deus ametur propter bonitatem absolutam: non sufficere, ut ametur propter suam bonitatem relativam seu ut est summum bonum nostrum. Non desunt tamen, qui contendant, toties amorem esse perfectum, ideoque iustificantem extra sacramentum, quoties motivum et ratio amandi Deum est indistincta a Deo, hinc etiam si Deus amatur ut summum bonum et beatitudo nostra seu propter bonitatem respectivam: nam et haec est perfectio indistincta a Deo; si ergo propter eam amatur Deus, amatur propter se.“ Idem, sententiam posteriorem tuens, provocat ad Pallavicini, Del Bene l. 1, p. 2, c. 4. 5; Faure ad s. Augustini Enchirid. n. 8. 120. Cf. etiam J. Jungmann, Aesthetik n. 50: Theorie d. geistl. Beredsamk.[2] II., p. 268. Hurterum impugnant De San, Billot. Prout nos rem proponimus, eam theologi scholae dogmatici et moralistae vel expresse docuerunt vel implicite, cum Dei attributa sine addito motivum caritatis esse statuerent, tenuerunt. Velut Suarez, De tripl. virt. theol. tr. 3, disp. 1, s. 2: „Quodsi urgeas posse nos velle Deo bonum proxime et immediate propter beneficium factum, respondetur actum illum esse elicitum a gratitudine, non a caritate, addo tamen hanc gratitudinem, ut perfecta sit et amicitiam respiciat, non tam esse propter beneficium, quod in nobis fit, quam propter amorem, ex quo illud oritur.“ Thomas Aq. II., II. q. 106, a. 5: „Unde cum Deus perfecte amatur propter beneficium, potius amatur quia nos amat, hoc autem caritatis est et amicitiae, neque actus huius ratio obiectiva est extra divinam bonitatem; nam amor, quo Deus nos amat, ipse Deus est, et summa perfectio eius; item ipse nos amat, quia bonus est; unde quia amatur eo, quod amat, amatur etiam quia bonus est.“ Cf. n. 1. Cf. Virceburgenses, De poen. disp. 1, c. 3, n. 41.

Pars I. Contritio procedens ex motivo caritatis, vi cuius bonitas divina sive absoluta sive in nos relativa ob se ipsam super omnia appretiative diligatur, iustificare potest.

Dub. 1. Amor benevolentiae impossibilis est. Nam si Deus non consideratur ut bonum amantis, non potest diligi; voluntas enim appetit tantum bonum suum; actus igitur, qui Deum, prout in se bonus est, respicit, potius admiratio quam amor est. Cf. etiam damnatas theses 23 ab Innocentio XII. — Nec potest homo desiderio naturali se exuere, quo in beatitudinem fertur; ergo desiderium istud in omnem caritatis actum se insinuat. Cf. Bernardus, Ep. ad Guigonem n. 8.

2. Velle Deo gloriam et honorem propter infinitam eius perfectionem, actus cultus divini et religionis est, non caritatis.

3. Si Deus ut in se bonus obiectum caritatis esset, non esset discrimen inter amorem naturalem et supernaturalem; nam et amor naturalis fertur in Deum ut est in se bonus. Impossibile etiam est amare Deum super omnia sine habitu infuso. Cf. Thomas Aq. II. II. q. 23; I. II., q. 16. a. 1. 2.

4. Nullibi in s. scriptura testimonium clarum invenitur, quo amor benevolentiae insinuetur.

5. Secundum s. Augustinum (De doctr. Christ. l. 1, c. 31; De civ. Dei l. 10, c. 4; In Ps. 53, n. 10; 55, n. 17; 77, n. 21; 79, n. 14; 85, n. 8; Serm. 165, n. 4; 178, n. 11) et s. Thomam Aq. (S. th. II. II, q. 23, a. 4; cf. q. 27, a. 2) Deus est terminus caritatis nostrae prout est obiectum beatitudinis. Ergo Deum diligimus prout nos beatificat, non prout in se bonus est.

6. Ad iustificationem peccatoris requiritur actualis usus clavium ecclesiae. Nam actus fidei ita requiritur ad iustificationem, ut numquam votum eius sufficiat; ergo a pari nec votum in contritione contentum unquam sufficiet.

7. Non sufficit votum implicitum. Tale enim votum esset solum eatenus contentum in contritione, quatenus est unum ex mandatis, quae servanda proponuntur; ergo non magis iustificaret votum usus clavium, quam votum Eucharistiae vel restitutionis aut similium. Quod est contra Trident. Sess. 6, cp. 14; S. 14, cp. 4. »Ergo singulari aliqua ratione, distincta a desiderio observandi cetera Dei mandata, requiritur votum huius sacramenti; at non alia est singularis ratio magis distincta, nisi quod rei, quae necessaria est medii necessitate, desiderium debet esse explicitum, non vero rei, quae necessaria est dumtaxat ex praecepto, cuius proinde votum implicitum sufficit.« Tournely, De sacr. poen. q. 4, a. 4.

8. Tridentinum agens de contritione, distincte loquitur de voto sacramenti in ea incluso. Atqui superfluum fuisset tam distincte de eo loqui, si implicitum sufficeret; hoc enim in contritione deesse non potest.

9. Non sufficit propositum implicitum. »Si detestatio peccati commissi sine proposito formali non peccandi de cetero ad iustificationem aliquando sufficit, sufficiet etiam aliquando propositum nostrum non peccandi de cetero, sine formali detestatione peccati commissi; nulla enim ratio reddi potest, cur haec paria non sint.« Bellarminus, De sacr. poen. l. 2, c. 6, fin.; cf. c. 7, obi. 3.

10. Idem e scriptura sacra colligitur, quae eodem modo, quo detestationem, etiam propositum requirit. Cf. Is. 1, 16. 18; Ezech. 19, 21. Cf. etiam Conc Trident. Sess. 6, c. 6. — Praeterea eadem scriptura ad iustificationem requirit propositum de singulis mandatis servandis. Cf. Ezech 18 et 33. Sed tale non potest esse propositum implicitum.

11. Si contritio ante usum clavium iustificaret, frustra a contritis potestas ecclesiae adiretur; quod tamen necessario fieri certum est.

12. Peccator non potest iustificari re irrationabili; atqui cum detestatio consistat in voluntate, ut peccatum non sit factum, detestans vult coniungere praeteritum peccatum cum negatione praeteritionis, quod impossibile est.

13. Qui iudicium firmum habet se esse relapsurum, non habet verum propositum ac detestationem; non enim potest esse prudens et efficax propositum, cui antecedit iudicium certum de contradictorio; atqui certi sumus nos esse relapsuros in venialia: ergo contritio nec potest vera esse, et si esset, esset irrationabilis.

14. Concilium Tridentinum S. 13, cp. 7; cn. 11. statuit atque declarat illis, quos conscientia peccati mortalis gravat »quantumcumque etiam se contritos existiment« habita copia confessoris necessario praemitendam esse confessionem sacramentalem, ne Eucharistia indigne atque ideo in mortem sumatur. — Idem concilium semper ante confessionem requirit contritionem perfectam; sed in nostra thesi sacramento non relinqueretur remissio; cf. Conc. Arausican. II. cp. ultim.

15. Certe contrita erat illa peccatrix non nominata ap. Lc. 7, 48; dilexit enim multum. Tamen non est statim iustificata, sed tunc demum, cum audivit illud: Remittuntur; quod verbum ponitur in tempore praesenti in oppositione ad illud »dilexit«. Cf. Estius, In l. 4. dist. 17 § 2. Ita rem explicant Augustinus, Serm. 99 (»Accessit immunda, ut rediret munda«); Gregor. M., Hom 33. in Evang. (»aegra sanata est«); Bernardus, Serm. de s. Magdal. (»immunda«).

16. Secundum Act 22, 16 Ananias Paulo, quem perfecte conversum esse et vas electionis factum ab ipso Domino audierat, dicit: Et nunc quid moraris? Exsurge et baptizare et ablue peccata tua, invocato nomine illius. Cf. dictum Augustini, Serm. 1. et 25. de sanctis: »Ananias baptizavit lupum et fecit agnum.«

17. Contra ea, quae posuimus, stat doctrina Patrum. *a*) Gregorius Naz. docet Or. 40 in s. bapt. n. 23: Οἱ δὲ οὐδέ εἰσιν ἐν δυνάμει τοῦ δέξασθαι ἢ διὰ νηπιότητα τυχόν, ἤ τινα τελέως ἀκούσιον περιπέτειαν, ἐξ ἧς οὐδὲ βουλομένοις αὐτοῖς ὑπάρχει τυχεῖν τοῦ χαρίσματος . . . Καὶ ἡγοῦμαι . . . τοὺς δὲ μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ, ὡς ἀσφραγίστους μὲν ἀπονήρους δέ, ἀλλὰ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν ἢ δράσαντας. Οὐ γὰρ ὅστις οὐ κολάσεως ἄξιος, ἤδη καὶ τιμῆς· ὥςπερ οὐ ὅστις οὐ τιμῆς, ἤδη καὶ κολάσεως. Σκοπῶ δὲ κἀκεῖνο· Εἰ κρίνεις φόνου τὸν φονικὸν ἐκ μόνου τοῦ βούλεσθαι καὶ δίχα τοῦ φόνου, βεβαπτίσθω σοι καὶ ὁ θελήσας τὸ βάπτισμα δίχα τοῦ βαπτίσματος· εἰ δὲ οὐκ ἐκεῖνο, πῶς τοῦτο, συνιδεῖν οὐκ ἔχω. *b*) Augustinus, Conf. l. 9, c. 4, cum antea c. 2. dixisset: »Sagittaveras cor nostrum caritate tua«, haec ait: »Gaudens in fide laudavi nomen tuum, et ea fides me securum esse non sinebat de praeteritis peccatis meis, quae mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.« Et c. 6. »Baptizati sumus et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae.« — Ep. 228 (al. 180) ad Honorat.: »Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.« — Tract. 13. in Ioan. n. 7: »Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum. Quomodo non caruit populus Israel populo Aegyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum, sic pressura peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem baptismi venerit.« — Tract. 4: »Omnia peccata super illum sunt, et nisi venerit ad salutarem baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni sua excellentia non potest intrare in regnum caelorum.« — Tract. 11. in illud: Iesus non se credebat eis: »Tales sunt omnes catechumeni; ipsi iam credunt in nomine Christi, sed Iesus non se credit illis. — De symbolo ad catechum. l. 1, c. 8: »Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis. Ipsa peccata quae primum dimittit, nonnisi baptizatis dimittit. Quando? Quando baptizantur . . . Catechumeni quamdiu sunt, super illos sunt omnia peccata eorum.« — De unit. eccl. c. 23: »Utrumque necessarium est ad regnum Dei adipiscendum, et baptismus et iustitia.« — De bapt. l. 4, c. 21: »Nec dubito catechumenum catholicum divina caritate flagrantem haeretico baptizato anteponere.« (tantum hoc!) — De peccat. meritis et rem. c. 26: »Sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, ei non valet ad intrandum in regnum caelorum aut ad peccatorum remissionem.« — De anima l. 1, c. 9, n. 10: »Nemo fit membrum Christi nisi aut baptismate in Christo aut morte pro Christo«; cf n. 11. — Cf. Ambrosius, De iis, qui initiant. c. 4, n. 19; De Abr. l. 2, c. 11. — *c*) Fulgentius, Ep. 12 ad Ferrandum, n. 19: »Illum utique adolescentem, quia credidisse et confessum fuisse novimus, ideo per sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens, nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in baptismate. Nam in illa aetate non solum ei confessio sine baptismate nihil prodesset, sed nec ipsum baptisma non credenti neque confitenti ullatenus proficeret ad salutem. Ideo ergo illi Deus confessionem prodesse voluit, quia eum usque ad sanctam regenerationem in hac vita servavit. Cf. de fide ad Petrum c. 3. Cf. Gennadius, De eccl. dogmat. c. 41 (al. 74). — *d*) Leo M., Ep. 91 ad Theodor. Foroiul.: »Divinae bonitatis praesidiis ordinatum est, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.« — *e*) Bernardus, S. I. in nativ. ss. ap. Petri et Pauli: Sententia Petri praecedit sententiam caeli. — Cf. Remig. Lugdun., De tenenda scripturae veritate c. 14.

Quae his argumentis refutantur:

P. 1⁰. Imprimis non requiri ad remissionem peccatorum usum clavium actualem revelatum esse probatur

A) ex concilio Tridentino, Sess. 14, cp. 4: „Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu

suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam." Contritio, quae perfecta est caritate, est contritio ex motivo caritatis concepta. Nam caritas hic non potest intelligi habitualis, cum agatur de contritione, ut est dispositio ad iustificationem, ergo praecedente prioritate naturae caritatem habitualem. Cf. De San, De poen. n. 500.

B) ex propositionibus Baii damnatis. Prop. 31: „Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bonâ et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum." 32: „Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum." 33: „Catechumenus iuste, recte et sancte vivit et mandata Dei observat per caritatem ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur." 70: „Homo exsistens in peccato mortali sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram caritatem, et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis." 71: „Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione sacramenti." In quibus propositionibus „sermo est de caritate actuali: talis est enim caritas, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta; ex his enim actus, non habitus procedit; talis est caritas, quae est plenitudo legis; actu enim, non habitu legem implemus; talis est caritas, qua iuste et sancte vivitur et mandata Dei observantur; oportet enim caritatem esse in actu, ut dici possit per eam haec fieri; talis est caritas, quae contritioni coniungitur illius, cui supponitur non remissum esse peccatum." Palmieri, De poen. th. 23, V. Cf. De Lugo, De poen. disp. 5, s. 8 (Cf. etiam Baius, De carit. c. 1 et 7). Ergo negatur actualem caritatem etiam perfectam et sinceram impetrare immediate remissionem peccatorum ideoque veram iustificationem: et etiam contritionem ex motivo caritatis elicitam, quae ipsa est actus caritatis (cf. Decl. n. 5) id praestare negatur.

Iam vero „hae propositiones simul cum aliis damnatae sunt, non singulae singulari censura notatae, sed omnes respective tanquam haereticae, erroneae, suspectae, temerariae, scandalosae et piarum aurium offensivae. Idcirco aliqua ex his censuris competit certe et illis propositionibus. Liquet autem eas non damnari eo, quod indebita aliqua censura notent doctrinam theologorum: huiusmodi enim censurarum ne vestigium quidem in illis propositionibus. Damnantur ergo propter doctrinam. Porro permittamus supponi, quod minima ex illis censuris supradictis debeatur eis. Advertendum est, quod huiusmodi materia, de qua propositiones agunt est materia spectans ad depositum revelationis: agitur enim de caritate, de efficacia caritatis, de mediis necessariis ad iustificationem, quae omnia revelata esse debent et reapse sunt, atque est materia, de qua iudicium ferri non potest, nisi ex norma revelationis: sunt enim res positivae, quae ex divina dispositione tandem pendent. Itaque in revelationis deposito alterutrum contineri debet, vel caritatem perfectam et sinceram posse esse seiunctam a remissione

peccatorum, vel non posse: si primum, nulla ex supradictis censuris potest ei competere: si ergo aliqua ex iis competit ipsi, hoc ipso certum est illud primum non contineri in revelatione. Quia vero alterutrum contineri debet, continebitur ergo alterum: nempe non posse caritatem seiunctam esse a remissione peccatorum, et idcirco prior propositio erit contradictoria propositionis revelatae. Sicut igitur per quamlibet ex illis censuris doctrina Baii a revelatione excluditur, ita declaratur ibi oppositam contineri; et cum haec declaratio sit authentica et infallibilis, ergo vi illius iudicii certum est doctrinam, quam defendimus contineri in deposito revelationis." Palmieri, De poen. th. 23, V.

Caritas igitur actualis perfecta et sincera semper est coniuncta cum remissione nec sine ea esse potest. Porro, cum ille actus caritatis, quo Deus propter se super omnia amatur, sit nobilissimus, illa virtus ei est tribuenda. Ergo contritio procedens ex motivo caritatis, sive sit actus a caritate imperatus, sive ipse actus caritatis, coniuncta est semper cum remissione peccatorum, ideoque etiam ante absolutionem seu actualem usum clavium.

C) ex scriptura s. *a*) Io 14, 21: *Ὁ ἀγαπῶν με ἀγαπηθήσεται ὑπὸ τοῦ πατρός μου, κἀγὼ ἀγαπήσω αὐτὸν καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν*. Ibid. v. 23: *Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτόν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ᾽ αὐτῷ ποιησόμεθα*. Cf. Lc. 10, 27 s. (*τοῦτο ποίει καὶ ζήσῃ*). In priore loco citato imprimis nulla est ratio dilectionem Dei futuram ponere demum in beatitudine aeterna; immo collato loco posteriore patet per futurum explicari tantum sequelam. Igitur qui Deum diligit, a Deo diligitur; sane non eodem amore, quo etiam peccatores complectitur (cf. Bellarmin., De iustificatione c. 17), sed eo, qui solis iustis proprius est, quo homo redamatur ut amicus ab amico, non ut inimicus: amore, cui propriissimum adiungitur amicitiae signum (*ἐμφανίσω*). Cf. Billot, De poen. th. 13 § 1. Nec sermo est de habitu caritatis, sed de actu; id sane verba ipsa primo et per se significant. „Deinde, quoniam hic dilectio spectatur sub ratione meriti, quo quis (congrue) disponitur ad unionem cum Deo, meritum autem per se competit actui, ideo per se et primo verba scripturae de actu sunt accipienda. Unde et „manere in caritate" (1 Io 4, 16) est perseverare pro opportunitate in actibus caritatis, etsi supponatur habitus, a quo actus procedunt." Palmieri, De poen. th. 23, VII. — In secundo loco adventum Patris et Filii eorumque mansionem apud diligentes Deum ab omnibus de adventu per gratiam intelligi monet Maldonatus. — Nec cum caritas iustificare dicitur, potest subintelligi condicio, si cetera adsint, uti oportet, cum fidei iustificatio tribuitur. Nam „ea, quae subintelligi possent, vel sunt quaedam, quibus ex opere operantis se disponat homo ad iustificationem, vel sunt quaedam, quibus ex opere operato eam assequatur. Huius posterioris generis non est nisi sacramentum: porro sine actuali susceptione eius posse iustificationem obtineri liquet ex doctrina patrum communique ecclesiae sensu, quod votum eius sufficiat, cum actu haberi nequit. Praeterea efficacia caritatis in N. T. nequit esse minor ac in V. T. [cf. D)]; porro in T. V. ipsa citra opus ope-

ratum producebat effectum; ergo perperam ad eiusdem efficaciam aliquod opus operatum actu existens postulatur. Prioris generis erunt ii actus, quibus homo aliquo modo convertitur ad Deum; porro isti vel sunt actus perfectiores actu caritatis, vel imperfectiores. At perfectiores nulli sunt; erunt ergo actus imperfectiores. Huiusmodi autem actus vel ab ipsa caritate iam praesupponuntur necessario, ut actus fidei et spei, vel ipsam caritatem necessario comitantur, actusque esse possunt caritatis, ut timor filialis et detestatio peccati. Iam vero subintelligentia priorum nihil nocet conclusioni nostrae, iam enim adesse censentur exsistente caritate, quae sine eis esse non posset; neque nocet subintelligentia posteriorum, quae nihil novi ponit necessario praeter caritatem. Itaque non quotiescumque alicui causae asseritur in scripturis effectus aliquis, nullius alterius causae facta mentione, ea causa dicenda est totalis causa et sufficiens illius effectus; verum cum effectus est iustificatio, qui effectus actui hominis asseritur, atque actui perfectissimo, qui iam supponit vel in se continet quoscumque alios, qui postulari possent, quique post institutionem sacramenti censeri nequit, ex ipsa doctrina scripturarum, minoris efficaciae, quam fuerit ante institutum, tunc licebit quidem cogitare praeter eum actum requiri usum alicuius ritus instituti divinitus, ita tamen, ut sufficiat votum eiusdem; alios vero actus requiri praeter ipsum, aut eos, qui iam cum ipso intelliguntur, non licebit cogitare.“ Palmieri, De poen. th. 23, XI.

b) 1 Io 4, 7: *Πᾶς ὁ ἀγαπῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται.* Cf. Io 15, 12. 14; 1 Petr 4, 8. „Haec autem dilectio, de qua apostolus loquitur, est dilectio proximi propter Deum [cf. v. 8], est enim dilectio supernaturalis, quae ex Deo est, est proinde dilectio non secundum legem solam naturae, sed secundum legem evangelii; est idcirco potissimum dilectio Dei, quae est ratio formalis dilectionis proximi. Quod ergo de dilectione proximi affirmatur *α*) non de quovis amore erga proximum est accipiendum: *β*) intelligendum est potiore iure de dilectione Dei. Nam quod de ea praedicatur, propter hanc, quae est eius forma et motivum, praedicatur. Atqui de diligentibus affirmat Ioannes, quod nati sunt ex Deo, h. e. sunt filii Dei; ergo cum dilectione Dei coniuncta est filiatio adoptiva, quae peccatum excludit iuxta illud c. 3, 9.“ Palmieri, De poen. th. 23, VII. Neque hic agi de habitu caritatis, probatur ut supra *a*).

c) Lc 18, 13: *Ὁ δὲ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι, ἀλλ' ἔτυπτεν τὸ στῆθος αὐτοῦ λέγων. Ὁ θεός, ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.* 14: *Λέγω ὑμῖν, κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ παρ' ἐκεῖνον* (al. *ἢ γὰρ ἐκεῖνος*). Ubi patet publicanum iustificatum esse ex opere operantis; porro actus ille, quo iustificatus est aut fuit perfectior actu virtutis caritatis coniuncto cum recordatione peccatorum aut imperfectior. Perfectior nullus est; sin fuit inperfectior, a fortiori idem praestabit actus perfectior. Quam parabolam sane Magister noluit solum pro V. T. veram esse, sed independenter a temporibus.

d) Lc 7, 47: *Ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί, ὅτι ἠγάπησεν πολύ· ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ.* Hic Christus caritati vim

tribuit ad delenda peccata. Nec potest his verbis (cum A. Jülicher, Die Gleichnisreden Jesu. Freiburg 1899. II., 297 aliisque), quod parabola tunc adhibita suadere potest, is sensus subici: cognosci ex hoc, quod multum dilexit peccatrix, fuisse ei multa peccata dimissa, ita ut multum dilexerit ideo, quia multa peccata ei fuerant dimissa (Ambrosius, De Tobia c. 22; Gregor. Ep. 22; Toletus; Salmeron; Calvinus; Bezděka; Keil; Weiß etc.). Haec enim interpretatio repugnat

α) „aliis sacrarum litterarum versionibus. In Syriaca namque legimus: Propterea dico tibi remissa esse ei scelera eius multa eo, quod multum dilexerit. — In versione Persica sic habetur: Dico tibi: pro hoc, quod fecit, peccata eius multa remissa sunt ea de causa, quod multum digna fuit. — In versione Arabica: Peccata eius multa remissa sunt illi, quoniam dilexit multum. — In Aethiopica: Propterea ei remittuntur peccata eius multa, quia multum dilexit me. — V. Walton Bibl. s. t. 5, p. 290.

β) repugnat communi patrum interpretationi; nam ii generatim affirmant Magdalenam, quia vehementissima caritate flagrabat, obtinuisse peccatorum suorum remissionem. Si qui sunt pauci asserentes Mariam Magdalenam Christum multum dilexisse, quia ab eo remissionem multorum delictorum acceperat, in hac explicatione aliam, quam supponunt, non excludunt.

γ) repugnat contextui; [nam „remissio peccatorum non potuit esse causa, ob quam Christus affirmaverit Magdalenam multum dilexisse, quia talis remissio non videbatur, ut ex illa vel tamquam ex effectu vel tamquam ex causa amoris eum posset colligere vel comprobare, praesertim respectu Pharisaei, quia eam peccatricem esse sciebat et remissionem peccatorum non videbat. Immo nec ex actionibus externis Magdalenae poterat immediate colligi remissio peccatorum" (Suarez, De gratia l. 8, c. 10, n. 4)] quia M. Magdalena, licet poenitens et contrita, nesciebat tamen sibi remissa esse peccata, donec a Christo audivit: Remittuntur ei peccata; ac proinde non poterat signa dilectionis, quae exhibuit, antequam Christus illa verba pronuntiaverit, ex gratitudine promere, ut sc. gratam Christo, quia peccata illa remiserat, se ostenderet." De Augustinis, De re sacrament. l. 3, p. 1, th. 5. „Nam, quae haec mulier egit, non sunt agentis gratias de beneficio remissionis peccatorum accepto, aut mutuum amorem, quem gratuita remissio excitarit, declarantis, sed opera sunt poenitentis et remissionem peccatorum ambientis. Quid enim toto corporis habitu aliud, quam poenitentis imaginem prae se fert, ad pedes suppliciter provoluta, lacrimis, interioris poenitentiae testibus oppleta, in sparsis foedatisque capillis peccata ulciscens, praeteritae iniquitatis fomenta proiciens, denique continuis pedum osculis orans recipi in gratiam? Quare et gesta huius mulieris a sanctis patribus adeoque ecclesia ipsa catholica pro poenitentiae forma, qua ambienda sit remissio peccatorum, et mulier ipsa pro exemplari rite poenitentium habentur et proponuntur. [Cf. Augustin., Hom. 23. inter 50; Cyprian., De ablut. ped.; Io. Chrysost., Hom. 6 in Mt; Gregor. Hom. 33]" Lucas Brugensis

in h. l. Cf. etiam protestantes De Wette, Olshausen, Bleek. H. J. Holtzmann (Hand-Commentar[3] I, 1, 348).

δ) Denique interpretatio adversariorum non exigitur ex contextu cum parabola. Duae potissimum sunt huius rei explicationes. Cornelius a Lapide ita locum explanat: „V. 42: Non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque; quis ergo eum plus diligit? I. e. plus diligere iudicabitur, vel plus diligere solet, pluribus officiis eum demereri satagit? . . . Sensus est: Sicut is, qui cum plura deberet suo creditori, plurium ab eo accepit remissionem, passim a prudentibus iudicabitur ideo maiorem hanc remissionem a creditore accepisse, quod magis eum dilexerit, ac plura ei officia et signa benevolentiae exhibuerit: ob quae plura vicissim illi remisit et condonavit creditor — si enim debitores, qui multa debent creditoribus, maiora eis officia et obsequia deferre solent, ut tantorum debitorum remissionem vel diminutionem, vel temporis ad solvendum praestituti prorogationem ab eo emereantur et quasi emendicent — simili ergo modo tu, o Simon, prudenter iudicare debes Magdalenam magis dilexisse me prophetam et Messiam Dei Filium, quam tu dilexeris: maiora enim, ut vidisti, dilectionis omnisque officii et obsequii signa mihi exhibuit quam tu exhibueris: quare iisdem me provocavit, ut plura et maiora ipsi quam tibi peccata condonem. Maior enim dilectio debitoris est causa maioris condonationis creditoris; illam enim provocat et elicit. Unde congrue ad parabolam propositam infero et dico: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quare Magdalena iam amplius non est peccatrix, nec indigna contactu pedum meorum, ut tu aestimas, o Simon, sed sanctior te est, digniorque meo attactu. Hunc sensum exigit acoluthia et apodosis, sive redditio et applicatio aequa parabolae, sc. ut significetur dilectionem maiorem esse causam maioris remissionis maiorum debitorum, i. e. delictorum. Ergo τὸ diligit significat praesens et praeteritum qu. d.: Plus me dilexit et diligit ideoque plus ei remitto. Unde Arabicus vertit: Quis ergo horum duorum debitorum plus amator est illius? Ita Maldonatus, qui diserte ait, praesens hic ex vulgari phrasi poni pro praeterito.

Secundo tamen, si τὸ diligit, vel ut Graece est, ἀγαπήσει i. e. diliget, malis simpliciter accipere pro futuro, q. d.: Quis eorum deinceps creditorum plus diliget?: dico, esse argumentum inversum adductum ab effectu ad causam naturaliter connexam, q. d.: Sicut ille debitor multum dilexit creditorem, eo quod hic multa ei debita iam ante remiserit; remissio enim plurium maiorem in debitore exigit gratitudinem et dilectionem erga creditorem . . . sic e converso ego, o Simon, Magdalenae multa delicta quasi debita dimitto, quia ipsa multum me dilexit, q. d.: Remissio debiti et vicissim dilectio debitoris erga creditorem debitum remittentem inter se connexa sunt: sicut remissio creditoris parit dilectionem debitoris, ita vicissim dilectio debitoris parit remissionem creditoris . . . Ita Lyranus, Lucas et alii . . . Simili modo Christus convertit parabolam Samaritani c. 10, v. 36 . . . Ex uno enim intelligitur alterum, sc. ex proximo miserente intelligitur proximus miser.“ Cf. Suarez, De gr. l. 8, c. 10. n. 8—18. Haec posterior explicatio nobis (cum Sušil aliisque) priore minus violenta videtur esse.

D) ex efficacia contritionis perfectae ante traditionem potestatis remittendi peccata. „Ante novam oeconomiam evangelii certe erat aliquod medium adultis pro impetranda remissione peccatorum; nullum autem erat ex opere operato eam efficiens; ergo erat ex opere operantis, ideoque aliquis actus, et idcirco certe actus praestantissimus sive poenitentia profecta ex praestantissimo actu, quo homo ad Deum converti possit; atqui hic actus praestantissimus est poenitentia ex caritate concepta; ergo aut haec aut nullum. Quocirca de hac re certe accipienda testimonia Veteris Testamenti Deut 4, 29; Ezech 18, 21 [27. 28]; 33, 12 [Zach 1, 3].

Probatur consequentia. Sane *α*) quae Deus per prophetas Testamenti Veteris testatus est, quaeque ad vitam supernaturalem spectant, ea et filiis Novi Testamenti repetit; ergo ad nos quoque spectat, quod per Moysem et Ezechielem Deus promisit. Et re quidem vera, exceptis extrinsecis symbolis et ceremoniis, ea quae ad interiorem hominem pertinent, quaeque in Testamento Veteri locum habebant, ex aequo, immo potiore iure spectant ad Testamentum Novum: eius enim propria est interior iustitia et sanctitas ac remissio peccatorum. Cf. Ierem 30, 33. 34. *β*) Cum Christiana lex sit lex caritatis, iniquum est arbitrari Christum voluisse minori in pretio haberi caritatem in ecclesia, quam in synagoga. *γ*) Nihil est in oeconomia Christiana, quo videri possit dempta vis haec caritati iustificandi peccatores. Institutio enim sacramenti poenitentiae novum medium suppeditat pro obtinenda remissione: idque exigit, ut omnes teneantur confiteri peccata sua remissionemque directam petere a ministris Christi, cum hac vero obligatione nullo modo repugnat, ut quis per contritionem perfectam statim iustificetur." Palmieri, De poen. th. 23, VII.

E) ex defectu rationis pro contrario. Nam „institutioni Christi, quae statuit independenter a potestate clavium remissionem peccatorum non obtineri omniaque peccata remittenda esse directe, fieri potest satis etiam sola subiectione in voto supradicta, non quidem ita ut non amplius debeas, si potes vel tunc vel postea, te subicere actu, quod contradictorium esset . . . Sane ea exsistente, cum eius quoque intuitu confertur a Deo solo remissio peccatorum, verum reapse est non remitti peccata independenter a potestate clavium; remittuntur enim propter subiectionem ad illam, quacum nexa est obligatio manens petendae tandem remissionis directae." Palmieri, De poen. th. 10, II.

F) ex patribus. Augustinus, De Trinit l. 15, n. 31. s.: „Deus Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei et proximi, et ipse dilectio est. Non enim habet homo, unde Deum diligat, nisi ex Deo. Propter quod paulo post dicit; Nos diligamus eum, quia ipse prius dilexit nos.' Apostolus quoque Paulus: 'Dilectio, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum s., qui datus est nobis.' Nullum est isto dono excellentius. Solum est, quod dividit filios regni aeterni et filios perditionis aeternae. Dantur et alia per Spiritum s. munera, sed sine caritate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus s., ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dextram." Ubi saltem

ex his ultimis verbis s. Augustinus omnino videtur non de habitu caritatis loqui sed de actibus (amoris erga Deum et proximum); nec sane de praedestinatione loquitur, sed de statu gratiae acquirendo. Cf. Contra Crescon. l. 2, n. 15; Serm. 35. — Ex Io Chrysostomo cf. locos allatos thes. 2, p. II, dub. 2: cf. Hom. 4 in 1 Thes. n. 4: Hom. 7 in 2 Tim n. 3. — Ambrosius, In Lc l. 10, n. 90: „Et tu, si veniam vis mereri, dilue lacrimis culpam tuam; eodem momento, eodem tempore respicit te Christus." — Fulgentius, De remiss. peccat. l. 1, c. 12: „Quia ingemuit David ex toto corde conversus, continuo salvus est factus, atque ita in eo completum est, quod per prophetam praecipitur: 'Si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.'" — Petrus Chrysologus, Serm. 94: „Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem . . . Absolvi vis? Ama. 'Caritas cooperit multitudinem peccatorum.' Negationis crimine quid peius est? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere." — Anastasius Sin., Or. in Ps. 6: „Μεγάλη τοίνυν τῶν κατὰ Θεὸν δακρύων ἡ ἰσχύς, μεγάλη αὐτῶν ἡ ἐνέργεια." — Dionys. Bar Salibi († 1171), In Mt 3, 1 (Corp. script. christ. orient. p. 97): „Cum non possint, qui semel baptizati sunt, denuo baptizari, dedit Deus lacrimas, ut si quis ploret peccatum suum, accipiat remissionem et restituatur ei donum baptismi, quod periit apud eum: quemadmodum baptizatus est David lacrimis, postquam peccavit et moechatus est." Cf. Maximus Tur., Hom. 5 de poenit. Petri; Hilarius, In Ps. 51 etc.

Haec patrum persuasio ratio fuit, cur de salute catechumenorum, qui inculpabiliter omisso baptismate obierunt, non desperarent (cf. Ambros., De obitu Valentiniani n. 51 ss.) et cur Innocentius III. „incunctanter" asseruerit „caelestis patriae gaudium esse adeptum" sacerdotem quendam non baptizatum, „quia in sanctae matris ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveraverit." Cap. Apostolicam 2.

P. 2⁰. Nec requiri propositum explicitum seu formale, sed satis esse implicitum et virtuale certum est. Nam „cum motivum doloris est universale, ut amor Dei, timor inferni, desiderium beatitudinis, — propositum [universale] in dolore virtualiter continetur; atque istud sufficit ad veram contritionem, sive perfectam sive imperfectam, cum poenitens ad futurum non advertens, non elicit propositum formale. Sane propositum formale vel requiritur necessitate medii, vel necessitate praecepti ad iustificationem. Si necessitate sola praecepti, eius defectus obstabit idoneae dispositioni poenitentis ad reconciliationem, quatenus peccet poenitens non eliciendo propositum; at cum inadvertentia est causa eius defectus, nulla culpa est; idcirco, si propositum formale requiritur sola necessitate praecepti, nequit in hac hypothesi eius defectus nocere poenitenti. Si vero nocet, etsi non peccetur, ista omissio, dicendum est propositum formale requiri etiam necessitate medii. Atqui id nequit admitti. Nam quod necessitate medii necessarium est adultis, necessarium est ipsis ita, ut cum in re haberi nequit, satis sit illud habere in voto, si res est, quae haberi possit in voto. Atqui posita inadvertentia seu defectu cogitationis futuri, est vere impossibile homini elicere propositum formale cavendi in posterum peccata." Palmieri, De poen. th. 20. V.

Detestatio vero peccati ex motivo universali supplere potest illud medium necessarium, cum perfectione sua perfectionem actus supplendi propriam et simul huius votum contineat. Etenim virtus motivi hominem moventis ad detestationem illam talis est, ut aeque ac praeterita sub se comprehendat futura peccata abhorrenda: unde voluntas detestando ex motivo universali culpas iam commissas sic affecta est, ut cogitatione intellectus sola de futuris possibilibus accedente proponeret sibi declinare ceteras, non per actum ex motivo ullo novo ideoque diversae perfectionis imperandum, sed per actum ex motivo formali detestationis ipso ideoque cum eadem speciei bonitate in obiectum novum materiale explicite extendendum; et actus quidem iste confestim et necessario erumperet, ita ut etiam repugnaret resistere eidem nec desistere ab ipsa detestatione. Nimirum superveniente de possibilitate culpae futurae cogitatione propositum formale eatenus tantum liberum esse potest, sive secundum specificationem. sive secundum exercitium ipsum, quatenus libera est vera et sincera peccati detestatio. Et sane ita propositum formale impediri non posset nisi per actum positivum cohibentis voluntatis, quem stante detestatione propositoque virtuali, exprimere sic liceret: Quamvis abhorream a peccato etiam futuro, nolo tamen huius mihi fugam explicite proponere. Atqui talis actus ipse propositum explicitum aliquod contineret. Cf. Vasquez, De poen. a. 2. dub. 4.

Res confirmatur: „cum memoria peccati non occurrit, sufficiens est dispositio proxima ad iustificationem poenitentia sive contritio virtualis, qui est amor Dei super omnia: multo ergo magis sufficit contritio, cum non subit cogitatio de futuro.

Tandem huic sententiae favere videtur ipsa definitio contritionis data a Tridentino; in ea enim propositum ponitur in obliquo: „cum proposito non peccandi“, acsi concilium significare vellet detestationem et dolorem continere propositum, eamque detestationem dolorosam esse veram contritionem, quae propositum continet.“ Palmieri, De poen. th. 20, V.

P. 3⁰. Item certum est nec votum explicitum exigi *A)* „Magis necessarium est in contritione propositum non peccandi de cetero, quam confitendi: prius enim ex natura rei requiritur; unde et in antiqua lege necessarium fuit; posterius vero ex positiva tantum Christi institutione necessarium est. Atqui ad contritionem sufficit propositum virtuale non peccandi de cetero; ergo a fortiori et virtuale sacramenti propositum.“ Collet, De poen. p. 2, c. 4.

B) „Excogitari potest casus, in quo etiamsi [usus clavium] memoriae occurrat, non oporteat propositum seu desiderium explicitum eius concipere, ut si huiusmodi homo in extremo mortis articulo constituatur, in quo iudicet sibi iam esse impossibile [claves adire], ille certe tunc non tenetur absolutum propositum suscipiendi sacramentum habere. Est enim illud impossibile, quia iam hic et nunc res iudicatur impossibilis. Neque etiam videtur necessarium, ut habeat propositum condicionale, sc. propono [claves adire], si hoc periculo eripiar, vel aliter, vellem [adire], si possem. Nam huiusmodi actus nullius ferme momenti aut fructus sunt in eo casu, in quo apprehenditur condicio ut impossi-

bilis et numquam exsequenda. Erit ergo tunc utilius in Dei amore et peccatorum detestatione prorsus occupari. Non est ergo alius actus necessarius.“ Suarez, De bapt. disp. 27, s. 2, n. 8.

C) „Nullum est fundamentum ad requirendum huiusmodi propositum explicitum . . . Nam vel hoc propositum requiritur, quia sine illo non potest haberi vera contritio; et hoc est falsum, quia etiamsi quis non recordetur expresse confessionis, potest habere omnes actus, quos supra diximus perficere contritionem, quia nulla est repugnantia, et gratis diceretur Deum non dare gratiam excitantem vel adiuvantem necessariam ad illos actus, nisi habenti actualem memoriam et formale desiderium confessionis. Vel requiritur hoc votum, ut suppleat vicem sacramenti, veluti dando gratiam ex opere operato [cf. Schäzler, Wirksamkeit der Sacramente § 25]; et hoc est omnino falsum, quia iustificatio, quae solum fit per sacramentum in voto, tantum fit ex dispositione operantis: neque ibi confertur ulla gratia sacramentalis. Vel requiritur, quia non sufficit ad iustificationem. Et hoc est omnino falsum, quia illi contritioni semper est coniuncta gratia.“ Suarez, De poen. disp. 17, s. 3, n. 9.

D) Concilium Tridentinum docet Sess. 14, cp. 4, non esse tribuendam remissionem peccati ipsi contritioni sine voto sacramenti, quod in illa includitur; vera igitur contritio, si talis est, includit hoc votum: dixerat autem paulo antea idem concilium ad veram contritionem satis esse detestationem cum proposito servandi omnia mandata. Cf. Suarez ibid.

E) Cf. argumenta P. 1° allata.

Ad 1. »Sane voluntas est facultas tendens in bonum, quae potest quodlibet bonum amplecti, sub qualibet ratione ei ab intellectu proponatur: hoc est primum et maxime essentiale voluntati; ea quidem non diligit nisi quod est bonum suum; sed *a*) non est necesse, ut illud diligat sub hac formali ratione, quatenus est bonum suum. Et re quidem vera, si id necesse foret, tunc falsum esset voluntatem posse ferri in quamcumque rationem boni; *b*) Deus spectatus ut est in se bonus, est adhuc quoque bonum voluntatis, nimirum prout est terminus actus voluntatis, qui actus et honestissimus est et suavissimus: honestissimus, quia cum voluntas sit facta propter Deum bonumque cuiusque naturae, ideoque et voluntatis, debeat referri in gloriam Dei, persuadet ratio, ut voluntas magis gaudeat de bono Dei quam de bono suo; est suavissimus actus, quia delectatio consequitur sive comitatur operationem honestam et maxima delectatio maxime honestam operationem.« Palmieri, De poen. th. 22, X. Item ex experientia constat posse hominem perfectum amicitiae amorem habere erga alios et multo magis erga Deum. »Nec enim id est moraliter impossibile ratione praelationis aliorum bonorum; nam potest homo animo omnino pacato divinam bonitatem considerare, quin ullae tentationes aut afflictiones actuales in bona creata eum avocent a Dei amore.« Ripalda, De ente supern. l. 5, disp. 114, s. 16, n. 153.

Praeterea ex damnatione thesium 23 ab Innocentio XII. facta illud quidem sequitur, caritatis habitu actuque quasi unico amorem sui ipsius ordinatum non positive excludi; minime vero sequitur caritatis actum vi motivi sibi proprii non praecisum esse a respectu ad felicitatem propriam, vel hunc ad nos respectum actu tali essentialiter includi. Neque ex actibus eiusmodi caritatis saepius repetitis oritur paulatim status ille ab Innocentio negatus, in quo sit tantum amor

Dei a bono proprio abstractus; inde enim non existit nisi quaepiam facilitas eliciendi tales actus, vel etiam dominatio caritatis in imperandis actibus virtutum aliarum, et in his amoris sui ordinati, ita ut actus isti non minus cum inducto illo statu quam cum actibus caritatis singulis consistere simul queant.

Quod additur de naturali desiderio beatitudinis, certe non valet de desiderio explicito et formali. »In actibus liberis mentem a beatitudine ita avocare possumus, ut non formaliter propter hanc, sed propter absolutam obiecti excellentiam operemur. Quoniam autem innatum est nobis erga beatitudinem generatim desiderium, hoc ipsum semper virtualiter, materialiter vel praesuppositive nobis inest, etiam quando ex caritate purissima agimus.« Wirceburgenses t. 5, disp. 1, c. 3, art. 1.

Ad 2. »Velle ratione excellentiae divinae cultum et honorem Dei in signum protestationis nostrae subiectionis eiusdem excellentiae, est actus religionis, nec postulat amorem Dei proprie dictum. At velle, ut Deo tribuatur debitus honor et gloria, quae quidem amplior est, quam cultus, idque velle, quia est hoc bonum Dei, et hoc bonum Dei velle, quia Deus placet nobis eiusque bonitas diligitur, hic est actus caritatis, qui nedum imperatus, sed et elicitus a caritate esse potest.« Palmieri, De poen. th. 22, XIV.

Ad. 3. Certe hoc discrimen esset inter amorem naturalem et supernaturalem, quod supernaturalis est filii Dei ad Deum, naturalis servi Dei ad Deum. — De possibilitate amoris Dei super omnia sine habitu infuso controversia est inter s. Thomam et D. Scotum; hic non dubitat dicere: »Ratio naturalis ostendit naturae intellectuali esse aliquid summe diligendum, quia in omnibus actibus et obiectis essentialiter ordinatis est aliquid supremum, et ita aliqua dilectio suprema ... Nihil [autem] potest intellectus recte dictare, in quod dictatum non possit voluntas naturalis tendere; alias voluntas esset naturaliter mala vel saltem non libera ad tendendum in quodlibet secundum illam rationem boni, secundum quam ostenditur sibi ab intellectu.« In l. 3. d. 27 n. 13.

Ad 4. Vide Lc 12, 4; Io 15, 14. 15, ubi habes amicitiam excellentiae (Aristot., Eth. 8, c. 7), Prov. 8, 17; 1 Io. 4, 16, ubi amor mutuus exhibetur. Cf. etiam Io. 14, 28; Mt. 6, 9. — Cf. Palmieri, De poen. th. 22, XI.

Ad 5. Imprimis opponimus textum s. Augustini, De lib. arb. l. 3, n. 76: »Melior est . . . [animus], cum obliviscitur sui prae caritate incommutabilis Dei, vel se ipsum penitus in illius comparatione contemnit«; et s. Thomae II. II. q. 26, a. 3 ad 3; q. 28, 1 ad 3; Qq. disp. De spe a. 3. Ad Augustinum igitur respondemus: »Duplex distingui debet quaestio: *a*) an possibilis sit et divino verbo probata dilectio huiusmodi gratuita Dei propter se, idque crediderit Augustinus; *b*) an dilectio Dei boni nobis, qua ille non propter bona, quae confert, sed propter se ipsum amatur, sit dilectio perfecta satis eademque iustificans. Iamvero etsi demus hoc alterum sensisse Augustinum, non tamen sequitur ipsum negasse primum. Cum vero in contionibus alloqueretur fideles, satis ipsi fuit alteram caritatem frequentius proponere. Respondemus 2⁰ quod testimonia quoque obiecta ita possunt explicari, ut implicite significatus intelligatur amor, quo propter se, quia in se bonus, Deus diligatur. Sane actus fruitionis adaequate sumptus complectitur tum amorem Dei propter se, qui amor dulcis est et delectabilis tum amorem sui ipsius, cui Deus, quocum amore coniungitur, bonus est. Nec refert, quod Augustinus ibidem, ubi definit fruitionem, nempe De doctr. chr. l. 1 doceat c. 31 omnem, qui amat, vel frui vel uti re amata; Deum vero, qui nos amat, non frui nobis, quia non eget nobis, quicumque enim fruitur, eget eo, quo fruitur, id inquam non refert; non enim significat quod ratio fruitionis sit indigentia fruentis, seu quod obiectum formale illius

amoris, qui fruitio dicitur, sit bonitas rei, quatenus est bona nobis, sed solum significat, quod fundamentum illius amoris est, quod bonum per se dilectum sit bonum amanti, et qui fruitur possit et diligere bonum, quo fruitur, tamquam bonum sui. — Ita quoque accipi possunt exempla allata amoris sponsae, ut non excludatur purissimus amor. Cf. Thom. II. II. q. 27, a. 3.« Palmieri, De poen. th. 22, XIV. — S. Thomas loco priore »ut distinguat amorem caritatis ab amore naturali, monet bonum divinum, quod diligit caritas, esse bonum, quod fide credimus, quodque supernaturaliter consequendum erit; beatitudo enim simpliciter appellata intelligitur beatitudo supernaturalis; . . . nec s. Thomas determinat ibi, quomodo Deus sit beatitudinis obiectum.« Palmieri l. c. Loco posteriore s. Thomas »non negat amorem caritatis esse benevolentiam, eo quod aliud sit amare et aliud bene alteri velle, sed quatenus benevolentia non est totum id, quod caritas, licet actus sit, in quo praecipue dilectio manifestatur. Quid est ergo quod praeterea requiritur? Est unio affectus amantis ad amatum . . . Sc. in ipso exercitio actus caritatis amor fertur in amatum tamquam in aliquid ad se pertinens, et quodammodo unum sibi.« Palmieri l. c.

Ad 6. »Disparitas petenda est tum ex scriptura et traditione, quae posterius asserunt, non autem prius illud; tum ex ratione theologica, quia fides est prima radix iustificationis; nec datur alius actus supernaturalis prior, qui eius votum contineat et propter eius excellentiam possit illius vices supplere.« Sardagna, Theol. t. 8. a. 7., contr. 3, n. 97.

Ad 7. et 8. v. Thes. 3, p. II, ad 1; Cf. Suarez, De poen. disp. 17, s. 3, n. 7; quomodo vero hoc votum requiratur, si quaeris, respondemus: ut condicio sine qua non. »Cum quis per caritatem vel contritionem cum voto sacramenti iustificatur, iustificatur per opus operantis, opus vero operantis est ipsa caritas vel contritio eaque sola, quae inclusum continet votum sacramenti; etsi enim hoc votum explicite fiat, spectat reapse ad propositum, quod est elementum contritionis, et virtute saltem semper in caritate et contritione continetur. Est ergo contritio, quae iustificat. Porro, si distinguantur haec duo, contritio, quae per se posset esse sine eo speciali voto, quemadmodum erat ante institutum sacramentum, atque votum sacramenti, primo advertendum est, quod haec distinctio realiter nequit fieri in hac oeconomia . . .; adhibita vero distinctione rationis si quaestio fiat, utri praecipue asserenda sit causalitas iustificationis, dicendum est potiores partes vindicare sibi contritionem; nam ea per se par est iustificationi obtinendae ac potest iustificare sine eo voto, sicut iustificabat ante institutum sacramentum; desiderium vero sacramenti per se solum non potest iustificare. Quare se habet . . ut condicio, sine qua non habetur iustificatio.« Palmieri, De poen. th. 10, VI. Eaque est mera condicio (contra De Lugo), non causa, quae ad veniam impertiendam ex titulo peculiari moveat. Et re vera votum idem moveret instar causae aut tamquam opus operatum aut tamquam opus operantis. Atqui illud quidem nemo dixerit. Sed neque alterum asseverare licet; nam eatenus hoc verum esset, quatenus votum requisitum bonitatem vel dignitatem aliquam ad reliqua pro remissione postulata superadderet; atqui nihil tale superaddi vel ex eo liquet, quod votum idem implicitum in actu contritionis contineri potest, posito per hominem sacramentum ignorantem vel non cogitantem; qualis actus solo termino extrinsecus statuto, non excellentia interna maiore ulla a contritione antiqui foederis discernitur.

Ad. 9. Propositum et detestatio se mutuo excludunt, »quando motivum est idem«. Dicastillo, De sacr. poen. disp. 6, n. 220. Plura cf. Thes. 11, p. III. ad 5.

Ad 10. Ex Ezech 33, 12 patet non posse intelligi actualem observationem mandatorum; votum autem observationis legis in ipsa detestatione peccati etiam continetur. — Neque Concilium Tridentinum

explicitum propositum requirit; cf. Sess. 6, cp. 6 de proposito suscipiendi baptismum. Cur vero propositi mentio adiecta sit in prima declaratione iam innuimus. Ceterum cf. thes. 6, p. III.

Ad 11. Frustra non fit illud, ad quod faciendum adest obligatio. Cf. thes. 3, p. I, ad 3.

Ad 12. Distinguenda est voluntas subiective efficax (qualis est haec: utinam hoc stantibus legibus metaphysicis fieri posset!) a voluntate obiective efficaci. »Hodie non possum dicere 'volo', sed 'vellem' servasse heri praeceptum.« De Lugo, De poen. disp. 4, n. 19.

Ad 13. »Firmum et absolutum propositum concipere possumus vitandi omnia peccata venialia, quae cum plena deliberatione admitti solent; hoc enim possibile est cum Dei gratia, quae digne postulantibus confertur secundum legem Dei ordinariam.« Wirceburgenses t. 5, disp. 2, c. 3, a. 6. »Neque repugnat, quod aliquis velit non voluntate absoluta, sed efficaci, quantum est de se procurare aliquid, quod scit non futurum.« De Lugo, De sacr. poen. disp. 14, s. 9, n. 137. Ad reliqua cf. thes. 7, p. I.

Ad 14. Exceptio certe firmat regulam. (Cf. Palmieri, De poen. th. 24, VII). Ceterum idem concilium »excipit eos, qui forte missam celebrare tenentur, neque habent sacerdotem, cui peccata sua confiteantur; iis enim contritionem cum proposito confessionis ad Eucharistiam non indigne percipiendam sufficere iudicavit. Itaque concilium illud credidit per veram contritionem etiam ante sacerdotis absolutionem et extra mortis articulum peccata remitti; neque enim suspicari fas est, in ullo casu concilium catholicum permissurum fuisse, ut cum conscientia reatus peccati mortalis ad sacramentum accederetur.« Bellarminus, De poenit. l. 2, c. 13. — Concilium Arausicanum II. in epilogo non requirit caritatem perfectam.

Ad 15. »Verba haec Christi vel intelliguntur de remissione, quae tunc temporis, licet non in eo praecise instanti fiebat, sicut, quando aliquis iudicialiter absolvitur, solemus communiter loqui tota illa die de absolutione quasi de praesenti [bis vertit Vulgata: remittuntur]; vel potest dici cum P. Aegidio vera fuisse verba Christi, licet iam essent peccata prius remissa, eodem sensu, quo sunt vera verba sacerdotis absolventis secundo poenitentem ab eodem peccato, a quo iam fuerat semel absolutus. [Cf. Marc 5, 34]. Nec obstat Augustinus... Nam vel loquitur de accessu prout complectitur etiam primam voluntatem accedendi, quo tempore adhuc erat immunda; vel si loquitur de ipso tempore, quo venit in domum Pharisaei, supponit fortasse nondum habuisse dilectionem perfectam, donec in Domini praesentia perfecte exarsit.« De Lugo, De poen. disp. 5, s. 8, n. 125. Cf. Bernard. Serm. 4 in dedic. eccl. n. 3. — Quod convivae offensi sunt et quaesiverunt, quis esset is, qui etiam peccata dimitteret, non exigit suppositum peccatricem demum Christi verbis iustificatam esse. Nam *a*) iniqua videri ea offensio possit, vel in sacrilega ipsorum Christi hominis puri existimatione. Nec enim dixit Christus: Remittuntur tibi a me, sed simpliciter: Remittuntur tibi peccata tua. *b*) Quod Christus vel primum vel secundo remitteret peccata Magdalenae, idem omnino erat Pharisaeis, qui sciebant eum non ut Nathan aliena virtute, sed propria id operari.« Collet, De poen. p. 2, c. 4, n. 327.

Ad 16. *a*) Certum non est Paulum iam tunc concepisse actum perfectae caritatis; *b*) Ananias potuit errare; *c*) quae dixit, possunt esse mera declaratio, quid sit baptismus. Augustinus potuit errare; ceterum poterit explicari ita, ut non sibi contradicat Deum faciens Ananiae respondentem (S. 175): »Iam non est lupus«; »De lupo ovem feci.«

Ad 17. Gregorium Naz. sunt qui dicant velle tantum docere meram quandam voluntatem sacramenti ad salutem non sufficere (Straub, De San); sed ipse Nicaetas commentator reclamat. Damus igitur cum Turnelio eum ita sensisse. — Idem de Prospero Collet

concedit. — Augustinum alii dicunt ante baptismum moraliter certum fuisse de caritate perfecta (Estius), alii certum de initiali caritate (Gaud), alii negant utramque certitudinem. Ceterum cf. quae ipse dicit Conf. l. 9, c. 2 in fine. — Quod scribit ad Honoratum, id accidit, quia ordinarie peccatores non habent perfectam contritionem. — Catechumeni, quos dicit sarcinam iniquitatis portare, contemnebant baptismum »eo, quod iam maiore gratia praediti viderentur, quam viderant alios fideles« »Neque ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.« Augustinus, De bapt. l. 4, c. 25. – Alibi (De symb. ad cat. de eo loquitur, quod ordinarie fit, de catechumenis tantum inchoative diligentibus. — Alibi (De pecc. mer.) de sanctificatione externa catechumeni agit, nempe de signo crucis, impositione manuum, degustatione salis aliisque ceremoniis, quibus praeparantur catechumeni ad baptismum. Ceterum etiamsi ibidem sermo esset de sanctificatione interna, nihil efficeretur; nam etiam haec inutilis dici potest, si catechumenus vel ex contemptu vel ex gravi negligentia baptismum non suscipit. - Denique certa est s. Augustini doctrina de conversione cordis iustificante saltem in casu necessitatis extra baptismum (De bapt. l. 4, c. 22); sed etiam hoc per dicta illa excluderetur, si sensus adversariorum eis subiciendus esset. — Etiam Fulgentius de communiter contingentibus loquitur, nempe de sufficiente dispositione ad licitam susceptionem baptismi. Idem, Ep. 7, n. 3. »Caritas, inquit, ubi habitare coeperit, non permittit dominari peccatum, sed cooperit multitudinem peccatorum; nec solum praesentia peccata facit vitari, quin etiam praeterita facit omnia relaxari«. — Nec s. Leonem posse plus requirere quam votum sacramenti liquet ex eiusdem verbis in Ep. 108: »Misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas moras patitur veniae vera conversio, dicente spiritu Dei per prophetam: 'Cum ingemueris, tunc salvus eris'.« — Simile dic de s. Bernardo cum Sardagna (n. 95): »Sententia Petri saltem in voto semper praecedit sententiam caeli«, nisi mavis dicere non loqui s. Bernardum de omnibus casibus. — Cf. etiam Suarez, In p. III. q. 83, a. 1.

P. II. Eadem contritio non solum iustificare potest, sed semper ante actualem usum clavium iustificat.

Dub. 1. Concilium Tridentinum, Sess. 6, c. 6 inter alias baptizandorum dispositiones hanc requirit, ut »Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiant« Sed dilectio Dei tamquam fontis iustitiae est perfecta caritas. Atqui tamen caritas illa non iustificat. Neque enim concilium ad baptismum dispositionem requirit, qua homo ante baptismum iustificetur. Cf. Sylvius in quaest. 5. supplem.

2. Bernardus Ep. 77 scribit hominem posse cum desiderio baptismi salvari, si tamen mors anticipans seu alia quaecumque vis invincibilis obviaret.

3. Augustinus, De bapt. l. 4, c. 22: »Quod etiam atque etiam considerans invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum recurri non potest. Cf. Berti, De theol. discipl. l. 34, diss. 1, c. 5.

4. Augustinus, S. 278: »Sunt quaedam gravia et mortifera, quae nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis et contritionis spiritus et tribulationis poenitentiae non relaxantur. Haec dimittuntur per claves ecclesiae.«

Contraria sententia 1° damnata est in propositionibus Baii, prop. 71. Cf. p. I, P. 1°, A.

2° Idem docet Concilium Tridentinum Sess. 14, cp. 4, ubi vox aliquando non inseritur inter duo membra: „etsi contritionem caritate

perfectam contingat aliquando reconciliare hominem Deo.“ sed utrique affirmationi praemittitur ideoque ad utrumque membrum refertur: quod sane non sine causa factum est. — Ideo Catechismus Romanus de contritione docet „statim ut eam mentibus nostris concipimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, ut qui salutis nostrae cupidissimus nullam moram interponat ad tribuendam veniam.“ Quod exemplo leprosorum confirmat, qui, dum irent ad sacerdotes, mundati sunt in ipso itinere.

3⁰ De s. scriptura cf. imprimis dicta p. I, p. 1⁰, C. Nec obici potest, innui ibi contritionem disponere ad sanctitatem, non quod illam semper secum afferat de praesenti, sed quod eam semper infallibiliter afferat saltem de futuro. „Qui enim dicit solem illuminare, opusne est, ut addat hunc effectum adesse statim ac adest sol, ut intelligatur existente sole adesse illuminationem?“ Palmieri, th. 24, IX, 4. — Praeterea id explicite docetur Ezech 33, 12: צִדְקַת הַצַּדִּיק לֹא תַצִּילֶנּוּ בְּיוֹם פִּשְׁעוֹ וְרִשְׁעַת הָרָשָׁע לֹא יִכָּשֶׁל בָּהּ בְּיוֹם שׁוּבוֹ מֵרִשְׁעוֹ (Iustitia iusti non liberabit eum, in quacumque die peccaverit et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua). Hinc enim patet non maius intervallum intercedere inter conversionem per contritionem perfectam et eius effectum (בְּיוֹם): atqui per peccatum statim amittitur gratia, ergo per contritionem perfectam statim recuperatur. Eundem sensum patres tribuere solent loco illi Is. 30: „cum ingemueris, tunc salvus eris.“ Cf. Leo, Ep. 91; [Augustinus], De vera et falsa poenit. c. 17.

4⁰ Adversarii concedunt in casu necessitatis hominem sine sacramento posse iustificari; „atqui hic effectus vel ipsi per se contritioni debetur, vel alicui speciali dispensationi Dei, qui actum, secundum hanc ipsam oeconomiam, qua regimur, insufficientem, tamen acceptat non secus ac si ille valeret. Iam si primum fatentur adversarii, concedant oportet quod nos contendimus. Alterum vero gratis prorsus asseritur; unde etiam colligitur haec specialis dispensatio? Et cur, si id docent, non docent etiam in his casibus acceptari a Deo attritionem simplicem? Itaque quamvis huiusmodi effectus caritatis, quae iustificat, pendeat etiam ex misericordia Dei, qui contritionem acceptat tamquam idoneum et sufficiens medium ad amicitiam divinam recuperandam, tamen cum haec acceptatio lege quadam universali et constanti statuta sit, nec in scripturarum testificatione ad instans necessitatis adstricta repraesentetur, effectus iustificationis tamquam proprius et veluti naturalis contritionis est habendus.“ Palmieri, De poen. th. 24, IX, 5).

Ad 1. Vide th. 13, p. III., ad 11.

Ad 2. Extra casum necessitatis iustificatus debet, ut salvetur, baptismum suscipere.

Ad 3. Similiter respondendum; docet „si potest recipi sacramentum, debere tunc recipi, nec satis esse caritatem ad salutem aeternam.“ Palmieri, De poen. th. 24 fin.

Ad 4. Si quidquam probat iste locus, probat sane etiam vel imprimis in casu necessitatis deesse medium se salvandi; quod adversarii nolunt admittere. Ceterum componatur cum s. Ephraemi Precat. ad Chr. I., ubi ob exiguum ploratum, paucis lacrimis ignem aeternum exstingui docemur.

P. III. Sufficit contritio procedens ex motivo caritatis, vi cuius bonitas divina in nos relativa ob se ipsam super omnia appretiative diligatur.

Dub. 1. Catechismi ignorant istam caritatem perfectam, quae attributa Dei relativa pro motivo habet. Quam ob rem a Jungmann acriter impugnati sunt (Theorie der geistl. Beredsamk. II, 268). Adde Instructionem additam Concilio Romano sub Benedicto XIII.: Formula actus perfectae caritatis: „Deus meus, quia es summum, infinitum et perfectissimum bonum, te diligo super omnia etc.“ Ibidem sic interrogat poenitens: quinam est dolor perfectus, qui dicitur contritio? Resp. conf.: „Dolor perfectus seu contritio est dolor caritate perfectus, quo ex solo amore Dei ut summi boni nobis displicet super omnia mala, quod peccavimus.“ Cf. Schiffini, De virtutib. infusis th. 28.

2. Non est alia ratio, cur magis moveant attributa relativa quam absoluta, praeter amorem proprium.

3. Benignitas Dei eatenus est motivum, quatenus Deus actu nobis benefacit; atqui tale motivum, utpote ex rebus creatis desumptum, non potest esse motivum caritatis theologicae.

4. Deus non potest diligi ut beneficus sine respectu ad bonum, quod ab ipso accipimus vel speramus; ergo amor gratus est impurus.

5. Amore caritatis Deus ita diligitur, ut diligeretur etiamsi nihil ab eo acciperemus ideoque etiamsi nobis non esset bonus.

6. Benignitas Dei in Deo est aliquid contingens; si igitur haec est ratio praecipua, ob quam Deum amamus, est extra essentiam Dei.

7. Si Deus consideratur ut benefactor, raro vel numquam percipitur ut summus benefactor, cum motivum amoris idem sit atque in humanis benefactoribus. Sed non benignitas quaecumque, verum summa est Dei proprietas.

Probatur sententia nostra 1^0 ex obvio sensu loci 1 Io. 4, 19: *Ἡμεῖς ἀγαπῶμεν αὐτόν, ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς* (cf. v. 18: *ἡ τελεία ἀγάπη*): ubi patet benignitatem Dei exhiberi ut immediatum caritatis theologicae motivum. Cf. Rom 8, 37; 2 Cor 5, 14. Illum locum s. Augustinus explicat verbis: „Non enim haberemus, unde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, cum prior nos diligeret, sumeremus.“ De gr. Chr. c. Pelag. et Caelest. l. 1, c. 26.

2^0 Eadem est patrum doctrina. Augustinus, De catech. rudib. n. 6 ss.: „Quae autem maior causa est adventus Domini, nisi ut ostenderit Deus dilectionem suam in nobis commendans eam vehementer? Quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hoc autem ideo, quia finis praecepti et plenitudo legis caritas est: ut et nos invicem diligamus et, quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic et nos pro fratribus animam ponamus, et ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos et Filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem invitatio, quam praevenire amando: et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere . . . Ibi gratior amor est, ubi non aestuat indigentiae siccitate, sed ubertate beneficentiae profluit. Ille namque amor ex miseria est, iste ex misericordia.“ Cf. Ephraem., Paraen. 42, n. 9; Bernard., De diligendo Deo n. 1. 6. 14. 16.

3^0. In revelatione exhibetur recordatio beneficiorum Dei ut via praecipua, communissima, facillima perveniendi ad affectum verae caritatis. Cf. Io 13, 1; 2 Cor 8, 9; Gal 2, 20; Eph. 5, 2; 1 Io 3, 16;

4, 10; Apoc 1, 5; Deut. 1, 6—4, 40; 7, 8; 10, 12. 15; 11, 1; 32; 2 Reg 12, 7. 8; Is 5; Ez 16. Accedunt patres, ut Basilius (Regul. fusius tract., resp. ad interrog. 2, n. 2—4 ἐξ αὐτοῦ μόνου; Reg. brev. tr. ad inter. 212) et theologi ascetaeque probati omnes. Atqui eatenus via illa diligendi Dei est facillima, quatenus motivum caritatis sunt non solum attributa Dei absoluta, i. e., quae respectum ad salutem nostram non includunt, sed etiam relativa, seu bonitas divina spectata relative ut benignitas, misericordia etc. Neque enim adeo facile a vulgo saltem ex beneficiis ascenditur ad attributa absoluta, quae plerumque magis sunt remota, neque haec ita facile ut amabalia apprehenduntur, cum ex benefactis ad benefactoris benignitatem contemplandam eamque ut amabilem vivide apprehendendam proindeque diligendam sit transitus facillimus.

4⁰ „Vix reperitur in divinis litteris et apud patres expressio perfectae sinceraeque caritatis erga Deum, quae non feratur in ipsum ut est summum bonum nostrum.“ Hurter, Theol. dogm. comp. t. III., n. 468. Atqui mirum esset, si scriptura s. et patres, qui nos ad caritatem theologicam perducere volunt, de qua primum et maximum est mandatum (Mt 22, 37 s.), et cuius actus in V. T. pro peccatoribus adultis semper, in N. T. saepe necessitate medii requiritur, verae caritatis motivum non commemorarent.

5⁰ Talis contritio aut ideo non sufficeret, quod deberet eius motivum desumi ex divina bonitate offensa, quatenus haec bonitas complectitur omnes Dei perfectiones (Alphonsus Lig. l. 6, n. 436) aut quod ex attributis relativis imperfectior amor oreretur, quam ex attributis absolutis. Atqui motivum caritatis *A*) non consistit necessario in collectione attributorum omnium. Nam *a*) actus caritatis tunc habetur, cum summum bonum amatur propter se ipsum. Atqui hac ratione amatur etiam, cum diligitur propter attributum aliquod relativum, ut amorem suum erga nos; nam hic amor eius est ipsum summum bonum, perfectio immensa, identificata cum Deo, licet per abstractionem formalem, non per praecisionem obiectivam, sub respectu tantum uno vel altero consideretur. *b*) Actus caritatis deberet elici aut ex percursis specialibus omnibus perfectionibus aut ex apprehensa perfectione generica. Atqui prius illud certe non potest fieri; sin alterum postulatur, postulatur motivum valde inefficax. „Quinimo vix fieri potest, ut mens Deum caritate attingat, quin ab aliqua potius vel aliquibus specialibus perfectionibus ad id moveatur; neque enim in concreto moveri solent homines generica idea perfectionis, sed potius summo bono, quod in particularibus elucet. Id vero dum fit non excluduntur aliae perfectiones, sed non considerantur speciatim; neque ulla alioquin apparet ratio, cur aut omnes speciatim (quod impossibile foret) aut conglobatim spectari debeant.“ Ballerini-Palmieri, Op. mor. vol. 5, s. 5, n. 39.

B) Neque ex attributis absolutis perfectior amor per se resultat: nam utrumque motivum est eiusdem perfectionis; neque per accidens. Etenim similitudo (unio) cum bono est causa (fundamentum ontologicum) amoris etiam benevolentiae. „Ex hoc enim, quod aliqui duo sunt similes quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma

illa, sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis et duo albi in albedine; et ideo affectus unius tendit in alterum, sicut in unum sibi et vult ei bonum sicut et sibi." Thomas, S. th. I. II., q. 27, a. 3. Iam vero haec unio, quae requiritur ad caritatem, difficilius cognoscitur in attributis absolutis quam in relativis. Praeterea ipsa attributa relativa, quippe quae in beneficiis patefiant, sunt nobis propinquiora, ideoque faciliora cognitu et amatu.

Ad 1. Opponi imprimis possunt catechismi alii, praecipue Catechismus Romanus p. 3, c. 2, n. 2. Nec quod non exprimitur, excluditur. Cf. Jungmann, Theorie der geistl. Bereds. II, 268 ss. Nisius in Ztschrft f. kath. Theol. 1884, p. 514 ss.

Ad 2. Responsum patet ex argumento 5⁰.

Ad 3. Concedimus ad eliciendum actum verae caritatis movere benignitatem Dei non solum eatenus, quatenus sit per eam Deus ad benefaciendum promptus, sed et quatenus actu ipso Deus nobis benefaciat seu ipsam volitionem Dei v. g. redemptivam. Dicendum videtur respici et amari Deum formaliter tanquam benefactorem ita, ut moveat beneficentia activa vel volitio libera tantummodo virtualiter distincta a voluntate et essentia divina, non beneficentia passiva vel obiectiva, etsi sine hac correlativa utique vel esse vel cognosci vel cogitari beneficentia activa libera efficax nequeat.

Ad 4. „Diligitur Deus ens a se, principium omnium perfectionum, inter quas continentur etiam benignitas et ratio finis ultimi seu beatitudo obiectiva; quamvis beneficia in nos derivanda, item possessio et fruitio summi boni, qui sunt termini divinae benignitatis ac Deitatis beatificantis a caritate directe non spectantur." Wirceburgenses, De virt. poen. n. 41.

5. „Propositio condicionalis, quae in maiore exprimitur, captiosa est, et nisi recte explicetur, occasionem praebere potest errori Quietistarum. Dupliciter itaque potest intelligi, caritate hominem ita disponi, ut paratus sit ad perseverandum in dilectione Dei, etiamsi Deus desineret esse ei bonus. Primum, quatenus quis se ostendat paratum ad permanendum in dilectione Dei, etiamsi in Deo deficeret id, ratione cuius est obiectum beatitudinis creaturae rationalis. Iam vero hic sensus est plane absurdus. Deus enim est obiectum beatitudinis, qua et quia summum bonum; patet autem Deum non fore idoneum dilectionis (super omnia) obiectum, nisi esset summum bonum, quemadmodum non esset idoneum fidei vel spei obiectum, nisi esset summa veritas vel auxiliator omnipotens. — Alio modo condicionalis illa potest sic intelligi, quatenus caritas disponat hominem ita, ut se monstret paratum ad perseverandum in dilectione Dei etiam in hypothesi sive possibili sive impossibili, in qua ipsi foret desperandum de propria beatitudine aliquando obtinenda. Iam vero huiusmodi praeparatio animi, nisi vitietur per commenta Quietistarum nihil aliud exprimit, nisi ipsum ordinem caritatis, quo haec refertur in obiectum suum primarium. Homo enim ex caritate diligit Deum et se ipsum; sed Deum plus quam se ipsum, quemadmodum ex eadem caritate diligit se plus quam proximum." Schiffini, De virt. inf. th. 32 Obi. 3.

Ad 6. Duplici modo responderi potest *a*) Obiectum formale nostri amoris non est contingens, sed coniunctio ontologica, qua fit bonum nostrum. *b*) Amare non possumus Deum in abstracto, sed hunc concretum Deum, qui ab aeterno non fuit alius nec alius esse potuit ex sua natura quam nobis benignus hoc et hoc modo, quatenus scilicet ab aeterno est determinatus et immutabilis in sua voluntate.

Ad 7. Cum Deus consideratur ut fons omnium bonorum et beneficiorum, quae nobis a bonitate creaturarum obtingunt, certe proprietas eius est motivum amoris. Ceterum „omittendum non est amorem erga Christum crucifixum facillime amorem esse caritatis, atque dolorem de peccatis ex eo motivo conceptum, quod mortem et acerbissimos cruciatus in Salvatorem congesserint adeoque tantum malum Dei incarnati exsistant, ad contritionem perfectam pertinere. Nam qui benevolentia erga Christum afficitur, quem

scit et cogitat esse Deum, illi nihil deest quoad speciem caritatis seu amoris perfecti; qui vero hoc amore permotus ea horret et cavere vult, quae Christi tantum sint malum, sane etiam caritatis et contritionis exercet perfectum actum. Malum enim, ut Christi malum est, detestari et fugere nequeo, nisi bonum Christi, ut Christo bonum est, mihi placeat: quod fieri non potest, nisi Christus ipse eiusque persona mihi placet. At persona Christi divina est et infinita, nec quidquam invenitur in Christo, quod ut subsistens per divinam personam et ad eam pertinens, hanc infinitudinem et divinitatem non participet vel secum non trahat. Quidquid igitur est, quod me moveat ad amorem personae Christi: si illud tamquam perfectionem Dei incarnati concipio atque ad amorem efficacem et super omnia progredior, non videtur fieri posse, quin aut directe et exclusive, aut concomitanter movear perfectione in se divina, divina infinitudine, divina excellentiâ et dignitate, divina amabilitate, paucis: motivo, quod ad virtutem caritatis Dei spectat." Lehmkuhl, Theol. mor. v. I, n. 319.

Schol. 1. Quemadmodum Deus per se non tenebatur (quod quidem Medina, Alvarez, Vasquez, Torres negarunt) actui caritatis vim ad remissionem peccatorum tribuere, ita poterat hunc eundem effectum etiam aliarum virtutum actibus alligare. Nam haec res tota ex positiva Dei dispositione pendet. Communis tamen sententia est, in revelatione soli actui caritatis vim iustificandi attribui (contra Mastrium, Disp. 5, q. 5, a. 1, n. 92: Aversam q. 3, s. 6 etc.) Quamquam eidem etiam ipsum Concilium Tridentinum favere videtur (cf. Sasse, De poen. th. 18, schol. 2), causa nondum videtur omnino finita esse. Certe De Lugo (disp. 5, s. 1), licet sententiam communem amplectatur, rationes non spernendas affert pro adversa opinione, qua et motiva virtutis religionis, poenitentiae, oboedientiae, gratitudinis erga Deum sufficere ad perfectam contritionem possint. Et opinioni quidem huic doctrina theologorum praesertim antiquiorum favet, qui motivum attritionis non nisi poenam cognoscere videntur; et in scriptura (ut Ez 18, 21. 22. 27. 28. 31. 32) et apud patres e. g. Io. Chrysost. (passim), Ephraemum (Precat. IV. ad Deum etc.) universalius motivum contritionis solius caritatis videtur indicari: et ipsa fragilitas humana crebrius et facilius remedium haud scio an efflagitet. Cf. de hac re Vasquez, q. 85, a. 2, n. 45; F. A. Blau ap. Kopp, Die kathol. Kirche im 19. Jh. 1830 S. 74 ff. S. 76; Gihr, Die h. Sacramente II., 112 f. Sententia autem, in articulo mortis sufficere quaelibet motiva ad contritionem perfectam, saltem si accedant preces ecclesiae pro defuncto (Slavorum litt. theol. III, 92—4) singularis est.

Schol. 2. Contritio non iustificat eo sensu, quod actus contritionis sit causa formalis iustificationis, (cf. Suarez, In III. p. t. 1, d. 4, s. 8: De Lugo (contra Vasquez), De poen. disp. 8, n. 98—116, 118—9, 144; (Stentrup, Soteriol. t. I., th. 14); haec est enim ipsa gratia sanctificans: sed contritio perfecta est dispositio moralis, quatenus homo facit, quantum in se est ad tollendum obicem, et causa meritoria vel satisfactoria, quatenus haec dispositio imperfecte (de congruo) satisfacit (quod Capreolus, Hosius, Ledesma et maxime Medina impugnarunt). „Perfectum autem meritum vel satisfactio de condigno [quod ei tribuebant Caietanus, Paludanus, Soto], non potest illi attribui respectu remissionis peccati, quidquid aliqui moderni dixerint: tum quia alias non fieret gratis remissio, tum etiam, quia tale meritum vel satisfactio

supponit iam remissum peccatum." Suarez, De poen. disp. 8, s. 3, n. 15.

Schol. 3. Obligatio contritionem perfectam eliciendi in peccati mortalis reo nonnumquam adest per se, scilicet in evidenti aut probabili mortis vel amentiae continuae periculo, ubi claves adiri non possunt. Cf. Wietrowski, De poen. concl. 14, c. 3, § 4. Per accidens (i. e. ut aliud praeceptum debite impleri possit) necessaria est contritio perfecta, si minister consecratus exsistens in mortali administrare et conficere debeat sacramentum, nec adsit copia confessarii, vel si quis reus peccati mortalis suscipere debeat sacramentum vivorum et confiteri non possit aut nolit, vel si quis in statu peccati mortalis graves tentationes patiatur, quas existimat superare se non posse, nisi conversus ad Deum maiora auxilia gratiae obtineat. Haec quidem ab omnibus conceduntur.

At quaestio est, num obligetur is, qui grave peccatum commisit, ut quam primum conteratur. Asserere hanc obligationem ipse s. Thomas videtur, In l. 4. dist. 17, q. 3, a. 1, s. IV. (Supplem. q. 6, a. 5): „Respondeo dicendum, quod cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur; sc. quando peccata memoriae occurrunt, cum praecipue in periculo mortis exsistit aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere." Cf. II. II., q. 62, a. 8. Similiter Bonaventura loquitur, In l. 4, d. 17, q. 3. Certe hanc opinionem tenuerunt Guilelmus Par., Thomas de Argentina, Antoninus, Caietanus, Petrus Soto, Io. Maior, Cardenas, Amort (saltem sub veniali), alii. Quae sententia ita potest suaderi: Tenemur sane attingere finem nostrum ultimum, ad quem unicum medium est: manere in gratia Dei; obligatio, quae habetur ad hoc medium, laeditur quovis gravi peccato, sed propterea non desinit, mutatur tantum in obligationem recuperandi eam; iam haec obligatio natura sua est potius obligatio ad id, ut non simus in statu peccati seu inimicitiae divinae ideoque negativa et obligans semper, quando peccata memoriae occurrunt. Et potest confirmari: Si liceret manere in statu inimicitiae cum Deo, etiam liceret hunc statum positive velle. Sed hoc certe est peccatum.

Praeterea pessime profecto sibi consulit, qui se exponit periculo tum iacturae temporis, quatenus nec in via salutis progredi possit nec quicquam lucri ex operibus suis possit percipere, quod aeternae vitae condignum sit (cf. 1 Cor. 13, 2. 3), tum proruendi e peccato in peccatum (cf. Thom. Aq. I. II., q. 109, a. 4), tum et aeternae damnationis: omnibus quidem dictum est: ‚vigilate': at peccatori praecipue dictum videtur: ‚Qua hora non putatis veniam'. Cf. Gregor. M., Hom. 12 in evang.; Hilar., In Mt. c. 24; Hieron., In Mich. c. 6. Nec iuvat opponere providentiam divinam: nam experientia est contraria, „nihilque verius, quam quod a crepundiis audivimus, gerere viperam in sinu, qui corde peccatum gerit. Unde Eccli 21: Tamquam a facie colubri fuge peccatum." Cf. Mt 24, 41; 25, 13; Mc 13, 35; Lc 12, 39 s.; 21, 34; sed omnia, quae in scriptura proponuntur sub comminatione aeternae damnationis, posita sunt sub rigoroso praecepto, ut docet Suarez, De fide, d. 1, s. 1, n. 2. Et sane ille, qui subito moritur

imparatus et aeternam damnationem incurrit, dignissimus est vituperio et reprehensione eo, quod non se praeparavit tempestive reducens se ad statum iustificationis. Ergo peccavit in eo, quod se non praeparavit. Quod ulterius explicat Cardenas, Crisis theol. diss. 6, c. 3, a. 3, n. 77. Et confirmatur: Datur obligatio statim sublevandi proximum laborantem extrema paupertate, peste, aut captivatum a piratis, quamprimum id fieri potest. Ergo idem faciendum circa animam spoliatam gratia, infectam peste peccati et captivatam a daemone.

Nec argumenta adversariorum quidquam valere videntur. Dicunt enim

a) Si praeceptum contritionis obligaret statim, ut post peccatum impleri moraliter potest, peccaret homo, quoties illud negligeret: centies proinde in hora, si centies in memoriam redeat peccatum. Atqui haec sunt nimis dura et contra sensum fidelium, qui de iis peccatis non se accusant, nec de iis a confessariis interrogantur. Cf. Suarez, De poen. disp. 15, s. 5, n. 3.

b) Si talis obligatio haberetur, sequeretur, ut claves adiri non possint nisi a iustificatis. Cf. De Lugo, De poen. disp. 7, n. 201.

Ad *a*) facile respondetur. Nam „huius difficultatis solutionem praestolamur ab adversariis. Ii nempe fatentur 1⁰ hominem in probabili mortis periculo, prohinc ab initio periculosae navigationis teneri ad contritionem; 2⁰ id quoque indulgenter concedunt, eum qui ad quattuor vel quinque menses contritionem differt, novi tandem peccati reum fieri. Dicant ergo, quot admittat peccata, qui per longum procellosae navigationis tempus, ne semel quidem ingemuit, quod Dei hostis esset, etsi quotidie praesentem sibi intentarent omnia mortem. Dicant, quoties peccata geminet, qui funestum attigit tempus, quo tandem urgere incipit serii doloris praeceptum. Quod responsum dabunt, id a nobis datum putent.“ Collet, De poen. p. 2, c. 4, n. 296.

Ad *b*) dicendum videtur sequelam hanc tunc esse futuram, cum omnes obligationes hominibus semper innotescent et ab eis semper implebuntur.

Sed sententia adversariorum (inter quos sunt Durandus, Medina, Adrianus, Soto, Cano, Suarez), nobis tuenda videtur ideo esse, quia illa obligationem contritionis statim post peccatum eliciendae imponens non sufficienter probatur.

Nam ad argumentum primum dicendum videtur esse: ad manendum in gratia divina non praecise ideo obligamur, ut salus nostra sit secura, sed ideo quia excidere ex ea non possumus nisi peccato. Obligatio autem recuperandi eam est obligatio ad id, ut non simus in statu peccati permanenter eumve manere velimus, sed non ad id, ut ne ad breve quidem tempus in eo simus eumve permittamus manere. Non est igitur negativa obligatio, sed positiva, faciendi ea, quibus finis ultimus possit obtineri. Cf. Suarez, disp. 15, s. 5, n. 4; Becanus, De sacr. c. 35, q. 7, n. 5 ss. „Ex illa porro poenitentiae omissione ad aliquod tempus non sequitur, quod homo contemnat Dei amicitiam virtualiter aut interpretative: quia amicitia Dei perdita non censetur contemni ex eo, quod aliquo tempore non quaeritur, nisi adsit obligatio pro tempore

eam quaerendi, modo alias possit recuperari. — Ex dictis videtur sequi licere peccatori nolle poenitere pro aliquo tempore, cum videatur ei licitum nolle facere, quod non tenetur facere. Inde tamen non sequitur, quod peccatori liceat velle perseverare in statu peccati mortalis et inimicitiae Dei: hoc enim esset positive et formaliter velle aliquid per se et intrinsece malum, nempe esse obiectum divini odii ac proinde esset velle ipsam malitiam; quod non contingit in priore casu, cum non poenitere non sit intrinsece malum, sed solum per accidens ratione praecepti, quando hic et nunc urget. Unde cum non urget, nullam involvit malitiam. Neque enim in peccatore non poenitere est formaliter in peccato perseverare, sed solum consecutive. Unde peccator, qui vult hic et nunc non poenitere, non propterea vult perseverantiam inimicitiae Dei: etsi enim is, qui vult antecedens, velit etiam consequens saltem interpretative aut virtualiter, quando consequens per se connexum est cum antecedente, non tamen, quando solum per accidens connexum est, nisi aliunde sit obligatio vitandi illud antecedens. Quorum neutrum in nostro casu reperitur; nam neque perseverantia amicitiae Dei per se connexa est cum negatione poenitentiae, sed solum per accidens, ex suppositione peccati ante commissi, decreti divini de peccato sine poenitentia non remittendo." Platelius, Synopsis p. V., n. 620—2.

In secundo argumento non probatur tantam diligentiam adhiberi oportere ad salutem consequendam, ut etiam remotum periculum evitetur; et sane consequenter dicendum foret quemvis hominem securissimum statum debere eligere: Cf. De Lugo, De poen. disp. 7, s. 11, n. 228. Et quoad confirmationem neganda est paritas. Cf. Wietrowski, De poen. concl. 14, c. 2, § 4; Gonet, Clip. theol. t. 5, disp. 7, n. 109 ss.

Ceterum mira esset institutio clavium, si proprius eius finis non posset sine peccato saltem materiali attingi. — Item mirum esset praeceptum ecclesiae, ut fideles — non statim post peccatum commissum, sed — semel in anno claves adeant. Cf. M. Linek S. J., Commentationes theol. de poenit. p. I, c. 4, prop. 6, pr. 3°.

Eodem modo reicienda est sententia de obligatione ad displicentiam saltem imperfectam de peccato, quoties menti occurrit, quam statuit v. g. Pallavicini. Argumentum enim, quo probatur, infirmum est. Dicunt enim: Qui non elicit attritionem de peccato cum proposito tendendi ad veram conversionem, censetur approbare statum peccati. Nam cum sentit monitionem Dei de conversione et negligit concipere displicentiam de peccato, positive approbat peccatum, quia illa monitio Dei exigit declarationem positivam, nec sinit hominem esse neutralem, ut patet ex Lc 11, 23: Qui non est mecum, contra me est. — Sed talis monitio non est censenda nisi consilium: nec verba Lc 11, 23 etiam ad hoc applicari possunt.

Quod vero s. Thomas dicit (S. th. p. III. q. 84, a. 8) poenitentiam debere durare usque ad finem vitae, semper enim debere homini displicere, quod peccaverit, intelligit de poenitentia conservanda negative, h. e. de numquam concipienda complacentia peccati sui.

„Non est autem, cum talia modo diximus, ut quis propterea existimet, a nobis perniciosam sustineri poenitentiae procrastinationem: equidem longe aliud est, quem non e vestigio criminis commissi poenitet, novo peccato minime contaminari, dum omnis prorsus ad peccatum adfectus exulat: et aliud poenitentiam ad vitae exitum, annos, vel tempus aliud omnino longius traducere. Primum scholastice sustinemus, alterum vero damnamus, cum in eiusmodi animi determinatione, qua ad longius tempus poenitentia differtur, vixdum quidam abesse possit contemptus divinae reconciliationis, ipsumve sensim adfluat in alia etiam graviora, quin et finalem impoenitentiam prolabendi periculum." Linek. Com. th. de poen. p. I, c. 4, prop. 6, adnot. *Ad. Špaldák.*

EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

Jos. Kern S. I., **De sacramento extremae unctionis tractatus dogmaticus**. Ratisbonae 1907. Pag. 396, pret. 4 K.

Inter omnes libros theologicos, qui hoc anno editi sunt, hunc viri doctissimi et sagacissimi, pro dolor hoc eodem anno 21./IX. Oeniponte subitanea morte e hac vita erepti, plurimi aestimare non dubito. Ad persuadendum nobis de eius praestantia tempore nostro investigationum in theologia dogmatica minime fecundo satis est librum hunc inspicere, etsi non cum libris aliis eandem rem tractantibus comparetur. Cum in eodem multa exponantur, quae ad controversas inter orientales et occidentales theologos quaestiones spectant, sententias eius lectoribus nostris uberius aperiendas esse visum est.

Veritate sacramenti unctionis infirmorum doctissime et copiosissime demonstrata (p. 1—80), *K.* agit de fine huius sacramenti (p. 81—114). Quem statuit esse perfectam sanitatem animae cum immediato eius introitu in gloriam, nisi restitutio salutis corporalis hominis naturaliter morituri magis expediat (p. 82). Quam sententiam apparet ab eis probari non posse, qui negant patere defunctis, quibus nihil luendum sit, caelum (exceptis martyribus), aliis autem purgatorium instare. Argumenta igitur utrumque simul efficiant necesse est. Non tamen eadem firmitate eademve claritate omnia, quae afferuntur, animos percellunt. E concilio Tridentino (102—5) e scholasticis (89—98) certa sumuntur argumenta ita, ut mirum sit doctrinam a tot priscis scholasticis expositam oblivioni dari potuisse, etsi huius rei aliquae rationes afferri queant (105—8); ex aliis testimoniis Latinis s. Egberti Ebor. verba certe clara sunt (M. 89, 416), alia tamen ex occidentali ecclesia allata (p. 87—8) postponenda videntur. E Graecis auctoribus Manuel Calecas rem clarissime testatur (»ut sc. nihil in eo residuum sit, quominus excedens futuram gloriam consequi impediatur« M. 152, 607); purgatorium ad eos non pertinere, qui hoc sacramento opportune usi sunt, etiam Ordo lampadis Alexandrinus (ap. Denzinger, Rit. Orient., t. II., p. 500 s.) bene exprimit, etsi proximam visionem non eadem claritate testetur. Cum baptismi effectu perfecta remissio peccatorum unctione obtinenda comparatur etiam in »Officio s. Olei« ecclesiae ritus Graeci (Goar, Euchol. p. 337 s.).

Cum igitur finis (operis) huius sacramenti in se spectati sit praeparatio ad possibilitatem immediati introitus in gloriam, necessario etiam effectus, ad quem essentia sua est destinatum, eadem praeparatio est, eadem plenaria innocentia restituta, quam Scotus dicit effectum totalem (p. 95). Sanitas cum hoc effectu aliter connexa non est, nisi quatenus sublata omni criminis ratione morbus cessat, si corporalis infirmitas est poena peccati (p. 82. 214).

M. Arhangel'skij (Izslědovanie ob istoričeskom razvitii činosoveršenija Eleosvjaščenija Spb. 1895, p. 4), A. Běljaev (in Pravosl. Bogosl. Enciklopedija, t. V., c. 406) alii contra Latinos tenendum esse docent, sacramentum unctionis infirmorum non esse praeparationem ad transitum e vita iuvandum, verum institutum ad sanandos infirmos. Qua ratione non oppugnant veram ecclesiae catholicae doctrinam sed abusum unctionem in solis moribundis adhibendi, quem cum doctrina de fine connexum esse putant.

Sententia theologorum orientalium a *K.* praecipue eis refutatur, quae de modo dicit, quo sanitas hoc mysterio s. olei — per redundantiam spiritualis confortationis in corpus — producatur (p. 194—215). »Cum enim alleviatio et reconvalescentia corporis oriatur ex redundantia sanationis spiritualis in partem inferiorem, illa nequit dici primo et per se induci, quin simul affirmetur, dona spiritualia maxime pretiosa, quibus anima praeparatur ad immediatum introitum gloriae, tribui mere ut media ad bonum in se ordinis toto genere inferioris« (p. 227). Haec enim sententia de efficienda unctione sanitate, ut alia omittamus, evitat omnia incommoda aliarum. »Amovet praesertim intolerabilem opinionem, sanctos omnes, qui consecrato oleo inuncti diem supremum obierunt, aut perituros aut de excelso suo statu lapsuros fuisse, si convaluissent; vicissim remedio divino sanatos omnes esse praedestinatos vel ad minimum per longius tempus in virtute progressuros... Amovet deinde haec doctrina opinionem, Unctionem infirmorum habere effectum pendentem pure a libero decreto Dei, ita ut ob rationes subiecto externas saepe impediatur« (p. 211).

Praeterea in Orientalium sententia euchelaeon confert gratiam sanctificantem directe qua sanativam. Quomodo ergo simul effectus spirituales secum fert? (p. 228).

Tandem fructus, ad quos sacramenta primario et per se ideoque essentia sua diriguntur, semper producuntur, nisi id subiectum impediat. »Sed restitutio sanitatis saepissime aegrotis sub omni respectu optime dispositis non contingit, cum tamen omnibus, non solum graviter decumbentibus, sed etiam caecis, claudis et quovis defectu corporis laborantibus perfecta sanitas deberet reddi, si euchelaeon essentialiter ad eam ut finem proximum esset destinatum« (p. 228).

Optime notat *K.* Macarium suis verbis probare restaurationem sanitatis esse effectum condicionatum tantum, neque posse esse fructum, ad quem sacramentum primo et per se ordinetur (p. 228). Explicatione vero episcopi Stephani (Tainstva i obrjady pravoslavnoj cerkvi. Ḩar'kov. 1904. P. 22 s.), qui duplicem distinguit morbum et duplicem sanationem: perceptibilem et imperceptibilem et omnes digne sacramentum suscipientes ab alterutro morbo liberari docet, ostendit deseri id, quod illustrari ea Stephanus cupiebat (p. 230). Nam illae maculae et vulnera corporis, quae ex peccato oriri et unctione curari dicuntur, nihil aliud sunt nisi id, quod nostri theologi vocant reliquias peccatorum in parte hominis inferiore. Ceterum Iacobum apostolum non loqui de morbo vel occulto vel aperto manifestum est (p. 292).

Praeparatio illa ad introitum in gloriam nonnullas rationes complectitur, quae effectus particulares dici possunt. Qui sunt: 1. remissio peccatorum mortalium: si infirmus peccati mortalis reus per impotentiam vel ignorantiam ab obligatione confitendi vel eliciendi actum contritionis perfectae excusatur, per extremam unctionom iustificatur, dummodo saltem habitualiter sit attritus (p. 176); etiam ad hunc effectum producendum esse hoc sacramentum institutum omnino tenendum est (p. 183). — 2. remissio peccatorum venialium (p. 186—8). — 3. remissio poenarum temporalium: »qui plenum fructum nanciscuntur, plenam poenarnm relaxationem consequuntur p. 190. — 4. confortatio animae aegroti.

Inter hos effectus particulares principalem (i. e. illum, ad quem s. unctio essentia sua est destinata et ratione cuius omnes alii fructus

conferuntur) *K*. — supposita doctrina, huius sacramenti omnes et solos eos, qui graviter aegrotos se sentiunt esse capaces (p. 236—8) — ponit »confortationem animi hominis infirmi, qua roboretur contra pericula debilitatis spiritualis, quae gravem morbum consequitur« (p. 227). Qui effectus solum per accidens in eis, qui usum rationis actu non habent, impeditur (p. 312—3).

Quaerens de materia sacramenti unctionis infirmorum *K* oleum non posse a sacerdote nisi potestate ab episcopo delegata valide consecrari contra theologos orientales (Arḫangel'skij l. c. 130) probat ex traditione (M. P. L. 20, 559 ss.; 67, 240; 56, 517; 84, 644; 88, 913; Harduin IV., 1040; 1395) et ex Tridentino (p. 122—4). Unctionem quinque sensuum non esse a Christo institutam, quod a multis occidentalibus statutum, a multis orientalibus exprobratum est, clare ostendit p. 133—141. Cuius rei historia etiam uberius exponi poterat (cf. Arḫangel'skij l. c. p. 137—9).

Cum de ministro huius sacramenti agitur, quaestio de numero presbyterorum administrantium tractatur. Nonnullos theologos orientales — auctoritate ni fallor Simeonis Thessalonicensis, qui unum presbyterum euchelaeon conficere vetat, ductos — putare pluribus quam uno ministro opus esse saltem — cf. aep. Ignatij, O tainstvaḫ edinoj svjatoj, sobornoj i apostolskoj cerkvi[2] Spb. 1863. P. 274 — extra casum necessitatis, notum est; quamquam usus, qui nunc est in Russia (cf. Arḫangel'skij l. c. p. 47 s.) ab usu Romano non multum discrepat. *K.* ostendit locum s. Iacobi interpretandum esse de vocandis presbyteris, quos aegroti in propria ecclesia habent: vel solum episcopum vel tantum unicum presbyterum [potestate tamen ab episcopo delegata — p. 122] vel episcopum cum presbyteris (p. 256); unde sequitur ecclesiam pro diversitate temporum et locorum diversum numerum ministrorum posse definire. Idem probat ex traditione; ex oriente affert id quod narratur de s. Hypatio (Bolland., Acta SS. 17. Iun. p. 251; cf. similem rem ibid. 14. Mart. p. 348); praeterea allegat Cassiodorum (M. 70, 1380), Isaac Antiochenum (Bickell, S. Is. Ant. Opera omn. p. I., p. 187 s.), veterem usum in Russia similem fuisse ipse Arḫangel'skij (l. c. p. 108) confirmat testimonio saeculi XI. (1062—74).

P. 338—363 probatur repeti sacramentum, cum a compluribus ministris (alio post alium, non simul) totum administratur. Unde conclusionem Arḫangelskii (l. c. p. 156) ecclesiae plures unctiones praecipienti persuasum esse unam non sufficere ad gratiam producendam, falsam esse cognoscitur, etsi verum est unicam unctionem non esse efficacem nisi ceterae fieri omnino non possint (ibid. 157), quod *K.* optime explicat p. 327. Propterea a *K.* statuitur etiam unctionem infirmorum in eadem infirmitate etiam manente eodem mortis periculo valide (p. 338—358), et si morbus diuturnus sit, etiam licite secundum legem ecclesiae Romanae conferri posse (p. 358—362). Comparatam cum lege ritualis de iteratione unctionis legem ecclesiasticam communionem eodem die repeti vetantem (p. 362) frustra in decretis quaesivi.

Deinde tractatur quaestio, quae iam antea in Slavorum litt theol. III, 63—8 exposita est, de valore unctionis infirmis a sacerdotibus ecclesiae orthodoxae administratae.

Quod subiectum sacramenti unctionis infirmorum attinet, contra nonnullos orientales theologos statuitur: »Etsi theologi orientales recte vituperant consuetudinem intra ecclesiam Latinam valde diffusam non administrandi s. unctionem nisi in gravi periculo mortis proxime instantis, vehementer tamen errant, cum ecclesiae ipsi attribuant doctrinam, extremam unctionem tantum morientibus esse concedendam« (p. 300). Nam illud, quod post Simeonem Thessal. (M. 155, 518 s.) repetunt Ignatij (l. c p. 279 s.), Běljaev (l. c. 406), Makarij (Prav. dogm. bogosl.[5] § 231), Arḫangelskij (l. c. 76—9), Mesoloras (Ἐγχειρίδιον p. 219), Chrestos Andrutsos (Δοκίμ. συμβ. p. 336) ecclesiam

occidentalem s. unctionem non administrare nisi morientibus, ex abusibus (cf. Innokentij, Obličitel'noe Bogosl. II., 378) concluditur, non ex decretis conciliorum aut ex approbatis catechismis. Differentia tamen est in doctrina de fine huius unctionis, quam iam notavimus, et de periculo (vel timore) mortis sitne necessarium in subiecto necne.

P. 297—300 *K*. nonnulla particularia determinat. Inter alia docet Si morbus videatur gravis et periculosus esse, revera autem nullum adsit discrimen vitae, certe valide et licite ministratur sacramentum; si vicissim infirmus graviter affligitur per morbum, qui natura sua est quidem periculosus, sed nondum videtur secum ferre discrimen vitae, pariter valide et licite praebetur s. unctio. Si morbus secum ducat periculum certum mortis, sed remotae, valide datur sacramentum (phthisi v. g. laborantibus). Si morbus leviter tantum affligit aegrotum, coniungitur autem cum periculo mortis instantis, et valide et licite sacramentum praebetur. Ibi contra Arhangel'skij (l. c., p. 89) defendit etiam iis, qui prae senio sine alia infirmitate deficiunt et in diem morituri videntur, sacramentum esse praebendum. Negat enim senem talem non esse graviter aegrotum; cum ille opponat, medicos sanare morbos non senium, *K*. respondet hinc solum sequi, senium non includere merum periculum mortis, sed eius certitudinem; quam esse impedimentnm praebendi euchelaeon, nec Arhangel'skij affirmaverit. Etiam argumentum eius ex usu precationum senio deficientibus non convenientium probaret id sacramentum negandum esse omnibus, qui naturali modo mortem propinquam effugere non possunt.

Contra Graecam consuetudinem ac doctrinam — quacum et Russos discrepare statuit excepto ep. Stephano (l. c. p. 18 ss.) *K*. tenet sanis unctionem s. administrari non posse. Quod Russos attinet, notandum est, allegatos theologos (Ignatij l. c 265, Makarij l. c. p, 470 s., Mal'cev, Die Sacramente p. 451) non negare expresse valorem unctionis sanis administratae, Arhangelskij non solum valorem affirmare (l. c. p. 94), sed etiam mente aegris eam concedere (p. 69) cum Simeone Thessalonicensi (ἀρρωστία σώματος ἢ καὶ ψυχῆς μόνον), denique alios Russos eam etiam eis, qui ex capite laborant, permittere (Nov. Skriž. IV., 69 ap. Arh.). — *K*. docet, auctoritate s. scripturae, perenni traditione et ratione theologica constare, solum gravi morbo laborantes esse capaces extremae unctionis (p. 290). Fatetur quidem usitatum argumentum e vocabulo ἀσθενεῖ ductum omnino debile esse, sed e verborum contextu probat s. Iacobum excludere a sacramento eos, qui graviter infirmi sunt. Tamen, cum s. Iacobus de sacramenti natura non agat ex professo, sed de usu eius in aegrotis, hoc argumento non videtur omne dubium excludi (cf. Museum. Brno 1905, 31). Traditionis testimonia, a catholicis hic pluris habenda, satis parce afferuntur. Usus Coptorum et Iacobitarum, de quo cf. Katanskij, Očerk istorii obrjadovoj storony tainstva eleosvjaščenija in Hrist. Čtenie 1880 II, p. 118; Petrov, Vost. hristian. obščestva Spb. 1869, p. 34, non hic, sed alibi tantum tangitur (in nota p. 135), neque ea, quae ad vetustatem usus sanos (paenitentes) ungendi »oleo infirmorum« (vet. versio Arab. can. Nicaen. etc.) ad consummandam paenitentiam et reliquias peccatorum tollendas afferri solent (cf. Slav. l. th. I., 8—9) nisi in genere (quoad Graecos) auctoritate Goarii refelluntur, neque illud, quod Graeci Latinis obiciebant de unctione paenitentium oleo infirmorum ad effectum baptismi obtinendum explicatur (cf. Hergenröther, Monumenta Graeca ad Photium eiusque historiam pertinentia. Ratisb. 1869, p. 62—71; Sl l. th. I., 164), solum secundum Arhangel'skij usum sollemnis unctionis feria V. in cena Domini (de quo cf. etiam A. Uspenskij, Obščee eleopom. v vel. četv. i sub. in Mosk. Cerk. Vědomosti 1904 (36) N. 12, p. 153—7) negatur ante saeculum XVI. fuisse eumque ex usu non sacramentali s. olei ortum esse conicitur et generatim contra Juénin negatur (p. 296) praxim sanos ungendi apud Graecos antiquitus fuisse. Ad rationem adversariorum ex

eo ductam, in vulgari Latinorum sententia nihil determinati statui, unde valor pendere dicendus sit, *K.* indirecte respondet pendere non a morbi natura sed a sensu infirmi (p. 298); etsi ita nonnumquam leviter quoque aegroti, immo hypochondrici subiecta capacia unctionis infirmormorum evadant, condicio valoris satis determinata est nec cum determinato gradu rei plus et minus admittentis — nobis utique occulto — coniuncta. — De unctione olim mortuis administrata (cuius ritus invenitur e. g. in Trebnik Moscoviensis bibliothecae synodalis N. 374, saec. XV.) *K.* non agit.

Usum rationis esse necessarium (p. 307—312), item intentionem (p. 316—320), ut s. unctio administrari possit *K.* tenet cum Arhangel'skij (l. c. 98—107); sed secundum huius temporis consuetudinem in ecclesia vigentem, quae etiam in Trebnik Petri Mogilae approbatur, dicit sufficere usum rationis aliquando habitum et intentionem habitualem implicitam (313—6, 182) — contra eundem Arhangel'skij et alios recentiores theologos negantes dormientibus vel mentis non compotibus unctionem posse prodesse, item contra antiquam consuetudinem occidentalis quoque ecclesiae. Ratio eius est, quod cum sacramenta agant ex opere operato, quod in baptismo infantium sane manifestum est — omnia adsunt, ut uncti torpentes possint percipere ius ad supernaturalia auxilia et cum eo omnia bona, quae cum ipso immediate connectuntur: remissionem peccatorum, quorum necessaria detestatio praecessit, condonationem poenae temporalis pro habituali dispositione. Quod hic et nunc robur acceptum [in sententia eorum, qui remissionem venialium solum mediate effici docent ut Alex. Halensis et Bonaventura, neque hanc] possunt actu exercere, quia debilitatio mentis excessit gradum, qui relinquit facultatem exercendi actus humanos, per accidens est (p. 312—3).

Praeter haec multa alia quoque praeclare exposita sunt, quae tamen ad nos minus pertinent. Claritas in exponendo, subtilitas in inquirendo, accuratio in concludendo, eruditio in adornando libri virtutes sunt praecipuae. Omnino verum dixit L. Maupréaux de hoc libro in Revue Augustinienne 1907 p. 763. »La théologie de l'Extrême-Onction n'a pas été soumise à épreuve plus sérieuse, à critique plus impatiente et plus organisée«.

Ad excellentiam eiusdem libri augendam certe etiam id confert, quod in eo theologiae orientalis aequa ratio habetur, quod raro hucusque evenit.

Conspectum librorum adhibitorum desideravimus, praesertim cum saepius allegentur auctores titulo libri contracto. Non repperimus nominatos libros Ben. de Gaetanis, Rossignoli, Glaser, Schmitz, Contareni, Hurtadi, Herminier, Petri a s. Iosepho etc. Sententia Ant. Hiquaei (In Scoti l. 4, d. 23. Paris. 1894, t. XIX., p. 23 ss.) de principali effectu extremae unctionis commemorari apte potuit.

Typographus satis emendate rem edidit; tantum mira constantia in litteris maioribus diversis typis i et j descripsit, in minutis signum unum (i) adhibuit.

Studium huius libri quam maxime commendamus non minus theologis orientalibus quam occidentalibus. *Ad. Špaldák.*

Plac. de Meester, O. S. B., **Etudes sur la Théologie orthodoxe:** II. La théologie proprement dite. 1. Dieu, un dans son essence. 2. Le dogme de la s. Trinité. 3. Le Filioque. 4. Différences entre Grecs et Latins. Conclusion. Extrait de la Revue Bénédictine t. XXII. (1906) pp. 45—62, 232—240; t. XXIII. (1907) pp. 86—103.

Quibus Graeci a Latinis differant in tractatibus de Deo uno et trino, praesertim in quaestione illa celeberrima de Filioque, auctor cl. methodo positiva, non tam redarguendo et convincendo quam differentias proponendo, clare, perspicue et ample simul ac breviter scribit.

Theologi in libris manualibus plerumque primo de theologia simplici (θεολογία ἁπλῆ) i. e. Deo uno (essentia), trino creatore et conservatore mundi tractant, dein theologiam salutis (θεολογία οἰκονομική) seu de mysterio redemptionis proponunt. (Opyt pravoslavnago dogmatičeskago bogoslovija, auctore episcopo Sil'vestr 2. vol. 3. ed. 1892. Théologie orthodoxe, II. p. 30, Macarii. Ὁμολογία Κριτοπούλου, I. p. 187 editore Michalcescu. Photius, III., p. 481 auctore Hergenröther.)

1. De Deo uno in essentia sua. Nullus intellectus creatus potest comprehendere essentiam Divinam, cum nulla sit comparatio inter esse creatum et increatum. (Petrus Mogilas, I. part. 8. quaest. Michalcescu, p. 31). Tamen aliquam cognitionem ex duplici fonte, ratione ac revelatione, omnes admittunt. — Dein existentia Dei probatur. Sed non adaequant profunditatem ac certudinem scholae (cf. Georgiades, Πραγματεία περὶ τῆς ὑπάρξεως τοῦ Θεοῦ ἐν γένει Athenis.) Inprimis argumentum teleologicum magni faciunt. (Akvilonov, O fisiko-teleologičeskom dokazatelstvě bytija Božija. St. Peterb. 1905). Sunt quoque, qui argumentum ontologicum multum tractent. Zikos Rossis (in dogmat. sua p. 176) propter transitum ab ordine ideali ad ontologicum (exsistentiae) illud reicit. Conferunt argumentum s. Anselmi cum ideis Descartes, Spinoza, Kant et Fichte. Minus quaestionem de conceptu essentiae div. curant. Ipse Makarij „vanas et inutiles disputationes scholasticas“ hac de re vituperat. De attributis divinis copiosius tractant. Makarij attributa dividit: 1. quae spectant essentiam divinam generatim i. e. esse, intelligere et velle simul. 2. quae spectant tantummodo intellectum div. 3. quae ad solam voluntatem div. pertinent (op. cit. II., p. 128; similiter Sil'vestr op. cit. §§ 58—62. Uterque auctor recte docet, ipsa attributa non realiter distingui ab essentia divina, sed in ea solum fundamentum distinctionis, quam nostri conceptus exhibent, inveniri. Hesychastae, ut ostendit Gregorius Palamas, falso statuerunt, attributa divina ab ipsa essentia div. et inter se distingui eaque esse inferioris ordinis (Uspenskij, Očerki po istorii vizantijskoj obrazovannosti. Petropoli, 1891, pp. 246—365; Stein, Studien über die Hesychasten des 14. Jahrh. Viennae, 1873 etc.). — Si confers utramque theodiceam, Latinam cum Graeca, magnum apparet discrimen, non tam quoad conclusiones, quae in rebus fidei sunt eaedem, sed in methodo. Scholastica, innixa philosophia Aristotelica, culmen speculationis ascendit (esse contingens, actus purus etc.); ab hac sublimitate et claritate longe distat theodicea Graeca, fere unice Patribus contenta.

2. De dogmate ss. Trinitatis: Etiam in huius materiae tractatione desideratur pars speculativa, abundat positiva. Multum inculcatur et praetenditur quam inaccessibile sit hoc mysterium intellectui humano praesertim in quaestionibus iis, quae agunt de modo generationis vel processionis, quo personae divinae ab invicem differunt, ubi Latini Graecos maxime convincunt (Macarius, p. 311; Hergenröther, Photius, p. 391; Confessio Petri Mogilae, t. I., 12; [Michalcescu, p. 33] Rossis, p. 248. 249; cf. libros dogmaticos supra citatos). Quod partem positivam i. e. patristicam attinet, Graeci magnum thesaurum possident. Nec mirum, cum haereses contra Trinitatem in Oriente primis saeculis exortae et ibi refutatae sint. Sed carent methodo quadam systematica neque modum, quo hoc mysterium a Latinis concipitur, cum suo thesauro conferunt (Régnon, Études de theologie positive sur la Sainte Trinité, 4 vol. Paris). In libris theologicis etiam amplissimis tractatus ss. Trinitatis ad 3 quaestiones reducitur: 1. De Trinitate personarum in unitate essentiae. 2. Aequalitas et consubstantialitas personarum 3. Differentiae personarum iuxta characteres individuales (Macarius, p. 197). Contemplando mundum creatum atque studendo nostrae naturae, aliquam partem veli ab hoc mysterio retrahere possumus nec non per analogiam ad aliquam cognitionem mysterii pervenire (Sil'vestr, II., § 146—149, pp. 600—619). Quae sunt fixa de unitate substantiae (ὁμοουσία) in tribus subsistentiâ propriâ (προσωπική ὑπόστασις) distinctis personis (ἴδιον πρόσωπον) et vera, horum meritum est imprimis penes s. Athanasium et magnos Cappadoces (Holl, Amphilochius v. Ikonium in seinem Verhältnis zu den großen Kappodociern, Tübingen 1905 etc.) Quaestiones de perichoresi et de missione non nisi secundarium occupant locum.

3. De celeberrimo illo „Filioque". Paucae sunt quaestiones, advertit auctor cl., inter theologos controversae, quae tantam atramenti copiam consumpserint, ac tantopere spiritus exagitaverint, quam quae est de processione personarum in ss. Trinitate. — In historia huius controversiae tres periodos licet distinguere. Prima, quasi stadium incubationis, pauca solum servavit indicia dissensionis Orientis, velut testimonium s. Maxentii de quibusdam Constantinopolitanis scandalizatis de Filioque (Migne, P. G. CXI., 134—135; Hergenröther, Photius, I. p. 691; Macarius, Théol. Orthodoxe, II., p. 397, n. 2); dein anno 767 vituperaverunt legati Constantini Copronymi in concilio in Gentiliaco habito „Filioque" in Symbolum missae cantatae insertum. Similiter anno 808 Hierosolymis Latini propter Filioque reprehensi sunt. Sed oppositio generalis ecclesiae Graecae contra Latinam hoc tempore demonstrari non potest. Honorem hunc tristem, errorem illum tanquam doctrinam ecclesiae communem statuisse, Photius patriacha promeruit. Coepit is controversiam, cum inde nancisceretur praetextum optatum, missionarios Romanos ex Bulgaria expellendi, et scripsit famosas litteras encyclicas ad episcopos Orientales (M. P. G. CII., c. 726 ss.). Accessit opus eius de Spiritu sancto, primum anno 1857 a Card. Hergenröther editum, potissimum Graecorum armamentarium. (Cf. Ehrhard, in Geschichte der byzant. Litteratur[2], p. 76). Quo factum est, ut a Latinis, praesertim a Ratramno, in synodo Wormatiensi, in concilio Barensi a s. Anselmo doctrina catholica probaretur magisque evolveretur, donec in IV. concilio Lateranensi, 1215, definita est. S. Thomas iussu Urbani IV. scripsit: „Contra errores Graecorum". Cum etiam hac secunda periodo Caesares plures Byzantini unioni faverent, conciliis Lugdunensi (1274) et Florentino (1438—1439) haec unio effecta est. Formula doctrinalis Filioque adoptata est absque obligatione, eam symbolo inserendi. Sed Marcus Ephesinus recusavit, quominus se subiceret coepitque denuo contra Filioque pugnare. Tertia periodus continuam oppugnationem Latinos inter et Graecos ostendit (Ph. Meyer, Die theol. Litteratur der griechischen Kirche im XIV. Jahr. Leipzig, 1899. Einleitung, p. 7 sq.). —

Si spectas scripta ad controversiam pertinentia, invenies recentiores ad Photii eiusque discipulorum lucubrationes non multum addidisse. Traditionem primorum saeculorum ad litteram, non secundum sensum interpretabantur (Macarius, p. 415. 421; Eug. Bulgaris, pp. 293-306; Sil'vestr, pp. 489—600; Franzelin, Examen doctrinae Macarii Bulgakov et Jos. Langen, Romae 1876. A. Lépicier, De Sp. s. Proc. a Filio, Romae 1898; Tractatus de SS. Trinitate, Paris,, p. 251 sq. D. L. Janssens, Summa Theologica, De Deo Trino, Dissertatio de modo processionis Sp. s. a Patre et a Filio, pp. 541—590 etc.).

Argumenta Graecorum contra Latinos in quattuor classes ab auctore distribuuntur.

1. Nullum concilium vere oecumenicum Filioque definivit (Nilus Cabasilas, apud Pichler, Geschichte der kirchlichen Trennung t. I., p. 268). Concilia oecumenica omnia, quae hac de re tractabant, Spiritum sanctum a solo patre procedere declaraverunt (Macarius, p. 350. Cf. Io. Chrysostomus Περὶ Ἐκκλησίας, t. II., p. 372. Refutationem scripsit A. Palmieri, La processione dello Spirito santo. L'Esegesi ed i Concilii. Bessarione, n. 62, anno VI, p. 146 sq.) Si esset doctrina de Filioque revelata, concilium Constantinop., ex professo de Trinitate tractans, de duplici processione sermonem fecisset vel haec saltem esset in subsequentibus conciliis definita. Ss. PP. semper mutationem substantialem in dogmate, puta Filioque, interdixerunt; posteriora concilia declararunt, symbolo Nicaeno-Constantinopolitano doctrinam ss. Trinitatis exhaustam esse (Sil'vestr, § 131, pp. 492—493; Cf. E. Bulgaris, p. 287; Macarius, p. 350; Z. Rosis, p. 255).

Sed hoc ipsum symbolum, ita opponit auctor, iuxta theologos orthodoxos a concilio secundo generali consecratum ipsique proprium iam prius, inter primum et secundum concilium, in Oriente, probabiliter a s. Cyrillo Alexandrino, pro sua ecclesia compositum esse constat. Dein inter 381 et 451 ab ecclesia Constantinop. et a Romana probabilissime sub Iustiniano

assumptum est (Duchesne, Églises séparées, p. 77 sq. Kunze, Das Nicaenisch-Konstant. Symbol. Leipzig, 1898).

2. In Hispania, ubi primum „Filioque“ apparuit, PP. Graecos non noverant. Loci, quos Latini potissimum ex ss. PP. afferunt, interpolati vel spurii sunt. Illud s. Augustini: qui principaliter procedit ex Patre (l. XV., c. 12), interpretantur: qui procedit ex Patre tanquam ex principio (Homjakov, p. 330. Mesoloras II., p. 119).

Makarij (op. cit. pp. 367. 370. 374. 381) traditionis testimonia in quattuor distribuit classes: 1.⁰ S. Spiritum de Patre procedere: nihil de Filio habetur. 2.⁰ Addunt Filium, sed sub alia quadam relatione. 3.⁰ Testimonia, quae rationes continent, in ss. Trinitate unum solum posse esse principium. 4.⁰ Testimonia, quae Spiritum s. de Patre procedere affirmant ac simul vel quoad sensum vel quoad litteram processionem de Filio excludunt. Textus vero Latinorum allegatos ex traditione interpretantur vel de consubstantialitate personarum vel de missione temporali Spiritus s. vel de indivisibilitate essentiae divinae vel de manifestatione Spiritus per Filium vel denique de officio mediationis.

3. Similiter locos s. scripturae explicant. Essentialis est distinctio inter processionem et missionem, velut Ioan. XV., 26. — Ioan. XVI., 12—15 vero, ubi Spiritus s. appellatur Spiritus Filii, imago, donum eius, de consubstantialitate personarum atque identitate perfectionis intellegunt (Metrophanes, p. 97; Macarius 342—343; Simeon Thessalonicensis Ἑρμηνεία εἰς τὸ θεῖον Σύμβολον. P. G. CLV. col. 789 sq.).

4. In hoc campo rationis et deductionis theologicae longe non adaequant Graeci Latinos. Quare vituperant horum subtilitatem, dialecticam, subiectivismum vel saltem provocant ad oppositionem cum revelatione. Notare iuvat: Personae differunt non ex parte processionis, sed sub ratione, qua communicatur essentia divina, si agitur de Patre, et qua recipitur, si agitur de Filio et Spiritu s. Ita iam Photius distinguit (Hergenröther, p. 425 sq.). Duo conceptus, qui sunt essentiales systemati Latinorum, Graecis omnino desunt: ordo originis (processionis) personarum et oppositio relativa inter principium et principiatum.

4. Quomodo differant Graeci a Latinis in concipiendo mysterio SS. Trinitatis. Quoad patrologiam Graecorum notandum est, ss. Patres plurimum contra Macedonios et Eunomianos, negantes divinitatem Spiritus s., pugnasse; ad quos convincendos processionem Spiritus s. a Patre demonstrasse, Patribus satis fuit.

Quoad speculativam partem est Latinis exordium natura divina; Graecis Deus, in quantum Pater; hi considerant personas in recto, naturam in obliquo, illi vice versa. Latini innituntur in distinctione inter principium et principiatum: Graeci vero in modo recipiendi hypostasim (proprietates characteristicas Filii et Spiritus). Latinis actus generativus et spirativus, considerati absolute (soli) identificantur cum essentia divina (essentia et actus in Deo convertuntur). Quare Spiritus (terminus ad quem spirationis), principiatum, refertur ad Patrem et Filium, non ut tales, sed ut unum principium commune, unum terminum a quo (actus spirativus identificatur cum essentia personis Patris et Filii communi). Neque Pater et Filius in spiratione sibi opponuntur, sunt ergo unum principium simpliciter. Secundum Graecos vero generatio et processio (non spiratio) emanant de essentia sicut duae formalitates separatae, sicut duae modalitates reales distinctae in esse hypostatico a Patre. Axiomati Latinorum: „In Deo omnia sunt unum, ubi relationis oppositio non obviat“ opponitur: „In Deo omnia sunt unum, ubi proprietas personalis non obviat.“

Non est, cur ad laudem auctoris, qui in labore difficili brevitatem cum perspicuitate coniunxit, multum addamus. Qui huic quaestioni operam dant, iam cognitionem litterarum copiosam lucri facient. *O. Žídek.*

H. G. Voigt, Die von dem Přemysliden Christian verfasste und Adalbert von Prag gewidmete **Biographie des hl. Wenzel** und ihre Geschichtsdarstellung. Prag 1907. 88 pag.

V., qui inter alia scripsit vitam s. Adalberti, hoc scripto defendit sententiam eandem de legenda Christiani, quam Pekař. (Cf. supra p. 89).

'ΑΡΜΟΝΙΑ IV. 1906.

Πολύτιμος μαρτυρία p. 1—5. Refertur de Rozanovii iudicio in Novoe Vremja, quo Orientalibus obiecit, quod contra catholicos tueantur apostolorum et episcoporum omnium paritatem, sed patriarcham Constantinopolitanum velint esse supremum dominum et pastorem oecumenicum etc.; verba Christi Io 21, 15 (Pasce agnos) impleta manifesto esse Romae in Petro.

Eirenaios Philagathos, Περὶ τῶν προνομιῶν τῆς ἁγίας ἕδρας κατὰ τοὺς τρεῖς πρώτους αἰῶνας τῆς ἐκκλησίας. p. 17—22 etc. (conversum e libro Gallico La tradition catholique sur l'Infallibilité pontificale ou la définition du Concile du Vatican par Mgr. l'Archevêque de Bourges. Paris 1875—7.)

Aimilios Kyrenaios, Περὶ τῶν αἰτιῶν τοῦ ἀνατολικοῦ σχίσματος. P. 22—4; 39—42; 54—56. Pars maior edita est iam a. 1905, p. 209—213; 225—7; 259—262; 289—292; 321—356; 369—372. Exponitur episcopos Constantinopolitanos dignitate iuribusque minores aliis, cum intercessorum partes in rebus ecclesiasticis apud imperatores agerent, contentos condicione sua non fuisse, et primum honoris (conc. II, cn. 3) deinde etiam iurisdictionis (Nectarius 394) primatum in Oriente sibi assumpsisse, eiusque confirmationem a Concilio Chalcedonensi petiisse. Cuius canone 28. fretos Euphemium eiusque successores — imperatoribus adiuvantibus — artes inchoatas non mutasse, donec Ioannes Nesteuta iurisdictionis, qua utrumque patriarcham orientalem obnoxium sibi reddebant, titulum sibi adscivit, patriarchae oecumenici et synodus Trullana (692) iura affectata sedi Constantinopolitanae tribuit. Hac ad schisma perventum est et metus ille probatus est: „Τῷ ἐπὶ μέγα τιμῆς βλέπειν τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπαιρόμενον ἐκ τοῦ συνεῖναι τοῖς βασιλεῦσι καὶ μεγιστᾶσιν, ἀεὶ ἐδεδοίκεισαν μὴ τῷ χρόνῳ τολμηθῇ τι τῶν ἀδοκήτων."

Idem, Ἡ ἐκκλησία τῆς Ἀνατολῆς καὶ ἡ ἐκκλησία τῆς Δύσεως. P. 262 5; 281—5; 288—293. Coeptum est agi de Photio et de rebus a Photio usque ad Cerullarium gestis.

In commentatione *Sp. de Biazez*, quae inscribitur Σημειώματα περὶ τῶν δυτικῶν ἐκκλησιῶν, ἀρχιεπισκόπων καὶ ἐπισκόπων Ἑπτανήσου mentione fortasse dignum est breve caput de vita Isidori, legati papalis, qui in Russia Florentinum pronuntiabat, p. 123—4.

Rivista storico-critica delle scienze teologiche. Anno II. 1906.

U. Fracassini, Le origini del Canone del Vecchio Testamento p. 81 99; 249—268. Inter alia, quae erudite exponit, *F.* docet varios esse gradus eius rationis, propter quam libri sacri dicuntur canonici; neque inspiratione sola solere eandem rationem contineri, verum etiam in libri utilitate positam esse (p. 83). Initio canone solam „legem" comprehensam fuisse, dum ante exilium Babylonicum viva prophetarum voce Iudaei regerentur ac monerentur (p. 94); inde factum esse, ut Samaritani solam Toram in canone haberent, Alexandriae tempore Ptolomaei Philadelphi nihil nisi Pentateuchus verteretur, nec in antiquissimis templis aliud publice legi soleret nisi lex. Quam vim legi tribui coeptam esse a. 444 ab Esdra (p. 94). Deinde propheticos libros paulatim collectos esse (p. 95—9). Legi et prophetis scribas maximam operam dedisse (p. 260). Sensim undecim volumina accessisse, quibus canon tertius constaret: Psalmos, Proverbia, Iob, Canticum, Ruth, Lamentationes, Ecclesiasten, Esther (qui ultimi quinque libri vocabantur quinque volumina [m^e^ghillôt]), Daniel, Esdram et Nehemiam, Paralipomena (p. 264).

Jahresbericht der schlesischen Gesellschaft für vaterländische Cultur. 83 (1905).

Sdralek, Hus und Hussiten. Haec commentatio negligit ea, quae de his rebus scripserunt Bohemi.

Échos d'Orient. Paris 1906. (t. IX.).

M. Jugie, La reconfirmation des Apostats dans l'église gréco-russe. P. 65—76. Eis, qui timore vel ignorantia lapsi sunt, in Euchologio Magno praescribitur ritus, qui speciem habet renovatae confirmationis. Reapse nonnulli theologi ecclesiae Graeco-Russicae ita rem explicare videntur, agi de vera huius sacramenti iteratione: Makarij, A. Světlakov (Izloženie učenija pravoslavnoj cerkvi o Cerkvi, Cerk. Ierarhii, blagodati i tainstvah. Nižnij Novgorod 1878, pag. 41) etc. Quin etiam in Confessionem P. Mogilae haec sententia irrepsit. Primus, quem rem ita interpretatum esse constat, est Ioannes Skylizes (M. 121, 1036). Hanc explicationem *J.* docet ortam esse, cum ritus illius vera vis iam obliterata esset. Ille enim confirmationis ritus eodem modo repetitur, quo ritus baptismi: lavacrum octavo die praescriptum; utroque symbolo monetur lapsus sacramenti olim recepti; id quod etiam precatione quadam satis clare exprimitur (p. 74). Ceterum primitus deerant verba sacramentalia (p. 75). Quod originem attinet, *J.* (p. 71—4) ritum illum repetit a canone s. Methodii; qui in euchologiis non occurrit ante saeculum XI. (demum in codice 213 bibliothecae Coislinianae a. 1027 [Montfaucon, Bibl. Coisl. Paris 1715, p. 272] et in cod. 28 liturg. abbatiae Cryptae Ferratae [Rocchi, Cod. a. C. F. Tusc. 1883, p. 235]). Antea hic ritus ignotus erat (cf. Arcudius, De Concordia Ecclesiae . . . Paris 1672 p. 138 s.; Harmenopulos ap. M. 150, 149). Insuper semper etiam ab Orientalibus tenebatur sacramentum confirmationis iterari non posse. Cavendum est quidem, ut sapienter monet *J.*, ne ad id probandum loci afferantur, quos ad sacramentum confirmationis, non baptismi — quo Spiritus s. aeque vere imprimitur; cf. Sl. l. th. III, 106: sigillo — referri demonstrari non possit. Ipse affert Cyrillum Hieros. (M. 33, 365); Io. Chrysost. (M. 63, 78); Theodoretum (M. 82, 717); Oecumenium (M. 119, 333); Theophylactum (M. 125, 252); et ipsum Photium (M. 102, 725. 736). Ceterum etiam huius aetatis theologi Orientales confirmationem iterari non posse docent, etsi adnotare soleant iterari tamen in apostatis et haereticis redeuntibus ad ecclesiam. Si omnis controversiae principium ita manifestum fieret, sicut vera huius exceptionis ratio historia proditur, brevi doctrina auferrentur et evanescerent.

Commentatio haec magna quidem eruditione eminet, minore tamen arte psychologica, si modo ad persuadendum adversario conscripta est. Utinam utraque virtus coniungatur.

A. Ratel, La question de la réforme en Russie. P. 166—173.

M. Jugie, L'epiclèse et le mot Antitype de la messe de saint Basile. P. 193—198.

Verbo ἀντίτυπον, quo in liturgia s. Basilii verbis institutionis iam prolatis ea, quae consecrantur, designantur, a theologis orientalibus sensus subici solet figurae, signi; unde frequenter concludunt ante epiclesin corpus Christi non adesse (Cf. Nic. Cabas. M. 150, 426; Simeon Thess. M. 155. 737; Marc. Eph. M. 160, 1085; Richard Simon, Gabrielis metropolitae Philadelph. opuscula. Par. 1671., p. 7. 228 etc.).

Huic opinioni varia ratione occurrebatur. Card. Bessarion verborum illorum locum ante verba institutionis olim fuisse suspicabatur. Elias Cretensis ἀντίτυπον idem esse atque ἰσότυπον arbitratus est. Card. Du Perron illud προςθέντες τὰ ἀντίτυπα ad προςκομιδήν referebat.

Verus sensus ex illis Patrum testimoniis emergit, ubi Eucharistia etiam post consecrationem appellatur signum, figura, typus, imago, symbolum, antitypus corporis Christi. (Cf. Batiffol, L'Eucharistie, la Présence réelle et la Transsubstantiation). Species consecratae sunt signum corporis Christi. Quamquam ambigua illa vox a multis Patribus (Theod. Mopsu. M. 66, 713; Macar. Magn. Pitra, Spic. Sol. I., 548; Eutychius Cp. M. 86. 2393; Anastas. Sin. M. 89, 840) improbata est.

Licet Nic. Cabasilas primus sententiam de consecratione (ceterum Latinorum non propriam — cf. M. P. G. 49, 380) Latinis exprobraverit, tamen iam 5 saecula ante eum epiclesi fieri consecrationem a Graecis theologis

passim tenebatur. Quo sensu Orientales nunc verbum ἀντίτυπον intelligere solent, eo iam a Io. Damasceno (M. 94, 1152) explicatum est. Eodem modo doctrinam catholicam ab iconoclastis defendebat Epiphanius diaconus (Mansi t. XIII., c. 264). Quae tamen sententia nullo modo concilii VII. oecum. dici potest. Non aliter rem explicant Nicephorus (M. 100, 336), Theodorus Stud. (M. 99, 340), Petrus Sic. (M. 104, 1349), Samonas Gaz. (M. 120, 828), Theophylactus (M. 133, 443. 649), Euthymius Zigab. (M. 130, 1273), alii.

Certe non raro evenit, ut in modo adversariorum opiniones reiciendi erratum sit; qui error, si magnorum fuit virorum, magna eorum auctoritate late diffusus est.

Chr. Rommelaire, Le très saint Synode dirigeant, d'après un métropolite [Nicodème]. P. 232—236.

M. Jugie, La peine temporelle due au péché d'après les théologiens orthodoxes. P. 321—330.

Macarius, lumen dogmaticae orthodoxae, negat esse poenas temporales peccato iam remisso. Testimonia, quae affert, probant poenitentiam canonicam ad emendandos mores imponi, non tamen probant id solum intendi. In „Confessione" Dosithei certe tota doctrina catholica de purgatorio — excepto nomine — expressa est. Eandem doctrinam de poenis temporalibus iam pridem professi erant Simeon Thessal. (M. 155, 921; 943—6), Marc. Eph. (M. 94, 355 s.); quos secuti sunt Manuel Rhet. († 1551). Ieremias II. patr. Cp. (1576; Gedeon C. Κριτὴς τῆς ἀληϑ. Lipsiae 1758. t. I., 54); Gabriel Seberos (Schelstrate, Acta orient. eccl. Romae 1729, p. 329 s.); Metrophanes Critopulos († 1639 Kimmel, Symb., Append. 135); Synodus Constantinop. 1727 (Mansi XXXVII., c. 901.).

Bessarione 1906, 1907. fasc. 88—95. —

Mons. *Niccolo Marini,* L'immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chiesa ortodossa dissidente (Immaculata Conceptio B. M. V. et ecclesia orthodoxa dissidens). — Afferuntur et examini subiciuntur testimonia Ioannis Geometrae (Sermo in Deip. Annunt.) et „admirabile elogium" Theodori Moneremitae (Disc. in Deip. Annunt.) Cl. auctor demonstrat et contra adversarios defendit praefata elogia B. V. nullatenus in sola agnitione facti ipsam esse Matrem Dei sufficientem explicationem habere. Id confirmatur ex parallelismo inter allegatum testimonium Theodori et illud Petri Episcopi Argivi (§ X. Orat. in Concept. Deiparae) [fasc. 88, pp. 1—15]. Speciali disquisitioni verba Iacobi Monachi Serm. in Deip. Annuntiationem subicit, ubi B. V. expresse animam omni macula expertem habere (τὴν ἀπείρατον κακίας ψυχήν) dicitur, et probat (fasc. 90, pp. 221 ss.) non posse ea intelligi de sola puritate virginali. Soluta sat gravi obiectione Petavii contra testimonia Patrum Graecorum (fasc. 91, p. 5 ss.) adducit testimonium Germani II. Constantinopolitani (Serm. in Deip. Annunt.), quod ex comparatione cum aliis locis eiusdem auctoris illustrat (fasc. 93., pp. 217 ss.). Quae omnia confirmantur compluribus testimoniis dispersis in operibus Iacobi Monachi (In Deip. Annunt. § XVIII., In Visit. Deip. § V., § VI., § VIII., § XIII.) et S. Isidori Thessalonicensis (In Deip. Annunt. § VIII.) (fasc. 94 pp. 1 ss.). Testimonia, ita concludit cl. auctor, quae consideratis circumstantiis temporis, quo doctrina de Imm. Conc. definita non erat et antagonia inter utramque ecclesiam iam aderat, clariore modo ipsam fidem exprimere non poterant.

P. A. Palmieri, O. S. A, Il ristabilimento del Patriarcato n Russia e le polemiche della stampa ortodossa (Restitutio Patriarchatus Russiae et polemicae ephemeridum Russicarum — fasc. 88, pp. 42—47). Occasione convocandae generalis synodi Russicae quaestio mota est de restituendo patriarchatu independenti Russiae, quem ex historia notum est a Petro M. suppressum esse. *P.* adducit suffragia aliquot ephemeridum Russicarum, quae mirae dissensionis testimonium praebent. Cum paucae ephemerides restitutionem ut auroram novae vitae salutent (Novoe Vremja), aliae eam inutilem putant (Sn Otečestva, Kievskie Ot-

kliki), immo potestati rei publicae perniciosam, desiderium restitutionis ex ambitione proveniens (Moskovskija Vědomosti). Contra illos, qui Petri M. opus illegitimum esse demonstrabant (Dobranrov in Russkij Listok. Durnov in Russkij Trud) non deerant, qui totam institutionem hierarchiae proclamarent spiritui evangelii esse contrariam.

C. Tondini de Quaerenghi, Notice sur le Calendrier liturgique de la Nation Arménienne (Quaedam de Kalendario liturgico nationis Armenae, fasc. 90. 91). Descripta brevi historia Kalendarii, quod idem est pro omnibus Armenis, loquitur *T.* primum „de dispositione generali Kalendarii", ubi maxime ea, quae de computo temporis paschalis, de compensatione festorum ex una parte anni ecclesiastici in alia affert et ea, quae addit de conatibus reducendi computum paschalem et consequenter totum ordinem festorum mobilium ad modum simpliciorem praecipua laude digna sunt. In secunda parte agit „de distributione singulorum festorum secundum diversas periodos", pauca de diebus ieiunii et abstinentiae in ecclesia Armena addit. Conspectum valde iuvant tabulae in textu et additum Kalendarium anni 1907.

P. A. Palmieri, Di alcuni documenti relativi alla storia del cattolicismo in Russia (De quibusdam documentis ad historiam ecclesiae catholicae in Russia pertinentibus) fasc. 92, p. 255. *P.* affert scripta N. P. Lihačev, vicedirectoris caes. bibliothecae Petropolitanae, in philologia, historia, archaeologia, disciplinis orientalibus valde versati, qui duabus commentationibus historiam relationum diplomaticarum Sedis Apostolicae ad Russiam illustrat. — In prima (K istorii diplomatičeskih snošenij s papskim prestolom pri carě Borisě Godunově) affert maximi momenti epistulam Pauli V. ad Godunov de die III. Iunii 1605, quod documentum „chronologiam commercii Sanctae Sedis cum Russia radii lucis instar tangit." — Alterâ (Pis'mo papy Pija V. k carju Ivanu Groznomu) ex epistola Pii V. ad Ivanum Terribilem ansam sumit diligenter tractandi diplomatiam S. Sedis. — Non minoris momenti est liber M. Godewski, Monumenta ecclesiastica Petropolitana. Auctor, catholicae academiae Petropolitanae professor, litteraturae orientalis et occidentalis gnarus, adducit et illustrat documenta, maiore ex parte ex archio status et archio Academiae deprompta, quae ad constitutionem sedis metropolitanae Mohilevensis et historiam persecutionis ecclesiae catholicae initio saec. XIX[i] pertinent. Inter documenta eminent epistula famosi Mgr. Stanislai Siestrzencewicz ad Alexandrum I., in qua Iesuitas accusat, et alia epistola contra P. Gruber S. I. —

P. A. Palmieri, L'uomo, la natura ed il male nella filosofia di Vladimiro Solovev (Homo, natura, malum in philosophia Vl. Solov'ev, Fasc. 94, pp. 8—33). — Exponuntur sententiae celeberrimi huius Russorum philosophi, quas in opere „Čtenie o Bogočelověčestvě" (De natura divina-humana lectiones) expressit. *P.* vocat systema Solov'evii „hyperspiritualismum" et magna ex parte neoplatonismo, doctrinae Scoti Erigenae, philosophiae Fr. v. Baader inniti dicit. Licet igitur Solov'ev ut defensor spiritualismi contra materialistas laudem meruerit, non potest verus apologeta religionis christianae existimari, et quamquam ipse pantheista non est, iam „in atmosphaera pantheismi" versatur.

Praeter multos articulos alios huius celeberrimae ephemeridis, quae studiis archaeologicis, historicis, socialibus etc. occupantur, ad nos quoque pertinent etiam haec minora: Chronica Unionis, Litterae ex Oriente (de missionibus Tyri, de patriarchatu Graeco-orthodoxo Antiochiae) Litterae ex Russia (conditio catholicorum in Polonia Russica, praesens litteratura Russorum, vita „Raskolnikorum", de condicione cleri inferioris in Russia etc.), quae in unoquoque fasciculo invenimus.

Dr. *B. Spáčil.*

MISCELLANEA.

Pius X. de sollemnitate centenaria s. Ioannis Chrysostomi.

Placuit foras dare hic epistolam Summi Pontificis occasione sollemnitatis Chrysostomianae datam. Cui praemittimus epistolam ab em. Cardinali secretario simul missam.

Lettera di S. E. il Cardinale Segretario di Stato a s. Em. Vannutelli, Presidente del comitato per le feste centenarie del Chrisostomo.

Emo e Rmo Signor Ossmo.

È piaciuto al Santo Padre di scrivere a Vostra Eminenza, come a Presidente del Comitato per le feste centenarie di s. Giovanni Crisostomo, una venerata lettera, exprimente la parte che il Pontefice prende a tale solemnità, e annunziante il proposito di concedere i tesori delle sacre indulgenze a tutti coloro che favorizanno la felice riuscita delle onoranze. Quì unito pertanto godo rimetterle il Pontificio documento e colgo l'occasione per dichiararmi con sensi di profonda venerazione bacciandole humilissimamente le mani — dell' Eminenza Nostra Dmo e Umo.

R. Card. Merry del Val.

Venerabili Fratri Nostro Vincentio S. R. E. Cardinali Vannutelli episcopo Praenestinorum, Praesidi coetus sollemnibus celebrandis saecularibus ab obitu s. Ioannis Chrysostomi

Pius PP. X.

Venerabilis Frater Noster, salutem et apostolicam benedictionem. Prope est, ut diei memoria quindecies saecularis redeat, quum actuosa vexataque multimodis vita Ioannes Chrysostomus sanctissime cessit. Aetati huic nostrae, qua nullam oporteat magis ad illustria quaepiam instaurari exemplaria virtutum, gaudet animus insignem hunc virum posse iterum ad imitandum proponere. Siquidem plura Ille in se vivendi genera eaque singularibus plane luminibus laudum micantia, felicissime expressit. Nam dum adhuc in laicorum coetu detineretur, vitam et mores a saecularium consuetudine ita defendit ut honestius non posset, donec a fluxarum studiis rerum totum se in divina recepit. Pastor autem Constantinopolitanae Ecclesiae datus, officia episcopalis muneris, nulla hominum verecundia, nullo periculorum metu, diligentissime ac fortissime explevit. Explanator denique nuntiusque divinarum legum adeo ceteris in omnes partes praestare visus est, ut et Ecclesiae doctor sit habitus et nomen ab aureo eloquii flumine invenerit; quare illum Leo XIII. fel. rec. Decessor Noster dignum merito censuit, quem sacris oratoribus exemplum simul ac patronum daret. Porro quum Orientalium Chrysostomus Ecclesiarum decus et gloria sit, mirum quantum consiliis Nostris Decessorumque Nostrorum conducere est existimandus, ut scilicet, quemadmodum ornamento Ille Romanae Ecclesiae diligendo ac defendendo exstitit, ita consolationi exstet unitate tandem Orientalium gentium Nobiscum, monitis auspicioque Ipsius, redintegrata. Itaque palam est, Venerabilis Frater Noster, valde Nobis esse cordi sollemnia saecularia praeclarissimi Antistitis magnis sacri cultus caeremoniis haberi, iisque non in universis modo Urbis templis quae Orientali utuntur ritu, verum etiam ad ipsam divi Petri Basilicam in monte Vaticano: nimirum expectatione tali permoti atque allecti, ut et elucentes in Chrysostomo virtutes populi

admirentur atque imitentur, et ii, qui a Nobis Orientalibus e coetibus dissident, videant perspiciantque quam multam quamque germanam ritibus universis gratiam praestemus, inducantque demum animos optatis Nostris amanter obsequi, et antiquam matrem saluberrimo reditu amplecti. Quamobrem beatum e vita discessum Ioannis Chrysostomi volumus gratulatione maxima et cultu coli, hoc anno, plane singulari: gloriosamque sapientissimi Antistitis memoriam litteratorum etiam conventibus repeti. Ad animos vero excitandos acuendosque, id Nos libentissima voluntate pollicemur fore Nos reseratis coelestibus thesauris, quotquot in deferendos Chrysostomo honores operam contulerint, sacrarum indulgentiarum muneribus amplissime cumulaturos. Auspicem gratiae divinae Nostrique animi testem, apostolicam benedictionem, Tibi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII. Iulii anno MCMVII. Pontificatus Nostri quarto. Pius PP. X.

Rogamus ut divulgentur haec scripta et ut e singulis dioecesibus Slavicis Romam conveniant, qui sollemnitati intersint (cf. Slav. litt. theol. III., 292).

P. Ugo Atanasio Gaiser, Rector Pont. Collegii Graecorum, via Babuino 149 Roma, vices gerens Emi Card. Vannutelli Praesidis recipit omnes epistolas etc. ad hanc sollemnitatem pertinentes.

Corrigenda:

P. 24 supra v. 14 loco: nesessarium lege: necessarium.
„ 25 supra v. 17 loco: v. 39. lege: 5. 39.
„ 27 supra v. 7 loco: indnlgent lege: indulgent.
„ 30 supra v. 19 loco: empiterne lege: sempiterne.
„ 31 infra v. 7 loco: eschatalogiae lege: eschatologiae.
„ 42 infra v. 3 loco: comentariis lege: commentariis.
„ 43 supra v. 8,9 loco: Judicialis iJstitia lege: Iudicialis iustitia.
„ 56 infra v. 22 loco: annis sanct lege: annis pueril. sanct.
„ 101 infra v. 23 loco: vei lege: vel.
„ 198 infra v. 22 loco: liberorum lege: liberarum.
„ 214 infra v. 18 loco: iucumbit lege: incumbit.
„ 228 supra v. 17 post: addit. lege: Eph. 1, 1; Iac. 4, 5; Act. 13, 68; Gal. 3, 20; I. Cor. 15. 29.
„ 248 supra v. 12 loco: Lenpoliensem lege: Leopoliensem.
„ „ infra v. 20 loco: atquead eo lege: atque adeo.
„ 249 supra v. 6 loco: Kraków, 1915 lege: Kraków, 1905.
„ 250 infra v. 1 loco: indifferendes lege: indifferentes.
„ 251 supra v. 20 loco: dessumi lege: desumi.
„ 256 supra v. 17 loco: quod nnon lege: quod non.
„ 257 infra v. 19 loco: liturgico-historicu lege: liturgico-historica.
„ 267 supra v. 22 loco: tamquamvalde lege: tamquam valde.
„ 276 supra v. 25 post: Revue ben. 1889 (VI) p. 485–499. lege: A. Jirák Artomachie (in Sborník Velehradský III (1883) p. 138—172. .
„ 280 supra v. 21 loco: Latimis lege: Latinis.
„ 281 supra v. 17 loco: clapso lege: elapso.
„ 286 supra v. 8 loco: impetrat lege: impetrare.
„ „ supra v. 10 loco: At iude lege: At inde.
„ „ supra v. 15 loco: persevarantiam lege: perseverantiam.
„ „ supra v. 18 loco: multe lege: multos.
„ „ infra v. 3 loco: In secentis lege: In sescentis.
„ „ infra v. 3 loco: absolutem lege: absolutam.
„ 287 infra v. 1 loco: Dr. Er. Grivec lege: Dr. Fr. Grivec.
„ 307 infra v. 3 loco: cereret lege: careret.
„ 315 infra v. 8 loco: сталко lege: столко.
„ „ infra v. 7 loco: законодаллства lege: законодательства.

A) Index nominum.

Abraham W. 38.
Abramòvič D. 317.
Agathodor 53.
Aggeev K. 53.
Ajvazov I. 221.
Akvilònov E. 53, 318, 369.
Aksakov N. 42, 241.
Andrej: vide Szeptycki.
Anserov P. 36, 221.
Antonij 53.
Arhàngel'skij M. 365

Bàrtonik J. 100.
Belen V. 310.
Bèlina J. 1.
Běljàev A. 37, 220, 243, 371.
Běljaev N. 148.
Bělokurov 57.
Benešèvić V. N. 53.
Berdnikòv 306.
Berezovskyj P. L. 58.
Bessmer J. 197.
Bilyn'skyj S. 59.
Bogdanov M. 274.
Bogačev N. 53.
Bogdašèvskij 5, 20, 228, 274, 327.
Bogoròdskij A. 53.
Bojanov D. 36, 37, 220, 222.
Bok I. 122.
Bošujaković V. P. 62.
Borkov I. 53.
Bratkòv S. 48, 49.
Brilliantov A. 317, 319.
Brilliantov I. 316.
Brètholz B. 89.
Brjancev D. 220, 222.
Brodskij L. 319.
Brojakovskij A. 53.
Bronzov A 17. 318.
Bulgàkov A. (S.) 39, 49, 224.
Bulgàkov S. D. 54.
Bulgàkov S. N. 54.
Butkèvič T. 221, 274.

Cabròl T. 196, 273.
Cieplak I. 260.

Čehovskij V. 230.
Cel'còv M. 318, 319.
Čel'cov N. 54.
Cengić M. 62.
Čenkić J. 4.
Černík J. 2.
Černý J. 2, 115.
Cerpjavskij A. Th. 54.
Četverikov I. 226, 231.
Čireckij A. 243.
Čornodola I. 246.

Dalberg H. 89.
Damian 54.
De-Skrohovskij 57.
Djakov A. 51.
Djurić N. 49.
Dmitrièvskij A. 19, 21, 54, 230.
Dobronràvov N. 49.
Dòčkal K. 3.
Donarovyč I. 246.
Duchesne 371.
Dujmušić A. 3.
Dujmušić D. 304.
Dzerovyč I. 246.

Elčaninov A 48.
Elčukov A. 230.
Eleonskij Th. 40.
Evsěev I. E. 40.
Ekzempljarskij V. 232.

Faminskij V. 54, 226.
Fediv V. 58.
Feliś C. 4, 5.
Figurovskij I. 242.
Flavian (metr. Kiov.) 231.
Florenskij P. 243.
Fryč F. 110.

Gabryl F. 6, 143—5.
Galahov 43.
Garski S. 7.
Georgij 54.

Giduljànov P. 7.
Gladkov B. I. 17.
Glagòlev A. 22.
Glagolev S. 54, 148.
Glubokòvskij N. 23, 273, 317.
Godewski 213.
Golubìnskij E. 215.
Gomèrov V. 54.
Górka 215.
Gòrskij 274.
Gorjučko P. 52.
Govda A. 245.
Grabowski T. 7.
Grass K. 194.
Grigòrevskij M. 277, 320.
Grìvec F. 15, 122, 251, 293, 294.
Gromoglàsov 240, 241.
Gruden J. 257.
Grujić M. 62, 250.
Grzymała-Siedliecki A. 305.
Gržetić 122.
Gurević J. 54.
Gurij J. 15.
Gur'janov V. P. 54.

Hałuščyńskyj M. 14, 47, 50, 147, 224, 245, 293, 295, 323.
Hilbert K. 209.
Hölscher G. 194.
Horvath K. 3.
Hruševskyj M. 248.
Hudeček J. 107.
Hugo A. L. 90.

Ḫarlampovič K. 320.
Čharszewski J. 215.
Chotkowski 249.
Ḫvolson D. 274.

Iakov A. 54.
Ignatij aep. 366.
Il'ìnskij G. 38.
Il'inskij Vl. 16.
Innokentij 367.
Iona 54.
Iustinov P. 317, 320.
Ivancòv A. M. 54.

Jacimìrskij A. I. 16, 55.
Jankovskij F. 322.
Janyšev L. 55.
Jarèmko D. 41, 240.
Jastrebov M. 330.
Jašek A. 254.
Javorskij V. 243.
Jelski A. 215.
Jìrák A. 276.
Javorskij V, 243.
Jiřìček B. 301.
Jugie M. 373, 374.

Kagarov E. 315.
Kàlousek J. 89.
Kàpterev N. 310.
Karašev A. 55.
Katanskij 367.
Kerènskij V. 16.
Kern J. 68, 364.
Kętrzyński St. 7.
Kirěev A. 50, 198.
Kiparisov 250
Kirìllov A. 55.
Knabenbauer J. 280.
Kondakòv N. 55.
Kondratev I. K. 55.
Kòrdač F. 110, 211.
Kotovič A. 240, 243, 310, 323.
Kovačič F. 62.
Kòvář M. 1, 2.
Krasnožen M. 50, 51.
Krasnožen N. 91.
Kremlevskij Al. 55, 75.
Krylovskij A. 57, 231.
Kryštůfek F. X. 100.
Kubala L. 214.
Kubíček F. 207.
Kudrjavcev P. 22.
Kudryk T. 245.
Kujot Ks. St. 5.
Kurgànov A. 14, 260.
Kuzev P. 3.
Kuznecov N. 310.

Laškarëv 306.
Lavrskij V. 241, 309.
Lèbedev A. P. 14, 55.
Leclèrcq H. 195.
Lehmkuhl A. 194.
Leḫnickij I. M. 55.
Lempl Th. 251.
Lenz A. 2, 302.
Leonàrdov D. 219,
Leonini Th. 291, 307, 314, 326.
Lépicier A. 370.
Levitov P. 242, 323.
Ležohubskyj Th. 295.
Liḫnickij I. 315.
Lìnek M. 363.
Linickij P. 227, 228, 230, 231.
Linskij N. 219.
Lobačevskij S. 55.
Losskij N. 55.
Lozynskyj P. A. 58.
Lukman F. 255.

Makar'ev Th. 316.
Makarevič G. 248.
Maksimović V. 250.
Màl'cev A. 55, 90.
Malević A. 55.
Malinòvskij 57.

Malinòvskij N. 55.
Malvy A. 281.
Mangenot 198.
Markošek J. 255.
Medved A. 255.
Menini R. 293.
Mihaìl 44, 56, 274, 323.
Milutinović M. N. 61.
Mirtov D. 56.
Miś W. 215.
Miščenko Th. 56, 328.
Mítrović Č. 60,
Molčanov 274.
Muhin N. 21.
Muretov M. 47.
Mustjanović F. 250.
Myšcyn V. 48, 240, 308.

Načov N. 121.
Napotnik M. 255.
Nekrasov A. 274.
Nesmělov V. I. 56.
Nikanòr archiep. Hers. 326.
Nikòl'skij N. 316, 323.
Nikol'skij P. V. 56.
Nikol'skij S. 222.
Nikol'skij V. 37.

Olesnickij M. 23.
Oliva V, 111.
Orlòv G. 56.
Orlov M. 316.
Orlòvskij P. 228, 230.

Pacher M. 4.
Palmièri A. 38, 264, 292, 370, 375.
Pasičynskyj T. 59.
Pawlicki St. 7,
Pàvlov A. S. 40.
Pavluckij G. 248.
Pavskij G. 274.
Pèkař J. 89.
Peřinka F. V. 2.
Petrov 367.
Petròv G. S. 56.
Petrov N. 225, 229.
Pěvnickij V. 56, 230, 233.
Pierling P. 41
Pjatnickij I. 307. 308.
Plaček J. 301.
Podlaha A. 1, 2, 209.
Pleszczyn'ski A. 215.
Pokròvskij N. 317, 318.
Popov H. 2.
Popov I. 50.
Popov N. 241.
Popov V. 316, 323.
Pòřícky J. 72.
Poseljanin E. 56.

Posnov M. 22, 56, 228, 323, 326.
Prohorènko Th. 37, 145.
Prokopovič: vide Theofan.
Protić P. 61.
Prozorovskij D. 274,
Prugavin A. 56, 145.
Ptašickij I. 38.

Radev M. 120.
Razumovskij C. 225.
Redkevyč A. 246.
Reyl F. 108.
Rodnikov V. 227.
Rodosskij A. 317.
Romanskij N. 49.
Romaškov D. 221.
Rozanov 370.
Roždèstvenskij 332.
Roždestvenskij V. 274, 319.
Runkèvić S. 15, 16, 56.
Ruprecht J. 107.
Rusànov Th. 230.
Rybìnskij V. 226, 232.

Sàsinek Fr. 89.
Savva 56.
Serebrenikov V. 322.
Sèdlák J. 110.
Serafimov 279.
Sèrgij 339.
Sidonskij Th. 219.
Sil'vèstr 277.
Sìnthern P. 194, 286.
Skaballanović M. 228.
Skvorcòv D. 145.
S otwiński 249.
Smirnòv P. 319, 320.
Smirnov S. 39, 56, 242, 307.
Smirnov R. 316.
Sneginev A. 222.
Snòpek F. 207.
Sobolèvskij A. 38.
Sobolevskij S. 16.
Sokolov A. 56.
Sokolov I. 319.
Sokolov M. 318.
Sokolòv P. 231, 269.
Sokolov V. 47, 57, 241.
Sokołowski C., 295.
Sokol'skij V. 310.
Solarić M. 249.
Sòldát A. 106. 107.
Solov'ëv N. 309.
Sołov'ev V. 323.
Sol'skij S. 264, 266.
Sosnovskij A. 57.
Spáčil B. 375.
Spàsskij A. 37, 220, 221, 276.
Speranskij A. 268.

Speranskij N. 57.
Stacin I. 241.
Stavrov S. 39.
Stefan ep. 365.
Stegenšek A. 210.
Stelleckij N. 19, 226.
Stojanović V. T. 62.
Stork A. 301.
Straszewski M. 211.
Studziński C. 7.
Suvòrov N. 57, 75.
Světlakov A 373.
Světlòv P. 240.
Szeptycki A. 291, 295.
Szaniawski A. 5.

Sčepanjuk M. 59.
Ščepkovyč F. 245.
Ševčík J. 63.
Ševčík Fr. 115.
Špàldák A. 15, 72, 88, 100, 101, 104, 294, 301, 364, 368.
Švabić P. 61.
Štědrý F. 2, 97.
Štokalko P. 59.
Šyh I. 245.

Tarěev M. 47, 308.
Theodor 57.
Theodorov N. 37.
Theofan (Prokopovič) 22.
Theofan (Zatvornik) 23.
Thiveskij M. 57.
Thomenko K. 20.
Tìtov Th. 44, 57, 228, 233, 330.
Tristram G. V. 57.
Troickij S. V. 57.
Troickij Th. 274.
Troskolański T. 215.
Trzciński T. 7.
Tverdohlib A. 59.
Tyle K. 322.

Urban J. 215, 291, 295, 305.
Uspenskij A. 367.
Uspenskij P. 57.
Uspenskij V. 317.
Ušeničnik A. 63, 257, 258.

Vacek F. 89, 115.
Vajs J. 113, 143, 221.
Warmiński J. 215.
Vartagava I. P. 57.
Vàvra J. 2.
Vèčeřa K. 36.
Veličkin V. 57.
Verjužskij V. 320.
Vertelovskij A. 220.
Veselinović S. 61, 62.
Wilpert J. 118.
Vitalij 274.
Voljanskyj O. 58, 60, 245, 249.
Voroncov E. 315, 319, 322.
Voskresenskij E. 309.
Voskresenskij G. 309.
Vvedenskij A. 307.
Vysokoostrovskij A. 319.
Wyslouch A. 4.

Zagoda F. 3.
Za ęski St. 213.
Zaluski W. 7.
Zaozerskij N. 48, 57.
Zaprudskij K. 58, 306.
Zarùckij K. 196.
Zavitnevič B. 57, 327.
Zdziechowski M. 89.
Zeremski J. 251.

Žák F. 205, 304.
Židek O. 91, 198, 283, 332, 367, 371.
Žukovič P. 318, 320.
Živanović J. 249.
Žundálek F. 304, 306, 326.

B) Index rerum.

Abnegatio sui: vide Temperantia.
Abrahae sinus 196.
Absolutionis valor in Ecclesia Orientali 286, 295.
Achridensis ecclesia 92.
Act 5, 38—40: 25.
Act 9, 21: 25.
Act 13, 6. 8: 228.
Act 22, 31: 26.
Act 23, 2—5: 24.
Actuum intensio 336.
Adalbertus s. 7, 371.
Adam: vide Gratia sanct.; Spir. s. inhab.; Paradisus.
Adami redemptorium munus 105.
Adiaphora 250.
Adoptio 106.
Adrianus 87.
Adulterium: vide Matrimonii insol.
Aegyptiorum religio 315.
Albertus M. 88.
Alexander Alensis 86.
Alexandrini episcopi 12—13.
Ambrosius 255.
Amor concupiscentiae et benevolentiae 333—6, 351.
Amor Dei 220, 333, 334.
Amor purus 334.
Amorienses Martyres 90.
Amoris Dei appretiative summi vis 332—361.
Amort E. 361.
Anamnesis 196.
Angeli 31—33, 256; vide Gratia sanctif.
Anglicanae reformationis historia 332.
Anglicanorum ordinatio 90.
Anima brutorum vide Brutorum a.
Anima humana 144.
Anima sitne principium formationis 302.
D'Annibale 85.
Anthropomorphismus 301.
Antichristus 308.
Antiochena ecclesia 222.
Antiocheni episcopi 13.
Antitypus 372.
Antonia abbatissa 56.
Antonij archim. 20.
Antonius M. 55.
Apologeticae methodus 258.
Apologia 3, 53, 59, 60, 61, 106, 122, 219, 245, 301, 319.
Apostoli in Eccl. ant. 37, 122.
Archaeologiae studium 317.
Archelaus 251.
Architectura relig. 209—10.
Armeni 275.
Armenorum Kalendarium 375.
Ars dicendi vide Homilet.
Artes (finis) 230.
Artificia ecclesiastica 89; v. Iconogr. Architect. rel.
Ascetica 56, 89, 215, 256.
Ascetismus 317.
Assyriorum religio 21.
Astryk-Anast. 7.
Athanasius 177, 268
Attritionis vis 93, 283.
Augustinus 211—13.
Autocratia imperatoris in Russia 37, 222.
Autosuggestio 69.
Auxilii divini supernaturalitas vide Supernaturalitas; necessitas vide Hominis inopia; gratuitas: vide Gratia actualis.
Auxilium gratiaa vide Dei aux.
Avsenev Th. 232.
Azyma 273—76.

Babylonica turris 54.
Baius 339.
Bakunin 19.
Ballerini 85.
Banulesko-Bodoni 230.
Baptismi effectus 102.
Baptismi necessitas 339.
Baptismus: vide Rebaptizatio.
Baptismus Christi 62.
Baptismus per infusionem 279.
Basiliani 249.
Basilicae minores 257.
Basilius Macedo 53.

Basilius M. 56.
Bellum 57.
Benedictini 117.
Benedictio professorum 228.
Benjamin aep. 320.
Berka (Zbyněk de Dubá) 1.
Bezpopovščina 320.
Biblia Finlandica 317.
Billot 340.
Biblica v. Introd. etc.
Biographica 62, 110, 215 et pass.
Blumenberg, W. F. C. a 110.
Bolotov V. 317.
Bonaventura S. 74.
Branković G. 250.
Brückner 209.
Bruta 58.
Bruta et homo 301, 302.
Brutorum anima 301–304.
Bucceroni 85.
Buddhismus 59, 121, 220.
Buharev Th. 260.
Bulgarica 2, 120.
Byzantinismi effectus 61.

Caelibatus 117, 277.
Caelibatus universalis 320.
Caesaropapismus 307, 325.
Caietanus 75, 361.
Calvinismus in Polonia 7.
Calvinus 68.
Canon Alexandrinus 265.
Canon Esdrinus 265.
Canon V. T. 194; vide Deuterocanonici libri.
Canonizatio 106.
Cantus eccl. orthod. 309.
Cantus eccl. Ruthen. 59.
Capellani 4.
Capitula 117,
Capreolus 360.
Cardenas 361.
Caritatis actus: v. Amor.
Caritatis christianae momentum 323,
Caritatis exercitium 220.
Caritatis virtus 335, 338.
Carnes (moral.) 318.
Caroli M. matrimonia 100.
Cartesius 322.
Carthusianorum ordo 2.
Catechetica 55, 246.
Catholicae sententiae ap. Russos 292, 306.
Catholicismi defectus 228, 321, 322.
Catholicismi laus. 14.
Catholicismus in Polonia 213.
Catholicitas 15–16, 112, 256.
Celsus 221.
Censura librorum 16, 43, 44, 240, 243, 310.
Censurae ecclesiasticae 240.
Certitudo de contritione 81.
Cessatio ab opera 246.
Christi adventus secundus 53.
Christi baptismus 62.
Christi cena ultima 274.
Christi Cor 256.
Christi condemnatio 16.
Christi divinitas 59, 61.
Christi fuga in Aegyptum 251.
Christi iconographia 55.
Christi incarnationis causa 105.
Christi lotio pedum 47.
Christi magisterium 107.
Christi passio 16.
Christi pueri sapientia 62.
Christi resurrectio 256.
Christi transfiguratio 56.
Christi voluntas 159—178.
Christiani legenda 89, 371.
Christianismi vis socialis 220.
Chronologia biblica (vitae Domini) 110—1; 274.
Cisterciensium ordo 2.
Clemens I. 119.
Clemens Alexandrinus 219.
Clemens Velicensis 39, 128.
Clementis (s.) basilica 118.
Cleri eruditio theologica 322.
Cleri negotia saecularia 43, 49, 52, 319, 322—3.
Clerus Gallicus 224.
Clerus Russiae 240.
Collet 78, 86, 362.
Coloss. 3, 17: 251.
Coloss. 2, 15. 18: 34.
Communismus 224.
Conceptio Immaculata: v. Mariae c.
Concilia 9—10.
Concilia oecumenica 54, 306—7.
Conciliorum auctoritas 11, 317, 328.
Conciliorum compositio 11, 44, 49, 55, 57, 240, 241, 242, 306, 309, 328—330.
Concilium Arausicanum II. 105.
Concilium Constantinop. I. 224.
Concilium Constantinop. III. 178—197.
Concilium Ephesinum 192.
Concilium Florentinum 216.
Concilium Nicaenum 13.
Concilium Russicum futurum 56, 241, 278.
Concilium Tridentinum 35, 76, 105, 285; de gratia 105, 321.
Concilium Trullanum 237, 372.
Concilium Viennense 302—3.
Concupiscentia, quo sensu naturalis 104.
Concupiscentia sitne peccatum 321.
Concursus divinus 104, 206.
Confessio facta non sacerdotibus (monachis) 243; v. Poenit. minister.

Confessio papae 106.
Confessio prima 246.
Confessio secreta 4, 57, 75, 80.
Confessionis praeceptum 86—8, 307—8.
Confirmationis (sacramenti) iteratio 373.
Confirmationis (sacramenti) minister 66—7.
Confirmationis (sacramenti) materia 91.
Coninck 87.
Conscientia (psycholog.) 303.
Conscientia (ethica) 250.
Consilia evangelica 276—7.
Constantinopolis occupatio (1204) 227.
Constantinopolitana Ecclesia 222.
Constantinopolitani episcopi dignitas 372.
Constantinopolitani patriarchae iura 91, 92.
Contritionis in moriente effectus 284—5, 35.
Contritionis necessitas 361—4.
Contritionis notio 332—3, 337, 338.
Contritionis vis 332—361.
Controversae quaestiones 260, 291, 320; sing. 15, 17—18, 28, 61, 90, 92—7, 102—3, 106, 147—194, 196, 198, 208; 259—273, 273—6; 277, 291, 293, 365—368, cf. Moralis Latinorum.
Controversarum quaestionum tractatio 373.
Coptorum ritus sacramentalis 367.
1 Cor 2, 7—8. 10: 27.
1 Cor 5, 5: 34.
1 Cor 10, 31: 251.
1 Cor 10, 4: 26.
1 Cor 11, 28: 76.
1 Cor 15, 45—48: 28.
1 Cor 15, 29: 228.
2 Cor 4, 6: 27.
2 Cor 5, 16: 25.
Cor Iesu: v. Christi Cor.
Cousin 304.
Creationis ratio 105, 302, 303.
Crucis signum 218.
Ctisiologia 302.
Culmensis ecclesia 5.
Cuniliati 88.
Cyprianus de papatu 90.
Cyrillus Alexandrinus 117.
Cyrillus Hierosolymitanus 268.
Cyrillus Lucaris 276.
Cyrillus et Methodius 207—9, 251—5, 257.
Cyrilli (Const.) sepulcrum 118—20.
Cyrilli et Methodii imago 310.
Caadaev 305.

Dadianus 131.
Daemones 33.
Dalmatiae clerus orthod. 3.
Darwin 231.
Dei nomen quomodo homini conveniat 106.
Dei attributa 369.
Dei auxilium ad actus salutares 104—5.
Dei cognitio 121.
Dei essentia 369.
Dei existentia 59, 212, 226, 369.
Dei immutabilitas 205.
Dei misericordia 283.
Dei natura communicata cum creaturis 105.
Dei simplicitas 369.
Dei unitas 369.
Dei voluntas immutabilis 359.
Deuterocanonici libri 194, 264—273, 372.
Deuteron 25, 4: 26.
Divortium: vide Matrimonii solub.
Dimitrij (Muretov) 53.
Dicastillo 82, 87.
Dispositio ad finem supernaturalem 104, 321.
Dispositio ad gratiam 105.
Doctrina XII. Apost 122.
Diaconissae 224.
Dogmata nova 317.
Dogmatica 17, 54, 61, 63—8, 72—88, 101—4, 110, 168—188, 195, 197, 205, 220, 255, 273, 283—287.
Dogmatum obscuratio 104.
Dogmatum progressio 57, 103, 197, 304, 327—328.
Domitillae MM. 100.
Draper I. W. 245.
Duhoborci 39.

Ecclesia ac status 89, 245.
Ecclesia et potestas civilis 225, 307.
Ecclesiae apostolicitas 256.
Ecclesiae caput 278—79, 327.
Ecclesiae catholicae merita 245.
Ecclesiae catholicae spiritus: vide Catholicismi def.
Ecclesiae catholicae veritas 256.
Ecclesiae catholicitas: vide Cathol.
Ecclesiae forma 221.
Ecclesiae historia v. Hist. Eccl.
Ecclesiae membra 250. 291, 325.
Ecclesiae notae 256, 291.
Ecclesiae orientalis dissidia 262, 325.
Ecclesiae orientalis defectus 323—24.
Ecclesiae orientalis mutata doctrina et usus 317.
Ecclesiae orientalis praestantia 326.
Ecclesiae orientalis status 317.
Ecclesiae orthodoxae doctrina 291, 324—325.
Ecclesiae Russicae administratio 325; cf. Synodus s.
Ecclesiae Russicae reformatio 15, 36,

43, 48, 49, 52, 56, 220, 222, 241, 243, 281—83, 305, 309, 322, 373, 374.
Ecclesiae Russicae status 89, 241, 261, 305, 325.
Ecclesiae unitas 256, 262.
Ecclesiae visibilitas 318, 325.
Eccli 15, 11—12: 105.
Eloquentia sacra: vide Homiletica.
Eloquentia sacra Slovenica 255.
Emancipatio feminae 58, 214, 220.
Emigrantes 2.
Encyclica Patriarcharum Orient. (1859) 306.
Eph. 1, 1: 228.
Eph. 1, 16—19: 104.
Epiclesis 196—97, 260, 373—74.
Episcopi: v. Metropolitae, Hierarchiae origo.
Episcopi electio12, 36, 54, 220, 222, 322.
Episcopi monachi 44, 57, 316.
Episcoporum iura et dignitas 8, 49, 55, 57, 221, 242, 316, 317, 326.
Epistolae theologicae 2.
Eschatologia 29—31, 53; vide Iustorum s. Spiritus s. inh.
Esdra 22.
Estius 339.
Ethica 48, 56, 120, 194, 220, 221, 222, 226, 228, 232, 250—51, 276—7, 304.
Ethicae fundamentum 226.
Euagrius 223.
Eucharistia 6, 59, 110, 255, 273.
Euphemius 371
Eustachiani 223.
Euthymii opera 2.
Evolutio dogmatum: vide Dogmatum progressio.
Evolutio religionum 322.
Evangelium S. Pauli 23—36.
Evolutionismus (phil.) 231.
Examen sponsorum 115.
Excommunicatio 34.
Exegetica 17—18, 23—36, 53, 54, 56, 57, 62, 104, 121, 122, 232, 251, 256, 257.
Ezechiel 1: 228.

Fallacia in rebus naturae 303.
Familiarum christianarum associatio 256.
Felicitatis condiciones 323.
Festa Mariae 19,
Feuerbach L. 54
Fidei actus 57, 242, 257.
Fidei vera notio 321.
Fidei vis ad iustificandum 104, 322.
Fides Christ. 53.
Filaret 102.
Filiatio adoptiva 106.
Filioque (insertum) 198, 208, 370—71.
Filothej 57.
Flavianus 223.
Flavianus Kioviensis 231.
Formae substantiales 303.

Gal. 1, 11: 24.
Gal. 3, 13—19: 26, 29.
Gal. 3, 20 : 228.
Gamaliel 24.
Genes. 1, 20. 21: 27.
Genes. 5, 3: 33.
Genes. 13, 15: 26.
S. Georgius 123, 127.
Gerasim Domini metropolita 61.
Glagolitica 90, 123—143, 281.
Glubokovskij N. 105.
Gratia quid significet 104.
Gratia sanctificans ante Christi mortem 100—101; in Adamo 101, 103, 105, in angelis 101, 105 in homine 105—106.
Gratia actualis 104—105, 108, 321.
Gratiae actualis necessitas 104—105.
Gratiarum actio publica pro impetratione 207.
Gratianus 174.
Gregorius IX. 62.
Gregorius XVI. 64.
Gregorius Pacurianus 318.
Guilelmus Paris. 86, 361.
Gumilevskij A. 53.

Habitus regularis 52
Hadrianus II. 209, 253.
Haeretici v. Ecclesiae membra.
Hagiographia 90.
Hano episc. 254.
Harmenopulus 235.
Harnack 122.
Hebraei: vide Iudaei.
Hebr. ep. ad : 20—21
Hebr. 2, 3 : 21.
Hebr. 7, 1—4. : 315.
Hebr. 10, 2—8 : 322.
Hebr. 10, 33: 26.
Henricus de Segusio 106.
Hermeneutica 232.
Herodes Agrippa 251.
Hesychastae 369.
Hexaëmeron 53.
Hilarius 79.
Hierarchia occidentalis 230.
Hierarchiae origo 8, 122.
Historia concilior. oecum.
Historia ecclesiae: vide Cyrillus et Method., Architectura etc.
Hist. ecclesiae Antiochenae 222.
Historia eccles. antiquae 7—14; 36; 37; 55; 100; 22[illegible]—221; 221; 231; vide Concilior. compos.; Ursacius.
Historia eccles Bohemiae 2, 110, 115—118; 209—10; 251—255.

Hist. ecclesiae Constantinop. 91, 222.
Hist. ecclesiae Gallicae 39.
Hist. ecclesiae Graecae iu Italia 225.
Hist. ecclesiae Grus. 231.
Hist. ecclesiae Culmensis 5.
Hist. ecclesiae Latinae in Russia 38.
Hist. ecclesiae Orient. in Hungaria 250.
Hist. ecclesiae Orient. in Japonia 37—8.
Hist. ecclesiae Orientalis in Polonia 44 - 47.
Historia eccles. Poloniae 5, 6, 7, 213, 214, 215, 228, 230.
Historia ecclesiae Romanae 100; 147—194
Historia eccl. Russiae 15, 16, 36, 44—47, 54, 55, 57, 91, 230, 276, 309, 315, 320, 323, 375
Hist. ecclesiae Ukrainae 248.
Hist. ecclesiae Vladislaviensis 6.
Historia Iudaica 15, 22; v. Iudaei.
Homiletica 7, 39, 56, 220—21, 230, 233; 245, 255.
Hominis elevatio 105.
Hominis inopia ad salutem 104—105.
Hominis mira proclivitas ad peccandum 104, 105.
Hominis munus redemptorium 105—06.
Hominis natura 303; vide Brutum.
Hominis natura empirica 104.
Hominis natura idealis 104.
Homo anthropol. (phil.) 56.
Hominum aequalis impietas 105.
Homo laesus in naturalibus? 103, 321; vide: Voluntatis aequilibrium.
Hlysti 194.
Homjakov A. 57, 89.
Honorii I. causa 147—114, 328.
Hosius 360.
Hugo a S. Victore 74.
Hummelauer 227.
Hurter H. 73.
Hus 301, 372.
Holmogory 320.
Homjakov 306, 327.

Iac. 4, 5: 228.
Iac. 5, 12: 121.
Iacobitarum ritus sacramentalis 367.
S. Ianuarii miraculum 58.
Iconographia 54, 55, 118. 210, 310.
Iconostasis 59.
Idea Creatoris vide Creationis ratio.
Ideae innatae 121.
Ideae rerum creatarum 302.
Ierosolymitani patriarchae 230, 276.
Iesuitae 276.
Iesuitae in Alba Russia 213.
Iesuitae in Polonia 213.
Iesuitae in Russia 375.
Iesuitarum moralis 15, 17.
Ignatij ep. 105.
Illustratio 104.
Immortalitas 144.
Incredulitas huius temp. 257.
Index librorum proh. 16.
Indifferentes moraliter actus 250 - 1, 277.
Individualismus 231.
Infallibilitas ecclesiae 231, 306, 317, 327; cf. Conciliorum auctoritas.
Infallibilitas papae 106; 147—194, 262—3.
Inkerman 51.
Innocentius III., 227.
Inspiratio 22, 57, 219, 227, 327.
Intensio actuum: vide Actuum intensio.
Intentio ministri 90.
Intentio necessaria recipientis 368.
Introductio in N. T 20—21, 23 26, 194.
Intuitivismus 55.
Ioannes IV. 151.
Ioannes VIII. 209.
Ioannes Chrysost. 60, 276, 222.
Ioannes Dam. 238.
Ioannes Fusienus 227.
Ioannes Nepomucenus 97—100.
Ioannes Nesteuta 233, 239, 372.
Ioann. 13, 4 ss.: 47.
Ioann. 14, 13: 92, 286.
Ioann. 14, 21. 23 : 344.
Ioann. 15, 1—6: 104.
Ioann. 15, 26 : 371.
Ioann. 16, 12—15 : 371.
Ioann. 21, 15 : 372.
Ioann. 20, 23 : 75—78.
1 Io 3, 9: 106.
1 Io 4, 7 : 345.
Ioannis Ev. periodi 123.
Ioannitae 223.
S. Iosaphat Martyr 46, 59, 215.
S. Iosephi (sponsi Mariae) sanctitas 256.
Iosephus Flavius 91, 267.
Iov (mitrop.) 16.
Isaac Syrus 16
Isidori vita 372.
Isidorus Hispalensis 238.
Isidorus metrop. 326.
Iudaei: vide Sionismus.
Iudaeorum cultura 318.
Iudaeorum reges 53.
Iudaeorum vita post exil. 22, 229.
Iudaizantes 223.
Iudas proditor 47.
Iudicium ecclesiast. 43.
Iudicium particulare 92.
Iuramentum 120—121.
Iuris origo 304.
Iurisdictio non unitorum 65, 286, 295—96.

Ius civile 51, 120. 220.
Ius eccl. Orient. 40—41, 43, 44, 51, 54, 55, 57, 60, 91, 140, 221, 233.
Ius ecclesiasticum 3, 4, 34, 36, 43, 44, 57, 58, 106, 118, 241, 277.
Ius internationale de papatu 51.
Ius patronatus 246.
Ius regul. Orient. 52.
Iustificatio 29, 320—2.
Iustificationis media 82.
Iustorum sors post mortem 195—96, 364.

Jansenius 74.
Japonia orthodoxa 20, 37.
Japoniae religio 20.
Jülicher A. 346.

Kalendarium Armenorum 375.
Kant 56, 212.
Karloviciense seminarium theol. 250.
Karloviciensis patriarcha 250.
Kazanskij P. 243.
Kioviensis Academia 225.
Kioviensis dioecesis 228.
Kioviensis metropolita 230.
Kioviensis res insignes 229.
Kioviensis synodus 230.
Kormčaja 53.
Kreml 55.
Kremlevskij A. 75.

Labor (philos.) 227.
Laicorum iura in ecclesia 48, 49, 241, 309, 310, 316; vide Conciliorum compositio.
Lamennais 257.
Latomorum secta 58.
Leibnizius 322.
Leo II. 153.
Leo Ep. 78.
Liberalismus 14.
Libertas conscientiae 250.
Libertas scrutandi 327.
Libertas voluntatis 204.
Libri poenitentiales 233.
Lingua ecclesiastico slavica 90, 190—203, 249.
Linguarum disturbatio 55.
Liturgia 19, 21, 90, 91, 228; vide Kalendarium Synaxarium, Basilicae.
Liturgiae lingua 111-125, 225.
Liturgia orient. reformanda 49.
Liturgia Russica 216—219.
Liturgia Slavjca 90, 117, 198—203, 241, 254, 281.
Liturgiae orient. historia 225.
Liturgiae pompa 231.
Liturgiae unitas 90, 112.
Liturgicorum librorum correctio 326.
Luc 2, 47 : 62.
Lc. 7, 47 : 345—7.
Lc 16, 31 : 105.
Lc 18, 13. 14 : 345.
Lucaris 7.
de Lugo 82, 86.
Lychetus 81.

2 Mach 12, 46 : 280.
Magia 21, 57.
Maior 88.
Makarij (Bulgakov) 330.
Malum 212.
Marc 11, 28—30 : 62,
Maria dolorosa 256.
Mariae conceptio immac. 92, 101—4, 257, 374.
Mariae cultus 215, 256, 257.
Mariae festa 19
Mariae gratia sanctificans 100.
Mariae perseverantia in bono fueritne gratia 104.
Mariae usus confessionis 88.
Maronitae 67.
Martyrologium Romanum 253.
Martyrologium unionis 5.
Materialismus 7, 16, 54.
Matrimonii clandestinitas 296.
Matrimonii contemptus 320.
Matrimonii impedimenta 51, 52.
Matrimonii solubilitas 17-18, 43, 44, 60-61, 106—7, 120, 215, 323.
Matrimonii unitas 107.
Matrimonium et familia 51.
Mat 2, 13—25 : 251.
Mat 3, 13 ss. : 62.
Mat 5, 32 : 17.
Mat 17; 18 : 56.
Mat 19, 9 : 17.
Mat 19, 21 : 277.
Mat 24 : 53.
Mat 26, 26 : 47.
Medina 88, 360.
Melchisedec 315.
Meletiani 223.
Meletij: v. Smotrickij.
Meletius Pegasius 7.
Menini R. 3.
Meritum 321.
Metropolitae 7—14.
Michael s. 256.
Militia 55.
Minskiensis dioecesis 215.
Miracula 58, 69.
Miracula acatholicorum 69—72.
Miraculosae imagines 7, 19, 249.
Misericordia Dei 253.
Missionariorum ars 231.
Missionariorum quaestiones 287.
Missiones christ. 58, 320.
Modernismus 3, 114.

Mogilevensis ecclesia 375.
Moldavia 55.
Monachi Byzant. 91, 222.
Monachi confessarii 243.
Monasteria orient. 51.
Monasteria Bohemiae et Mor. 301.
Monasteria Bulgarica 3.
Monasteria Littuanica 249.
Monasteria Serbica 250.
Monasteria Russica 55, 228, 305.
Monasteriorum vis socialis 118, 301.
Monasterium Grusicum in Bulg. 318.
Monophysitismus 319.
Monotheletae 159—194.
Montenegrina ecclesia 52.
Moralis 3, 15, 23, 47, 54, 55, 56, 57, 194, 220, 222, 277, 287, 318.
Moralis Latinorum 277.
Moralis V. T. 220.
Moralitas actuum 250—1.
Moriens attritus 283—6.
Mors, status viae terminus 92—4, 106, 284—5.
Mortificationis utilitas: v. Temperantia
Mortis poena 221.
Moscovienses synodi 310, 315—6.
Motiva dissensionis 258—264.
Mt 2, 13—15 : 251.
Mt 11, 25, 104.
Mt 12, 36, 251.
Mundi initium 53.
Muretov: v. Dimitrij.
Mysticismus 16, 48.
Myškinskij uězd 53.

Naščin'skij 21.
Nazareth 4.
Necessitas medii 74.
Necessitas praecepti 74.
Nectarius 307.
Nestoriani 275.
Newman 197.
Nicaenum concilium vide Concil. N.
Nicephorus 235.
Nicetas Novgorodensis 39.
Nicolaus I. 252.
Nietzsche 56.
Nikon patriarcha 217.
Nilus Sinaiticus 62.
Noëtica 57, 219, 242.
Noldin 85.
Nomina christianorum 221.
Nominalismus 6.
Nomocanon 41, 61, 233—240.
Nomocanon Ioannis Scholastici 61.
Nomocanon Photii 276.
Nugnus 88.

Obligationis notio 104.
Oecumenicitas conciliorum 11, 242, 306, 325, 328.
Officiorum collisio 277.
Olesnickij M. 22—3.
Oleum infirmorum 65, 91.
Ontologicum argumentum 369.
Opus operatum: v. Sacramentorum causalitas.
Oratio sacra vide Homilet.
Ordinationes 90.
Ordinis sacramentum 320.
Organismorum formationis principium 301—3.
Orzechowski St. 214.
Oswald 74.

Pacurianus: Gregorius Pac.
Paedagogica 243.
Palaeographica 124.
Palaeoslavica 53, 55, 61—2, 123-143.
Palaeoslavicae litterae 38, 39, 40.
Paludanus 87.
Pannonicae legendae 207.
Papae auctoritas internat. 51.
Paparum potestas unde orta 12.
Paradisi causa 103.
Paradisus 53.
Parusia 31.
Passio carminibus tractata 58—9.
Pastoralis 43, 52, 53, 57, 222—4, 257, 310—14, 319.
Paškov K. 147.
Pater noster 59.
Patriarchae iura 43, 221.
Patriarchatus institutio 13.
Patriarchatus Russ. restit. 15, 57, 240, 279, 374.
Patrologia 62.
Pauli anthropologia 29.
Pauli civitas Romana 318.
Pauli conversio 24.
Pauli eruditio 24.
Pauli eruditio Graeca 317—18.
Pauli eschatologia 29-33.
Pauli Evangelium 23—36.
Pauli virtutes 327.
Pauli vita 327.
Paulus V. 64.
Peccandi consuetudo: vide Hominis procl. ad p.
Peccata nationalia 304.
Peccata venialia 88.
Peccati remissio 102, 106.
Peccati retentio 75, 80—81.
Peccatum originale 28, 102—3, 321.
Peregrinatio in Terram Sanctam 58, 121—122.
Perfectio christiana 277.
Periodi S. Ioannis Evangelistae 123.
Perseverantiae donum 104.
2 Petr 2, 18. 19: 106.
Petri primatus 47.

Petri et Pauli imago 100.
Petropolitana academia eccl. 317.
Petrus M. 56.
Pěvnickij V. 233.
Pharisaei 229.
Philipp 2, 6—7: 27.
Philipp. 3, 7 : 24.
Philo 267.
Philonismus in S. Scr. 21.
Philoponus Ioannes 152.
Philosophia 6, 36, 54, 58, 197, 219. 226, 251.
Philosophia in Russia 231.
Philosophia S. Augustini 211.
Photius 251, 370, 372; vide Nomocanon.
Piette 339.
Pius VI. 64.
Pius X. 48 376.
Platelius 82.
Plato 121.
Platon metrop. 326.
Plebani 117.
Pobědonoscev K. 53.
Poena mortis 221.
Poenae temporalis remissio 322, 374.
Poenitentiae sacramenti minister 243, 307.
Poenitentiae sacramenti necessitas 72—88, 106.
Poenitentiae sacramentum 4, 57, 332; cf. Absolutionis valor, Confessio.
Poenitentiales libri 233—34.
Polemica cum Orientalibus 7; 258—264; v. Controv. quaest. tractat.
Politica 48, 232, 318.
Polonorum munus 214.
Porphyrius 221.
Possevinus 294.
Potestas civilis 220.
Praedestinatio sec. Aug. 212.
Praedestinationis causa 105.
Praemonstratenses 117.
Pragense templum s. Viti 209.
Pragenses veterocatholici 52.
Preces pro heterodoxis 47, 57, 318.
Precum efficacia 94, 205—7. 285-6.
Primatus Petri: vide Petri primatus.
Primatus Rom. Pont. 15, 90, 91, 158, 198, 259, 263, 276, 279, 326, 372.
Probabilismus 194, 221, 278.
Processio Spir. S.; vide Spir. S.
Progressionis lex 243.
Prophetae in eccl. ant. 37, 122.
Prophetarum V. T. munus 61.
Propositum non peccandi 349—350.
Protestantes in Bohemia 2.
Protestantes in Polonia 214, 215.
Protestantes in Russia 92.
Protestantismi influxus 14, 23, 240, 242, 305, 317, 320, 332.
Psalmi 6, 220.
Ps 21: 255.
Ps 103, 4 : 319.
Psalmi messianici 255.
Pskov 50.
Psychologia 6, 16, 57, 58, 143—5, 242.
Purgatorium 92—7; 248, 280—1.

Quietistae 335—6, 359.

Rabbinismus 34.
Raskol'niki: vide Veteroritualistae.
Rastislaus 252.
Realismus 6.
Rebaptizatio Latin. 90, 279; cf. Bapt. per infusionem.
Reconfirmatio 373.
Redemptio 29, 53, 55, 321.
Redemptoris notio 102.
Reformatio: vide Protestantes.
Reformatio catholica 2.
Reformatio ecclesiae Russicae: vide Eccl. R. reform.
Reges Hebraei 53.
Regiminis optima forma 48, 228.
Religionis christianae origo 16.
Religionis verae criteria 219, 317.
Religiosi (Ordines) 2, 15, 44, 117, 213.
Renan 7.
Responsa ad interrogationes 92—94, 283—287.
Resurrectio mortuorum 31.
Reutenfels 41.
Romana ecclesia 56.
Romanos ep. ad. 56.
Rom. 1, 17: 26
Rom. 5, 12: 102, 103.
Rom. 7, 7—10 : 28.
Romanus Pont.: vide Papa.
Ruth 244, 249.
Ruthenorum litterae theol. 58 60, 244—248.

Sacerdotes orientales 65.
Sacerdotium spirituale 330—2.
Sacramenta: vide Intentio, Poenitentiae s., Confirmat., Unctio inf.
Sacramentarium Gallicanum 195.
Sacramentarium Gelasianum 195.
Sacramenti votum 353.
Sacramentorum causalitas 321.
Sadducaei 229.
Salus peccatorum 283.
Salutatio angelica 256.
Samuel Andr. 215.
Sancti Russorum 39, 56
Sapientiae liber 54, 267.
Sardicenses canones 276.
Sasse 82.
Satisfactio: cf. Redemptio.

Savva 56.
Scheeben 334.
Schismatis historia 38—9, 55 372,
Schismatis origo 325, 326, 370, 372.
Scholae Italiae eccl. 49.
Scholae patriarchatus Cp. 319.
Scholae Polonicae reformandae 214.
Scholae Russicae ecclesiasticae 44, 49, 50, 52, 240, 242, 243, 309, 316, 319, 323, 330, 332
Scholae Serbicae 62.
Scholastica 197—8.
Scientia media 105.
Scotus 75.
Scipturae s. auctoritas 327.
Scripturae s. vis 232.
Sectae Russicae 56, 145, 221—2, 305; vide Duhoborci, Stranniki, Hlysti, Paškov., Veterorit., Skopcy.
Seklucyan 215.
Selivanov 91.
Seminaria 37.
Seminaria Russica 3, 242; v. Scholae Russ. e.
Semipelagianorum doctrina 104.
Seneca 54, 226.
Serbica 60, 249
Sergiev I. 53.
Sergii Ecthesis 178
Sergij 105.
Sidonskij Th. 219.
Simiae idea 302.
Sionismuś 22.
Sirach 267.
Sixtus IV. 170.
Sjutaev 147.
Skopcy 91.
Slavjanophili 89, 325 (refut.).
Slavorum antiqua religio 122.
Sloveni 304.
Smirnov S. 75.
Smotrickij 318
Socialismi historia 19.
Sociologia 19, 48, 54, 214, 226, 245, 246, 315.
Solov'ev Vl. 89, 106, 222, 305, 375.
Soto Dom. 88.
Spatii notio 307.
Spei virtus 335.
Spencer 231.
Speranskij M. 48.
Spiritismus 1.
Spiritus notio et natura 303.
Spiritus s. inhabitatio in hominib. 106 ante Christi mortem 100 101, in Adamo 101; in Angelis 101, 105, coniunctio cum peccatoribus 106.
Spiritus s processio 90, 106, 109, 208, 259, 370 371.
Spiritus s., principium eff. naturae divinae in hom. 106.
Sponsi 115.
Stanislaus de Znoyma 110
Stentrup 82.
Stephani papae martyrium 38.
Stranniki 307, 308.
Strikes v. Cessatio ab opera
Strossmayer J. 52.
Studia Cyrillo-Meth. 207—209.
Studia theologica 211.
Suarez 78, 81
Supererogatoria opera 276—77, 322; cf. Consilia evangelica.
Supernaturalitas auxilii divini 104—105.
Supernaturalitas entitativa actuum 104—105.
Supernaturalitas finis moralis 104.
Supernaturalitatis notio 105.
Suvorov N. 75.
Suzdalicum monasterium 305.
Symbolum Nic-Cp 15; 370; cf. Filioque.
Synaxarium Hilandarense 230.
Synagoga 22.
Syncretismus 304.
Synodi s. licentia in reb. novandis 316—17.
Synodi s. reprehensio 326.
Synodus: v. Concilia.
Synodus s 91, 374.

Šabacensis ecclesia 61.
Ščerbackij metrop 225.
Štundismus 146.

Teichmüller G. 231.
Temperantia 256.
Temporis notio 212.
Tertullianus 3.
Theatrum 240.
Theodorus (Buharev) 241, 309.
Theodorus Studita 238.
Thedosij 317.
Thedoseevščina 317, 320.
Theologiae locus inter disciplinas 211, 245.
Theologiae locus in universitate 211.
Theologiae studia 323.
Theologiae studia augenda 211.
Theologicae scholae: vide Scholae, Varsoviensis acad. etc.
Theophanes patr. Hieros. 230.
Theophanes (Govorov) 37.
Theophanes (Prokopovič) 16.
Theophylactus (Rusanov) 230
Thomas Aqu. 2, 62, 81, 352.
Thomas Argent. 361.
Tihonravov M. 50.

1 Tim. 2, 5: 32.
1 Tim. 3, 8 : 26.
1 Tim. 2, 14-15: 33
Tolerantia 50, 51, 52, 215, 231, 250, 316.
Tolstoj L. 42, 89, 147, 257.
Tournely 88.
Traditio ecclesiastica 232.
Transformismus 231, 302.
Transsubstantiatio 6.
Trinitas 369.
Trinitatis conceptus 106, 371.
Trullanum concilium 372.
Tutiorismus 194

Unctio infirmorum 63 68, 91, 364-8.
Uniatorum iubilaeum 326.
Unio (eccles.), 15, 194, 198, 215, 258, 263, 278—279, 291, 293, 294, 296, 305, 326, 373, 377.
Unionis tentamina 38-39, 41, 46, 293, 294, 375.
Unitas ecclesiae 256, 261. matrimonii: vide hoc.
Unitorum historia 5, 46, 59, 215, 249, 249—250, 375.
Unitorum mores 48, 228.
Ursacius Singidunensis 61.
Uspenskij E. 273.
Uspenskij P. 54.
Usurae 3.

Valachia 55.
Varsoviensis academia religiosa 215.
Vasquez 88.
Vegetarianismus: v. Carnes (mor.)
Velehradensis conventus 287-298.
Venceslaus s. 371.
Venceslaus de Rovná 2.
Versio LXX. 267.
Westermayr 339.
Veterocatholici 16, 50.
Veteroritualistae 39, 215—19, 245, 316, 317, 319, 375; cf. Bezpopovščina.
Viclef 2.
Wild O. 317.
Virtus christianorum 220.
Virtutes theologicae 335.
Visio Dei, quando concedatur v. Iustorum sors.
Vladimir 38.
Vladislaviensis ecclesia 6.
Voluntas Christi 159-178.
Voluntatis aequilibrum 104.
Voluntatis natura 340.

Zamjatin A. 73.
Zbyněk Berka de Dubá 1.
Zebrzydowski A. R. 215.
Zosimus P. 231.



SLAVORUM LITTERAE THEOLOGICAE.

CONSPECTUS PERIODICUS.

SEPARATA EDITIO SUPPLEMENTI
PUBLICATIONIS PERIODICAE CLERI BOHEMICI
„ČASOPIS KATOLICKÉHO DUCHOVENSTVA".

DIRIGENTIBUS

Dr. JOS. TUMPACH, Dr. ANT. PODLAHA, AD. ŠPALDÁK
Pragae.

J. URBAN
Cracoviae.

Dr. FR. GRIVEC
Labaci.

Dr. KAM. DOĆKAL
Zagrabiae.

ANNUS IV.

1908.

PRAGAE BOHEMORUM 1908.
SUMPTIBUS PROPRIIS. TYPIS AEP. OFFICINAE TYPOGRAPHICAE.
IN COMMISSIONE EIUSDEM TYPOGRAPHIAE PRAGAE I.-190.
(ROHLÍČEK & SIEVERS.)

Epitome.

BOHEMICA.

Karel Procházka, O Betlémech (Ref. Dr. R. Zháněl) 1
Hlídka. Ročník XXIII. (Ref. F. V.) 2
Jiří Sahula, Karel IV jako křesťan a vlastenec (Ref. Fr. Žák) . . 4
Frant. Odvalil, Joris Karel Huysmans (Ref. Fr. Žák) 4
Dr. *A. Hobza:* Podvod při smlouvě manželské (Ref. Dr. B. Spáčil) 73
Cyrill XXXIV. 1907. 74
Naše Doba XV. 1907—8. 74
Český Lid XVII. 1907—8. 74
Věstník České Akademie XV. 1906. 74
Věstník Královské České Společnosti Nauk. 75
Věstník Královské České Společnosti Nauk. IX. 75
Dr. *Josef Kupka:* O církevním roce (Ref. Dr. J. Samsour) 75
Dr. *Jos. Kratochvil.* Záhada Boha ve filosofie antické (Ref. F. Žáček) 205
František Snopek. Konstantin-Cyrill a Methoděj, slovanští apoštolové 205
Časopis katolického duchovenstva 1906 206
Časopis katolického duchovenstva 1907 207
Dr. *Jan Lad. Sýkora:* Úvod do Písma sv. Nového Zákona (Ref. Dr. Tomáš Hudec) 324
Dr. *Jos. Samsour:* Základy patrologie se zvláštním zřetelem k dějinám dogmat (Ref. V. Müller) 224
Ant. Rejzek S. J.: Bohuslav Balbín T. J. jeho život a práce (Ref. Rudolf Zháněl) 324
Ferdinand Menčík: Prof. Dr. Alois Musil (Ref. Ad. Jašek) 325
Dr. *Ant. Podlaha:* Dopisy reformační komise v Čechách z let 1627—1629 326

POLONICA.

Ks. Karol Feliś S. J. Zarys sporu i nauki o częstej i codziennej komunii świętej 4

Dr. *Władisław Kochowski*, O rozwodach 5
Ks. dr. Szczeklik, Etyka niezależna i nowoczesny ruch etyczny . . 5
Ks. dr. Szczeklik, Kwestya uświadamiania ptciowego 5
Ks. Dr. J. Górka, Wspomnienia z Królestwa Polskiego i Litwy . 6
Libri recentiores polonici, (Ref. M.) 6
Ks. Dr. *J. Nep. Opieleński:* Nowe dekrety prawno-małżeńskie „Ne temere“ i „Provida“ z objaśnieniami 77
Karol Lutostański: Zaręczyny 78
Rozmyślania o żywocie Pana Jezusa (Ref. M.) 78
Kwartalnik Historyczny (Ref. M.) 78
Ks. *Longin Żarwowiecki:* Kielich w kościele rzymsko-katolickim pod względem historycznym, liturgicznym, estetycznym i praktycznym 79
Ks. *Stanisław Okoniewski:* Piusa X. encyklika o zasadach modernistów 79
Ks. *Wład, Hozakowski:* Jak dawno człoviek żyje na ziemi? . . . 79
Bronisław Ruczyski: Kościół i kultura 79
Leopold Caro: Nowe drogi 80
A. Brückner: Różnowiercy polscy 80
Dr. *Kolankowski:* Kandydatura J. A. Hohenzollerna na biskupstwo płockie 80
Libri recentes Polonici 81
Lud. Finkel, Bibliografia historyi polskiej. (Ref. M.) 212
I. Zieliński, Konkordancya z dzieł Ojców Św. i Pisarzy Kościoła . 213
Struve Henryk, Filozofia polska w ostatniem dziesęcioleciu . . . 214
Alexander Mohl, W pogoni za pravda 214
Archiwum Komisyi prawniczej 215
Fr. Namysłowski, Mapa Magdaleniczna w Polsce 215
Ks. Józef Kruszyński, Wykład Ewangelii według św. Marka . . 216
Agendy klasztoru Staro-Sandeckiego 216
Ks. W. Sarna, Biskupi Przemyscy o. ł. 216
Sprawozdań komisyi do badania historyi sztuki w Polsce. 216
Rocznik krakowski 216
„Eos“ XIII. 1907 (Ref. K.) 217
Przegląd kościelny (Ref. K.) 217
Wiadomości Pasterskie (Ref. K.) 217
Przewodnik spoleczny i pasterski 217
Przegląd kościelny 1906 217
Przegląd powszechny 1906—7 217
Sprawozdania Akademii Umiejętności w Krakowie 217
Przegląd katolicki 1906 217
Libri recentiores Polonici (Ref. M.) 217
J. Roth T. J.: Forma zaręczyn i małżeństwa w prawie kościelnem katolickiem z uwzględnieniem prawa cywilnego austryackiego 326
Ladisl. Szczepański S. J.: W Arabii skalistej (E. Matzel) 328
Idem: Na Synaju (Ref. E. Matzel) 328
Przegląd polski 329
Przegląd historyczny 329

Przegląd powszechny 329
Pamiętnik literacki 330
Libri recentiores Polonici 330

RUTHENICA.

Katolyckyj Vsḫid (Ref. Onuphrius Voljanskij) 219

RUSSICA.

S. Zarin, Asketizm po pravoslavno-ḫristianskomu učeniju 7
(Hristianskoe Čtenie). R. 1906. (Ref. František Gaja) 13
N. Glubokovskij, Po voprosam duḫovnoj školy i ob učebnom komitetě pri svjatějšem sinodě (Ref. F. Žák) 15
Trudy kievskoj Duḫovnoj Akademii. (Ref. O. Židek) 19
V. Bočkarev, Stoglav i istorija sobora 1551 goda 24
Věstnik Evropy. XLII kn. 1907 26
Istoričeskij Věstnik. God XXVIII. (1907) 27
Žurnal Ministerstva Narodnago Prosvěščenija 1907 27
Zapiski Imperatorskago Novorossijskago Universiteta. 1907 27
Ja. A. Bogorodskij, Načalo istorii mira i čelověka po pervym stranicam Biblii (Ref. A. Jašek) 28
Bogoslovskij Věstnik (Ref. M. H.) 28
N. Suvorov, K voprosu o tajnoj ispovědi i o duḫovnikah v vostočnoj cerkvi 31
Prof. *N. Glubokovskij:* Po voprosam duḫovnoj školy i ob Učebnom Komitetě pri Svjatějšem Sinodě (Ref. A. Jacimirskij) 81
Pravoslavnyj Sobesědnik (Ref. A. Jašek) 83
M. Thivejskij: Duḫovnyja darovanija v pervonačalnoj ḫristianskoj cerkvi (Ref. J. Šimrak) 84
Věra i Razum (Ref. A. Palmieri O. S. A.) 92
Sobranie sočinenij Vladimira Sergěeviča Solov'eva (Ref. O. Židek) 96
Libri a. 1907 editi 100
Libri a. 1906 editi 105
Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija (Ref. A. Palmieri.) . . 225
Trudy Kievskoj Duḫovnoj Akademii 1906. (Ref. O. Židek.) 226
S. Glagolev, Materija i duḫ. — De materia et spiritu. (Ref. Dr. J. Pořícký.) 231
Pravoslavnyj Sobesědnik (Ref. Ad. Jašek.) 233
Izvěstija russkago arḫeologičeskago instituta v Konstantinopolě. (Ref. Dr. Stegenšek) 234
Dm. Cvětaev, Položenie inověrija v Rossii. (Ref. Dr. Leonini.) . . 235
E. Krasnožen, Granicy věroterpimosti. (Ref. Dr. Leonini.) 235
A. I. Jacimirskij, Grigorij Camblak. (Ref. B.) 235
Dušepoleznoe Čtenie 1906 236
Dušepoloznoe Čtenie 1907 236
Ivan Baženov: Harakteristika četvertago evangelija so storony soderžanija i jazyka, v svjazi s voprosom o proisḫoždenii evangelija (Ref. Ad. Špaldák) 331

Trudy Kievskoj duhovnoj akademii (Ref. O. Židek) 333
N. *Malinovskij:* Očerk pravoslavnago dogmatičeskago bogoslovija (Ref. A. Bukowski) 341
Strannik 1906 a 1907 (Ref. Dr. F. Grivec) 342, 343
A. Neselóvskij: Činy Hirotesii i Hirotonii (Ref. Dr. Leonini) . . . 345
Ioann Baranóvskij: Verhovnaja vlasť v cerkvi Hristovoj (Ref. Dr. Leonini) 346
Bogoslovskij Věstník 1907 (Ref. M. Hałuščyńskyj) 347
V. Rodníkov: Pervaja kniga Makkaveev (Ref. Ad. Jašek) 349

BULGARICA.

Cъrkoven Věstnik, 1906 32
Cъrkoven Věstnik, 1907 32
D. Božkov, Komentar na Mojseevoto petoknižie 34
Prěgled 237
Cъrkoven Věstnik 1907 238
Pregled 1908 351
Cъrkoven Věstnik 1908 352

SERBICA.

Dr. *Nikodim Miloš*, Rukopoloženje kao smetnja braku 37
Stefan Veselinović. O braku sveštenoslužilaca 40
Glasnik pravoslavne crkve. 1907 109
Bogoslovski Glasnik (Ref. F. K.) 109
Bogoslovski Glasnik 1906 352
Glasnik pravoslavne dalmatinske crkve (Ref. Fr. Snopek) 354

SLOVENICA.

Katoliški Obzornik. 1906 111
Čas. 1907 111

CROATICA.

Dr. *Fran Barac*, O modernoj katoličkoj apologetici 34
Stjepan Babunović, Veliko obećanje presvetog Srca Isusova ili velika devetnica spasa. (Ref. Dr. Camillus Dočkal) 241
Katolički list. (Ref. Dr. Kam. Dočkal) 241
Vrhbosna. (Ref. Dr. K. Dočkal) 244
Hrvatska straža. (Ref. Dr. K. Dočkal) 245

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

De ecclesiae catholicitate. (O. Židek.) 41
De sacramento poenitentiae (A. Špaldák) 49
De ecclesiae catholicitate (O. Židek.) 112

De sacramento poenitentiae (A. Špaldák) 125
De causa papae Liberii 137
De notione, notis, definitione ac divisione dogmatum apud theologos orthodoxos. (A. Palmieri) 249
Dissertatio iuridico-historica de indissolubilitatis principio et divortiis in ecclesia Graeco-Orientali. (Janko Šimrak) 264
De indulgentiis (B. Spačil) 363
De sensu epicleseos iuxta Germanum Constantinopolitanum (M. Jugie, A. ab As.) 385

EXTERNA, AD NOS PERTINENTIA.

Prinz Max Herzog zu Sachsen, Vorlesungen über die orientalische Kirchenfrage 7
Dr. *Vasile Gaina,* Admisibilitatea casatoriei a dona a pretilor din punct de venere dogmatic, canonic si practic 71
Dr. *Buchwald,* Die Epiklese in der römischen Messe 71
Revue du clergé français, Paris 1907 72
SS. Eucharistia. 1907 — XVIII (Ref. Zh.) 72
P. Pierling: La Russie et le Saint-Siège (Ref. O. Židek.) 185
P. *Aurelius Palmieri* O. S. A.: „La chiesa russa, le sue odierne condizioni e il suo riformismo doctrinale“ (Ref. Dr. Leonini.) . . 188
Dictionnaire de Théologie catholique (Ref. O. Židek.) 198
Revue internationale de Théologie (Ref. O. Židek.) 202
Weidenauer Studien. (Ref. J. Urban) 309
The Journal of Theological Studies. (Ref. M. d'Arcy) 310
Dr. *Franz Schmid,* Die Seelenläuterung im Jenseits. (Ref. B. Spáčil) 313
Études (Ref O. Židek.) 315

MISCELLANEA.

Summi pontificis epistola de Conventu Velehradensi a. 1907. . . . 316
Vita defuncti. P. C. Tondini †. (Dr. Leonini) 318
Vita defuncti (P.) 391
De concilio Hierosolymitano a. 1672 (P.) 392

Corrigenda:

P. 2 infra v. 13 loco: de apologetica lege: apologetica de.

„ 14 infra v. 12 loco; eleomosynis lege: eleemosynis.

„ 27 infra v. 14 loco: eesse lege: esse.

„ 71 supra v. 13 loco: **Vorlesungeu** lege: **Vorlesungen**.

„ 89 supra v. 2 loco: officione lege: officio.

„ 106 infra v. 18 post: Krasnožen adde: M.

„ 107 infra v. 1 loco: tII lege: III.

„ 137 infra v. 18-19 loco: Quae eos err. lege: Quos err.

„ 193 infra v. 22 loco: Bělaev lege: Běljaev.

„ 197 supra v. 14 loco: Byzanthina lege: Byzantina.

„ 200 infra v. 5 loco: leetropolitanam lege: metropolitanam.

„ 200 infra v. 6 loco: mgatis lege: legatis.

„ 204 infra v. 5 loco: sententententiam lege: sententiam.

„ 217 supra v. 10 loco: exercismo lege: exorcismo.

„ 220 infra v. 7 loco: Pociei lege: Pocěj.

„ 233 supra v. 8 loco: 190 lege: 1905.

„ 235 supra v. 20 adde: Varšava 1904.

„ 236 infra v. 3. 2. 1 loco: [112]) [113]) [114]) lege: [113]) [114]) [115]).

„ 300 infra in notis loco: [115]) [116]) [117]) [118]) [119]) lege: [116]) [117]) [118]) [119]) [120]).

„ 304—309 infra in notis loco: [138])—[160]) lege: [139])—[161]).

„ 309 supra v. 24 post: admittit lege: [161]).

„ 341 supra v. 7 loco: Corinthii lege: Corinthi.

„ 354 infra v. 14 loco: dalmatlnske lege: dalmatinske.

„ 355 supra v. 14 loco: ommissis lege: omissis.

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach. Dr. Ant. Podlaha. Ad. Špaldák. Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Kam. Dočkal,
Zagrabiae.

Annus IV. (1908) Pragae Bohemorum. Nr. 1.

BOHEMICA.

Karel Procházka, **O Betlémech**. (De modo repraesentandi figuris Nativitatem Domini in Betlehem). Kulturně historická studie se zvláštním zřetelem k zemím koruny svatováclavské a uherskému Slovensku. (Culturohistorica commentatio, specialiter spectans terras coronae St. Venceslai et Hungaricam Sloveniam. Sumptibus librariae Cyrillo-Methudianae. Pragae. 1908. Maior 8⁰. Pg. 160 Pretium 3 Cor. 40 hal.

Perantiquus inter Bohemos, Bohemiam, Moraviam, Silesiam inhabitantes, itemque inter confines linguaque proximos Slovenos (Slovacos) in septentrionali Hungaria, est mos variis modis repraesentandi venerabile mysterium Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi. Certissime ex aliis regionibus christianis pervenit ad Bohemos consuetudo haec. Laudabile opus, colligendi omnia, quae huc pertinent, suscepit Carolus Procházka in libro succincte „de Betlehem“ inscripto, quem maxima diligentia nec minore elegantia explorataque rei notitia singularique eruditione duobus capitibus perspicaciter perfecit. In primo capite tractatur de modis, quibus Nativitas Domini repraesentabatur olim adhucque repraesentatur in orbe christiano. Primo inducit *Pr.* lectorem in specus et stabulum prope Bethlehem, ubi Virgo Mater „pannis Eum involvit et reclinavit in praesepio: quia non erat Eis locus in diversorio“ (Luc. 2, 7). Hoc praesepium et haec spelunca — prout dicit Origenes — est prototypos et prima species, secundum quam pia mens christiana repraesentabat sacrum hoc mysterium Bethlehemiticum. Sacrum praesepe casu temporum pervenit Romam, ubi etiam hodie in ecclesia Sanctae Mariae Maioris in aedibus Liberianis asservatur et sancte colitur. In eadem Italia inter primos divus pauper Assissiensis (Franciscus) figuris eleganter repraesentavit cum magno confinium ruricolarum applausu beatam Nativitatem Domini, hicque mos per eius alacres plurimosque filios spirituales non solum in Italia, sed etiam in aliis terris est propagatus. Immo succursu temporum non solum per mortuas figuras, sed etiam in ludis theatralibus decenter in aedificationem populi christiani mirabilis eventus Bethlehemiticus repraesentabatur. Inde etiam in terris Austriacis, in regionibus Slavorum atque inter Bohemos tempore Nativitatis Domini admirabile hoc mysterium varie ante oculos ponitur.



Hi modi efficiunt argumentum secundi capitis, ubi eloquens et suavis scriptor disserit de repraesentationibus „Bethlehemi“ ex papiro, depictis in ligno, formatis in figuris, de ludis popularibus, qui maxime a iuventute habentur, et aliis. Longior tractatus describit artificiosas collectiones figurarum (personarum, animalium, pecudum, arborum, rupium, montium, picturarum), sicuti in plurimis ecclesiis Pragae tempore Nativitatis Domini haec ipsa repraesentatur. Mentione digna imprimis accurata imitatio est antri Betlehemitici, prout in ecclesia sancti Caroli Magni in Monte prope Novam Urbem Pragensem conspicitur. Sane „unicum“ in toto orbe terrarum christiano est magna elegansque pictura [Relief] Nativitatis Domini in rupe silvae dictae „Betlehem“ prope oppidum „Kukus“ vel „Kuks“ Bohemiae, quam nutu liberalium artium studiosi comitis Špork perfecit ingeniosum scalprum Brauni. Sed etiam nunc Bohemiae artifices populares operi repraesentandi Nativitatem Domini figuris depictis et sculptis maximo studio incumbunt, nec parvam dexteritatem hac in re demonstrant, ita ut videri possint „Bethlehem“, in quibus homines, animales, pecudes deambulant, aves volant, naves vehuntur, angeli descendunt de sublimi, simulque concentus sonant.

Eruditus auctor libri „de Bethlehem“ certe maximas promeruit gratias, quod opus hoc tam diligenter et eleganter exaravit. Princ. archiepiscopalis Ordinariatus hoc opus litterarium approbans summam dedit ipsi sanctionem et optimam recommendationem. Liber hic compluribus artificiosis, ad textum proxime accedentibus illustrationibus et imaginibus est non cum damno lectoris exornatus. De „Bethlehem“ apud Russos, aliosque Slavos etiam ampla in hocce libro est disputatio.

Dr. ***Rudolf Zháněl.***

Hlídka. Ročník XXIII. V Brně 1906. Annus XXIII. Brunae 1906.

Dr. *Jan Sedlák*: Eucharistické traktáty Stanislava ze Znojma. Tractatus eucharistici Stanislai Znojmensis; p. 6, 186, 287, 357, 432. Magister Stanislaus scripsit tractatum de Eucharistia ad sensum Wiclefi, qui absconditus est in eius tractatu catholico »de corpore Christi;« quare hucusque ignotus permansit. Enarrata Stanislai vita discutit Dr. S. de eius haeretica doctrina. Docuit enim panem transire post consecrationem in corpus Christi, sed quasi sopite remanere panem. Conversus noluit hanc doctrinam prorsus omittere. sed tenuit quandam consubstantiationem mitigatam.

Jan Kakš: Prokop Dvorský; p. 899. Proponitur biographia sacerdotis ex ordine piarum scholarum (1707—1890) doctoris et scriptoris de litteris theologicis bene meriti.

V. Lankaš: Pragmatismus; p. 15 (secundum Dessoulavy).

Idem: Ze světa ideí. E regione idearum; p. 161, 271, 360, 439, 506, 753. *L.* colligit quaedam de apologetica variis libris fertque iudicium suum.

Jan Tenora: František kardinál Dietrichštejn; p. 19, 86, 166, 254. *T.* prosequitur usque ad annum 1601 vitam huius magni Moravorum episcopi, qui summo studio vitae catholicae propagandae flagravit.

K. Löffler, Snahy o rozlučitelnost manželství 342, 422. Erudite agit de divortio.

Jos. Kašpar: Giordano Bruno; p. 103, 179, 277, 348, 428, 510. Enarratur nobis vita huius philosophi maxime fluctuosa et productiva, at parum felix. Tum disserit Dr. *K.* de eius philosophia, cuius suprema norma erat absoluta identitas.

Fr. Snopek: Studie cyrillomethodějské: Učenníci Methodějovi zda-li jináč učili než církev katolická? Num

discipuli Methodii aliter docuerint atque ecclesia catholica? p. 329, 415, 493, 578, 653, 729, 817. Porro tractatur materia inchoata a. 1905. (Cf. »Slavorum lit. theol. 1907. Nr. 3.)

Methodius a summis pontificibus orthodoxus agnitus est, quod testimonium plus valet quam legendae Pannonicae, quorum auctor Photium sectans non fuit discipulus Methodii, multo plus quam officia veteroslavica, quae e legendis resultant. Aliter sentit Lapôtre, sed non probat, Methodium Photianismo favisse; melius iudicat Hergenröther. Tropario veteroslavico probatur, aliquos discipulos Methodii in Bulgariam expulsos certe orthodoxos fuisse. Hac in re nulla fides dari potest auctori legendarum Pannonicarum (Clemens Hrabr?) ut Photiano, neque legendae Bulgaricae, concinnatae verisimillime demum saeculo XII.

Tamen videtur esse quaedam discrepantia inter Methodium et Stephanum VI. papam. Binas enim litteras mittit hic in Moraviam, de quibus fusius agitur. Scribit enim: »Spiritus S. a Patre et Filio nec ingenitus dicitur, ut duo Patres, nec genitus, ut duo Filii, sed procedens dicitur.« Spiritus S. forsan appellabatur ingenitus a discipulis Methodii. *S.* opinatur in una epistola fuisse etiam verba de inserendo in symbolum »Filioque,« (qui locus tamen perditus est) Disciputi enim putant hoc illicitum, nescientes Stephanum VI. talem permutationen iussisse. Porro scribit papa: »Absit enim, ut Spiritus S. credatur de Patre in Filium et de Filio ad sanctificandam creaturam quasi quibusdam gradibus procedere,« Haec videtur esse Graecorum patrum doctrina depravata, cuius videtur Wichingus Romae discipulos accusasse, non autem Methodium ipsum. Nonne in discipulis et magister accusatur? Cuinam praebeamus fidem: duobus summis pontificibus Methodii iudicibus, an pravo, ac scelesto Wichingo? — Methodius usus est de Spiritu S. termino biblico καταβαίνειν, descendere, ad quod Wichingus accusans addidit »quasi quibusdam gradibus« (materialiter). De Photio autem in tota epistola ne minimum quidem iota commemoratur. Cum Stephanus VI. res parvi momenti vituperet, sileretne, si quid audivisset, Methodium esse Photianum, quod et Wichingus certe indicasset. Auctor clarissimus putat presbyteros Moravos intellexisse verba »ingenitus« et »genitus» cum patribus Graecis sensu latiore. Sed papa non dicit eos dogma negare, sed quid respondendum esset, si Filioque nollent addere, et sententiam eorum tantummodo corrigit (locus in altera epistola conservatus).

Tum scribit papa de superstitione Methodii. Intellecta est huc usque hac superstitionis voce »doctrina erronea« (Wattenbach . . .), *S.* autem exponit eam in notione primaria »povèra, Aberglaube« *a*) ex usu documentorum papalium *b*) ex oppositione »aedificationi, contentioni — non paci.« Haec superstitio et contentio ex eo orta est, quod Methodius credidit Spiritum S. procedere ex Patre per Filium, sed in missa Filioque non cantavit, ut in Germania mos erat.

Breviter quaedam adduntur de rebus tunc sequentibus, quarum non est servata memoria excepta legenda Bulgarica, cui fidem praestare non possumus. Quid legati de his litteris in Moraviam missi fecerint, ignoramus, sed Suentopolcus et Wichingus liturgiam Slavicam persequebantur, quare cedere debebat.

Auctor legendarum hausit ad arbitrium ex fontibus iam existentibus, valde sectans partes Photii nec voluit, ut lectores veritatem nudam comperirent. Denique ostendit *S.* ex fontibus Slavicis, Latinis, Graecis, Cyrillum transtulisse evangelia e lingua Graeca, in Moravia eum accepisse ordinem Romanum, verso psalterio et officio, postea et ordine Romano e lingua Latina. Est ergo auctor ritus Slavici secundum Graecos et Romanos.

Jos. Samsour: Inkvisice. De inquisitione; p. 336, 409, 500, 573, 659. Iam anno 1905 scripsit Dr. *S.* de organisatione horum iudici-

orum papalium. Hic loquitur de eorum ambitu. Specialis respectus habitus est cum ad clerum quem dicunt inferiorem et potestates civiles tum ad clerum superiorem. Exponitur modus, quo in iure processum sit. Omnia tendebant eo, ut reus culpam suam profiteretur. Agitur deinde de poenis. Auctor commonefacit in iudicio de inquisitione proferendo distinguendum esse inter principium eiusque usum.

Fr. Dohnal: Umění a náboženství. De arte et religione; p 670, 737. Ars non potest vices gerere religionis, est quodam modo filia religionis. Altera alteram iuvat, id quod exemplis demonstratur.

Richard Tenora: Úprava škol v zemích habsburských za Marie Teresie a Josefa II. De reformatione scholarum in dicionibus Habsburgorum tempore Mariae Theresiae et Josephi II.; p. 759, 826, 903. Exponuntur labores »illuminatorum virorum«, quos susceperunt, ut ecclesiam influxu in scholas praesertim in facultates theologicas privarent. Taedet legere quomodo eos etiam multi e clero adiuverint. *F. V.*

Jiří Sahulă, **Karel IV. jako křesťan a vlastenec.** (De Caroli IV. virtute christiana ac patriae amore). Hradec Králové 1905. Pag. 490. Pr. 3 Cor.

Hoc libro res, quibus Carolus IV. pietatem christianam, ecclesiae ac patriae amorem probaverit, etsi non e primis fontibus, tamen recte et accurate exponuntur, modo ad populi intelligentiam accommodato. Simul praeclaro hoc exemplo ostenditur quantopere christiana virtus patriae profuerit, cui neglecta ingentia damna saepenumero attulit. Nescio, cur *S.* ne nominet quidem libellum simili proposito ante 30 annos a Io. Votka S. I. diligenter compositum (Císař Karel IV., otec vlasti. Pr. 1878. Pag. 207).

Frant. Odvalil: **Joris Karl Huysmans.** Vypsání jeho literární tvorby a její význam náboženský. (De scriptis eius eorumque momento religioso) Pragae 1907. p. 140. 2 K.

Ex operibus et vita extraordinarii huius scriptoris describitur philosophica, psychologica et religiosa evolutio eius animi. Opusculo hoc tota materia plene exhauritur, atque figura Huysmansi plastice depingitur stilo eleganti et suavi excerptisque locis, qui rem maxime illustrant. Laudantes, pro merito, librum ab *O.* conscriptum, non possumus reprimere dolorem, quod quaerentes aliena et distantia negligimus nostra et proxima. *Fr. Žák.*

POLONICA.

Ks. Karol Feliś S. J. **Zarys sporu i nauki o częstej i codziennej komunii świętej.** (Conspectus disceptationis et doctrinae de frequenti et quotidiana s. communione) Cracoviae, Apostolatus Orationis 1907. pag. 56.

Magno cum studio inquiritur in universam traditionem catholicam, ex qua apparet, doctrinam de quotidiana s. Communione, quam Pius X. exposuit, semper in mente ecclesiae viguisse, non obstantibus plurimorum theologorum opinionibus, quarum genesin auctor lucide explicat. Libellus sacerdotibus valde utilis esse potest, maxime iis, qui praeiudicio cuidam hac in re indulgent.

Dr. *Władysław Kochowski*. **O rozwodach** (De divortiis). Przemyśl 1907, 32⁰ pag. 139.

Auctor doctrinam catholicam de indissolubilitate matrimonii methodo facili ac populari exponit eiusque rationabilitatem et necessitatem documentis ex ipsa rerum natura, historia populorum et statistica petitis perpulcre corroborat. Sub finem tandem obiectiones, praesertim per „societatem culturalem" hisce annis longe lateque divulgatae solidis refutantur rationibus. *Ro.*

Ks. dr. Szczeklik, **Etyka niezależna i nowoczesny ruch etyczny** (Ethica independens et novae tendentiae ethicae) Leopoli 1907. pag. 21.

Sz., qui iam ab annis innotuit ex articulis et libris de quaestionibus theologiae moralis, concinne agit in hoc libello de „Moralitate absque religione." Ethica haec independens cum rationibus philosophicis tum theologicis refutatur. Inquirit cl. auctor in genesin tendentiae ethicae independentis, eamque considerat primo sub respectu theoretico, dein vero in relatione ad praxim. Theoria ethicae independentis secundum Dr. Szczeklik initium sumpsit ab axiomate Baconis de Verulamo: „scientiam a fide separandam esse." Kant et Spencer hanc theoriam scientifice excolere conati sunt. Quod attinet tendentiam independentis, ethicae in praxi, evolutio aliâ via processit. Ex Statibus Unitis Americae septentrionalis tendentia haec translata est in Angliam, inde in Germaniam, et denique mediante hac in Poloniam. Concretam organisationem nacta est haec tendentia maxime in Galicia per associationes „Eleutheriae," „Eleusis," Ethos etc. In Polonia ethicae independenti admiscebantur initio motiva nationalia, et ultimo tempore mitigata est paululum polemica contra Ecclesiam. Sententiam suam de tendentia mere-ethica auctor his verbis comprehendit: „Theoria independentis ethicae non semper repugnat doctrinae catholicae quoad suas conclusiones, — contradicit vero ratione fundamenti, quo innititur, immo ipsa fundamenta ethicae impugnat. Practica vero tendentia ad propagandas ideas ethicas eatenus placet, quatenus ratio virtuti tributum honoris reddit et reagit contra hodiernum nihilismum moralem. Maxima vero cautela opus est, ne ideae ethicae, propagatae per homines tum vere dignos, tum ex alia parte irreligiosos et indifferentes dirigantur fraudulenter ad virus infidelitatis instillandum."

Ks. dr. Szczeklik, **Kwestya uświadamiania płciowego.** (De paedagogica sexuali). Sumptibus auctoris. Tarnów 1907. pag. 58.

Non minus actualem quaestionem discutit idem cl. scriptor in hoc libello: „de paedagogica sexuali." Sententia eius fere coincidit cum theoria nuper a catholicis in Germania proposita: spectata hodierna temporum conditione dilucidationem in re sexuali esse medium valde utile contra crescentem luem luxuriae inter iuniores, immo quibusdam in circumstantiis parentes obligari ad eiusmodi dilucidationem, servata utique modestia et pietate religiosa. Rectissime animadvertit *Sz.*, generatim magis insistendum esse aliis insuper mediis, ex natura sua positive

ad castitatem propagandam idoneis, scl. studio laboris ac duritiae, exercitio modestiae, aestimationi virtutis et imprimis motivis religionis. Claritas expositionis et solida doctrina catholica libellum apprime commendant.

Notare hic placet librum E. Ernst, „De obligatione parentum," recentissime in idioma polonicum ex originali germanico esse translatum et Posnaniae in typographia St. Adalberti editum. *M.*

Ks. Dr. J. Górka, **Wspomnienia z Królestwa Polskiego i Litwy.** (Memorabilia ex regno Poloniae et Lithuania). Tarnoviae 1907. pag. 87.

Sagax observator rerum Lithuanicarum regnique Poloniae describit hic suam excursionem, anno 1905 factam, eamque variis adnotationibus ex historia, claris auctoribus et propria reflexione haustis locupletat. Hodiernam conditionem incolarum in oppidis et vicis per influxum maioris libertatis religiosae et politicae in Rossia mutatam, novamque inde fluentem vitam nationalem exponit, et in genesin sectae Mariawitarum inquirit. Quaedam capita: „Libertas religiosa et caesaropapismus", — scholae in Lithuania et Samogitia — tractant quaestiones hoc tempore actuales, easque solide exponunt et omni ex parte exhauriunt.

Libri recentiores polonici.

1. Mioduszewski, Ks. Ign. Praktyczne objaśnianie zasad wiary i obowiązków moralnych. (Practica expositio veritatum fidei et officiorum moralium) Warszawa. 1907, Pag. XVII + 387.

2. Bieliński, Wydział teologiczny Król' Warszawskiego Uniwersytetu. (Facultas theologica Universitatis regiae Varsaviensis). (1817—1831) Warszawa 1907. Tom. I. 8⁰. pag. 767.

3. Gide Karol, professor iuris in Universitate Parisiensi, Zasady ekonomii społecznej. (Principia oeconomiae socialis) Editio III. polonica, iuxta X. editionem gallicam denuo correcta et ampliata a dr. Czerkawski, professore Universitatis Jagiellonicae Cracoviensis. Warszawa 1907. 8⁰. pag. 718.

4. Ks. Dr. Podwin Adam. Drogowskazy. (Listy do młodego przyjaciela) — Consilia vitae. (Epistolae ad amicum iuvenem.) Cracoviae 1907. 8⁰. pag. 203.

5. Szlagowski, Wstęp ogólny historyczno — krytyczny do Pisma Sw. Introductio generalis in S Scripturam. Tomus I. Inspiratio-Canon. Textus originalis) 8⁰. III + 64 1907. Warszawa.

6. Załęski, Ks. Stan. Jezuici w Polsce (w skróceniu.) — Compendium totius operis. 8⁰. XVIII + 379. Cracoviae 1907.

Memorandae sunt duae collectiones libellorum, quae actuales quaestiones tractant:

1. Broszury o chwili obecnej. (Libelli de rebus huius temporis) Cracoviae 1905—1907.

2. Głosy na czasie (Voces de quaestionibus hoc tempore agitatis.) Posnaniae 1906—1907.

Prima collectio edita a redactione »Przegląd powszechny« imprimis ad lectores excultos dirigitur, altera characterem potius popularem prae se fert. Adnotamus ea, quae magis ad res theologicas spectant:

E prima serie:

Czerkawski Dr. Włodz. Dzisiejsza akcya liberalizmu. (Actio liberalismi huius aetatis.

Wiecki, Ks. T. J. »Lourdes« Zoli i »Lourdes« Huysmansa.

Hortyński Ks. T. J. Walka o światopoglądy. (De theoria evolutionismi ex occasione libri P Wasmann S. J. de biologia recenti et theoria evolutionis).

Adamski Ks. T. J. Wobec ruchu rozwodowego. (Reflexiones de natura matrimonii).

Ks. Urban T. J. Ażeby wszyscy byli jedno. (Ut omnes unum sint). Articuli de Unione ecclesiarum.

Ex altera serie:

Adamski. Ks. Ign. Religia i moralność. pag. 64.

Dr. Rzymski Teodor: Wartosc dóbr doczesnych w świetle religii chrześcijańskiej. (De valore bonorum temporalium secundum doctrinam religionis christianae.) pag. 58.

Ruczyński, B. Kościół a kultura pag. 109. (Ecclesia et cultura).

M.

RUSSICA.

S. Zarin, **Аскетизмъ по православно-христіанскому ученію.** Томъ первый: основоположительный. Книга первая и вторая. Этико-богословское изслѣдованіе Сергѣя Зарина. Петербургъ. 1907. стр. XV + 694. (Asketizm po pravoslavno-hristianskom učeniju.) **Ascesis secundum orthodoxo-christianam doctrinam.** T. I. libri duo. Petropoli 1907. [1])

Z. rem, quae intimo nexu cum fide revelata coniungitur et ad mores efformandos multum valet, tractandam aggreditur, ascesim nempe christianam. At licet multa patrum opera de hac quaestione habeantur multique ex auctoribus recentioribus eam illustrare conati sint, nondum tamen apud Russos opus, quod doctrinam de ascesi systematice proponeret, in lucem prodiit. *Z.* itaque magno operum cum a ss. Patribus tum a recentioribus Russis compositorum apparatui innixus, nodum solvere conatur.

Prelo commissus est tomus primus, qui duobus — separate editis — libris constat. In primo libro patrum operibus, quibus in conscribendo libro usus est, enumeratis, recentiorum auctorum praesertim Russorum conamina rem, de qua agimus, illustrantia, recenset disquiritque, quid singuli praestiterint, in quibus cum ipso consentiant, qua in re illos ipse secutus sit; verbo, singulorum de ascesi doctrinam accuratae crisi subicit. Secundum *Z.* ut doctrina de ascesi intellegi possit, apprime s. spripturae et insigniorum ascetarum primorum saeculorum principia ascetica addisci necesse est (cf. T. I., l. 1. p. 383).

Secundum s. scripturam — textus respectivos auctor l. 2. p. VI. affert — ascesis intellegitur tendentia ad perfectionem christianam, qua ad hanc perfectionem assequendam omnes corporis et animi vires adhibentur bellumque cum impedimentis ei obstantibus idque sine ulla intermissione geritur (l. 2. p. VI). Apud Patres autem *ἄσκησις* duplici sensu accipitur vel generali ad vitam monasticam designandam, vel speciali ad exercitium in qualibet virtute significandum (l. 2. p. VIII).

Itaque si cum s. scripturae tum Patrum doctrina attenditur: „подъ аскетизмомъ въ прямомъ и собственномъ смыслѣ слѣдуетъ разумѣть вообще планомѣрное употребленіе, сознательное при-

[1]) Ubi aliud non est adnotatum, intellegitur a nobis liber secundus.

мѣненіе цѣлесообразныхъ средствъ для пріобрѣтенія христіанской добродѣтели, для достиженія религіозно-нравственнаго совершенства" (ascesis generatim intellegenda est deliberata applicatio aptorum mediorum ad virtutem christianam et religiosam perfectionem assequendam l. 2. p. XI). Finis autem asceseos proximus est praeparare naturales hominis vires et facultates ad recipiendum divinae gratiae influxum et efficere ex eis aptum instrumentum, ut in homine appareat vita aeterna (l. 2. p. XI.)

Ascesis, sicut ex eius analysi manifestum est, ut ex una parte hominis in peccatum lapsum eiusque naturae corruptionem supponit, ita ex altera parte normam et exemplar (Deus-homo I. Chr.), secundum quod vita conversionem subsequens instituenda est, in suo conceptu includit. Morum tamen iuxta hanc normam formatio sine accurata s a l u t i s cognitione haberi nequit: etenim religiosa perfectio et salus in religione revelata sunt notiones correlativae. (l. 1. p. XXVII); ideo in tractatu de ascesi, de salute quoque agendum est.

Z. inter alia ostendere intendit, omnes homines, cum, in omnibus eadem naturae ob peccatum originale depravatio et ad peccatum proclivitas adsit cumque omnibus, vitam suam iuxta exemplar in Deo-homine propositum dirigendi, officium incumbat, teneri ad primaria asceseos principia et praecepta observanda. At cum diversae hominum singulorum indoles cernantur cumque Deus variis viis singulos homines ad vitam aeternam perducat, — variae quoque formae asceseos seu tendentiae ad ultimum hominis finem adsint necesse est (l. 1. p. XXVIII). „Православіе признавая „совершенство" общехристіанскимъ требованіемъ, считаетъ и аскетизмъ общехристіанскою обязанностью, осуществляемою въ различныхъ формахъ — въ монашествѣ и общественно-дѣятельной жизни. Монашество считается аскетізмомъ *κατ᾽ ἐξοχήν*, но не исключительно, — формою религіозно-нравственной жизни, наиболѣе приспособленною для осуществленія аскетизма" (Secundum orthodoxos omnes homines sicut ad perfectionem christianam assequendam, ita ad ascesim exercendam tenentur hoc solum discrimine, quod ascesis in duplici forma verificari potest: in vita monastica et in vita omnibus hominibus communi. Et ideo vita monastica, licet sit asceseos schola *κατ᾽ ἐξοχήν* et licet in ipsa ascesis facile et commode exerceatur, minime tamen unica asceseos forma censeri potest. l. 2. p. XV.) Itaque opus *Z.* dupliciter dividitur: in partem generalem, quae de ascesi omnibus hominibus communi, et in partem specialem, quae de ascesi vitae monasticae expressa, agit. Inter unam et alteram asceseos formam solum accidentalis invenitur differentia.

Tomus prior de ascesi in genere tractat. Dividitur autem in duos libros; ex quibus prior praesertim de recentiorum Russorum operibus asceticis recensionem ac crisim profert; in altero libro de ipsa ascesi sermo est. In tomo posteriore *Z.* de altera asceseos forma, nempe per vitam monasticam exercita tractaturus est.

Prioris autem tomi liber alter in quattuor capita cum praefatione dispescitur. In praefatione (p. I—XV) de sensu termini „*ἄσκησις*"

secundum philologicam et historicam significationem inquiritur. In primo capite (p. 1—210) orthodoxorum doctrina de salute a Christo effecta et a singulis hominibus per liberam cooperationem ipsis applicanda exponitur.

In secundo capite (p. 211—353) hominis nondum per gratiam sanctificati status necnon peccati et aversionis a Deo natura et ambitus describuntur. In tertio capite (p. 356—544) fundamentum et essentia perfectionis humanae, nempe caritas, evolvitur. In quarto denique capite (546—682) conclusiones e prioribus capitibus deducuntur principalioraque asceseos principia indicantur, modique, quibus ascesis exerceri potest, exponuntur.

In fronte primi capitis in nota dicit auctor orthodoxorum sicut et protestantium de fide revelata doctrinam sine doctrina eorum de salute neque cognosci neque intellegi posse (l. 2. p. 2.) Redemptio vero est restitutio supernaturalis relationis hominis ad Deum (p. 4): salus quae homini per Iesum Chr. obvenit, est eius liberatio a peccato peccatique sequelis et restitutio humanae naturae ad pristinum integritatis statum (p. 5) seu — magis positive — salus est redemptio a peccato et per hoc donatio aptitudinis et capacitatis ad vitam aeternam in regno coelorum (p. 6).

Animus hominis, cum Dei imago sit et a Deo procedat, ad Deum tendit eique assimilari cupit. Quae assimilatio seu deificatio quaedam tunc temporis adest, cum homo vitam suam iuxta vitae divinae exemplar componit (p. 14) cumque Deum suum creatorem amare satagit (p. 15). Homo deificationis particeps in scriptura sanctus appellatur (p. 17). Sanctitas in suo conceptu duo elementa includit: peccati absentiam nec non habitualem tendentiam, qua homo Deo assimilari cupit (p. 17_{sq}). Quae tendentia tunc habetur, cum homo virtutibus christianis studet (p. 21 sq.) cum homo alibi atque in Deo finem suum ultimum quaerit, peccatum committit et ideo vita (coniunctione cum Deo) privatur nec non e statu deifico detruditur ac se in mortem tradit (pag. 24 et 28). At Deus misericordiam homini praebens, e peccati servitute — quod solus facere potuit — hominem per Filium suum Unigenitum liberavit. Oblato crucis sacrificio genus humanum in pristinum statum restitutum, ius et vires, ut vitam deificam degere possit, iterum accipit (p. 39). Verum cum homo etiam personaliter (non solum in Adam) peccaverit, ideo duplex regeneratio necessaria est: naturae (metaphysica) et personalis (libera hominis cooperatio) (p. 43 sq).

Quod duplex elementum si adest, intimam inter Christum et hominem coniunctionem efficit. Ad hanc coniunctionem efficiendam et conservandam sacramenta a Christo instituta multum valent (p. 48 sqq). Huius a peccato redemptionis etiam corpus hominis particeps evadit, immo sub quodam respectu etiam corpus deificatur, vitaque divina et immortalitate donatur (p. 55 sq.) Independenter tamen a libera hominis cum Dei gratia cooperatione, supernaturalis cum Deo coniunctio nec multum valet nec diu conservari potest. Quae coniunctio maxime per amorem augetur et firmatur (p. 65 sqq). Homo, si habet hunc amorem, similis Christo efficitur eiusque imaginem in sua persona exprimit et

per hoc Christum imitatur. Cuius imitationis fructus est hominis sanctificatio, quae hominem interne regenerat (p. 74). Supernaturalis hic effectus, licet etiam per hominis liberam voluntatem obtineatur, principaliter tamen per Spiritus S. operationem fit (ibid.). Vita itaque hominis christiani sub quodam respectu divino-humana vocari potest et consequenter ab orthodoxis divinae gratiae et humanae libertatis synergismus docetur (p. 75). Per gratiam Christi homini nova vita ac Dei amor infunditur eique Christi merita applicantur (p. 76 sq). Gratia tamen liberam hominis voluntatem intactam servat (p. 79 sqq). Dei autem in hominem per gratiam operatio interna est (organica appellari potest) sensimque vires suas exserit (p. 90 sq), et ex nativa sua destinatione deificationem in homine efficere appetit (p. 92 sqq.)

Perfectio vero triplicem involvit statum: incipientium, progredientium, perfectorum. Incipientes ideo perfectionis statui inseruntur, quod ad Christum per baptismum convertuntur. In qua conversione fides salvifica cum duplici suo elemento, nempe aversione a peccato et conversione per amorem ad Christum, praeprimis eminet (p. 97 sqq). Natura autem fidei salvificae in eo consistit, quod homo sese totum Christo consecrat sibique sincere proponit ei soli ex hoc tempore servire (p. 102). Homo sacro fonte ablutus non solum a peccatorum reatu liberatur, verum etiam regeneratur nec non filiationis ac libertatis divinae iura ac privilegia accipit (p. 107).

Quam libertatem ut conservet, vitam secundum spiritum agere debet. Post baptismi igitur receptionem reliquum est, ut homo, quod promisit, adimpleat; quod si sine interruptione facit, sanctificatur (p. 112 sqq). Cum autem homo promissa servat vitamque divinam per vitam suam manifestat, pleno sensu ascesim exercet (p. 118). Opera vero bona, in quibus fides salvifica sese ostendit, nihil aliud sunt nisi externa eius signa et concretae expressiones nec non modi, per quos Christi iustitia hominis propria fit (p. 112). Verum perfectio non tempore, sed interna hominis dispositione mensuratur (p. 129), At nemo iam hisce in terris plenam perfectionem assequi potest; id enim ob specialem huius vitae indolem ad alteram vitam reservatur (p. 131 sqq). Peccator ob deificationis defectum a beatitudine caelesti in aeternum excluditur idque solum ob perversam suam voluntatem. Etenim Deus tantum consequenter ad malam peccatoris vitam hanc ei poenam infligit (p. 152 sqq). Qui damnatur, ideo damnatur, quia gratiae cooperari vitaeque divinae particeps esse recusat (p. 202).

Deus tamen hominem salvum facit et ad caelum perducit non ob eius merita, sed unice (исключительно) ex sua misericordia. Etenim secundum orthodoxos merces in altera vita pro bonis operibus recepta repugnat cum redemptione et sanctificatione per gratiam (p. 162). Homo autem christianus, qui ad perfectionem tendit, sequentibus motivis in vitae suae progressu ducitur: initio perfectionis, cum timor incurrendi poenas infernales spesque praemia aeterna consequendi hominem a peccato fortiter avertunt, Deus hocce motivo eum ad se attrahit: in ulteriore tamen progressu, qui vere Deo adhaeret, amore filiali tantum in actionibus suis ducitur (p. 168 sqq).

Ut homo vitam deificam in seipso ferre possit, imprimis negative sese sanctificare debet. Negativa haec sanctificatio in eo consistit, ut homo passiones vincat. Passiones enim nisi expugnantur a vitae aeternae consecutione praepediunt. Quam pugnam omnes homines subire debent cum omnes homines in Adam peccaverint. Ex peccato autem originali sua sponte passiones pullulant, disharmonia in hominis interiora introducta est et spiritus carnis desideriis subicitur (p. 220 sqq). Passionis vero sedes principalis cum homo ratione et libera voluntate praeditus sit, in voluntate reperitur, immo etiam passio carnalis maxima ex parte a libero hominis arbitrio dependet (p. 236). Passiones autem una ex altera ut rivulus ex fonte effluunt; — stationes vero, per quas passiones transeunt, a Patribus sex vel septem numerantur (p. 248 sqq.) Verum passiones tantum in eo oriuntur, qui sese a Deo avertit rationemque non ad Deum resque divinas considerandas, sed ad creaturas contemplandas applicat (p. 259).

Positivum, quod christianus in asceseos schola necessario acquirere debet, Dei amor est. Etenim „совершенство христіанской святости заключается именно въ совершенствѣ и полнотѣ любви" (supernaturalis sanctitas nihil est nisi amoris plenitudo p. 356); amor est fundamentum, quo non posito totum perfectionis christianae aedificium ruit (p. 327). Amor supernaturalis similitudinem Dei in anima humana efficit eamque deificationis gratia exornat (ibid.). Per amorem inter Deum et hominem intima oritur vicissitudo, homoque per plenam sui abnegationem ea, quae Dei sunt, unice quaerit (p. 366 sq). Qui autem Deum amat, magis Eum in dies cognoscere studet idque non solum theoretice, verum etiam practice. Quae quidem practica cognitio maxime id temporis eminet, quando homo cum Deo familiariter conversatur (p. 385). Ex amore autem fides exoritur, quae hominem ad Dei mandata observanda impellit eumque, ut in perfectione progrediatur, multum adiuvat (p. 391 sq). Ex principiis vero perfectionem et ascesim constituentibus, quibus totum christianae asceseos aedificium superstruitur, primam et principalem esse *γνῶσιν* omnis orthodoxus confitetur. Etenim *γνῶσις* asceseos necessarium fundamentum est, ipsam constituit et *γνώσει* ruente ruit etiam ascesis (p. 682; cf. p. 381—442).

Ἐπιστροφή (conversio) ad Christum perficitur paenitentia (*μετάνοια*), per quam homo seipsum odit et aversatur, — iniuriae, quam Deo intulit, conscius fit, — sensimque veterem hominem deponit ac Christum induit (p. 546 sqq). Quae paenitentia omnibus necessaria est, qui vitam supernaturalem vivere volunt (p. 551). At paenitentia haec instar seminis est, quod decursu temporis sese evolvit; paenitentiae autem evolutio in eo est sita, quod homo a peccato perfecte sese liberat omnesque vires in Dei servitium impendit (p. 561). Cum vero omnis homo ob suas ad Deum relationes idem praestare debeat, etiam omnis homo primaria asceseos praecepta, licet alius alia forma, implere atque ascesim exercere tenetur (p. 562). Ascesis tamen non seipsam pro fine habet, sed ut medium ad altiorem finem ordinatur: ascesis enim ut ancilla praeparat viam dominae i. e. disponit ac praeparat hominem ad deificationis gratiam recipiendam (p. 680 sq).

Haec breviter de libri argumento. Apud *Zarin* una res ex altera profluit nec non singula capita logice inter se connectuntur. Perlecto libro lectori manifestum est eum, quod promiserat, implevisse. Etenim liber eius orientalium respective Russorum de ascesi doctrinam idque multis patrum ascetarum, recentiorum Russorum operibus innixus systematice proponit et evolvit. Alterum, quod in scriptoris laudem cedit, illud est, quod in opere suo doctrinam de ascesi quatenus cum fide orthodoxa cohaeret proposuit et in notis tales animadversiones posuit, quae theologo vel historico, qui orientalium, respective Russorum fidem investigaturus est, magnae utilitati esse, immo et catholicis Graecam vel Slavicam linguam loquentibus magna emolumenta afferre possunt.

Inter alia, quae laudem merentur, illa sunt, quae scriptor de asceseos natura (l. 2. p. VIII; p. 118, 216, 565 et passim); de peccatoris in inferno exsistentis statu, de passionum genesi ac natura, habet. Secundum Zarin doctrina ascetarum de passionum natura ac numero a monachis Aegyptiacis, psychologicis rationibus ac curae spirituali innixis proposita est, — Evagrius, Nilus S. et Cassianus vero illam doctrinam evolverunt atque in systema redegerunt (cf. l. 2. p. 309—353).

Haec autem ad scriptoris opus adnotanda esse videntur. Opus multis in locis ob distinctionis et accuratae locutionis defectum claritate carere videtur. Velut cum de gratia agit, qualem gratiam intellegat, actualem an habitualem, minime manifestum est.

Neque clarum est, quomodo mors physica ex peccato sequatur (cf. 25). Omnium autem hominum in Adami peccato participationem ex eo explicat, quod omnes ab Adam per generationem descendunt. De eo, quod hic de dono supernaturali, non de naturali agatur et quod Deus Adamum tamquam caput omnium hominum constituerit. omnino silet (cf. p. 41. 45. 220). Neque discernit bene inter mortem physicam et spiritualem. In doctrina de gratia Massiliensium theoriam sequitur (cf. 87, 103, 104, 109). Mercedem in altera vita omnino reicit, et textus s. scripturae, qui hanc mercedem sat manifeste innuunt, eo explicat, quod Christus et apostoli sese ad populi captum accommodaverint — licet quod ipsi locuti sunt, obiective falsum sit (p. 162 sqq). Vetus et novum Testamentum eo inter se differunt quoad sanctificationis modum, quod lex (i. e. V. T.) per opera sanctificat (idque exclusive — исключительно), — evangelium vero per gratiam (cf. l. 2. p. 162). Secundum *Z.* anima rationalis sine corporis resurrectione perfectam beatitudinem habere non potest (cf. 63_{84}): trichotomiam quoque docere videtur (cf. p. 225 sqq).

Et quod gravissimum est, — Zarin, sicut Russi communiter faciunt, nullibi indicavit, quid homo, ut ad sanctitatis et deificationis statum perveniat in eoque perseveret, sub gravi facere teneatur, quid vero non sub gravi teneatur. Obligationis et decentiae termini apud eum idem videntur significare. Talis autem agendi modus hominem saecularem parum ad virtutem ac perfectionem alliciet. *M. Haluščynskyj.*

Христіанское Чтеніе (Hristianskoe Čtenie). R. 1906.

P. Žukovič: Историческія обстоятельства предшествовавшія возстановленію патр. Өеофаномъ западнорусской церковной іерархіи. Istoričeskija obstojatel'stva predšestvovavšija vozstanovleniju patr. Theofanom zapadnorusskoj cerkovnoj ierarȟii

Theophanes, patr. Hierosolymitanus a. 1620 die 22. Martii venit in urbem Kiev, quae gubernio Polonico subiacebat. In occidente id temporis bellum tricenarium gerebatur, cui etiam rex Poloniae, Sigismundus III. se immiscebat, cum Ferdinando II. auxiliares exercitus mitteret. Turcae hac re irritati regno Polonico bellum indixerunt et exiguum eius exercitum duce Żółkewski die 6. Octobris in Moldavia vicerunt. Theophanes patr. iam occasionem habuit libere et nullo victi regni respectu habito, quae itinere suo intendebat perficiendi. Sine mora tres orthodoxos episcopos consecravit, Isaiam Kopinskij, hegumenum, pro dioecesi Peremysliensi, hegumenum Iov. Boreckij pro sede metropolitana Kioviae, Meletium Smotrickij pro archidioecesi Polock. Ita hierarchia orthodoxa in Russia occidentali erat restituta; fuerat enim usque tum toto territorio solummodo unus episcopus orthodoxus Leopoli. Restitutionem hanc praeprimis Kozakos Zaporogenses adiuvisse complura documenta testantur, velut protestatio metropolitae Iov Boreckij ex an. 1626, in qua etiam fides Kozakorum orthodoxa laudatur.

P. Žukovič: Первый полскій сеймъ послѣ востановленія патр. Өеофаномъ православной церковной іерархіи. Pervyj polskij sejm posle vostanovlenija patr. Theofanom pravoslavnoj cerkovnoj ierarȟii.

Materia articuli praecedentis porro tractatur. In conventu regni Polonici a. 1620 initio mensis Novembris convocato multi deputati praesidium politicum pro fide orthodoxa contra agitationes unitorum invocaverunt et ut novis hierarchis a patr. Theophane consecratis beneficia ecclesiastica attribuerentur postulaverunt. Inter oratores orthodoxos praesertim Drevinskij excellebat. Opposuit ei metropolita unitorum, Rutskij; is tamen nullas sympathias inter Polonos excitavit, ita ut Romae de hac re conquereretur. Orthodoxi autem, quamquam praeterea eis etiam bellum cum Turcis gestum favebat, nulla tamen nova iura adepti sunt praeter vanas promissiones. Causae erant duae: 1. Ferdinandi II. victoria de haereticis in Monte Albo Bohemiae reportata, qua omnes catholici magna fiducia atque sui aestimatione implebantur; 2. delegatorum Kozakorum a conventu absentia; nam Kozaci erant asseclae fidei orthodoxae fidelissimi. Propterea putabat patr. Theophanes alio modo agnitionem novae hierarchiae ex parte gubernii Polonici procurandam esse. Rege enim petente, Kozakos peculiari quadam epistola ad bellum contra Turcas exhortatus est. Denique cum post triennalem in Russia moram in patriam reverteretur, iterum tres episcopos mense ianuario an. 1621 consecravit. Hierarchia orthodoxa in Russia occidentali erat iam ita completa, sicuti ante synodum Brestiensem an. 1596 habitam fuerat. Dux Kozacorum, Petrus Sagajdačnyj, patriarcham usque ad fines regnorum comitatus est. Prius autem Kozaci admoniti erant, ne iterum adversus Moskvam cum exercitu proficiscerentur, sicuti an. 1619 fecerant, cum Moscovitae boni christiani essent.

V. V. Uspenskij: Образовательная стремленія возрожденія. Obrazovatel'naja stremlenija vozroždenija. (De humanismi regenerati studiis ratione eruditionis consideratis.)

Verbum »eruditio« demum a Pestalozzi tamquam terminus technicus statuitur. Quidnam significat eruditio? Significat plenam virium humanarum evolutionem, quae libere et systematice fieri debet. Posita hac definitione auctor inter studia humanismi haec tria facta refert 1. evolutionem individualismi ut causae moventis in vita humana 2. dissolutionem culturae aevi medii. 3. receptionem classicae, prae-

sertim Romanae antiquitatis, tamquam materiae erudientis idque in damnum elementi christiani. Hac de causa inter humanismum et christianismum differentia summa erat: In humanismo regenerato fides in naturam humanam existebat, in christianismo vita religiosa. Illic spes in vires hominis, hic spes auxilii divini. »Regeneratio« naturalistica erat, religio christiana est supernaturalis. — Patria humanismi erat Italia.

I. I. Sokolov: Церковная политика византійскаго імператора Іссаака II. Ангела. Cerkovnaja politika vizantijskago imperatora Issaaka II. Angela:

Cum Nicetas Choniatus rerum scriptor tradat imperatorem Isaacum II. limites suae potestatis ratione rerum ecclesiasticarum saepe transiisse, multi docti Rossi systema caesaropapismi ei obiciunt. Sed hic scriptor contrarium demonstrat tum ex principiis, quae imperator in rebus ecclesiasticis observabat, tum ex rebus ab ipso gestis. Isaacus II. enim duas potestates, sacerdotium nempe et imperium accurate distinxit, immo priori superioritatem attribuit. Hoc patet ex modo, quo synodis tum convocatis intererat. Plenam enim episcopis libertatem de variis rebus disputandi reliquit, ipse solummodo munus epistemonarchi, i. e. procuratoris ordinis exercebat. Quod facta eius attinet, unionem Armenorum cum ecclesia Graeca perficere studuit et magnus monasteriorum benefactor erat. — Si tamen de eius caesaropapismo sermo esse potest, is numquam tamquam systema de iure et de facto constructum, sed tamquam humana proprietas intelligenda est. Argumento est Dositheus, patriarcha Hierosolymitanus, quem Isaacus grato animo Constantinopolim vocavit et sede patriarchali donavit, postea vero populo postulante et synodo consentiente tamquam peregrinum removere studuit.

I. P. Ščerbov: Къ вопросу объ отношеніи Россіи къ православному востоку въ первой половинѣ XVIII. вѣка. K voprosu ob otnošenii Rossii k pravoslavnomu vostoku v pervoj polovinė XVIII. vėka.

Relationes Rossiae ad orientem orthodoxum historiae partem constituunt, quam cognoscere valde interest. Personae Palestinenses quae dicebantur — i. e. patriarchae, episcopi, hegumeni et sacerdotes — in Rossiam venire solebant, ut eleemosynas pro se vel pro suis monasteriis colligerent. Usque ad tempora imperatoris Petri I. haec itinera peregrinorum in Russia frequentissima erant. Sed decursu XVIII. saeculi rariores fiebant, tandem omnino cessaverunt. Cum nempe prius liber accessus in Rossiam iis pateret, Petri I. iussu litteras commendatorias et testimoniales a suis patriarchis vel monasteriis adferre debebant. Neque iam ut prius ad imperatorem admittebantur, a quo praecipuam eleemosynam acceperant, sed s. synodus eis pecuniam vel s. libros vel paramenta distribuebat, nonnumquam licentiam ad collectiones apud populum instituendas dabat. An. 1735 imperatrix Anna Ivanovna visitationes orientalium valde restrinxit organisatione »statuum Palaestinensium«, quorum membra solum quinto quoque anno eleemosynam petere potuerunt, ii vero, qui extra hos »status« erant, omnino ab eleomosynis exclusi erant. Postea petentes ipsi variis abusibus viam sibi in Rossiam clauserunt.

E. Akvilonov: Христіанство и современныя событія. Ḥristianstvo i sovremennyja sobytija.

Nostris temporibus multi morbi per societatem humanam grassantur tam morales quam materiales. Medicamenta varia quaeruntur. Vix autem invenietur melius religione christiana. Apud Romanos corruptio morum summa erat, sed fides christiana societatem regeneravit. Quod nullum regnum assequi potuit, hoc doctrina Christi perfecit — totum nempe mundum expugnavit. Quibusnam armis? Vi solummodo amoris, cuius exemplum Christus in cruce dedit. Ab eo etiam lex procedit moralis, cui se homines subicere debent, si felices esse volunt.

Unusquisque superioritatem legis moralis, cui subiectivum illud »ego« subditum est, agnoscere debet. Hoc etiam documentum est, Christum, auctorem huius legis, personam superiorem, seu Deum, fuisse. Inde etiam divina ecclesiae origo patebit et resolvetur quaestio, ubinam praesertim salus quaerenda sit. *František Gaja.*

N. Glubokovskij, **По вопросамъ духовной школы и объ учебномъ комитетѣ при святѣйшемъ синодѣ. (Po voprosam duhovnoj školy i ob učebnom komitetě pri svjatějšem sinodě.)** С. Петербургъ 1907. „Quaestiones, quae scholas ecclesiasticas spectant et de studiorum consilio sanctissimae synodi". pp. 148 pret. 1 rub. 20 kop.

Opus istud, quod hic attentioni lectorum proponimus auctorem habet clarum prof. Glubokovskij, qui ad illud consilium, quod ad res in proximo concilio ecclesiastico Russorum discutiendas constitutum est, vocatus, relationes quasdam a se in eo consilio habitas, quae praesertim reformationem studiorum atque scholarum ecclesiasticarum spectant, typis mandare decrevit, eo consilio, ut quaestiones tanti momenti pro statu hodierno ecclesiae Russicae magis patescant et divulgentur. Clarissimi viri plurium annorum experientia eiusque profunda necessitatum hodiernae scholae ecclesiasticae Russicae cognitio, librum hunc, licet parvum mole, omnibus, qui rebus ecclesiasticis Russorum operam dant, vix non necessarium reddit. Liber non est integer ad propositum concinnatus, sed varias illas relationes ab auctore in consilio habitas in uno volumine collectas exhibet.

Totam hanc materiam scriptor in duas partes dividit: in prima generatim de scholis ecclesiasticis tractat (pp. 1--21), in secunda autem sermo de academiis (i. e. universitatibus) ecclesiasticis instituitur (pp. 22—79); huic secundae parti appendicis instar accedit de studiorum consilio sanctissimae synodi tractatio, (pp. 80—148). Prima pars tribus relationibus constituitur, secunda sex continet, quae omnes pro capitibus libri habentur.

In primo capite primae partis scriptor inquirit, quaenam fundamenta sint, super quas novum scholae ecclesiasticae etymon construi possit? (p. 1—11) Imprimis sedulo distinguendum est inter scholas ecclesiasticas, quae futuros animarum pastores educant et alias scholas in quibus illi qui se scientiae theologicae dedicare velint, sive sacerdotes evasuri sive non item, altioribus studiis theologicis vacant. Ex hoc ipso omnia incommoda et inconvenientiae in scholis ecclesiasticis oriuntur, quod hae duae scholarum species non separantur inter se. Insuper nimia disciplinarum laicarum copia scholas ecclesiasticas in instituta indeterminatae speciei transmutat et iuvenibus loco rectae viae, eorum studio ingenioque conformi, falsam ostendit. Proinde duo genera institutorum sint: alterum, in quo iuvenes, qui ad condicionem sacerdotalem propensi sunt, educentur vere ecclesiastice; alterum, gymnasiis laicis simile, praecipuo tamen quodam loco disciplinis theologicis et philosophicis concesso, necessariam in litteris et artibus scientiam comparabit. Scholae autem ecclesiasticae, in quibus tantummodo disciplinae theologicae altioris ordinis traduntur, possunt transformari in facultates, similes facultatibus academiarum artium.

Hanc ultimam opinionem scriptor in capite secundo (pp. 11—13) vindicare studet, compluribus argumentis necessitatam facultatum theologicarum probando. Ut tacitam obiectionem praeoccupet fore nempe academias ecclesiasticas existentibus facultatibus theologicis inutiles, ostendit illas optime etiam in novo rerum statu existere posse, quippe cum scopus earum in hoc sit, ut sint instituta et organa ecclesiae orthodoxae, ut nomine eius loquantur sintque eius doctrinae et constitutionum interpretes fideles.

Capite tertio (pp. 14—21) agit de schola ecclesiastica „media", quae plus minusve cum seminariis catholicis congruat. Hic denuo maiore cum apparatu sententia evolvitur separanda omnino esse studia humaniora ab educatione ecclesiastica seu pastorum animarum praeparatione. Neque timendum est, ne in talibus institutis spiritus clericalismi catholici invalescat. Contra scholae ecclesiasticae Russicae huius temporis omnes defectus seminariorum catholicorum, ubi schola liberalium doctrinarum cum ecclesiastica sunt coniunctae, redolent. Defectus verae scientiae ex una parte et rigida ac fanatica educatio ex alia id efficiunt, ut ex seminariis catholicis exeant „disciplinati officiorum ecclesiasticorum curatores et obstinati confessionarii, qui animis fidelium iuga imponere instructi sunt" („вымуштрованные требоисправители и упорные конфессіоналы, умѣющіе порабощать пасомыя души" p. 17)*). Num et orthodoxi tales volunt pastores? Reformatio seminariorum debet esse completa et radicalis. Ponere spem in eis solum resarciendis neque utile est neque honestum. Dolendum est quod multi in hac re heroicos conatus ad hoc consequendum necessarios minime adhibere volunt, sed in media via sistunt atque tepidos se ostendunt.

Pars secunda, ut diximus, de ipsis academiis ecclesiasticis agit. Et primum quidem exponitur de systemate disciplinarum ecclesiasticarum introducendo (cap. 1, pp. 22—46). Systema antiquum sustineri non posse manifestum est, nihil enim aliud est nisi acervus diversarum disciplinarum, quae temporis decursu, sine ullo ordine aggregatae sunt. Abest ordo, harmonia, centrum illud, circa quod omnes disciplinae coordinatae sint et ad quod omnes referantur. Pro tali centro prof. Glubokovskij proponit S a c r a m s c r i p t u r a m omni apparatu scientifico excolendam (nempe: exegetica, hermeneutica, archaelogia biblica, philologia biblica, theologia biblica etc.). Circa haec studia biblica, quibus omnes operam dare debent, disponi possunt ceterae disciplinae ecclesiasticae sicut: theologia dogmatica, moralis et apologetica, quibus ea, quae ex Sacra Scriptura hausta sunt, magis illustrantur et consolidantur. Extra ambitum disciplinarum omnibus debitarum proponuntur duae facultates liberae; prima: b i b l i c o - p a t r o l o g i c a (historia exe-

---

*) Fontes, quibus scriptor utitur ad iudicandum de educatione in scholis catholicis, sunt: 1. Pierre Batiffol „Question d'enseignement supérieur ecclesiastique." Paris 1907. 2. Учено-богословскіе и церковно-проповѣдническіе опыты студентовъ Кіевской Духовной Академіи. LVI курса 1903 г.« вып. I. (Кіевъ 1904 г. стр. 31—93). 3. Братковъ. „Учебная реформа въ семинаріяхъ римско-католическаго духовенства.« »Богословскій вѣстник« 1907 г. Но. 3. стр. 415—512.

geticae, speciatim patristicae; palaeographia et geographia biblica: studia de apocryphis, de theologia Iudaica etc.); secunda: historica-practica (historia ecclesiastica; historia ecclesiarum Slavicae gentis et ecclesiarum orientalium: archaeologia ecclesiastica: ius canonicum: liturgica etc.). Quod vero ad profanas disciplinas attinet, locus praecipuus datur historiae et philologiae. Philosophia prout doctrina, quae autonomia rationis humanae continetur, licet theologiae inserviat, tamen ex natura rei est huic contraria, quia haec autonomiam rationis negat ac fide coronatur, quae clamat: „credo quia absurdum". Proinde utilitas philosophiae minime est in maius vero extollenda. Metaphysica potest coniungi cum historia philosophiae, logica cum psychologia, haec vero magna ex parte experimentalis esse debet. Omnes hae disciplinae liberam facultatem constituunt et unusquisque studiosus pro lubitu unam aliamve frequentare potest. Ordo studiorum ita distribuitur: primo et secundo anno iuvenes studiis debitis vacent, a tertio anno detur illis potestas etiam illas scholas frequentandi, quae singulorum indoli conveniunt (i. e. vel facultatem historico-practicam vel biblicopatrologicam). Paedagogicae ecclesiasticae studeatur oportet in instituto speciali, in quo omnia ad hanc disciplinam excolendam necessaria in promptu sint.

In capite sequenti (cap. 2, pp. 47—53) quaestio de studiorum systemate ulterius explicatur. Media via procedendum est, ita ut studiosi industria neque nimia disciplinarum copia distrahatur, neque angustis limitibus restringatur. Inter disciplinas profanas saltem tres (ad libitum a singulis electae) studiosis praescribendae sunt.

Deinde quaeritur (cap. 3, pp. 53—60), quomodo ordo ipse studiorum et vita studiosorum componendi sint. Quod illum attinet (pp. 53—56) cavendum est, ne illud introducatur, ut omnimoda libertas studiosis concedatur cum in disciplinis eligendis, tum in periculis annuis subeundis, omni prorsus cura studia ad unam rem dirigendi et ordine neglectis. Qualis ratio atque ordo studiorum inducenda sit, scriptor hic positive nihil statuit, inculcat tamen studiorum unitatem et ordinem. Neque vita eorum (pp. 56—60), qui studiis altissimis theologiae operam navant sine regula et pietate agi debet. Quapropter etiam instituta ecclesiastica certam regulam pietatis (ut ex. gr. confessiones, ieiunia, preces) servent neve inducatur quidquam tali modo agendi non conforme (ex. gr. nimia autonomia studiosorum, qui semetipsos dirigere vellent, indicare etiam professores, instituere liberos circulos etc.).

Episcopus loci academiae praepositus auctoritate vera polleat, sicut bonus et amabilis paterfamilias. Leges bene determinatae instituti ecclesiastici hanc auctoritatem coercere possunt, ne ad plus aequo pertineat (pp. 60—61, cap. 4). Argumentum capitis 5. et 6. ipsos professores academiarum ecclesiasticarum tangit. Priore (cap. 5 pp. 61—72) inquiritur, quomodo apti praeceptores disciplinarum ecclesiasticarum excolantur: nempe quomodo debeant periculis publicis subici ad gradum magistri vel doctoris acquirendum, quomodo debeant se praeparare ad doctrinas tradendas, quomodo conscribendae sint dissertationes ad gradus obtinendos etc. Desideratur maior libertas a SS. Synodi censuris et abolitio graduum, qui „honoris causa" distribuuntur. Secundo (cap. 6 pp.

72—79) discutitur quaestio num academiae ecclesiasticae possint concedere gradus magistrorum et doctorum etiam in materia philosophica. Respondet negative: philosophia pertinet ad artes liberales eiusque completa evolutio locum non habet nisi in academiis artium, quae iure merito magistros et doctores creare possunt.

Tota pars secunda operis (pp. 80—148) de „Scholarum consilio SS. Synodi" (Учебный комитетъ при святѣйшемъ Синодѣ) eiusque vi in scholam ecclesiasticam Russicam.

Consilium hoc an. 1867 institutum ad id, ut instituendis administrandisque scholis ecclesiasticis praeesset, vel ab initio suae existentiae non produxit fructus nisi malos, tum quia nullum programma determinatum habuit, tum quia homines, e quibus constabat, officii sui ignari et parvo rei studio praediti, rem sibi commissam male administrabant. Maxime post annum 1884 res in partem peiorem mutatae sunt. Omnis autonomia consilii evanuit et revera ad condicionem magistratus (бюрократическаго характера) redactum, omni vitae principio carens, totam scholam ecclesiasticam in summum discrimen adduxit (pp. 80—98). Haud parvum malum ex tali rerum administratione profluens est monachorum in scholis ecclesiasticis exclusivum dominium. Parum edoctos, omni experientia paedagogica carentes, nimis ambitiosos saepenumero exigua morum honestate praeditos neque aptos ad munera ecclesiastica, scholarum ecclesiasticarum praefectos nonnisi innumera mala producere potuisse unicuique est manifestum. Unde alumnorum diffidentia atque odium erga superiores. Timor, quem praefecti ecclesiastici et SS. Synodi magistratus discipulis incutiebant, non amorem, sed odium peperit. Seminaria scholaeque ecclesiasticae nostris temporibus atheos et rerum novarum molitores potius quam sacerdotes alunt. Res usque adeo processere, ut alumni rectores suos occidant et manifesta sacrilegia in odium religionis committant (pp. 98—109). Omnia tentamina huc usque facta ad malum corrigendum ad irritum ceciderunt. Illi qui rerum recognoscendarum causa seminaria invisere debebant (nam omnes scholae ecclesiasticae ex mandato Consilii aliquoties inspiciendae erant) officio suo semper pessime functi sunt. Prorsus omnes consilii illius functiones magistratuum propria molestissima diligentiae perversitate (бюрократическимъ духомъ) erant penetratae, a qua omnis vita ac ratio aliena est. (pp. 110—128). Tempore procedente concilium ius acquisivit omnes dissertationes et tractatus doctorum et professorum examini subiciendi atque iudicandi sintne digni qui gradum vel praemium desiderant necne. Neque hoc negotium ab illo consilio feliciter gestum est. Homines magni ingenii deprimebat, immo consectabatur, contra mediocritates (посредственности), homines nullius valoris, qui potius mammonae atque honoribus erant dediti, in fastigio collocabat. Unde magnum scientiae detrimentum et aberratio a recta tramite fidei etiam inter ipsos ecclesiae ministros orta est (pp. 128—141). Quapropter oportet funditus institutum hoc reformationi subici idque a morositate servorum legis liberari. Scriptor licet modum novum exacte non determinet, tamen quaedam statuit praecepta, quibus rem ad meliorem statum perduci posse arbitratur (pp. 141—148).

Dum haec scribimus, timemus ne clarus scriptor nobis indignetur. Nam a p. 137 nota 5 in quemdam scriptorem, qui de rebus ecclesiasticis Russicis in periodico „Civilta Cattolica“ (aprile 1907, p. 251—252) scripsit, invehitur accusans eum »de systematica intentione totam ecclesiam Russicam detrectandi«, („въ систематически обдуманномъ стремленіи автора очернить всю русскую церковь“) Legimus et relegimus numerum periodici ab eo indicati, tamen non invenimus nisi veram descriptionem ecclesiae Russicae praesentis status eamque multo mitiorem quam, quae ab ipso claro professore passim in eius libro exhibetur (vid. ex. gr. pp. 98; 100—105; 108—9; 120—126 etc.). Verum fortasse quaedam verba acriora adhibentur (quod aliquatenus ipsa descriptionis brevitate excusatur), tamen longe abest (quod certissimo scimus) ab animo eius, qui illa scripsit desiderium illud „ecclesiae Russicae obtrectandi“. Contra non alia de causa de huiusmodi rebus tractat, nisi, ut ceteri catholici huic statui miserando, in quo nunc Russica ecclesia versatur, eo efficacius succurrere queant. Nemo certe dicet clarum huius libri scriptorem de ecclesia sua detrahere velle, tamen earum rerum de quibus scripsit brevis synopsis, omnia quae in „Civiltà Cattolica“ enarrata sunt, in memoriam revocat. Quis tamen ipsi crimini vertere velit, quod verum ecclesiae suae statum patefecit? . . . Quod ipsum librum attinet et ea quae de scholis in eo proponuntur, licet non omnia probare possimus (ut nimiam concentrationem omnium disciplinarum circa S. Scripturam; quasi completam exclusionem disciplinarum philosophicarum aliaquae minoris momenti), tamen maxime nobis placet, quod educationem spiritualem magna vi propugnat. Hoc est verum atque praecipuum fundamentum sine quo quaevis reformatio scholae ecclesiasticae ad irritum redigetur. *F. Žák.*

Труды Кіевской Духовной Академіи. (Trudy kievskoj Duhovnoj Akademii). 1906. Tom. II.

B. Gorodskij, Strannyj kult armjanskago mučenika Espedita v rimsko-katoličeskoj cerkvi (99—116, Maj).

Civiltà Cattolica (2. Dec. 1905) promulgavit, cultum s. Espediti (Expediti) nullo s. Sedis decreto notatum esse, immo petentibus aliquot episcopis missam in eius honorem de martyre non pontifice, quae incipit »Laetabitur« dicere, id permissum eiusque cultum privilegiis et indulgentiis ditatum esse. Cum enim, ita prosequitur scriptor anonymus, nomen s. Expediti in martyrologio, quod s. Hieronymi dicitur, 18. vel 19. April. legatur, cultum legitimum esse. Prima parte saeculi elapsi initia cultus in Germania inveniri, in Sicilia ac Neapoli vero iam 100 annis prius. Nihil obstare, quominus auxilium s. Expediti ad res cito finiendas de se bonas invocetur.

Iterum sub 16. Dec. 1905 (718—727) Civiltà Cattolica refert, sibi scribi in ecclesia Russica aliquot archimandritas nomine Expediti fuisse insignitos. Quod historiam spectat, secunda parte saec. 17. cultum S. Expediti nondum exstitisse; prima dein parte saec. 18, teste Vicentio Raciti, canonico Siculo, Messinâ in urbem Acireal in Sicilia sitam per negotiatores inductum esse. Cui urbi Conradus Leodati, episcopus Catanae, permisit, ut sibi patronum minus principalem s. Expeditum assumerent. Civiltà Cat. duas ibi imagines, anno 1781 priores, exhibuit.

Ad duo haec analecta controversia sat agitata in periodicis libellis subsecuta est. Omnes fere partes cultum huius sancti reprobant.

Avvenire d'Italia, commentarii Bolonenses (7. Dec. 1905) generatim eius cultum, inprimis vero vestitum militarem, quo indutus sanctus pingi solet, figuramque corvi in eius imaginibus plerumque additam oppugnavit. — Ad quae Civiltà Cattolica reposuit, cultum sancti, cuius nomen in martyrologio s Hieronymi habetur, legitimum esse, etsi ex eius vita nil nisi fabulae notae sint. Similiter rem se habere de cultu s. Luciae, patronae oculorum, s. Caeciliae, patronae musices. Rassegna Nationale, Florentiis edita, (I. Ian. 1906, 153—155), ab Avvenire obiecta refutans, difficultatem aliam movet ex eo, quod a s. Expedito, ut cito (hodie et non cras) opem ferat, petatur. Hoc superstitionem olere et verum sensum de intercessione sanctorum tollere et aeternam temporali postponere salutem. Quare eiusmodi venerationem interdicendam esse. — Alii commentarii Florentini, Studi Religiosi, in eundem sensum scripserunt. Leopoldus de Fec, Barnabita, notus auctor libri La S. Casa di Nasareth ed il Santuario di Loreto (Firente, 1905), quo translationem oppugnavit, ad historiam provocat. Concilium Romanum sub Gelasio a. 494 convocatum libros poëticos seu fabulosos de vita ss. Quiritii et Iudithae scriptos, damnavit: »ne vel levis subsannandi oriretur occasio.« — Ibi Alexander Ginoni, et ipse barnabita, de »Sacra Visita Romana« refert, illam ecclesias Romanas perlustrasse, statuasque sancti, quae vel cruces contexerunt vel corvum fabulosum exhibuerunt, removisse. Sed adversarium Civiltà nacta est capitalem bollandistam Hippolitum Delehaye notum auctorem operis: »Synaxarium Ecclesiae Constantinopolitanae«. Qui scriptor celeberrimus iam prius in folio periodico: »Leggende Agiografiche« hagiographos sancti Expediti acriter aggressus est. Dein in »Analectis Bollandianis« (Saint Expedit et le martyrologe Hiéronymien, 1906, I. p. 90—98) contra Civiltà scripsit: Ipsum martyrologium, quamquam fontem esse historicum non negetur, tamen arte critica indigere; sanctos Orientales ex martyrologio Graeco, Nicomediae composito, Arianismo infecto, esse depromptos; insuper multos defectus inveniri, confusiones nominum locorum et personarum, aliaque similia. Plura exempla adferuntur. Nomen s. Expediti duabus turmis martyrum, Romanorum et Armenorum, immixtum esse, in martyrologio 18. et 19. April. nominatorum. S. Hermogenus, martyr Melitenensis (19./IV.) in martyrologio Syriaco 3. Maii celebratur: »Meletinae Elpedius et Hermogenus martyres.« Legitur autem in diversis Ms. Ms.: Hilpidi, Helpidi, Helpedi, Elpidi, Elpedei. Forte nomen Elpidii est idem atque Expediti. Qui error a transcribentibus potuit fieri, qui forte etiam numerum Hermogeno appositum, quoto scil. Aprilis sit Hermogenus, a margine in ipsum textum transtulerunt. Neque in Slavica hagiographia huius nominis sanctum esse, neque in Russia hoc nomen usurpatum. Sed cur, quaerit (Delehaye) ex turma sex sanctorum solus s. Expeditus notus est? Quia tali nomine insignitus, citius exaudire petentes putatur; id quod inhonestum esse apparet. Quem impetum propulsat Civiltà 17. Febr. 1906 (448-460) atque omnibus viribus ait, thaumaturgum se defensuram esse; iuxta decisionem episcoporum se scripsisse atque cum consensu plus minusve tacito potestatis superioris; vitare se quaestiones, quibus dubia tantum excitantur.

Ludovicus Kaul, redactor ephemeridis »Augsburger Postzeitung« quibusdam factis historiam cultus s. Expediti in Germania meridionali illustravit. Ex ordine S. Francisci duo viri † 1809 et † 1855 hoc nomine appellati sunt. Monachii imago his verbis inscripta est: »Patron deren so ihre Geschäfte glücklich vollenden wollen diesen Fest so den 19. April.« Quae est ex anno 1759; alia Augustae Vindelicorum ex a. 1780 sic habet: S. Expeditus Martyr, expeditionum, negotiorum et itinerum patronus.« Tertia Oeniponte ex a. 1850 asservatur. Cui cultui nihil superstitionis admixtum esse. — Giovanni Anker, mechitarista Venetus in Civiltà scripsit de origine nominis Expediti novam quandam hypothesin. Ait enim non nomen hoc sed cognomen seu epi

theton esse. S. Expeditus forte idem est atque s. Menas, qui in martyrologio Orientali 10. Dec. celebratur (cf. Nilles, Kalend.[2] II, 625), et qui martyrio sub Maximiano vel Maximino coronatus est, cui in Armenico martyrologio: arakagaz (cito) additum est.

Civiltà (p. 466—475) ad Analecta Bollandiana reponit: primo non esse inhonestum cultum; in lusu verborum (v. g. concordia) etiam alios cultus inniti; quodsi s. Expeditus non existit, errorem esse involuntarium. procedere vero ex puro corde ideoque opus meritorium esse. Si vero assumitur hypothesis, iuxta quam s. Expeditus et Elpidius iidem sunt, errorem fore non substantialem sed accidentalem tantum, utpote sub nomine Expediti Elpidium latere. — In quibus exponendis seu potius referendis scriptor vix aliquid intexuit, quod Romano-catholicum offendat.

V. *Faminskij*, Značenie religiozno-nravstvennyh vozzrěnij L. A. Seneki (filosofa) s točki zrěnija obščago voprosa ob otnošenii k hristianstvu jazyčestva voobšče i jazyčeskoj filosofii v častnosti (509—524). De momento sententiarum moralium L. A. Senecae si relationem religionis christianae ad gentilitatem universim et ad philosophiam paganorum specialiter spectas.

Faminskij materiam, quam dissertatione inaugurali copiose incohavit hoc sermone prosequitur. Cum religio christiana a fundatore suo tanquam unice vera proposita esset, necessario cum gentilitate luctam subire debuit. Propter atrocitatem pugnae et gravitatem rei factum esse, putat auctor, ut primi apologetae vel in paganismo nihil aliud nisi mendacium atque idololatriam viderent, e. g. ignotus auctor epistolae ad Diognetem, Tatianus, vel si in paganismo agnoscerent aliqua bona, ea ex Iudaica religione transsumpta esse (v. g. Clemens Alex.) immerito assererent. Veritate dein religionis christianae in orbe agnita, mutato rerum statu, scriptores ecclesiastici ex systematibus gentilium ad finem polemicum non tantum falsa et impia atque opposita colligebant, sed paulo altius penetrantes in ipsas scholas philosophicas, multa vera et bona, ipsis propria nec aliunde hausta, detexerunt. Ad probanda illa scriptor doctrinam vitamque Socratis et Platonis summis effert laudibus, commemorat s. Paulum, ad Rom. I, 18. 19 et s. Augustinum, Retractationes I, 13: »res ipsa, quae nunc religio christiana nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque Christus veniret in carne, unde vera religio, quae iam erat, coepit appellari christiana.« In Seneca philosopho. qui paulo ante Christum natus est, gentilitas Christianae religioni maxime appropinquavit terminosque, quos transgredi non potuit, attigit. In his systematis, quorum Seneca est quasi corona, scriptor evolutionem intellectualem illius maioris partis generis humani, quae positiva revelatione (puta continua) donata non erat, usque ad Christum, nec non divinam de genere humano providentiam celebrat. In hac luce Faminskij opus suum copiosum conscripsit, cuius praecipua pars in ideis Senecae puris ac sublimibus colligendis, illustrandis, ordinandis, separandis versatur. Altero opusculo agit de quaestione implexa et controversa, utrum Seneca sententias has sublimes ex religione christiana hauserit necne. Quodsi obtineret, contemplatio modo explicata magna ex parte corrueret. Sed unde est illa scriptorum ecclesiasticorum erga eum veneratio, nisi quod eum gentilem tantopere religioni revelatae appropinquantem existimabant? Commercium litterarum eius cum s. Paulo ex 4. saeculo ortum habere constat. Porro, quamvis sit similitudo sententiarum vel idearum, tamen opponuntur inter se ipsa Senecae et religionis christianae principia, ex quibus sententiae illae deducuntur. Ideoque concludit *F.* similitudinem illam idealem esse, non alio facto innixam, nisi quod Seneca († 65) religioni christianae aequalis fuerit.

A. Ja. Roždestvenskij, Analys XXXIX. členov věry angli-

kanskoj cerkvi (527—582). Analysis XXXIX. articulorum fidei ecclesiae Anglicanae instituitur).

Articuli hi inscripti sunt: »Articuli, de quibus in Synodo Londinensi anno Domini, iuxta Ecclesiae Anglicanae computationem M. D. LXII. ad tollendam opinionum dissensionem et firmandum in vera religione consensum, inter Archiepiscopos Episcoposque utriusque Provinciae, necnon etiam universum Clerum convenit (Hardvick, p. 289)«. Praeter istum finem internum, qui pacem in ipsa ecclesia Anglicana spectabat, auctores articulorum alterum intendebant externum, ut omnes protestantes in pugna contra Romam colligerent. Errores, ut aiebant, papisticos excludere, protestantes moderatos unire, catholicos decipere tanquam normae in conscribendis articulis observabantur. Roždestvenskij duplicem instituit analysin: verbalem seu formae, realem alteram seu sensus. Ad significationem veram certius eruendam Roždestvenskij alias fidei formulas tum in ipsa Anglicana et ante et post 39 articulos, tum alibi apud protestantes editas magna cum eruditione adhibet. In analysi sensus distinguit 1. elementum polemicum, contra catholicos et extremos protestantes directum 2. elementum unitivum, in quo subdistinguit *a*) positivam partem *b*) negativam earum rerum, quae et qua de causa omittuntur. Quae methodus singulis in articulis observatur. Quoad materiam, i. e. doctrinam dogmaticam, facile certum ordinem animadvertas, secundum quem ipsi articuli logice se excipiunt. Art. I.- V. agunt de Deo uno et trino; Art. VI.—VIII. de regula fidei, inprimis de s. scriptura, de tribus symbolis antiquae ecclesiae. Dein distribuitur materia pertinens ad iustificationem: 1. Art. IX. de peccato originali. Art. X. De necessitate gratiae. Art. XI. De fide. Art. XII.—XIV. De bonis operibus. Art. XV. De peccabilitate omnium hominum. Art. XVI. etiam baptizatorum. Art. XVII. et salvatorum tantum secundum praedestinationem Dei. — Art. XVIII. et unice in nomine Christi. 2. De ecclesia. Art XIX. Notio ecclesiae. Art. XX. De auctoritate eccl. Art. XXI. De conciliis oecumenicis. Art. XXII. De haeresi Romana. Art. XXIII. De ministris eccl. Art. XXIV. De lingua eccl. Art. XXV. De causalitate sacramentorum. Art. XXVI. Cui non obstat indignitas ministrorum. Art. XXVII. De baptismo. Art. XXVIII.—XXXI. De Eucharistia. Art. XXXII: De conubio ministrorum eccl. Art. XXXI. De traditionibus et consuetudinibus eccl. Art. XXXIV De separatione ab eccl. Art. XXXVII De potestatis civilis ambitu: de poena capitis et militia. Art. XXXVIII. De proprietate. Art. XXXIX De excommunicatione. — Textus Latinus, quem *R*. analysi subicit, ex anno 1563 est et authenticus habetur (Hardwick, Articles pp. 155—156).

Primis V articulis, qui minoris sunt momenti, si opus reformationis spectas, omissis, in VI° paululum immorabimur. »Divinae Scripturae doctrina sufficit ad salutem.« »Scriptura sacra continet omnia, quae sunt ad salutem necessaria, ita ut quidquid in ea nec legitur, neque inde probari potest, non sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad necessitatem salutis requiri putetur«. »Sacrae Scripturae nomine eos canonicos libros Veteris et Novi testamenti intelligimus, de quorum auctoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est«. »Catalogus librorum Sacrae Canonicae scripturae Veteris Testamenti«. »Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronom., Iosue, Iudicum, Ruth, 2 Regum, 2 Paralipom., 2 Samuelis, 2 Esdrae, Hester, Iob, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Prophetae maiores, Prophetae minores.« »Alios autem libros (ut ait Hieronymus) legit quidem Ecclesia ad exempla vitae et formandos mores, illos tamen ad dogmata formanda non adhibet: ut sunt tertius et quartus Esdrae, Sapientia, Iesus filius Sirach, Tobias, Iudith, libri Michabaeorum 2.« »Novi Testamenti libros omnes (ut vulgo recepti sunt) recipimus et habemus pro Canonicis«.

Si post verba »Scriptura sacra . . . probari potest« addis: »licet interdum a fidelibus, ut pium et conducibile ad ordinem et decorum admittatur, attamen« articulus hic congruit omnino cum 5° (ex XLII) anni 1552—1553. Si Hardwickum (ibid. p. 129) audimus, Elisabethae reformatores omittendo hoc inciso, libertatem rituum et consuetudinum restringere volebant. In articulo hoc tria continentur: 1. Quomodo s. scriptura fons sit dogmaticus 2. De auctoritate s. scripturae eiusque relatione ad auctoritatem eccl. 3. De catalogo s. script.

1. Distinguitur duplex modus, quo veritas aliqua in s. scriptura contineri admittitur: »quidquid in ea nec legitur, neque inde probari potest«. Auctor adfert alias formulas fidei: »omnis veritatis summa (est s. scriptura), complectens quicquid ad cultum Dei et salutem nostram requiritur (Conf. Gall. art. V.)«. »Haec igitur generatim est sancta Scriptura, qua omnia creditu ad salutem necessaria plene et perfecte contineri credimus, usque adeo, ut quicquid in ea non legitur, nec reperitur, nec denique ex eadem aut consequitur, aut convincitur, a nemine sit exigendum ut tanquam articulus fidei credatur (Hardwick pp. 393. 394). Ita habet »Reformatlo legum ecclesiasticarum« (Anglicarum) eodem tempore composita (cp. 9). Distinguitur quadruplex modus: legitur, reperitur, consequitur, convincitur. Quare in articulo nostro (6) intelligitur aut veritas in se (explicite) formaliter contenta vel virtualiter i. e. per consequentiam, logice ex veritatibus explicite contentis deducta, et insuper tertius quidam modus, conexio talis cum veritatibus duplici hoc modo contentis, ut et ipsae verae esse probentur. — Porro articulus loquitur de dogmatibus, non de veritate quacumque, ac pro illis scriptura tanquam fons unicus ac sufficiens statuitur. Hinc principium protestanticum de sufficientia s. scripturae exclusa traditione ad dogmata tantum restringitur.

2. Agitur de auctoritate s. scripturae. Unde probatur, scripturam verbum divinum esse? Protestantes testimonium catholicae ecclesiae reiciunt, utpote religionis non verae. Consentit ipsis Roždestvenskij, cum ecclesia catholica separata ab Oriente non sit amplius vera ecclesia Christi. Itaque ratio petitur ex alio fonte ac protestantes adhibent. Sed separationem ab Oriente in se non esse rationem, cur ecclesia Romano-catholica desierit esse ecclesia Christi vera, facile constat. Nam cum ex illo facto neque ab aliqua potestate legitima se subtraxerit, neque aliquem articulum fidei negaverit, eam a dignitate ecclesiae Christi excidisse ad minimum demonstrandum est. Sed *R.* solum incidenter quaestionem tangit, ideoque pauca reponere satis sit. Insuper modus loquendi absque ira et studio laudandus est. Protestantes aliter ac catholici quaestionem de divinitate s. scripturae solvunt, cum ad criteria externa et interna provocent. Quae criteria, motiones Spiritus sancti in anima vel characteres obiectivi ipsius libri, non sufficiunt; quod ipsi protestantes experti, in historico testimonio novum statuerunt criterium. Etiam articulus fidei, de quo sermo est, sic habet: »de quorum auctoritate in ecclesia nunquam dubitatum est«. Sed qua extensione terminus »in ecclesia« adhibeatur, qui valor ipsius testimonii, utrum mere historicus et humanus an ut apud catholicos divinus sit, nihil dicitur, indeterminata haec relinquuntur.

3. Enumeratur catalogus. Cum ecclesia catholica (Trid. sess. IV. de can. Scrip.) omnes libros N. et V. Testamenti canonicos declaraverit articulus fidei inter hos libros distinguit. In quo Protestantes conveniunt (Conf. Belg. art. V.; Gal. art. III. IV.). —

Disputatio sane accurata et exquisita confusionem et difficultates practicas huius articuli fidei optime evolvit.

Duorum virorum cl. vitae in altero hoc tomo describuntur, Petri Jakovlevič Čaadaev a *N. N. Ruzanov* et Petri Ivanovič Liniekij († 12. VI, 1906) a *P. P. Kudrjavcev.* Dein agitur etiam de Christiana religione et politica (*S. A. Askoldov*) et de academia Kioviensi sub Catharina II. (1762—96; *N. I. Petrov.* *O. Žídek.*

V. Bočkarev: **Стоглавъ и исторія собора 1551 года.** Историко-каноническій очеркъ **(Stoglav i istorija sobora 1551 goda). (De Stoglav deque synodi a. 1551 historia)** XV + 261 Jurjev 1906. 2 rub.

Praesenti tempore, ut ecclesia Russica iuxta conciliaria statuta reformetur, conciliarisque regendi forma ei restituatur, Russorum multi efficere nituntur. Quod ut ad finem intentum perducere valeant, inter alia acta et documenta, quae ecclesiae Russicae evolutionem praecedentibus saeculis factam tangunt, in lucem edunt et quae fuerint istis temporibus eius ecclesiae fata enarrant. Cum vero synodi cuiusque ecclesiae spiritum manifestent, ideo etiam Russi ad synodorum acta et decreta tum edenda tum describenda mentem atque operam praeprimis converterunt.

De eadem hac quaestione in opere a Bočkarev edito disputatio instituitur. Licet autem et alii de synodo a. 1551. habita multa in medium protulerint, tamen cum synodus praedicta sit quasi speculum, in quo status ecclesiae Russicae saec. XVI. vigens conspici possit, cumque huius synodi historia nondum omni ex parte sit, illustrata, hocce opus ad rem dilucidandam non parum conferre potuit ac de facto contulit. Totum vero opus in XIX capita dispescitur.

Cum synodi ex a. 1551. decreta in quodam iuris ecclesiastici documento divisa sint in 100 capita, inde documentum ac synodus ipsa Stoglav (centum capita) nomine insignita est. Decretorum vero synodalium duplex exsistit recensio, amplior iam saec. XVI. confecta, quae a. 1862 ab Academia Kazanensi edita est quaeque genuina synodi acta complecti videtur; et brevior e saec. XVII., quae nihil nisi synodalium decretorum compendium atque epitome esse videtur, edita est Petropoli a. 1863 a Kožančikov (p. 212 sqq.).

Tempore, quod synodum praecessit, cum res civiles tum ecclesiasticae in ducatu Moscoviensi seu imperio nondum erant ordinatae. Moscovienses enim duces fere usque ad id tempus terras finitimas occupabant singulasque nationes iuxta suas leges et consuetudines vivere permittebant (p. 5 sqq.), donec a. 1497. codex leges civiles continens, quae pro omnibus imperii Russiaci subditis valerent, editus est; — qui codex a. 1550. retractatus atque emendatus est (p. 9 sq.).

Ad res vero ecclesiasticas ordinandas a. 1551. synodus convocata est, quae Stoglav vocatur (p. 10 sq.). Ad synodum vocati fuerant et laici (p. 11). Synodo vero adstiterunt non solum omnes fere episcopi cum metr. Macario, qui synodo praesidebat magnumque influxum in synodi decreta edenda habuit (p. 12 sq.), verum et inferior clerus, qui archimandritis, hegumenis, protopopis et senioribus monasticis constabat; sed quis inferioris cleri numerus fuerit, minime ex documentis manifestum est (p. 11). Synodus, licet e laicis multi adfuerint, tamen cum non omnes classes repraesentarentur, minime ad res civiles ordinandas constituta esse dici potest (Стоглавый соборъ нельзя считать земскимъ соборамъ вслѣдствіе отсутствія въ немъ специфическаго земскаго собора-представительства всѣхъ сословій) (p. 217).

In synodales patres quam maximum influxum Ioannes IV. habuisse dicendus est (p. 11 sq.). Is enim synodum convocavit, sessionum initium

fecit, orationem ad membra synodalia habuit. Qua in oratione tria mentione et consideratione digna sunt: α) imperator ipse disputationum materiam proponit: β) imperator se episcopos in decretis edendis adiuturum pollicetur: γ) ut unanimis, si fieri potest, in legibus cudendis consensus habeatur, postulat: qua in re imperator ipse, ut in oratione profitetur, bono exemplo praecedere episcoporumque auctoritati sese subicere vult (p. 31 sqq.). Ab imperatore etiam quaestiones, quae solas res civiles spectabant, propositae erant (p. 43 et 49). In diiudicandis quoque quaestionibus imperator particeps fuit, suamque mentem aperiebat (p. 56): „Участіе царя Іоанна Васильевича въ ходѣ законодательныхъ работъ Стоглаваго собора есть фактъ, не подлежащій не малѣйшему сомнѣнію" (p. 55). Verum imperator in synodo materiam non solum proposuit (p. 52) sed etiam eam hunc in finem praeparavit (p. 56). Qua in re a commissione ad hoc instituta, in qua inter alios metr. Macarium, protopopum Silvestrum, Maximum Graecum, Artemium, hegumenum monasterii SS. Trinitatis numerabantur, adiutus est (p. 56 sqq.).

At universam hierarchiam otiosam mansisse verisimile non est, sed potius admittendum ab ea quaestiones, quae in synodo solvendae essent, praeparatas esse (p. 67 sqq.). In commissione duplex adfuit factio, — ad unam excepto Macario omnes cum imperatore pertinebant, alteram repraesentabat solus Macarius. Quae duplex factio etiam in ipsa synodo habebatur. Ad primam factionem pertinebant, qui cum monasterii Cirillo-Biłozerskij (Кирилло-Бѣлозерскій) membris, ne monachi possessiones terrenas divitiasve haberent, postulabant, — alteram factionem ii efformabant, qui cum monasterii Iosepho-Vołokołamskij (Іосифъ-Волоколамскій) monachis contrariae opinionis erant. Ad alteram factionem fere omnes episcopi pertinebant.

Quae duplex factio, ut sua placita legibus sancirentur, omnibus viribus efficere conata est. Quae contentiones id effecerunt, ut in prima decretorum synodalium parte eorum, qui monachorum possidendi ius defendebant, opinio legis vim acciperet, in altera vero parte illorum sententia, qui illud ius impugnabant, in praxim deduceretur (p. 92 sqq.). Quas pugnas auctor enarrat quaeque lex a qua factione edita sit, inquirit. Sessiones habebantur a 23. Februarii usque ad mensem Iunium (ad quem diem — non constat), quo tempore synodi decreta ab omnibus ut approbata et rata sunt proclamata (p. 132 sqq.).

At iam saec. XVII. nonnulla synodi decreta non observabantur; quae decretorum condicio peior effecta est, cum synodus a. 1667. decreta a Stoglav edita irrita ac nulla proclamaret (p. 147 et 173 sq.) — qui rerum status usque ad saec. XVIII. finem duravit.

At num genuina synodi acta ad nos pervenerint, quaestio moveri potest, idque eo magis, quod coaeva synodo documenta de hac re tacent (p. 3 et 139). *B.* genuina acta conservata esse contendit adversariorumque argumenta atque obiectiones solvere studet (p. 156 sqq.) Quae rationes — etsi non omnes firmas esse libenter fateamur — rem evincere videntur.

Genuinitate vero synodalium decretorum stabilita, de ipsis decretis inquirit, prout nempe ad praecedens et consequens tempus referantur i. e. quomodo haec decreta observata sint et e quibus fontibus orta.

E libri argumento, qualem auctoritatem imperator Russiacus inde a primis temporibus post fidem a Graecis acceptam in rebus ecclesiasticis habuerit, clare elucet.

Licet forte non omnia opera sive documenta, quae ad hanc synodum referuntur, perlustrata sint et licet opus nondum omni ex parte perfectum sit, tamen ad synodi ‚Stoglav' fata et historiam dilucidanda atque illustranda multum inservit. Id unum monendum esse videtur, ut auctor in nova editione magis explicet, qualem vim istius synodi decreta hoc tempore i. e. a fine saec. XVIII. in ecclesia Russiaca habeant — ex hoc enim opere id manifestum minime est. Etiam id commemorandum est: adnotationes, ut Russorum mos est, in fine libri referri; — qui modus libri lectionem difficilem reddit.

M. H.

Вѣстникъ Европы. Věstnik Evropy. XLII kn. 10. 11 (p. 441—482; 124—163) 1907.

V. I. Ger'e, Cerkov', papstvo i gosudarstvo v IV.-m věkě (De ecclesia, papa, imperio quid senserit saec. IV.)

Augustinum praecipue de ecclesia a se ipsa cognoscenda seu de notione ecclesiae definienda optime meruisse *G.* cum H. Schmidt (Des Augustinus Lehre v. d. Kirche; in Jahrbücher für deutsche Theologie VI. 1856) arbitratur. Reutero tamen, qui (Augustinische Studien No III., p. 106) ecclesiam idem esse ac regnum caelorum ab Augustino primo statutum esse opinatur, non assentitur. Augustinus de loco electorum intra ecclesiam contra chiliastas docuit, ecclesiam esse iam nunc civitatem Dei; Apc. 20 explicabat allegorice de communione sanctorum (electorum) in terris, non de concreta ecclesia.

Transiens ad sententias Augustini de forma (temperatione) ecclesiae terrestris (qua de re agit p. 460—482) *G.* exponit episcopos Romanos id affectasse, ut auctoritatem suam augerent et primatum in ecclesia occuparent. Rationes, quibus necessitatem primatus sui probabant, Cypriano persuadere non poterant, cum episcopos inter se pares nec obnoxios esse existimaret (pri ego vzgljadě na samostojatel'nuju rol' episkopata v cerkvi; p. 466). Cum Cypriano Augustinus sentiebat; ecclesias omnes esse rivulos, e communi fonte doctrinae Christi profluentes, aliquos tamen copiosius (obilněe). Paparum autem opinio, ecclesiam Romanam esse fontem natalem, unde ceteri omnes manent, ignota eis erat (475). Nunquam tamen hanc summam dissensionem ad Innocentium I. expressit. Sententiam illam »Roma locuta est, causa finita« e verbis Augustini colligi non posse, nisi quis opinione praesumpta ducatur. Causa finita est non, quod Roma rem decidit, sed quod nulla dissensio de ea erat inter concilia, a quibus erat perpensa, et Romanos episcopos (p. 481).

Acturus deinde (a p. 127) de concilio Africano, cui praesidebat Aurelius (non legatus papae Faustinus), scribit de Zosimi papae iniusta canonum Sardicensium allegatione eorumque pro Nicaenis aestimatione. Cum ecclesia Africana contra arrogantiam Romanam protestatus est. Ipse quoque ad Coelestinum scripsit (p. 422).

Quae gessit cum sententia eius de Romanorum episcoporum auctoritate, quam *G.* p. 133—141 explicat, omnino conveniunt. Opinio, quae media aetate florebat, rem publicam ecclesiae esse subiectam,

Augustini non est (p. 159). »Avgustin trebuet ot gosudarstva tol'ko zaščity cerkvi ot eretikov i — pod konec — prinuditel'nye protiv poslědnih zakony« (p. 162).

Историческій Вѣстникъ. Istoričeskij Věstnik. God XXVIII. (1907). tom. CVIII. et CIX.

B. B. Glinskij, Konstantin Petrovič Pobědonoscev. CVIII. p. 247—274.

Dr. *F. H.*, Zapečatanie altarej Rogožskago kladbišča (De altaribus coemeterii Rog. publico signo obsignatis) CVIII. p. 602—608 (maj).

Al. Lebedev, Arhierej-samoubijca. K biografii Moiseja episkopa theodosijskago i mariupol'skago (De pontifice — sui interemptore. E vita episcopi Moysis) CIX., 898—901 (sentjabr').

Журналъ Министерства Народнаго Просвѣщенія. Žurnal Ministerstva Narodnago Prosvěščenija). 1907. (č. VII.) Janv.-Oktjabr'.

I. I. Kvačala, Thoma Kampanella. Janv. 110—125 (pars prior 1906, oktjabr').

N. Suvorov, Pskovskoe cerkovnoe zemlevladěnie v XVI. i XVII. věkah. (De possessionibus ecclesiasticis Pskoviensibus saec. XVI. et XVII) Aprěl 334—352.

S. Th. Platonov, Ob avtorě sočinenija »Na ikonoborcy i na vsja zlyja eresi« (Quis libellum Russicum conscripserit adversus iconoclastas et omnes malas haereses). Oktjabr' 332—342. Scriptorem fuisse principem Iv. M. Katyrev conicit.

N. K. Kul'man, K istorii masonstva v Rossii (Quaedam ad historiam »latomorum« in Russia pertinentia). Oktjabr' 343—373.

Записки Императорскаго Новороссійскаго Университета. (Zapiski Imperatorskago Novorossijskago Universiteta) tom. 106. Odessa 1907.

S. G. Vilinskij, Poslanija starca Artemija. (De epistolis Artemii monachi) (XVI. s.) p. 71—497. (De hac commentatione iudicatur in Istoričeskij Věstnik 1907, Ijul' (CIX.) 284—86; in Zapiski Imper. Novor. Univ. t. 107 I. čast' offic, p. 99—119. [V. M. Istrin] et II. čast' učenaja p. 415 - 423 [V. N. Močul'skij].

Artemij mysticus fuit, eiusdem rationis ac Nil Sorskij; sub metropolita Macario de haeresi accusatus est. (Cf. Golubinskij, Istorija russkoj cerkvi² t. II., A. 832—36). Pauca de hoc viro memoriae tradita sunt atque eiusmodi, ut duo diversi Artemii (Moscoviensis et Litoviensis) fuisse statuendum esse videatur; alioquin enim discrepantia inter nuntios apparet. V. igitur scriptis eius innititur, quae eius revera esse probat. Totum opus sex capitibus absolvitur. Primo ipse codex manuscriptus, ubi scripta de quibus agitur, inveniuntur, tractatur; editus est modo non satis perfecto. Secundo agitur de Artemii vita; copiosi fontes ac litterae afferuntur. Tertio tempus, quo epistolae scriptae sunt, determinatur. Quarto exponitur argumentum epistolarum et, unde haustum sit; colliguntur Artemii sententiae de Lutheranis, Calvinistis, Socinianis, de s. scriptura et traditione, de ritibus religionis, de Trinitate, de iustificatione, de cultu imaginum, de precatione, ieiunio, vita monastica etc. Quinto capite probatur — non tamen ad evidentiam — omnes epistolas codicis esse unius Artemii. Sexto denique inquiritur, quomodo Artemius ad saeculi sui vitam ac mentem referatur.

Ja. A. Bogorodskij: **Начало исторіи міра и человѣка по первымъ страницамъ Библіи. (Načalo istorii mira i čelověka po pervym stranicam Biblii.)** Kazan' 1906. VIII. + 442. **De initio historiae mundi et hominis secundum Genesim.** (Commentatio e Pravoslavnyj Sobesědnik seorsum expressa).

Quam varia philosophorum iudicia non solvunt, quaestionem de origine mundi et hominis, ea ad exitum adducitur a theologis christianis Sacrae Scripturae innixis. In ethnica cosmogonia dubio modo Deus introducitur ut prima causa universitatis rerum, potius nonnumquam dii gentium creantur e materia iam existente. Historiâ autem Sacrae Scripturae instruimur de primordio mundi et hominis definite ac perspicue, cum nobis exponitur, Deum unum esse factorem caeli et terrae omniumque rerum, quae creatae sunt.

Hexaëmeron explicat auctor secundum concordisticam hypothesim, quae hoc tempore a paucissimis serio defenditur. Nonnullis locis claudicat graviter explicatio, carens omni fundamento disciplinarum profanarum, quae mundum secundum certas leges ab initio iam a Creatore ei impositas aedificatum esse docent. Ingeniosis pulcherrimisque verbis exprimitur creatio et status parentum generis humani et fuse reprobatur (p. 140—186) theoria Darwinismi.

Relatis variis de situ paradisi eiusque fluminum opinionibus a temporibus patrum usque ad nostram aetatem, ipse ponit Edem in ea, quae nunc est, superiore Armenia (p. 231). Agens de vita primorum parentum rationem, cur in paradiso liberos non genuerint, in eo ponit, quod secundum voluntatem Dei non prius potuissent filios creare, quam certum gradum perfectionis assecuti essent.

Ad mentem S. Scripturae explicatae ex Patribus et Russicis theologis describitur lapsus primi hominis eiusque poenae, aerumnarum plena vita post lapsum, adducuntur causae longaevae vitae patriarcharum, exponuntur res factae ante diluvium.

Non distinguens diluvium biblicum a geologico defendit eiusdem universitatem tam geographicam quam anthropologicam. Aqua ad contegendum et inundandum orbem terrae necessaria non est egressa e maribus, sed venit de cosmo (!), sive de aliqua incertis e causis perdita stella vel cometa sive aliunde. Sicuti ante, tertio die hexaëmeri, ita etiam tunc effecit Deus, ut aquae superfluae evanescerent ac terra arida emergeret. Propter extraordinarium (?) statum nostrae planetae ante diluvium homines tunc ignorasse iridem huic scriptori videtur.

Linguis in aedificatione turris Babel turbatis exortas esse *B.* existimat praecipue tres diversas linguas semiticam nempe, chamiticam, iapheticam, ex quibus procedente tempore ceterae linguae ac nationes prodierint. Describitur dispersio gentium earumque propagatio per universum mundum in varias partes.

Totus liber iucundus atque suavis ad legendum, facilis ad intelligendum, praebet copiosam descriptionem primordiorum generis humani usque ad eiusdem dispersionem in diversas nationes secundum Sacram Scripturam disciplinis profanis explicatam, sed dolendum est, quod *B.* in enarrandis verbis scripturae veriores sententias in ecclesia catholica

iam a decenniis pervulgatas atque approbatas non respiciebat, defendens in permultis quaestionibus abolitas nonnullasque in Occidente iam omnino deletas opiniones. *Ad Jašek.*

Богословскій Вѣстникъ. Bogoslovskij Věstnik. (Ноябрь-Декабрь).

I. Pjatnickij: Byt sekty strannikov (De fugitivorum secta) III., 403–430. Rem inceptam ulterius prosequitur.

I. Pjatnickij: Smysl sekty strannikov (De sectae fugitivorum indole) III., 724–759. Pjatnickij sectae originem et evolutionem ex motivis religiosis explicat eamque in sectae, quae raskol audit, quadam parte, reformationem, non veram, mutationem induxisse demonstrat.

N. Kuznecov: K voprosu o vvedenii patriaršestva v Rossii (De patriarchatu in Russia introducendo) III., 431—466. Secundum *K.* optima forma regiminis ecclesiastici est (соборная) collegialis. Patriarchalis enim forma tum s. scripturae repugnat, secundum quam omnes episcopi debent esse pares (cf. p. 455), tum temporibus nostris minus respondet (p. 460 sq.; cf. p. 438 sqq.); immo si toti ecclesiae Rossiacae patriarcha praeficeretur, non posset ob Rossiaci imperii latitudinem ipse solus regimine collegiali secluso ecclesiam Rossiacam bene regere. Si vero forma collegialis supponitur, cur tituli temporis indoli minus respondentes introducendi? Quod vero patriarchatus aliis in terris iam exsistentes attinet, duo memoriae mandanda sunt: primo concilia oecumenica patriarchatus non introduxisse, sed exsistentes approbasse (p. 436 sqq.); secundo patriarchas non raro, aliis rebus, etiam fidei dogmatibus, neglectis, de propriis iuribus sollicitos fuisse (p. 450). In genere patriarchalis forma nonnisi mala ecclesiae germinare potest.

N. Kapterev, Car i cerkovnye moskovskie sobory XVI. i XVII. stolětij (De ecclesiasticis synodis saec. XVI. et XVII.) III., 467–502, 631—682. Kapterev disceptationem suam de synodis Moscoviensibus prosequitur. Membra synodorum, in quibus de rebus maioris momenti discutiebatur, ex episcopis, archimandritis, hegumenis, protopopis et laicis colligebantur. Laici eadem iura ac privilegia atque episcopi habebant (p. 471). Quod vero in actibus quarundam synodorum soli episcopi nomina sua subscribunt, inde explicatur quod alii non semper usque ad actuum synodalium redactionem praesentes manebant (p. 476 sq.). Inferior clerus in synodis magnum silentium servabat eiusque praesentia solum ornamentum adferebat (p. 477).

Saec. XVI. et XVII. omnes res ecclesiasticae ab imperatore regebantur. Ipse synodum convocabat, ei praesidebat, materiam ad discussiones praeparabat; sine eius approbatione lex a synodo lata nullum effectum habuit (p. 493 et 648). Immo idem ipsae synodi sentiebant; »Церковные наши соборы, съ своей стороны, тоже проповѣдывали, что вѣдѣнію царя подлежатъ всѣ церковныя дѣла и самые церковные соборы« (p. 494). Inde factum est, ut imperatores soli independenter a quavis potestate ecclesiastica de rebus ad ecclesiam pertinentibus disponerent (p. 496). Quamobrem nulla synodus sine regis convocatione fieri potuit (p. 631). Illa autem membra imperator ad synodum invitabat, quae ei grata erant, ingrata synodo excludebat. Ipse quoque locum designabat (p. 632). Appellatio in synodo ad aliam tunc tantum temporis locum habebat, quando imperator praesens non erat (p. 634). Tempore autem synodalium sessionum imperator sese ut membrorum synodalium magistrum gerebat (p. 640 sq.), ita ut omnia etiam minima a regis placito dependerent (p. 644). Illa decreta conficiebantur, quae rex confici volebat: 'Что касается самыхъ соборныхъ постановленій и рѣшеній, то и онѣ составлялись по большей части въ духѣ желаній государя, и иногда въ этомъ отно-

шенiи дѣло заходило такъ далеко что изъ угожденiя предъ царемъ, соборъ дѣлалъ постановленiя, рѣшительно несогласныя съ совѣстiю и убѣжденiями отцовъ собора« (p. 645). Ad quam rem confirmandam auctor facta historica adfert. Tali vero modo procedebatur non solum in rebus mixtis, sed etiam in rebus pure ecclesiasticis (p. 648). Immo etiam ipsa decreta synodalia imperator reiciebat vel corrigebat, vel approbabat, prout ei placebat (p. 654 sqq.). Synodi non ex necessitate ecclesiae convocabantur, sed quia regi acceptum videbatur (p. 684). Nulla res maioris momenti saec. XVI. et XVII. ab ipsis episcopis ad discutiendum proposita est (p. 672); qui vero episcopus contrariam ac rex opinionem tuebatur, ne id in futurum faceret, poenis et aerumnis arcebatur (p. 684 sqq.).

Verbo: наши церковные соборы XVI. и XVII. столѣтiй были только простыми совѣщательными учрежденiями при особѣ государя, они были только органами царскаго законодательства по дѣламъ церковнымъ« (synodi saec. XVI. et XVII. nonnisi consultativum instrumentum imperatoris in rebus ecclesiasticis erant) p. 662. Episcopi sibi conscii erant solum regem legislationis ecclesiasticae auctorem esse; idcirco leges de rebus ecclesiasticis latas ut imperatoris leges considerabant (p 665).

S. Synodus, quae has quas diximus synodos excepit, eisdem atque illae ad regimen civile relationibus utitur (p. 681 sq.).

A. Spasskij: K voprosu o načalě novago perioda v vseobščej istorii. (Quando in historia universali nova periodus incipiat) III., 503—530. Cum historia universalis ex momentis, quae universalem characterem habent, dividenda sit, secundum scriptorem tota generis humani historia in duas tantum periodos recte dividitur. Momenta enim, quae omnes homines tangunt, nempe imperium Romanum, quod aliis nationibus institutiones sociales communicavit, propagatio religionis christianae, Germanorum et Slavorum ad fidem revelatam accessus illa sunt, quae novam periodum incipiunt, terminus vero veteris a *S.* statuitur Romani imperii interitus.

V. Lavrskij: Moi vospominania ob arhimandritě Theodorě (A. Buharev) III., 531—554. Res porro tractatur.

G. Voskresenskij: Iz cerkovnoj žizni pravosłavnyh Slavjan. (De vita orthodoxorum Slavorum) III., 554—569. Hic quaedam momenta e vita ecclesiarum, quae in Macedonia, Vetere Serbia, in Montenigro exsistunt, afferuntur. Notatu digna sunt, quae *V.* de recenti ecclesiae, quae in Montenigro est, constitutione, commemorat. Sec. decretum principis Nicolai ecclesia in Montenigro regitur a synodo, quae ex metropolita, duobus archimandritis, tribus protopresbyteris, uno secretario constat (cf. hac de re etiam Milasch, Das Kirchenrecht d. morg. Kirche[2] Mostar. 1905, p. 346) (p. 566 sqq.). Quod decretum episcopus Milasch vir canonum peritissimus composuit.

A. Spasskij: Načalnaja stadija arianskih dviženij i pervyj vselenskij sobor v Nikei (De primis sectae Arianorum initiis deque synodo Nicaena) III., 577—630. Spasskij exponit, quomodo Arianorum secta inde ab incunabulis usque ad synodum Nicaenam evoluta sit et quales factiones in synodo Nicaena adfuerint. Verbum ὁμοούσιος, ait, in ipsa synodo primus protulit imp. Constantinus, cui hoc Osius ep. Cordubensis inspiravit.

S. Znamenskij: Sovremennyj individualizm v etičeskom otnošenii (Quid recentior individualismus de ethica sentiat) III., 683 -723. Recens individualismus a Nietzsche propagatus ut in aliis rebus, ita in rebus moralibus absolutam individui independentiam ac libertatem praedicat. Cuius theoriae ethicae evolutionem auctor enarrat. Illa theoria, ait, id utilitatis habet, quod per eam homo suae dignitatis conscius fiat.

N. Saharov: Očerki religioznoj žizni v Germanii (Vita religiosa in Germania) III., 760—801. Pugnam, quae inter protestantes liberales et orthodoxos habetur, describit.

I. Andreev: Konstantinopol'skaja Cerkov' v XIX. věkě (Cpolitana ecclesia saec. XIX.) III, 802–820. Andreev, opere, Константинопольская Церковь въ XIX. вѣкѣ. t. I. Спб. 1904". a I. Sokołov edito, recensito, illud tantum carpit, quod Sokołov mala in ecclesia Cpolitana inde magna ex parte orta esse putat, quod laici tum in patriarchae electione tum in ecclesia regenda magnum influxum magnamque partem teneant. *M. H.*

N. Suvorov: **Къ вопросу о тайной исповѣди и о духовникахъ въ восточной церкви**[2] (K voprosu o tajnoj ispovědi i o duhovnikah v vostočnoj cerkvi). **De secreta confessione deque patribus spiritualibus in ecclesia orientali**[2]. Moscoviae. 1906. III + 194.

Hoc cl. auctoris opus ut complementum ad „Объемъ дисциплинарнаго суда и юрисдикціи церкви въ періодъ вселенскихъ соборовъ, Ярославль 1884" ab eodem auctore editum, merito considerari potest. Cum prima tum secunda editio intendebat, ut criticorum, praesertim Zaozerskij obiectiones et argumenta diluerentur nec non ut res ipsa novis documentis in lucem editis illustraretur. Opus, utpote primario contra Zaozerskij conscriptum, praeprimis indolem polemicam praefert. Insuper iis documentis, quae auctorem prius latebant exceptis argumentis, quae in opere „Объемъ дисциплинарнаго суда . . . prolata sunt, innititur.

Documenta vero, quae in medium profert, saltem nonnulla nimis ad suam sententiam trahere videtur (cf. 61 sqq.); — et quod maxime dolendum est, documentorum valorem scientificum parum consideravit. Dispescit vero opus in quattuor capita. In primo capite (p. 1—60) anticritici munere fungitur; in secundo capite (p. 61—106) quaerit, quid documenta nondum edita de quaestione, de qua agitur, sentiant: in tertio capite (106—154) de secretae confessionis ad sacramentum et ecclesiasticam disciplinam relatione disceptat; in quarto capite (155—178) agit de secretae confessionis in occidenti evolutione. In fine duo documenta in extenso adfert.

Secundum Suvorov secreta confessio a nonnullis in oriente a saeculo tertio adhibita, post Iconoclastarum haeresim in communem usum abiit (p. 111 sq. et p. 160), ita tamen, ut initio sacramenti ratio neque cum secreta nec cum publica confessione, sed solum cum universa paenitentia publica, quae manuum episcopi impositione et reconciliatione terminabatur, coniungeretur (p. 107). Cum vero secreta confessio in publicae confessionis locum suffecta esset cumque in publica paenitentia non raro iudicium exerceretur, inde factum est, ut iudicii ratio praesertim commentatoribus saeculi XII. auctoribus (p. 93) etiam in secretam confessionem transferretur (p. 114 et 120). Immo nec inter confessionem et SS-mae Eucharistiae susceptionem primis religionis christianae saeculis talis, qualis nunc existit, nexus unquam habebatur (p. 134).

Quae porro de sacramentorum munere dicit, non videmus, quomodo cum orthodoxae fidei principiis componi possint, (cf. 162 sqq.). *M. H.*

BULGARICA.

Crъkoven Vestnik, 1906. n. 40—52.

Dr. *Stef. Cankov*, Po uredbata na duhovnata in seminarija. (De institutione seminarii clericalis in Bulgaria) n. 40.

Paucis verbis de institutione seminarii Sophiae erecti agit. Praeter praeparationem ad seminarium sex complectitur annos; quattuor prioribus res ad communem eruditionem pertinentes docentur, duobus ultimis docetur theologia. Neque lingua Latina theologo tam necessaria neque Graeca aut Germanica negligitur. Sententia nonnullorum de vestibus alumnorum et de communi eruditione obiter tangitur. Eodem modo reicitur etiam consilium publicationis »Duhovna Probuda«, quo suadetur, ut futuri sacerdotes octo classes gymnasii et duos speciales cursus theologicos subeant.

D. Dnešnite pravoslavni bogoslužebni knigi. (De libris liturgicis Graeco-slavicis) n. 40.

Inter ecclesias orientales (si auctori credimus) ecclesia Bulgarica sola textum librorum sacrorum, quem a patriarcha Euthymio accepit verum et integrum habet, qualis textus neque in ecclesia Russiaca inveniri potest neque etiam apud Graecos, qui libros suos ad apographos palaeobulgaricos in bibliothecis Russiacis servatos corrigere nolunt, id quod in odio inter Bulgaros et Graecos exorto fundatur.

Reformiranieto na crkvata. (De reformatione ecclesiae) nro. 45.

Ex eadem radice, ex qua haereses ortae sunt, oriri etiam, ait auctor, sententiam illorum, qui hodiernam ecclesiam reformandam esse censent v. g. nonnulla sacramenta esse abolenda, episcopis nuptias et sacerdotibus secundas nuptias esse concedendas etc. Non ecclesiam cum doctrina sua, sed fideles, qui talia desiderant, reformandos esse, auctor respondet.

Frenskite učilišta na Istok. (De scholis Gallicis in Oriente) n. 47.

Severis verbis scholas, quas viri ex variis catholicis Ordinibus possident, vituperat, hoc consilio, ut discipulos ab his scholis frequentandis abstrahat.

Cъrkoven Věstnik 1907.

Ts. Povedenieto na ediu katoliški arhiepiskop. (De actione archiepiscopi Menini) n. 7.

Archiepiscopus Menini iam a. 1905 gubernio declaravit, unionem cum ecclesia Romana, si fieret, faustam futuram esse Bulgaris (Slav. l. III. 3). Mense februario 1907 cum ex officio ministerium aliquod Bulgarorum adiret, cuidam, qui muneri praeerat, libellum aliquem, qui de unione agit, dedit, Sliveni typis descriptum (titulus non indicatur). Itaque auctor, respiciens illud ex a. 1905 memoratum, Archiepiscopum appellat peccatorem recidivum, quod denuo ecclesiam Bulgaricam, quae in paeninsula Balcanica iam plus quam mille annos sit prima ecclesia nationalis, radicitus delere intendat. Nunc XX. saeculo, ait, Bulgaros Romanis adiungere vult, a qua unione nuperrime humanissimus totius orbis populus — Galli — secessit, certe ut ecclesiam suam nationalem fundaret. Menini ecclesiam Bulgaricam condemnat, quod homines per eam salvari nequeant. Ut primum per limen domus suae transiit, iam sententiam suam vel viva voce vel libellis divulgare incipit. Sed libertas quoque loquendi fines suos habet. Summa audacia est, qua confessionem e medio tollere vult, quae per paragraphum 33 constitutionis ut dominans agnita est, orthodoxo-christianam. Menini sanctissimos populi sensus contemnit, tum religiosos tum nationales. Tamquam alienigena nullum habet ius loquendi in re politica et ut episcopus catholicus nullum ius habet se ingerendi in orthodoxos chri-

stianos et minime in eorum confessionem. Quod ei clare ostendi debet iuxta leges. Ecclesia Bulgarica postulat, ut sensus sui religiosi serio respiciantur, sicuti ipsa omnes alias confessiones aestimat.

Ts., Grčkata patriaršija i istinata. (De patriarchatus Graeci ad Bulgaros relatione) n. 10—11.

Paucis verbis auctor ait nimis late paragraphum quintam congressus Berolinensis a patriarchis Graecis explicari, ut quam maxima iura inter Bulgaros obtinerent. Citata hac paragrapho demonstrat plenam religionis libertatem et professionis fidei concessam esse solum iis, qui aliam fidem profiterentur v. g. catholicis, protestantibus, non vero Graecis.

Ieromonah Sofronij, Pri kakvi uslovija e vzmožno sedinenieto na sv. pravoslavna Bъlgarska crkva s zapadnata rimokatoličeska? n. 10—19.

Verba, quae introductionem efficiunt, continent gravissimas sententias Leonis XIII. ex »Praeclara gratulationis« 20. Iunii 1894, qua epistola ecclesiam Bulgaricam cum Romano-catholica coniungere conabatur. Mentio fit etiam operis archiepiscopi Menini, qui eundem finem prosequitur.

In parte priore scripturistica argumenta a catholicis pro primatu Romani episcopi adferri solita refutantur. In parte posteriore paucis verbis primum ecclesiam Romanam primis tribus saeculis ex natura ipsa aliquem primatum habuisse dicit, cum eccl. Romana post destructionem Hierosolym. maxima, in urbe principe imperii Rom. sita et sanguine tot martyrum imprimis Petri et Pauli coronata esset. Ex eo autem tempore permultos demonstrare coepisse primatum eccl. Romanae originis divinae esse.

Finem imponit operi desiderans, ut brevi coniunctio fiat, quae tamen tum demum possibilis erit, si ecclesia occidentalis differentias dogmaticas auferet. Opus congestum est iuxta auctores Russicos: Běljaev, Nikanor, Suškov, Akvilonov e. a.

D. Mišev, Stopka za sbliženie na Rumuni i Grci (Conatus Rumunos propius ad Graecos trahendi) nr. 26.

Kucovlasi, cognatione cum Rumunis coniuncti, omnibus viribus postulabant, ut a Graecis separati sua lingua in scholis et in ecclesia uterentur; idque a potestate civili eis concessum est. Attamen patriarcha omni modo desideria eorum irrita facere conabatur. Ecclesiae et coemeteria Rumunis clausa sunt, neque raro etiam armis eos ab hoc conatu absterruit. Sed cum nihil efficere posset, et ipse consensit. De facto tamen usque ad hoc tempus separatio facta non est, tum quia Kucovlasi per totam Macedoniam et Epirum dispersi omni centro carent, ubi metropolita sedem figere posset, tum quia ipsi nimis subiecti sunt Graecae culturae; nam semper Graeca solum lingua discere et orare consueverant. Quare etiam nunc res est in eodem statu, quo antea erat.

Hiljadogodišnica na sv. car Boris. (Sollemnia decies saecularia S. Boris, regis Bulgariae) n. 16.

Totus numerus 16. huius publicationis dedicatus est regi Boris ea occasione, qua omnes Slavorum populi imprimis Bulgari millesimum mortis eius annum celebrant. Non vanam esse hanc laudem regi Boris factam nemo negabit, qui merita eius de Bulgaris noverit. Nam eos ad fidem in Christum perduxit, et ut eos ab omni parte liberos redderet, constituit ecclesiam nationalem Bulgaricam. Quod Bulgari suam litteraturam et suos libros possident, gratiae agendae sunt regi Boris. Paucis verbis: quod populus nomine Bulgarorum ornatus adhuc existit et populis cultis adnumeratur, meritum est regis Boris.

Sequuntur nonnullae commentationes, quae summatim sumptae fideliter merita regis Boris depingunt, auctoribus Ts., Dr. St. Cankov, Velinov, D. Br.

* *
*

De s. Boris, rege Bulgarico agunt sequentes libri Bulgarici:

N. A. Načov, Vrěme i život na sv. Boris-Mihaila. Varna 1901. Pg. 97; fr. 0.80.

J. Trifonov, Caruvaneto na sv. Boris-Mihaila. Sofia 1907. Pg. 63; fr. 0.20.

N. Načov, Sveti knjaz Boris bъlgarski. Sofia 1907. Pg. 32; fr. 0·10.

D. Božkov, **Komentar na Mojseevoto petoknižie (Commentarius in Pentateuchum Moysis).** Plovdiv (Philippopoli) 1906; fr. 1·20

Božkov non totum Pentateuchum, sed eos tantum locos, quibus quaestiones religionis et scientiae tanguntur, explicare intendit. S. scripturam idem ex parte psychologica primis consideratam esse vult. Moysem prophetam inspiratum ac poëtam esse; in poësi vero non singula nec particularia, sed spiritum ipsum seu »psychologiam« considerandam esse. Quae principia generalia et explicatio singulorum locorum rationalistam, etsi inconsequentem, produnt. Multae in libro inveniuntur inconsequentiae multaque menda. [Cf. »Cъrkoven Vèstnik«, 1906, nr. 19, p. 224—27].

SERBO-CROATICA.

Dr. *Fran Barac*. **O modernoj katoličkoj apologetici.** Habilitaciona studija. **(De „apologetica" catholica nostri temporis.)** Požega 1907. Pp. 156. Pret. 1·75 Cor.

Litteratura apologetica apud Croatas exigua seu potius nulla est. Exceptis dispersis dissertationibus in foliis (Katolički list, Hrvatska Straža, Vrhbosna) et exceptis alienis quibusdam operibus apologeticis in linguam vernaculam translatis (Hasert, Roh) nihil fere in palaestra apologetica invenies. Hinc non absque gaudio dissertationem supra scriptam, qua Dr. Barac veniam legendi in facultate theologica Zagrabiensi sibi acquisivit, accepimus et perlegimus.

Scopus dissertationis est inquirere, quali methodo apologeta huius temporis uti debeat, ut propositum consequatur. Hanc ad quaestionem solvendam *B.* in prima parte libri de disciplina apologetica in genere agit, in secunda de methodo apologetica in genere, in tertia vero de singulis methodis apologeticis in specie.

I. Partem primam (11.—63.) incipit auctor a nomine. Distinguens inter „apologiam" et „apologeticam" hanc terminologiam eligit: „apologia" est quaevis fidei christianae defensio, sive verbis sive scriptis sive factis, „apologetica" vero ea apologia est, quae scientifice, systematice et mediis pure naturalibus, argumentis nempe philosophicis et empiricis, probat, religionem catholicam veram esse et divinam. Etiamsi notio utriusque termini clare proponatur, denominatio „apologeticae" simpliciter — nobis minus placet. Ecquid enim „apologia systematica argumentis theologicis superstructa „apologetica" vocari non posset? Denominatio ergo non excludit confusionem.

Ad notionem huius „novae" (ab a. 1838.) scientiae melius evolvendam relatio eius ad reliquas disciplinas propinquas exponitur. Doctrina „apologetica" convenit quidem cum theologia dogma-

tica in obiecto materiali, ast differt ab ea *a)* principio a quo, in quantum hoc principium ratio naturalis est et non ratio fide illustrata: *b)* principio ex quo, in quantum fons cognitionis observatio est, tentatio et ratiocinatio, non vero s. Scriptura et traditio; *c)* obiecto formali, in quantum per intellectum ad fidem proceditur et non per fidem ad intellectum.

Sic differt disciplina „apologetica" ab omni theologia dogmatica non solum speciali, sed etiam fundamentali seu generali, quia haec argumentis theologicis probat fidelibus veritatem religionis christianae, cum „apologetica" ad homines huius temporis (infideles seu scepticos) referatur et solis argumentis rationis et experientiae utatur. Similiter differt „apologetica" ab historia religionum comparativa atque a theologia naturali, quacum argumenta tantum existentiae Dei communia habet.

Enucleata sic notione scientiae „apologeticae" transit *B*. ad enarrandum finem huius scientiae. Quadruplex est finis apologeticae: *a*) „opitulari fidei" i. e. infidelibus et incredulis viam parare ad fidem, *b*) „opitulari piis" i. e. adiuvare fideles, ut fidem conservent in eaque remaneant, *c)* „fidem defendere contra impios" i. e. removere omnia fidei obstacula. Huic triplici fini iuxta Conc. Trid. assignato addit *B*. *d)* movere voluntatem et cor hominum. Non est vero munus apologeticae pertinaces (monistas) convertere nec quemquam vi ad fidem compellere, quod nec Deus potest. Argumenta enim veritatis et divinitatis religionis Christianae, etiamsi sint moraliter evidentia, certa seu evidenter credibilia, tamen non sunt metaphysice evidentia.

Pars haec dissertationis de munere doctrinae apologeticae clare et nitide est exarata et, quod passim erumpit, cum fervore ideo in optimis eam numeramus.

Quod sequitur in prima parte de possibilitate finis „apologeticae" assequendi (num sc. doctrina haec characterem supernaturalem religionis christianae probare possit), quaestio est nimis specialis, quae in hacce dissertatione etiam omitti potuit. Etenim res tota dependet ex possibilitate cognoscendae veritatis generatim (contra scepticos), de qua re „apologetica" speciatim disserere debet. Lectores ad quos liber dirigitur, de hoc non dubitant bene scientes, praeambula fidei rationibus etiam naturalibus probari posse.

II. Parte secunda (64.—85.) quaestio praecipua solvitur, quali methodo apologeta huius temporis generatim uti debeat. Respondetur methodo progressiva et traditionali. Dicit *B*.:

a) progressiva. Ut enim apologeta adversariis persuadeat, debet argumenta principiis ab iis admissis superstruere, alioquin in vanum laborat. Hinc historia teste apologetae omni tempore condicioni adversariorum sese accommodabant, ut a communibus principiis procedentes rem defendendam probarent vel argumentis apagogicis commenta eorum confutarent. Proinde „apologetica" quoque nostrae aetatis temporibus nostris accommodetur, progressum disciplinarum aliarum aequet, et in omnibus sive philosophicis sive historicis sive physicis sive socio-

logicis aurum veritatis et fundamentum, cui in sua argumentatione innitatur, quaerat.

b) traditionali. Non obstante quacunque progressus ratione doctrina „apologetica" traditionalis remaneat necesse est. Motiva enim credibilitatis essentialia semper eadem sunt, et quod maioris momenti est: obiectum materiale doctrinae apologeticae semper idem manet, revelatio nempe divina in suis fontibus contenta.

Quod methodum argumentationis attinet, *B.* duplicem commendat: novam inductivam seu analyticam et veterem deductivam seu syntheticam. Methodo inductiva progredimur, methodo deductiva acquisita syllogistice solidamus et firmamus.

In secunda parte *B.* bene probavit, vetera et nova non excludi, sed alia aliis superaedificari. Sic igitur methodo recta thesauri veteres et novi in uno aerario ad ditandum genus humanum congregantur.

III. Parte tertia prioribus multo maiore (86.—156.) de variis methodis apologeticis in specie agitur, idque de methodo traditionali, de nonnullis falsis, de m. psychologica, de methodo, disciplinis quae naturae investigatione continentur innixa, de m. historica, supranaturalistica et exemplari.

Methodus traditionalis ea est, quae hoc tempore in theologia fundamentali adhiberi solet et quae ad demonstrationem religionis (Deum esse), demonstrationem rel. christianae (Deum generi humano se revelasse) et demonstrationem catholicam (huius revelationis custodem et magistram infallibilem esse ecclesiam catholicam) refertur. Methodus haec deductiva est, quippe quae a principiis et factis certis ad specialia ducat. Argumenta eius metaphysica et historica externa sunt, obiectiva, omnium captui facilia, et certissima. Ideo asserit auctor, methodum hanc unicuique veritatem quaerenti nec opinionibus praesumptis ducto persuadere posse. Sed tempora nostra ea sunt, ut methodus traditionalis efficax non sit. Cum nunc realis mundi existentia et cognitionis humanae certitudo negari soleat, apologeta nihil habet, quo niti possit. Cum veram religionem aversantes argumenta metaphysica non agnoscant, debet apologeta aliam viam quaerere, qua eorum cordi appropinquet. Ergo — concluditur — cum hominibus huius temporis agens (non in scholis theologicis) nequit apologeta methodo theologica usitata sola uti, quia nihil prodest, sed alias methodos condicionibus nostrae aetatis accommodatas adhibeat. Tales sunt methodi recentiores:

a) psychologica, qua usi sunt Pascal, Lacordaire, Chateaubriand, Bourget, Bougaud, Ollé Laprune, Fonsegrive. Varii hi auctores vario modo procedebant. Conatus tamen communis eorum est, ostendere, solam religionem christianam desideriis et defectibus animae humanae omnino satisfacere. (Motivum igitur credibilitatis est internum).

b) methodus, disciplinis naturae investigandae nostris temporibus maxime excultis innixa, quam Duilhé et Schanz [maxime vero ii, qui Natur und Offenbarung edere coeperunt] adhibuerunt. Apologetae hi innixi principio, veritatem revelatam eis, quae doctrina explorata sunt adversari non posse, probant, religionem christianam disciplinis illis optime conformari, obiectam vero discrepantiam in errore

sive doctorum profanorum sive singulorum theologorum positam esse (Mot. negativum).

c) m. historica, quam Abbé de Broglie et P. Alfaric excoluerunt. Refutantes obiectiones ex historia, maxime ex historia religionum comparativa, haustas demonstrant, religionem revelata cum eventibus historicis omnino convenire. (Mot. negativum).

d) m. supranaturalistica, cuius cultores Bougaud, de Broglie, Weiss, Hilty enumerantur. Scriptores hi motivum credibilitatis maximi momenti ponunt in sublimitate et mysteriis religionis christianae. (Mot. internum positivum).

e) m. exemplaris, quae innititur axiomati: exempla trahunt. Non doctrina, sed vita herounì christianorum motivum est credibilitatis religionis revelatae. Methodus haec, qua nonnulli exclusive uti voluerunt, sicut et supranaturalistica ad m. psychologicam revocari potest, cum utraque ab animi humani aditibus cognitis proficiscatur.

Dr. Barac enumeratas quinque methodos nostris temporibus accommodatas et valde proficuas censet, non tamen sine restrictione. Addit enim verba a modernistarum doctrina aliena: „Omnia haec criteria non probant veritatem revelationis, sed solum eius verisimilitudinem: sunt subiectiva, relativa, cum quivis iis secundum suam religionem abuti possit; sunt incerta nec omnium captui accommodata. Ideo nulla ratione relinquenda vel spernenda sunt criteria externa (a Conc. Vat. enumerata) et argumenta metaphysica. Reiciens ultima haec apologeta necessario labitur in errorem Kantii vel pseudomysticorum vel fideistarum." Omnes methodos recentiores existimat *B.* non esse nisi praeparationem ad methodum traditionalem, praeparationem artificiosam quidem, sed nunc necessariam. Per se corda tantum et animos praeparant ad intelligenda et suscipienda criteria externa et obiectiva.

Pars ultima dissertationis magno apparatu, eximia eruditione et litterarum notitia conscripta est. Quaedam tamen minus placent, ut minus cauta vel ambigua verba de traditione ac theologia scholastica (pp. 23, 75, sq., 95 sq. etc.), sed si in universum aestimatur, immerito nonnulli in auctorem suspicionem „modernismi" moverunt.

Dr. *K. Dočkal.*

Dr. *Nikodim Milaš.* **Rukopoloženje kao smetnja braku (De ordine, quatenus est impedimentum matrimonii).** Mostar 1907. Pg. 59; cor. 1·50.

Novissimis temporibus in ecclesia orientali magno cum fervore agitatur quaestio de matrimonio sacerdotum viduorum. Sacerdotes omnium autocephalarum ecclesiarum orientalium unanimiter fere postulant, uti nuntiat „Glasnik pravoslavne dalmatinske crkve" (1907, N. 2., pg. 19), ut huiuscemodi prohibitiones tollantur et secundae nuptiae permittantur.

Nunc Nicodemum Milaš, ep. Dalmatinum celeberrimum ecclesiae orientalis canonistam, optimum suorum studiorum patronum et advocatum invenerunt. Is enim in libro, de quo agimus, scientifice probare conatur, postulationes cleri orientalis non solum esse iustas, sed etiam et in scriptura sacra et in traditione fundatas. Opusculum magno cum

applausu acceptatum est, ideo eius doctrinam Latine exponere iuvat. Ait igitur: In ecclesia orientali viget hoc ius: 1. episcopus debet esse caelebs, 2. tum presbyteri tum diaconi in matrimonio vivere possunt, si ante ordinationem uxores duxerunt: 3. neque presbyteri neque diaconi neque subdiaconi post mortem uxoris secundas nuptias inire possunt. Hae leges ortae sunt saeculo septimo et radices habent in perverso iudicio de matrimonio, quod sibi hierarchia ecclesiastica sub influxu encratistarum et manichaeorum efformavit (p. 12): ideo neque cum lege naturali neque cum Scriptura S. concordant. Matrimonium est lex naturae, qua omnes homines obstringuntur non exceptis sacerdotibus (p. 13). Hoc principium acceptavit etiam Scriptura sacra, nam apostolus dicit, episcopum (presbyterum) debere esse unius uxoris virum (1 Tim. 3, 2; Tit. 1, 6). Hoc loco apostolus concedit consone cum lege naturae sacerdotibus ius matrimonii, illud autem non restringit ad unas solas nuptias. „Principalis tenor huius doctrinae (Tit. 1, 6) est monogamia, quae debet intelligi sensu stricto respectu omnis personae sacrae et secundum quam bigamia (simultanea) absolute excluditur (p. 24). Apostolus prohibet bigamiam simultaneam, non successivam, „hoc est luce solis clarius." Hanc interpretationem acceptarunt illustrissimi viri ecclesiae orientalis, praesertim Ioannes Chrysostomus et Theodoricus Cypriensis (p. 29). Hoc etiam ex usu ecclesiae probari potest. Ex longaeva enim praxi ecclesiastica constat, quod multi, qui bis coniugati erant, in statu clericali manserunt et non contradicentibus superioribus ecclesiasticis officium pastorale porro exercuerunt (p. 29). Hoc praesertim in ecclesiis ab encratisticis ideis liberis in usu erat. „In ecclesiis, quos ipsi apostoli condiderant, in quibus doctrina evangelica et traditiones purae custodiebantur, in ecclesiis ab encratismo liberis, per tria saécula christiana respectu matrimonii sacerdotum illa norma generalis in usu erat, cuius principia iam scriptura sacra praescripta sunt, quaeque cum lege naturali concordat. Episcopis, presbyteris, diaconis licitum erat nubere tum ante tum post ordinationem." (p. 24). In parte longe maiore ecclesiarum valebat haec praxis. Ordinatio non habebatur tamquam impedimentum matrimonii. Usque ad concilium Trullanum sacerdotes nubebant et ante et post ordinationem et hic status generaliter legitimus putabatur (p. 34).

Ex his Milaš concludit secundas nuptias sacerdotibus concedendas esse: nam haec est doctrina S. Scripturae, haec est traditio hoc docent singulae ecclesiae liberae ab encratistico influxu (p. 29). Omnes praescriptiones, quibus iura sacerdotum restringuntur, ex fonte a spiritu christiano et s. Scriptura alieno scaturiunt ex doctrinis spiritus sectae encratistarum et manichaeorum, qui dignitatem matrimonii tantopere foedaverunt et depravaverunt. Hae ideae etiam personas in hierarchia constitutas perturbarunt (p. 15.) Hoc modo intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut primaeva ecclesia virginitatem tantopere matrimonio praeferret, cum Scriptura sacra inter matrimonium et virginitatem non faciat discrimen. Haud mirum, si etiam scriptores ecclesiastici ab hoc perverso iudicio se non potuerunt emancipare et „solum statum virginalem excellentem et Deo placentem existimaverunt, quem quisque

eligat oportet, qui vult animam suam salvam facere“ (p. 19). Tam infausta erat in nonnullis primaevis ecclesiis opinio de primo matrimonio; multo infaustius iudicabant de secundo, etiamsi Scriptura non ponat discrimen inter primum et secundum matrimonium (p. 20). Tantum abest, ut apostolus secundas nuptias reprehendat, ut eas potius commendet. *M.* provocat ad Rom. 7, 3 et 1. Cor. 7, 8; 39—40 et concludit, superiores ecclesiasticos id, quod apostolus commendat, existimasse „signum suspectae moralitatis et impotentiae coercendi corporales cupiditates et libidines“ (p. 21). Ex hac causa et singulae synodi bigamos successivos ecclesiasticis poenis premebant. Naturalis inde consequentia erat, ut huiusmodi viri ab ingressu in statum clericalem repellerentur, quia nota publica laborabant. Hoc modo auctor nexum causalem in hac quaestione se invenisse putat: superiores ecclesiasticos haereticis ideis corruptos pravo adversus matrimonium sacerdotum rigorismo favisse.

Et profecto solum in iis ecclesiis, quorum genuina disciplina encratisticis erroribus corrupta est, tendentiae, quibus iura sacerdotibus divinitus concessa restringerentur, animadverti possunt. E. g. in ecclesia Syriaca personae hierarchicae perverse de matrimonio secundo iudicaverunt et ecce! in eadem ecclesia saeculo quarto Constitutiones Apostolorum in lucem prodierunt, quibus viri semel tantum coniugati ad officia hierarchica admittuntur (p. 33). Sed eiusmodi ideae perversae tunc erant sporadicae. Consilium Trullanum demum n o v a m legem pro tota ecclesia obligatoriam tulit, qua matrimonium secundum sacerdotibus prohibebatur. Inde erat disharmonia inter theoriam et praxim ecclesiasticam (p. 12. et 39). Et ex his temporibus in ecclesia orientali ordo generaliter tamquam impedimentum matrimonii valet. *M.* enim comparato canone tertio cum sexto se invenisse putat, patres concilii canone tertio permittere, ut secundum matrimonium ineatur. „In principio admittunt, sacerdotem posse inire secundas nuptias etiam post ordinationem . . . et hoc tamquam suprema auctoritas admittere debebant, quia hoc etiam doctrina Scripturae sacrae est.“ (39). Solum practice patribus melius esse videbatur, ita explicat canonem sextum, si secundae nuptiae sacerdotibus prohiberentur. Hoc enim cedere in „bonum populi“ (p. 48). Ideo patres decreverunt, ut exinde ordo impedimentum matrimonii constitueret. „Canon sextus censendus est praescriptio, quae etiamsi iam in nonnullis ecclesiis intermediis, existebat, ex illius temporis circumstantiis, et ex indicio, quod patres de matrimonio sacerdotum tunc habebant, necessario profluxit“. patres enim in iudicandis matrimoniis sacerdotum unam tantum partem respiciebant (p. 48).

Ex his *M.* concludit: haec prohibitio non est divini iuris, sed est positiva lex ecclesiastica, simplex praescriptio disciplinaris, quae mutatis circumstantiis et sublatis motivis, quibus inducta est, mutari potest (p. 48). Hac mutatione nihil novi induceretur in ecclessiam, sed solum restitueretur, quod iam apostolicis temporibus existebat et in Scriptura sacra novi testamenti approbatum est, quod illustrissimi viri ecclesiae orientalis et defendebant et propugnabant.

In ultima sectione auctor de modo agit, quo hae prohibitiones tolli possunt. Huiuscemodi legislatio a concilio generali lata est, ideo ab eadem auctoritate tollenda est. Sed nostris diebus tale concilium vix expectari potest. Itaque cum quaestio brevi solvenda sit, auctor proponit, ut singulae ecclesiae eam intra suum districtum decidant, quod secundum ius orientale licitum sit (p. 54).

Ex dictis patet, scriptorem hunc magno ardore postulationes sacerdotum orthodoxorum propugnare. Nos vero aequo animo affirmare possumus, eum zelo rei propugnatae seductum nonnulla dixisse, quae alias non protulisset.

Certe minus recte statuitur a *M.* doctrinam christianam de matrimonio influxu pernicioso encratistarum et manichaeorum infectam esse; nam si id obtineret, doctrina de matrimonio penitus corrupta esset. Etiam quae habet de virginitate, minime cum s. Scriptura et christiana traditione concordant. Porro eiusdem in Tit. 1, 5 exegesis a contextu discrepat neque est secundum sensum apostoli, licet complures habeat fautores. Nullo modo autem cum veritate conciliari potest, cum doctus Milaš affirmat, patres Trullanos n o v a m l e g e m creasse. Patres ipsi innuunt, sua decreta super „Constitutiones Apostolorum superstructa esse.“ (can. 3. et. 6.) Verum est, semper quosdam sacerdotes bigamos fuisse, sed eo verius est hoc, quod hic status non legalis, sed contra disciplinam ecclesiasticam offendens existimabatur, id quod ex traditione probari potest. Tota demonstratio docti scriptoris opinionibus praeoccupatis regitur, ideo compluribus defectibus laborat et potius detrimentum quam commodum rei defensae adfert.

Famosum hoc opus iam a. 1907 secunda editione valde amplificata editum est (pretio 3 Cor). Quoad rem in hac editione nova non inveniuntur, sed eadem argumenta uberius proponuntur et evolvuntur.

Stephan Veselinovič. **О браку свештенослужилаца. (De matrimonio sacerdotum.)** Odgovor dr. Nikodemu Milašu. Beograd. 1907. Pg. 39.

Veselinovič contra argumentationes episcopi Milaš hoc opusculum polemicum in lucem edidit. Singulas eius theses diligenter diuidicat et in fine pervenit ad sententiam omnino oppositam sententiae ep. Milaš: Scripturam sacram et traditionem christianam sacerdotibus unum solum vinculum matrimoniale concedere: unum solum matrimonium admitti etiam legislatione ecclesiastica, quae in iure divino fundetur (p. 28).

Scripturae sacrae, ait idem, summa de matrimonio haec est: Matrimonium est sacramentum magnum Eph. 5, 32) et opus bonum (p, 9). Non est necessaria lex naturae, qua omnes homines obstringerentur. Alioqui omnes homines necessario coniugati esse deberent; videmus autem naturam humanam ad matrimonium indifferentem. Sed solum primum matrimonium est opus bonum, quia hoc solum mysticam unionem. Christi cum sua ecclesia significat. Secundae nuptiae spiritui evangelii minus respondent, sed fidelibus ab ecclesia ratione habita moralis infirmitatis permissae sunt. (p. 13). Ab hoc privilegio sacerdotes exempti sunt, quia secundum apostolum (Tit. 2, 12) perfectioni chri-

stianae studere debent (p. 12). Exegesim, qua episcopus Milaš epistolam 1, Tim. 3, 2 explicare conatur, rationalisticam et cum factis historicis discrepantem nominat. Ergo nihil ex eo loco in favorem secundi matrimonii deducere licet. Illud „unius uxoris vir“ significat, sacerdotem solum unum matrimonium inire posse (p. 32). Eadem doctrina ex secundo fonte fidei christianae, id est traditione elucet. Patres et scriptores ecclesiastici summa cum reverentia loquuntur de matrimonio primo. Longe maior eorum pars novit et postulat in sacerdotibus solum unum matrimonium, quod ante ordinationem ineatur oportet. (p. 16 sq). *V.* contra Milaš affirmat, leges ecclesiasticas respectu matrimonii sacerdotum ex mero spiritu christiano originem ducere. Doctrina Scripturae sacrae et traditionis conciliis principia subministravit ad condendas leges matrimoniales. Item per concilium Trullanum nequaquam nova lex inducta est, sed lex, quae per multa saecula observabatur, propter novas rerum exigentias denuo inculcata est. Grassabatur enim tunc temporis inter sacerdotes magna morum perversio. Propterea patres coacti erant, canonem 17. Constitutionum Apostolorum innovare et in posterum sacerdotibus secundas nuptias omnino prohibere (p. 27. sq). In ultima parte *V.* nonnullas assertiones Nicodemi Milaš oppugnat et corrigit, qui labor tanto facilior erat, quanto audaciores sunt nonnullae affirmationes episcopi Dalmatini. Sicut Milaš, ita etiam Veselinovič praeconceptis ideis laborat. *F. K.*

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

XIII.

De ecclesiae catholicitate.

Quomodo in libris V. T. universalitas regni Messiani futuri praedicta sit*).

Qui quaerit, ubi ecclesia vera Christi sit, inspiciat libros propheticos V. T. ibique formam, qualitates, finem ecclesiae verae ad evidentiam depicta leget. S. Augustinus hac de re in clarissimo illo opere

---

*) Fontes:
Augustinus, De unitate ecclesiae Mg. P. L. 43 (Aug. 9) Col. 389—446.
Katholik 1877, 1878, 1880, 1881.
Stimmen aus Maria Laach XVII., 117—140.
Dr. R. Söder, Begriff der Katholicität der Kirche und des Glaubens.
Dr. A. Göpfert, Die Katholicität der Kirche.
Dr. J. M. Kaufmann, Die Einheit, Katholicität u. Apostolicität der Kirche.
Dr. E. Commer, Die Katholicität nach dem hl. Augustinus.
D. Palmieri, De Romano Pontifice § 51, 2.
Card. Franzelin, De ecclesia, th. 6.
A. Straub, De ecclesia, p. 188—203.
Hettinger, Apologie (Katholicität) etc.

apologetico et dogmatico-historico scripsit: „Quae ita sunt aperta, ut etiam inimici intelligere cogantur inviti“ (XVIII, 18). Quare ecclesia Christi vera, quae est illud regnum Messianum promissum, quaecumque illa sit, ad amussim descriptioni propheticae respondere debet ac nulla ecclesia potest esse ecclesia Christi, quae non sicut res vel aedificium imagini illi a Spiritu sancto in antiquitate depictae conveniat. In primis autem una qualitas huius futuri regni Messiani maxime semper inculcatur et prae oculis ponitur, scil. eius universalitas. Inde certo concludere nobis licet ad universalitatem ecclesiae Christi verae, quaecumque illa sit. Ut illud factum universalitatis regni Messiani eiusque accuratam notionem ex libris propheticis demonstremus, solum aliqua testimonia afferemus, excusantes nos cum s. Augustino; „Iam vero si de omnibus prophetis ecclesiae praesignatae, quam sicut legimus. cernimus, testimonia colligere in hanc unam epistolam velim, vereor ne ipse videar iudicare pauca, quae tam multa sunt, ut ex isto solo Isaia si omnia congregare vellem, modum debiti sermonis excederem (de unit. eccl. c. 7).“

S. episcopus Hipponensis in libro modo citato hoc ipsum argumentum copiosius tractavit. Ipsum aliosque ss. doctores seu scriptores ecclesiasticos ad verum sensum locorum s. scripturae demonstrandum adducemus. Denique locos Ni Ti, in quibus textus Vis Ti ad ecclesiam certam, unam, a Christo fundatam applicantur, id quod iam s. Augustinus praestitit, citabimus, ut etiam inde demonstremus, sub regno Messiano praedicto ecclesiam unam a Christo fundatam (cfr. de unitate eccl., ipsam inscriptionem) et non quamcumque benedictionem a Christo in gentes descendentem intelligendam esse.

1. Ex primo libro legis, ex Genesi sex loci (Gen. 10, 18; 12, 3; 22, 18: 3 hi loci ad Abraham; dein ad Isaac Gen. 26, 4; ad Iacob Gen. 28, 14; 49, 10) notam benedictionem in semine futuro futuram continent, quae ad omnes gentes extenditur. Gen. 22, 18: „et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia oboedisti voci meae.“ S. Augustinus ad locum citatum notat: „Non dicit ex seminibus tanquam in multis, sed tanquam in uno: Et semini tuo, quod est Christus (Gal. III 15—16)“ (Mg. P. L. t. 43 [Aug. 9] ep. 6 n. 11 lib. c.). His locis manifesto universalitas localis continetur; nam omnes gentes benedicentur in semine uno. S. Aug. lib. c. n. 11 insuper universalitatem temporalem perpetuam intelligit, qua illa benedictio semel per omnes gentes diffusa, semper permaneat: „Quare vos (Donatistae) irritum facitis testamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus esse, completum, et periisse iam de gentibus, in quibus erat semen Abrahae.“ S. Paulus ad Gal. III 15—16 locum Gen. 22, 18 contra Iudaeos pro ecclesia una allegat sicut s. Aug. contra Donatistas.

Unde patet, non sermonem de quacumque benedictione illis locis esse, sed unitatem regni Messiani saltem ex traditione apostolica simul sumpta praedici. Cfr. Aug. ep. 76 n. 1: „Erigite oculos cordis et considerate totum orbem terrarum, quomodo in semine Abrahae benedicentur omnes gentes.« Item s. Ambrosius hunc locum de una ecclesia vera, quae totum orbem terrae fide ut hereditatem accepit: „Secundum

personae Abrahae evidens mysterium ecclesiae, quae totum orbem fidei hereditate possedit, bene pater electionis dicitur, pater fidei, pater piae confessionis“ (de Abraham, l. II, c. 10 n. 77 t. I.) S. Hieronymus, Comm. in Matth. l. I. in init.: „Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes: quod est Christus.“ S. Augustinus hac promissione contra Donatistas evincit, ecclesiam Christi esse, ubi benedictio illa in omnibus gentibus impletur: „Date mihi hanc ecclesiam, si apud vos est: ostendite communicare omnibus gentibus, quam iam videmus in hoc semine benedici“ (De unit. eccl. c. 6 n. 14).

2. Etiam manifestius in psalmis universalitas regni Christi exhibetur Secundus psalmus, directe messianicus, pugnam inter regnum Messiae eiusque adversarios, potestates tenebrarum, ob oculos ponit. Praesertim clare promittit gentes hereditatem Messiae fore: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (v. 7. 8).“ Hoc testimonium ad ecclesiam Christi veram pertinere, secundum s. Augustinum omnino evidens est: „Quis enim Christianus unquam dubitavit, hoc de Christo esse praedictum, aut hanc hereditatem aliud quam ecclesiam esse praedixit?“ Praeterea s. Patres, id quod sensus obvius exhibet, dicunt universalitatem simultaneam ac perpetuo duraturam de ecclesia una Christi praedictam esse. S. Augustinus clare hanc notionem in epist. 49. ad Honoratum n. 3 exponit: „Quaerimus ergo, ut nobis respondere non graveris, quam causam forte noveris, qua factum est, ut Christus amitteret hereditatem suam per orbem terrarum diffusam et subito in solis Afris, nec ipsis omnibus remaneret.“ Similiter Optatus Milev. quaerit, quid Christus fecerit, ut priore promissione sublata gentes amiserit: „Nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis ecclesiam . . . ubi erit, quod libenter ei largitus est Pater, in secundo Psalmo dicens: Dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae? . . . Cur ponitis metas? Cur figitis limites? . . . Tota est donata terra cum gentibus; totus orbis Christo una possessio est“ (Contra Parm. de Schism. Donat. l. II., 1). — Etiam psalmus 21 exclusive Messiae convenit. Non solum clare exhibet imaginem crucifixionis Christi et quidem etiam per singula (hinc s. Matth. 27, 30 et s. Ioa. 19, 24 Christo versus 17—19 applicant), sed conversionem gentium ad Deum fructum huius passionis fore praedicit: „Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae; et adorabunt in conspectu eius universae patriae gentium: quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium“ (v. 28, 29). Cum psalmista illam universalem conversionem gentium sequelam seu fructum passionis esse ideoque meritis retribui praevideat, nonne sicut merita, et ipsa merces duratura est?

Psalmus 44, directe ad Messiam pertinens, cuius regnum „in aeternum et in saeculum saeculi“ (v. 18) durabit, connubium regis, Christi, cum regina, ecclesia eius, celebrat. S. Chrysostomus in Ps. 44 n. 19 ad versum 17: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: *Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ τοὺς ἀποστόλους λέγειν, τοὺς διδασκάλους ἐν αὐτῇ γενομένους. Εἶτα ὑπογράφων αὐτῶν τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἰσχὺν καὶ τὴν δόξαν, φησί· „Καταστήσεις αὐτοὺς*

ἄρχοντας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν.“ Ἆρα ταῦτα ἑρμηνείας δεῖται; Οὐκ ἔγωγε οἶμαι, ὥσπεροῦν οὐδὲ ὁ ἥλιος, ὅτε φαιδρός ἐστι· τὰ δὲ εἰρημένα τούτου φανερώτερα· καὶ γὰρ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἐπέδραμον οἱ ἀπόστολοι.“

Similiter Eusebius Caesariensis, in Ps. 44. — H. E., IV, 7. — Aug. De unit. eccl. c. 8 n. 22. Hi aliique scriptores intelligunt sub regno Messiano praedictam esse ecclesiam Christi veram, unam, ab Apostolis per totum orbem diffusam. Illa universalitas ecclesiae duratura semper exhibetur, cum dicitur: „Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi“ (v. 18). — Psalmus 71 talia exhibet „de quibus dubitari non potest, quod ad Christum pertineant“ (Aug. ibid.). Nam de quonam rege ex Israel nisi de Messia valent: »Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrae“ etc. (v. 8—11). Hic clare universalitas simultanea regni eius enuntiatur. S. Cyrill. Hieros. Catech. 18 n. 23 ad hunc locum alludit: „*Καθολικὴ μὲν οὖν καλεῖται, διὰ τὸ κατὰ πάσης εἶναι τῆς οἰκουμένης, ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων.*« Paulo post idem psalmus prosequitur: „Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei“ (cf. Gen. 49, 10). „Et benedicentur in eo omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum.“ — Praeter hos psalmos directe vel etiam exclusive ad Messiam pertinentes alii typice de ipso eiusque regni universalitate (v. g. omnes gentes, omnes populi, nationes, fines terrae: ps. 17, 44—46) saltem in aliquo versu vaticinantur (cf. Katholik, 1878, I pg. 16 sq.). — Psalmus 18, describens pulchritudinem stellati caeli, qua Deus manifestatur, inde a s. Patribus saepe ad praedicationem apostolicam, qua etiam Dei cognitio divulgatur, adhibetur, cuius praesertim universalitas extollitur. „In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum“ (v. 5). Ipse s. Paulus ad Rom. 10, 18 hoc loco utitur ut prophetico, impleto in missione apostolica. Nemo non videt, inibi universalitatem simultaneam, quippe apostoli simul verba fecerunt, eamque moralem, intelligi. S. Augustinus, strenuus universalitatis ecclesiae Christi adversus Donatistas aliosque haereticos propugnator, hunc sensum de una ecclesia vera exhibet: „Quorum nisi caelorum? Quorum ergo nisi Apostolorum? Ipsi enarrant nobis gloriam Dei“ (in Ps. 18 enarr. 2, n. 2 aliisque locis).

3. In prophetis universalitas regni Messiani etiam clarius, testimoniis sine dubio manifestis, enuntiatur. Inprimis Isaias, qui „propheta gentium“ ideo dicitur, destinationem universalem ipsumque factum continuo fere vaticinatur. Statim ab initio omnes gentes ad montem Sion confluentes videt: „Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes“ (2, 2 sq.). Quae de Sion temporali politico sensu nunquam, praesertim non tempore post Isaiam futuro, vera fuerunt. Sensu igitur prophetico de ecclesia praedicta sunt. Ratio huius concursus additur: „quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem“ (v. 2). Quibus significatur veritas doctrinae et gratia, quae de una ecclesia Christi vera solum valent. Mons igitur est ecclesia Christi vera, eiusque elevatio super omnes colles, ita ut omnes gentes eam videant ad

eamque confluant, eius diffusio per totum orbem eaque simultanea tum propter rationem firmitatis montis, tum quia omnes gentes simul confluunt: „Venite et ascendamus . ." (v. 3) inter sese colloquentes. Illa confluxio erit duratura, quamdiu novissimum tempus non finitum fuerit monsque per sese firmus non cessaverit. Ex ss. PP. Hieronymus in Is. 2, 2—4 scribit: „Et pulchre non dixit: In Sion et Ierusalem erit et manebit verbum et lex Dei Domini, sed: Egredietur, ut de illo fonte omnes nationes doctrina Dei significet irrigandas.« Quibus spiritualis character et unitas huius universalitatis notantur. — Mich. 4, 1 cum loco hoc Is. fere verbotenus congruit. — Celeberrima sunt verba Is. 9. 6. 7, ubi de principe pacis eiusque sempiterno regno in domo David est sermo. „Parvulus enim natus est nobis . . . Multiplicabitur eius imperium." Qui locus hebraice etiam clarius universalitatem atque perpetuitatem regni Messiani enuntiat. — „Repleta est universa terra, ut cognoscat Dominum, ut aqua multa operiat mare. Et erit in illa die radix Iesse, et qui exurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt" (ita s. Aug., De unit. eccl. c. 7 n. 15 legit Is. 11, 9 et 10. — Aug. tota ep. 7). „Repleta est universa terra" nemo non videt de universalitate simultanea dictum esse. Describitur ibi felicitas et pax summa regni Messiani, quia „repleta est terra scientia Dei". Quis non concedat, hoc testimonio aliisque innumeris illud regnum desideratum Messiae sicut universale ita etiam ut terminum stabilem non amplius mutandum regni Davidici praedici? Simul coniunguntur et universalitas et perpetuitas tanquam proprietates essentiales. quae regnum Davidicum in melius regnum spirituale (v. g. hic „scientia Dei", supra „lex" vel „verbum Domini" etc.) commutandum et commutatum prae illo temporali ornant et signant. Cum Is. 11, 9—10 cf. Rom. 15, 12. — Similis locus est Is. 27, 6 iuxta textum s. Aug. l. c.: „Germinabit et florescet Israel, et replebitur orbis terrarum fructu eius". Quo textu s. Paulus (Rom. 15, 12) de Christo et ecclesia vera utitur. Semper adsignificatur perpetuitas; nam si orbis replebitur fructu vel semine (i. e. Christi doctrina) neque ullo modo tolli vel limitari, illa repletio orbis legitur, quo iure eam ad tempus restringas vel limites? Hoc etiam s. Augustino, Optato Mil. aliisque contra haereticos usitatum fuit. — Iterum Is.: »Refulgebit, inquit, et non confringetur, donec ponat in terra iudicium: et in nomine eius gentes sperabunt" (42, 4). Immediate ante: „Non clamabit, neque cessabit neque audietur foris vox eius . ." Quod ex Evangelista de Christo praedictum scimus (iuxta s. Aug. l. c.). Hic sicut alibi saepius illa diffusio regni cum ipso Messia regnante iam in terra connectitur. Quare est signum ipsius adventus ideoque dilatatio non multum remota ab adventu Messiae praedicitur. — Totum cp. 49 egregia quaedam de universalitate regni Messiani continet. „Et posui te in testamentum generis in lucem gentium, ut sit salus usque ad fines terrae" (v. 5). Cf. s. Augustinum l. c. n. 16: cf. 2 Cor. 6, 2. „Ecce tollam in nationes manus meas et in insulas signum meum et adducam filios in sinu" (v. 23). Tertullianus Isaiam adfert, demonstratque ex eo, ecclesiam Christi esse universalem non aliquam particularem sectam (adv. Iud. t. I [ed. Paris.] p. 208—210).

— Porro Is.: „. . et iudicium meum, inquit, in lucem gentibus . . et in brachio meo gentes salvantur (51, 4—5; cf. Rom. 10, 16 et Is. 53, Aug. l. c.). „. . et videbunt omnes nationes usque ad ultima terrae salutem, quae a Deo est“ (52, 10). Ita s. Aug. l. c. legit. „Iudicium“, „salus, quae a Deo est“ solum de veritate ideoque de vera et una ecclesia dici possunt. — Is. 53. 10—12 Messiae regnum super plurimos et potentes i. e. super omnes gentes ut mercedem seu praemium pro passione et morte retribuendum promittit: „Et peccata eorum ipse portabit, ideo hereditate possidebit multos et fortium partietur spolia, propter quod tradita est in mortem anima eius et inter iniquos deputatus est.“ Hieronymus in Is. ad locum: „Quia igitur laboravit, videbit ecclesias in toto orbe consurgere et earum saturabitur fide“. Deus Messiam patientem (hic aliisque locis v. g. super Ps. 21) consolatur promittens ut praemium regnum in toto orbe diffusum; quod vero Messias sanguine et vita sibi comparavit, regnum amplum, nonne permanens et stabile esse oportet? — Sufficiat ex multis testimoniis, quae ex Isaia praeterea supersunt, hoc unum (54, 1—4): adhuc in dexteram et sinistram extende: et semen tuum gentes hereditabit“ (Aug. l. c.). Ambrosius de Virgin. l. I., c. 6 n. 31: Quae igitur nupta plures liberos habet quam sancta ecclesia, quae virgo est, sacramentis mater est populis, cuius foecunditatem etiam Scriptura testatur dicens: Quoniam plures filiae desertae, quam eius quae habet virum?“ S. Hieron. in Is. ad locum: „Cui dixerat: Lauda etc., nunc eidem praecipitur in similitudinem tabernaculi Moïsi, quod quondam habuit in deserto, ut dilatet tentorium suum. Ad dexteram penetret et ad sinistram et nequaquam Iudaici tabernaculi imitetur angustias . . . nec templi brevitate claudatur, sed ad dexteram et ad sinistram locum capere ne cesset.“ Locum hunc Is. s. Paulus ad Gal. 4, 26—27 ad ecclesiam veram et unam applicat, dicens: *Γέγραπται γάρ· ,Εὐφράνθητι* etc. Quae supra de perpetuitate dicta sunt, hic quoque obtinent.

Daniel aliquod regnum omnes gentes continens contemplatur; priora regna mundi destruxit vel potius in se suscepit; post ipsum aliud non iam succedet (2, 35. 44. 45). Aug. in Ioa. tract. 9, n. 15: „Lapis de monte praeciditur, ipse et lapis, quem reprobaverunt aedificantes . . (Ps. 117, 22) . . . Mons ille, unde praecisus est, non impleverat universam faciem terrae: non enim tenuerat regnum Iudaeorum omnes gentes. At vero regnum Christi universum orbem terrarum cernimus occupare.“ Propheta non solum universalitatem localem sed inprimis etiam temporalem i. e. perpetuitatem huius regni praedicit. Nam quid aliud comparatio cum prioribus regnis orbem fere complectentibus significat? Cur post ipsum non aliud fore praedicitur?

Quid nisi stabilitatem enuntiat „mons magnus“, qui „implevit universam terram“, stabilitatem ipsius magnitudinis regni? Nam „mons“ per se est firmum aliquid et stabile. Denique ipsa verba clara sunt: „In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum“ (v. 44). De hoc vaticinio praeter Aug. in Ps. 98, Iren.

adv. Haer. IV, 26, n. 2. Iustin. c. Tryph. n. 76 audi Tertull., Adv. Iud. c. 3: „Cuius (populi Christiani) mons Christus est, sine manibus concidentium praecisus, implens omnem terram, apud Danielem ostensus." Denique Hieron. in h. l. „abscissus est lapis Dominus atque Salvator sine manibus i. e. absque humano semine de utero virginali et contritis omnibus regnis factus est mons magnus et implevit universam terram". (Cf. Katholik, 1881, I. 115).

Alterum Danielis vaticinium praeclarum de „filio hominis" est c. 7, 13—14: (v. 13) „Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce, cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat . . . (14) . . et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient".

De vaticiniis prophetae Ieremiae, quibus universalitas regni Messiani praedicitur [3, 14—17; v. 17: „In tempore illo vocabunt Ierusalem Solium (i. e. thronum) Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes . ."; 12, 15—17; etc.] ac prophetae Ezechielis (10, 60—61; 17, 22—23 etc.) lege Katholik 1878, I, 156—160.

Ex minoribus prophetis pauca addamus, quae ad finem nostrum satis erunt. Osee 1, 10 dicit: „Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quae sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco, ubi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filii Dei viventis." Hunc locum et Osee 2, 41 s. Paulus ad Rom 9, 25—26 de vocatione gentium ad fidem interpretatur. Aug. De civ. Dei 18, 18. — Ultimum ponimus testimonium Mal. 1, 11 de sacrificio „in omni loco" oblato: „Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen in gentibus, dicit Dominus exercituum." Non amplius in solo Ierusalem et ab uno populo, sed in toto orbe sacrificium absque limite offertur. Sacrificium, quo Deus glorificatur „magnum est nomen meum", non est nisi verae ecclesiae Christi. Neque ulla est limitatio quoad tempus, ita ut vere universale ac perpetuum sensu composito illud sacrificium intelligatur. De reliquis vaticiniis minorum prophetarum remittimus iterum ad Katholik, 1878, I, 161—165.

4. Etiam in symbolis et figuris veteris T. ss. PP. universalitatem ecclesiae verae expressam viderunt. Celebris est imago arcae, qua ecclesia repraesentatur, quae, ut arca animalia, ita ipsa omnes gentes complectitur. Hieron. adv. Lucif. n. 22: „Arca Noë ecclesiae typus fuit . . . Ut in illa omnium generum animalia, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt." Aug., De unit. eccl. c. 5, n. 9. „Sed quod ille (I Petr. 3, 20—21: per arcam Noë ecclesiam fuisse figuratam) ibi non dixit, si quis nostrum dicat, propterea cuncta animalium genera ibi fuisse, quia in omnibus gentibus futura praenuntiabatur ecclesia, fortasse Donatistis aliud videatur, et aliter hoc interpretari velint". Similia apud PP. multa invenies. — S. Aug. sub vellere Gedeonis populum Israel, sub reliqua terra gentes praefigurata esse scribit. Ros caelestis i. e. gratia divini sacramenti prius in vellus, dein in reliquam terram seu gentes descendit. „Non video, quid hic (Iudic.

6, 36—40) aliud figuratum et praenuntiatum sit, nisi ut aream intelligamus orbem terrarum, locum autem velleris populum Israel. Novimus enim illam quondam gentem divini sacramenti gratia tanquam caelesti rore perfusam; cuius muneris per omnes in circuitu gentes, quia eo carebant, tanquam siccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, i. e. in velamine et quasi in nube secreti, quia nondum fuerat revelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum iam revelato rore saginari per Evangelium Domini Nostri Iesu Christi, quod tunc in illo tegmine figurabatur" (De unit. eccl. c. 5 n. 10). Cf. Aug. Enarr. in Ps. 71, n. 9, et aliis locis. Quis non videt, universalitatem ecclesiae his locis efferri, eamque non solum localem sed et temporalem seu simul perpetuitatem. Quae de ecclesia vera Christi praefigurata esse et s. apostolus Petrus et ss. PP. plurimi exhibent.

Universalitatem autem ecclesiae non intelligi in s. fontibus physicam sed moralem (cf. Söder, Begriff der Katholicität der Kirche u. d. Glaubens, III Teil, II § 1 p. 198 ff.) vix monendum esse putamus. Si quis ipsum modum loquendi (v. g. „multi, plurimi, omnes", quamvis praevaleant „omnes, universi"), et praesertim libertatem humanam paululum considerabit, non aegre consentiet.

Quae hucusque ex ss. fontibus V. T. adhibita voce ss. Patrum de regno futuro Messiano demonstravimus, paucis colligamus. Regnum futurum Messiae usque ad extremos fines prolatum omnes gentes orbis complexurum esse, et quidem simul, vel inde apparet, quod sit regnum complectens orbem, visibile omnibus gentibus iisque accessibile, successurum regnis maximis eaque consumens, quod occupet orbem a mari usque ad mare et e similibus multis. Porro id ipsum regnum universale fore etiam perpetuum manifestum est, cum ut regnum mundi ultimum, pro novissimis temporibus, non amplius alio regno delendum, cum luna et sole permansurum praedictum sit: cum synagoge abrogandae opponatur; cum mons implens orbem vel lapis crescens in magnitudinem orbis praedicetur. Praeterea inprimis s. Aug. passim aliique PP. sic argumentantur: Omnis fere pagina V. T. de regno futuro Messiae, omnes gentes complexuro vaticinatur. Cur apponis limites? Cur restringis ad gentes aliquot vel dicis, homines noluisse perseverare et defecisse ad paucos ecclesiam? (e. g. De unit. eccl. c. 9, n. 23) Spiritus non haec praedixit sed sine addito, absque limite temporis vel loci universalitatem praedixit. Quare, quae dicis, tibi probanda sunt. — Concludimus cum s. Aug. (l. c. c. 9 n. 23): „Quid ad haec dicturi quae commemoravi ex Lege, et Prophetis, et Psalmis, de Christi ecclesia, quae toto orbe diffunditur, cui malunt repugnare perversi, quam communicare correcti? Quid, inquam, dicturi sunt, utrum haec falsa esse an obscura? Sed falsa esse non audent dicere: premuntur enim mole tantae auctoritatis."

O. Židek.

VI.

De sacramento poenitentiae.

Thesis V.

Quivis actus caritatis appretiative summae sufficit ad iustificationem ita, ut maneat obligatio eliciendi contritionem formalem.

Declaratio. 1. Praecipuus partis prioris adversarius est Melchior Canus, Relectione de poen. p. 3. qui docet posse esse actum dilectionis Dei super omnia in homine permanente in peccato mortali ex defectu poenitentiae formalis.

Parti alteri adversantur directe Vasquez et de Lugo, etsi fortasse magis verbis quam re ipsa.

2. Exsistit praeceptum naturale ad eliciendam contritionem saltem virtualem et implicitam de peccatis commissis. Nam „praeceptum diligendi Deum est omnino de iure naturae et obligaret secluso quolibet Dei decreto, ut omnes concedunt; ergo lex naturalis obligat ad poenitentiam saltem implicitam, quae semper includitur in actu dilectionis Dei super omnia.“ De Lugo, De poen. disp. 7, n. 250. „Unde etiamsi Deus non acceptaret contritionem ad remittendum eius intuitu peccatum, adhuc ex obligatione, quae adhuc esset, diligendi Deum colligeretur bene obligatio poenitentiae saltem implicitae, quae continetur in actu dilectionis“. Id. ibid. disp. 7. n. 184. Idem alterum fontem obligationis (ad contritionem non necessario perfectam) hunc statuit: „Ex eodem naturae iure obligatur homo ad servanda alia praecepta etiam post peccatum; haec autem diu non possent servari sine aliqua retractatione saltem implicita peccati praeteriti: ergo in illa obligatione servandi legem includitur obligatio poenitentiae, sine qua lex non servabitur longo tempore.“ Ibid. n. 250; cf. n. 221. 237. 240; Ballerini-Palmieri, Op. mor., Tr, 10, s. 5, n. 1045—57. Praeceptum illud patet non esse proprie loquendo dispensabile a Deo. „Quod quidem licet concedat Suarez (De poen. disp. 15, s. 3., n. 15), addit tamen posse a Deo auferri eam obligationem per mutationem maeriae, quatenus potest absque poenitentia, cedere iuri suo et remittere offensam, quo casu cessaret consequenter obligatio poenitentiae. Ceterum verius mihi est neque hoc modo cessare eam obligationem; quia sicut non potest Deus ita cedere iuri ad amorem vel ad cultum, ut cesset in nobis obligatio amandi et colendi Deum manente adhuc infinita bonitate et excellentia Dei, quae exigit amorem et cultum, sic non potest per condonationem aut cessionem iuris tollere obligationem, quam infinita bonitas et excellentia Dei inducit iure naturae ad revocandum offensam et exhibendum hunc cultum“. De Lugo. De poen. disp. 7. n. 253.

Contritio formalis necessario elicietur (negante Medina), si ad virtualem accedat recordatio peccatorum commissorum, sicut cogitanti de futura possibilitate peccandi nec deerit propositum formale. „Tunc enim exsistit plena determinatio ad hunc explicitum actum“. Palmieri, De poen. th. 7, IV. Sed obligatio ad recordationem peccatorum

eamque simultaneam cum actu caritatis ex iure naturae ostendi non potest. Dixi necessario elicietur, non „quia apprehendatur necessaria ad expulsionem peccati habitualis [verus enim amor non quaerit quod suum est, sed quod bonum est amato], sed quia ex amore alicuius obiecti statim oritur odium contrarii.“ De Lugo, De poen. disp. 5, n. 95.

Pars I. Quivis actus caritatis, quae sit super omnia, ad iustificationem sufficit.

Dub. 1. Contritio formalis est condicio remissionis. Id docet scriptura sacra Lc. 13, 5: ἐὰν μὴ μετανοήσητε (al. μετανοῆτε), πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε; cf. 13, 3; Ecclus 2, 22; Ez. 18, 28. Nec his verbis ea tantum necessitas enuntiatur, quae Io. 6, 54 de Eucharistia sumenda. (Nam »a) in his verbis sumptio Eucharistiae non coniungitur tamquam medium cum salute obtinenda, sed cum iugi conservatione vitae spiritualis, quae iugis conservatio non est per se necessaria necessitate medii ad salutem. b) Cum vita spiritualis obtenta est, ea non nisi per peccatum amitti potest, h. e. per voluntariam abiectionem eius; si quod ergo medium exsistit ad eam conservandam, illud nequit esse tale, ut etiam inculpabiliter eo omisso privetur homo vita; atqui hic est character proprius necessarii necessitate medii; ergo. Restat igitur c), quod non nisi quaedam necessitas moralis huius medii h. e. cibi ad conservationem vitae divinumqne praeceptum edendi illum cibum per ea verba Christi significetur, si sermo sit de reali manducatione. — At in verbis Christi allatis poenitentia iungitur tamquam medium cum ipsa remissione peccati, quae necessaria est pro salute aeterna assequenda; et remissio peccati huiusmodi est, ut 1. si ipsa desint, eo ipso homo, peccato manente, damnetur; nam non peccatores, sed iusti salvantur; 2. ipsa ex se postulet in peccatore aliquam dispositionem; non enim peccatum remittitur eo tantum, quod peccatum exstitit aut quia quis actu cessat a peccato. Nulla ergo est paritas inter ea testimonia« Palmieri, De poen. th. 7, II. Cf. Suarez, De poen. disp. 15, s. 1, n. 4.).

2 Idem Patres docent: Iustinus, Dial. cum Tryphone c. 141; Cyprianus, De lapsis, versus finem; Ambrosius, Ep. 51 ad Theodosium n. 11; Augustinus, In ps. 30 enarr. 1, n. 5; Io. Chrysost., Hom. 10, in Mt. n. 6; Gregorius M., Homilia 20 in evang.

3. Idem Tridentinum declarat, Sess. 14, c. 4: »Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.«

4. Secundum Tridentinum necessarius est necessitate medii ad remissionem gravis peccati ille dolor detestativus peccati, qui necessarius est ad valorem clavium. Sed ad hunc est semper necessarius dolor formalis nec sufficit virtualis consistens in dilectione Dei super omnia. Nec id potest ita intelligi, ut solum regulariter loquendo sit necessarius dolor formalis; hoc enim omnes theologi reiciunt. Quod confirmatur etiam ex Tridentino, ubi fidem definit necessariam ad iustificationem, sed nequit exponi de fide virtuali sufficiente aliquando, aut de fide formali solum regulariter requisita.

5. Potest aliquis diligere Deum propter eius perfectionem infinitam et velle illi super omnia illam perfectionem infinitam et illa bona intrinseca, quae Deus habet, ita ut paratus sit ad subeundum omne malum et ad carendum omni bono, si id necessarium esset, ne Deus careret aliquo bono sibi intrinseco; quare videtur ille esse amor Dei super omnia, cum velit Deo bonum infinitum et id velit super omnia alia, praeferendo in appretiatione illud obiectum omnibus aliis. Et tamen totus ille affectus compati potest secum affectum ad peccatum; cum enim per peccatum non auferatur a Deo aliquod bonum intrinsecum, sed solum aliquid extrinsecum Deo debitum, non repugnat, quod aliquis velit Deo super omnia eius perfectionem intrinsecam et tamen non velit cum proprio incommodo aliquod bonum

extrinsecum Dei, siquidem illa obiecta sunt omnino diversa; immo nec apparet, quomodo possit prudenter voluntas amare Deum super omnia secundum bona extrinseca; cum enim haec habeant finitam et limitatam perfectionem ac bonitatem, non potest voluntas ea bona Deo velle super omnia; debent enim amari iuxta gradum perfectionis et bonitatis, quem habent, atque ideo amore limitato et non summo.

6. Quod in dilectione Dei virtualiter contineatur contritio formalis, etsi verum sit, tamen non sufficit, ut possit homo iustificari. Nam etiam in actu imperante continetur virtualiter imperatus et tamen non habet imperans aequalem bonitatem cum ea, quem haberet imperatus. Nam per actum spei vel religionis possum imperare actum caritatis, qui procul dubio melior est quam actus spei vel religionis. Ergo licet dilectio contineat virtualiter contritionem, non ideo habebit honestatem aequivalentem, ut disponat ad iustificationem.

7. Offensor impotens per se satisfacere ad aequalitatem pro iniuria tenetur lege naturali compensare modo inter omnes sibi possibiles aptiore ad satisfaciendum; sed modus inter omnes possibiles peccatori ad satisfaciendum aptior est perfecta contritio; ergo ad hanc tenetur. Iam vero amor Dei formaliter et essentialiter tendit ad placandum et ad extinguendum titulum offensi. Sed eo ipso amor est inseparabilis ab eo, quod praestare potest offensor et quod sequitur ex natura rei ad obtinendum talem finem. Ergo idem amor eo ipso est inseparabilis a formali detestatione ac dolore offensae commissae.

8. Lapsus post baptismum in grave peccatum iustificari non potest, nisi votum sacramenti poenitentiae habeat; sed concipere non potest hoc votum sub invincibili oblivione peccati; si quidem amare non potest confessionem peccati non praelucente cogitatione peccati. Confirm.: Peccator habens oblivionem peccati vincibilem, eo quod non velit examinare sufficienter conscientiam suam, non potest in sensu composito huius oblivionis elicere amorem Dei iustificantem se; ergo neque peccator habens oblivionem peccati invincibilem.

9. Mobile locomotivum eodem motu, quo realiter accedit ad terminum, recedit realiter ab opposito; neque aliter evenire potest. Ergo mobile affectivum eodem affectu, quo formaliter accedit ad bonitatem Dei offensi, recedit formaliter ab opposita malitia offensae suae. Ergo cum accessus hic sit amor et recessus odium, formalem amorem nequit habere voluntas, nisi etiam formale odium habeat oppositi mali.

10. In actu contritionis requiritur distincta peccatorum commissorum recognitio, quae in contritione virtuali adesse non potest.

Reapse nos verum statuere probatur argumento pro I. p. thesis IV., si in puncto 1. considerentur rationes B), C), F), quibus addi potest haec propria ex defectu rationis pro contrario.

Non sufficere ad iustificationem simplicem actum caritatis hinc tantum posset suaderi, quod contritio necessitate tum medii tum praecepti necessaria sit; atqui haec duplex ratio illud non probat.

Etenim a) actus animi necessarius necessitate medii suppleri potest actu continente illius actus necessarii votum saltem implicitum et ipsam ex eodem motivo specificam perfectionem. Atqui, si contritio formalis est necessaria necessitate medii, votum eius continetur ita in actu simplicis caritatis. Nam hic actus est eius perfectionis, ut dummodo commissae culpae menti hominis occurrerent, vi motivi proprii in contritionem formalem se necessario explicaret. Nam actus perfectae caritatis necessario est contritio virtualis. „Quivis enim actus dilectionis Dei, qui oriatur ex caritate, debet esse affectus amicitiae, atque ideo non potest tendere ad solam bonitatem intrinsecam Dei, quin simul

tendat ad coniungendum amantem cum amato: quam coniunctionem eo etiam gradu volumus, quo gradu bonitatem illam amamus, cum qua appetimus coniunctionem. Repugnat ergo, quod aliquis affectu amicitiae amet Deum super omnia propter eius infinitam perfectionem intrinsecam, quin etiam se affective coniungat Deo super omnia, atque ideo, quin malit Deo coniungi, quam aliis omnibus bonis. Hinc ergo necessario sequitur, quod quilibet actus dilectionis Dei super omnia continet virtualiter detestationem super omnia peccati mortalis, quod nos ab illa infinita bonitate separat, cui affective coniungimur super omnia. Quamvis ergo infinita bonitas Dei non determinet nec cogat ad amanda bona extrinseca Dei super omnia, necesse tamen est, ut si Deum amamus super omnia, velimus etiam super omnia affectivam coniunctionem cum Deo; hoc enim est amare super omnia illam bonitatem infinitam: coniungi affective cum illa supremo vinculo et nexu affectivo: cui nexui opponitur peccatum, quod nostrum affectum separat a Deo, cum velimus resistere et repugnare voluntati Dei. Amor ergo perfectionis intrinsecae Dei super omnia affert secum fugam et odium peccati super omnia. Nam licet gloria Dei extrinseca, quae per peccatum aufertur vel impeditur, non sit bonum infinitum, est tamen aliquid necessarium ad coniunctionem affectivam meae voluntatis cum infinita bonitate Dei, atque ideo debet a me procurari suprema cura, sicut et ipsa coniunctio cum bonitate infinita Dei: bonitas enim infinita non solum exigit amorem supremum in se ipsa, sed etiam exigit coniunctionem amantis cum ipsa procuratam super omnia; immo non amaretur ipsa infinita bonitas amore summo, si hoc modo non amaretur." Io. de Lugo, De poen. disp. 5, n. 25.

b) Si contritio formalis est necessaria necessitate praecepti, etsi alias semper obligemur ad eam, certe non, cum peccati conscii non sumus, et „homo, qui ignorat invincibiliter suum peccatum et actum caritatis elicit, praecepta omnia, quae sibi ad salutem consequendam necessaria et sufficientia occurrunt, implet; ergo remissionem peccati et salutem aeternam consequitur. Quae quidem assertio non tantum in oblivione habituali seu in actu primo locum habet, sed etiam in oblivione actuali seu in actu secundo, quae naturalis inconsideratio dici solet; haec enim dum est, aeque causat involuntarium ac ignorantia vel oblivio, quamdiu durat: nec enim ad volendum sufficit habitus, sed necessaria est actualis cogitatio; ergo hac naturali inconsideratione affectus peccator, si ad Deum actu dilectionis formalis convertitur, conversionem mutuam Dei ad se et peccati veniam merebitur" Wirceburgenses t. V., disp. 1, n. 79.

Pars II. Remanet tamen obligatio ad eliciendam contritionem formalem.

Dub. 1. Fundamentum talis obligationis esset aut iustitia aut caritas erga Deum aut caritas erga se ipsum. Atqui a) non provenit talis obligatio ex titulo iustitiae, quod ponit D. Palmieri, De poen. th. 7, V., 4; De San, De poen. n. 116. Probat enim De Lugo, De incarn. disp. 3, s. 3 nec semper intervenire in omni peccato iniuriam proprie et stricte acceptam, et impossibilem esse homini satisfactionem pro

illa offensa, cum neque ipsa contritio sufficiens sit aut aequalis, nec ab homine puro offerri posset, et alias rationes ibi adducit. Sequeretur etiam, ut homo ex natura rei obligaretur ad saepius poenitendum de eisdem peccatis, quod huius sententiae defensores non admittunt. Cf. De Lugo, De poen. disp. 7, n. 260.

b) Nec ex titulo caritatis erga Deum probatur talis obligatio, quidquid dicat Suarez, disp. 15, s. 1, n. 13 ss. »Nam lex amicitiae et eius motivum, si res attente consideretur, non me obligat ad procurandum quod ille amet me, quia licet amicitia complete sumpta sit amor mutuus, illa tamen, quae est in me, solum inclinat ad amandum active amicum, non ut ille amet me; ergo licet poenitentia sit medium necessarium ad hoc, ut Deus reconcilietur mecum et diligat me, caritas tamen non me obligabit ad procurandum illud medium, quatenus utile est ad amorem Dei erga me, sed solum ut ego ex mea parte diligam Deum.« De Lugo, De poen. disp. 7, n. 183.

c) Nec ex capite caritatis erga se ipsum quicquam manat; hinc enim posita Dei lege, quae statuit poenitentibus veniam concedere, sequitur ad summum obligatio ad aliquod medium salutis capessendum, nisi Dei iustitiae committere se malit; quod medium cur necessario sit contritio formalis, non apparet.

2. Obtenta iustificatione per claves cum sola attritione non manet obligatio eliciendi contritionem perfectam formalem; idem a pari dicendum censemus de iustificatione obtenta per simplicem actum caritatis. Nam neque in illo casu exhibita fuit sufficiens satisfactio, quam homo potest exhibere.

3. »Sive obligatio ad poenitentiam oriatur ex eius necessitate ad servanda alia praecepta, sive ut vitetur contemptus implicitus Dei, qui esset, si non retractaretur prior offensa: ex neutro capite restat necessitas, cum iam aequivalenter et sufficienter retractata sit prior offensa per actum dilectionis Dei, quo homo non minus roboratur ad servanda praecepta nec minus retractat, quod contra Deum fecerat; siquidem coniungit se affective super omnia cum Deo et per consequens praefert Dei placitum rebus omnibus, quae est eminentissima retractatio.« De Lugo, De poen. disp. 7, n. 256.

Tamen obligatio posita certa est.

Nam (ex th. III.) cum mortali culpa quavis contrahitur obligatio subiciendi illam clavibus, quamvis iam fortasse aliunde sit remissa: unde qui non subicit, etiam denuo peccat. Atqui subiectio talis cum memoria culpae confitendae fert poenitentiam explicitam. Ergo quando contingit hominem iustificari per solum amorem, non remittitur ei culpa, nisi sub onere habendi contritionem formalem, utpote quae saltem ad ordinarium usum clavium necessario (ideoque per se) pertineat.

Schol. 1. Idem dicendum est de simplici actu religionis, gratitudinis erga Deum etc., si harum virtutum motiva sufficiunt ad perfectam contritionem.

2. „Experientia, quae connaturalem rerum dispositionem nos docet, compertum est peccatorem non abripi ad amandum ex toto corde Deum, nisi praecedente taedio et displicentia peccati. Cum hoc tamen stat aliquando immitti a Deo misericorditer tantam divinae illustrationis vim atque inspirationem ad amandum ipsum, ut tota humani cordis virtus occupetur in ipsius puro amore.“ Wietrowski, De poenit. concl. 13, c. 3, n. 511.

Thesis VI.

Ut contritio vel caritas iustificent, non est necessarius altior quidam gradus intensitatis, nec certi temporis duratio nec distincta omnium peccatorum commissorum vel mandatorum servandorum recognitio.

Decl. 1. Quid voce intensitatis amoris vel contritionis significetur, iam supra (thes. IV, decl. 3.) indicavimus.

„Nullus est actus, qui sit sine aliqua intensione; et cum haec per se sit divisibilis in infinitum, poterit quocumque gradu concipi alius minor, quamvis forte in ordine physico naturae terminus quidam sit, sub quo non possit exsistere alius actus imperfectior. Non est ergo quaestio simpliciter, utrum aliqua intensio in actu caritatis et contritionis esse debeat. Sed quaestio est, utrum requiratur intensio summa, quae est in potestate hominis aut certus gradus, ita ut sine illo adhuc tota essentia actus haberi posset. Quaestio est sc., utrum sufficiat actus, in quo vera sit essentia contritionis, quamvis, si fieri posset, quovis intensionis gradu careret, an praeterea requiratur modus quidam intensionis, sine quo tamen actus essentia maneret, et utrum requiratur intensio maxima vel absolute vel comparative vel quaedam Deo tantum cognita . . . Quaestio ergo huc redit: utrum recipienda sit huiusmodi distinctio contritionis conceptae ex amore Dei propter se et super omnia in contritionem remissam, quae non sufficiat ad iustificationem, et in intensam, quae ad id sufficiat. Nos negamus contendimusque veram contritionem ex eo motivo conceptam sive remissam sive intensam valere ad iustificationem." Palmieri, De poen. th. 24, II.

Triplex sententia refertur eorum, qui certum quendam intensitatis gradum requirebant.

Prima est, ad contritionem requiri summam intensionem actus, quam homo praestare potest per totum conatum sibi possibilem. Ita sensit Adrianus VI, In l. 4 qu. 2.

Secunda est, requiri summam intensionem non quidem absolute, sed comparative, ita ut peccator maiore intensitate doleat de peccato quam de quolibet alio malo et quam diligat quodlibet bonum creatum. Ita Petrus Soto, lect. 14 s. Idem existimasse videntur Richardus, Paludanus.

Tertia est, licet ad contritionem non requiratur summa intensio, requiri tamen certum aliquem gradum intensionis, quem Deus novit. Haec opinio defenditur a plurimis theologis, inter quos sunt: Berti, Bertieri, Concina, Farvacquez, Gazzaniga, Girken, Henricus a s. Ignatio, Hiquaeus, Iuenin, Launoius, Le Drou, Chr. Lupus, Merbes, Natalis Alexander, Neercassel, Oberndorffer, Schäzler, Sylvius, Vanespen, Wittasse. Inter hos auctores posuimus etiam illos, qui (ut Berti, Girken, Piette), ad amorem iustificativum requirunt, ut sit (in corde) praedominans, ita ut homo sit dominus suarum passionum. Terminum hunc 'praedominans' Amort accipit pro inclinatione praedominante in appetitu rationali, qua homo vult superare omnes difficultates, quae

occurrunt in domandis pravis concupiscentiis et in constanti observatione mandatorum et in continuo exercitio actuum amoris accidentalium et in congrua satisfactione compensatoria (cf. Thes. V., p. II, dub. 1, a) pro offensa, ita ut sic contritus non solum velit Deum praeferre bonis omnibus, quae aeternum separant a Deo et evitare gravia peccata, sed etiam velit Deum sedulo praeferre bonis aliis creatis, quae tantum elongant ad tempus a Deo et diligentiam adhibeat ad evitandas actiones leviter peccaminosas. — Alii eundem terminum 'amor praedominans' sumere videntur pro promptitudine omnium potentiarum ad exercendos actus amoris et poenitentiae quoscumque, ita, ut voluntas non solum velit ea omnia, quae perfecti amantis et poenitentis sunt, praestare fortiter, sed etiam alacriter et cum voluptate.

Etiam Hiquaeum huc traximus, qui exigit quandam intensionem virium, quae intensio non se habet ex parte actus (quam reliqui postulant), neque consistit in habituali dominio supra passiones (cuius postulatores modo explicavimus), sed in actuali conatu arduo superandi habitualem adhaesionem voluntatis ad vitia et in forti resolutione praestandi omnia officia amoris erga Deum, quantumvis humanae voluntati valde difficilia. Hos simul omnes refutabimus.

Nostrae sententiae defensores inter veteres exstiterunt imprimis Gabriel, Medina, Vega, Navarrus.

2. Durationem requiri ad perfectam contritionem duplici modo potest intelligi: vel peccatorem non posse in instanti efficere, quidquid ex parte intellectus et voluntatis est necessarium ad perfectam contritionem: vel actum, qui est contritio vel dilectio debere aliquod tempus durare, ut sit sufficiens dispositio ad gratiam iustificantem. Hoc posterius agitur et ponitur a Caietano, Almaino, Hiquaeo. Eadem opinio tribuitur Scoto, qui tamen secundum Bosco (disp. 6, s. 2, n. 372) non est ita intelligendus, quasi docuerit contritionem non posse iustificare, nisi aliquod tempus durarit, sed ita, ut voluerit docere actum contritionis non posse fieri uno instanti, sed necessario requiri ad eum aliquod tempus, in cuius ultimo instanti gratia a Deo infundatur. — Denique theologi n. 1. ut tertiae opinionis defensores nominati durationem contritionis requirunt, velut Juenin. Comment. hist. dogm. de sacr., diss. 6, q. 9, c. 4, qui putat „toti antiquitati fuisse persuasum contritionem non esse unius diei opus, sed multorum mensium, immo et nonnunquam annorum."

3. Quod extensionem contritionis attinet, „certum est 1^{0} contritionem debere versari circa omnia peccata gravia [tantum: contra Amort supra] saltem in confuso, ita ut nullum positive excludatur. Ratio est, quia cum sit ultima dispositio ad gratiam et gratia non possit consistere cum ullo peccato mortali, necesse est omnia mortalia dispositive tolli per contritionem. 2^{0} certum est non requiri tot actus contritionis numero distinctos, quot sunt peccata numero distincta, sed sufficere unum simplicem actum, quo omnia simul detestemur. [„Et ratio est, quia hic motus simplex sufficit et aliud esset intolerabile onus et sine fundamento; nam scriptura non requirit poenitentias peccatorum, sed poenitentiam: illa autem universalis contritio, quamvis simplici motu perfi-

ciatur, est perfecta poenitentia omnium peccatorum. Immo saepe esset impossibile simul habere integram contritionem per illam collectionem, quia non posset homo simul tot actus elicere. Quodsi necessaria esset successio, non posset homo aliquando brevi tempore iustificari, immo aliquando esse posset propter hanc causam extra statum salutis, ut si tempus vitae eius brevius esset, quam ut posset sufficere ad illam actuum successionem." Suarez, De poen. disp. 4. s. 6, n. 2] 3⁰ certum est ex parte intellectus requiri memoriam seu cogitationem aliquam de peccatis a se commissis; quia non sufficit cogitare de peccato praecise sumpto, quatenus malum quoddam seu offensa Dei est: sed necesse est cogitare de peccato, quatenus a nobis commissum est; alioqui non posset esse contritio de illo, sed tantum simplex odium aut displicentia". Becanus, De sacram. c. 35 qu. 3.

„Difficultas igitur est, quanta et qualis esse debeat haec recogitatio peccatorum, ut motus voluntatis in illa cadens habeat rationem contritionis. In qua re est sententia theologorum [plurimorum] per se necessarium esse, ut homo recogitet distincte peccata omnia, tam quoad species singulas, quam quoad numerum eorum et ita de illis doleat. Ita d. Thomas III. p. q. 87 a. 1 et I, II. q. 113 a. 5 ad 3 et In 4. dist. 17 q. 2 a. 2. quaest. 6. et d. 21. in expositione litterae post omnes quaestiones et q. 28. de verit. a. 5, ad 4. Alensis 4. p. q. 69 memb. 8, a. 2. Bonaventura d. 16, 2. p. illius art. 2. q. 1 ad 2. Richardus art. 4. q. 2. Gabriel q. 1. art. 3, dub. 2. Paludanus, q. 2. ad 1 et d. 21 q. 3. Sylvester, verb. 'contritio', nu. 5. Angelus n. 4. et verb. 'poenit.' n. 8. Qui omnes non satis explicant, an loquantur de contritione secundum se vel in ordine ad confessionem, videntur tamen loqui priore modo. Quod magis explicuerunt Adrianus q. 3. de baptismo, in fine, Cano dict. relect. de poenit. p. 3. circa finem, Soto d. 17, q. 2, Medina, Codice de poen. tract. 1 q. 3., Ruardus art. 5. contra Lutherum et multi alii . . .

Secunda sententia est neque ad contritionem neque ad iustificationem necessariam esse distinctam recogitationem omnium peccatorum, sed sufficere confuse et distincte omnia detestari. Ita Maior, In 4. d. 17, q. 3; Caietanus d. q. 87 art. 1 et tom. 1. opusc. tr. 4, q. 2 et Cather. l. 5. contra Caiet. c. de contrit. Victoria in Summ. 4 n. 116 de poen. et Ledesma 2. p. 4. q. 16 a. 6. Vega l. 14. in Trid. c. 25 et Navarrus in Summ. c. 1. n. 25. Petr. Soto lect. 13. de poen., qui addit interdum posse esse hanc recogitationem necessariam, si obduratus peccator illa indigeat, ut se excitet ad contritionem. Verum hoc accidentarium est; nunc, quid per se contritio requirat, consideremus.

Hanc ergo sententiam absolute veram iudico; contrariam vero aut esse intelligendam in ordine ad confessionem sacramentalem, ut videntur potissimum loqui antiqui, vel certe aliquali moderatione esse limitandam vel relinquendam. Quod ut declarem, adverto tribus modis posse hanc recogitationem distinctam omnium peccatorum requiri ad contritionem, 1⁰, quod tota actualis consideratio et distincta de singulis peccatis sit in intellectu in eo instanti, in quo voluntas elicit

contritionem. 2⁰, quod saltem ipsa praecesserit, antequam eliciatur contritio. 3⁰, quod, si non praecessit, saltem post contritionem facienda sit et consequenter de hoc habeatur votum seu propositum in contritione ipsa inclusum. Rursus hinc fit, ut tribus modis possit intelligi peccator se habere ex parte intellectus in eo instanti, quo elicit contritionem 1⁰ actu et distincte recogitans omnia peccata, quae commisit. 2⁰ solum confuse recogitans se saepius offendisse Deum et per voluntatem omnia peccata detestans. 3⁰, ut sit actu considerans de uno vel altero peccato commisso in particulari, non vero universe de omnibus, nec distincte nec confuse." Suarez, De poen. disp. 4, s. 6, n. 4. 7. 8.

In thesi nostra non loquimur de recogitatione peccatorum contritionem sequenti vel de voto eius in contritione incluso: quod per se non requiritur ex iure naturali: per accidens vero requiritur: si restituendum aliquid sit vel si sit aliqua occasio peccati tollenda vel universim aliquod necessarium remedium adhibendum ad praecavenda similia peccata: ad haec enim tenetur homo ex vi contritionis et non potest illa praestare sine consideratione specifica peccatorum. In testamento novo patet manere obligationem confitendi, quae sine distincta peccatorum commissorum recogitatione impleri non potest. Cf. Suarez, De poen. disp. 4, s. 6, n. 11. s.

Pars I. Non requiritur altior quidam gradus intensitatis.

Dub. 1. Quod movet ad appretiationem, movet quoque ad intensionem actus; ergo contritio non potest esse summa appretiative et remissa intensive; nam intensio doloris in voluntate sequitur magnitudinem doloris ex obiecti aestimatione. Sic. v. g. filius magis dolet de morte patris quam amici, quia pluris facit patrem quam amicum. — Adde quod inordinatum esse videtur, ut homo intensius doleat de malo temporali, quam de offensa Dei.

2. Contritio est sufficiens dispositio ad gratiam; sed in hac dispositione merito requiritur summa intensio; tum a) quia peccator summe offendit Deum, tum b) etiam, quia cum non possit reddere condignum, merito exigitur ab eo, ut reddat, quantum potest ex toto conatu sibi possibili.

3. Tenemur peccatum detestari super omnia detestabilia. Illud autem magis detestamur, quod maiore conatu et intensione detestamur. Connaturale enim est, ut ubi reperiatur summa appretiatio in intellectu, ibi etiam sit summa intensio actus circa obiectum et contra; ergo qui amat vel odit aliquid intensius quam Deum aut peccatum, non appretiatur Deum et peccatum super omnia. Nec in qualitatibus est magis et minus nisi secundum intensionem, uti commode observat Petrus Soto.

4. Patres existimant dolorem debere esse eo intensiorem, quo fuit intensior affectus ad peccatum, ut scilicet dolor sit super omnia. Ita Cyprianus, De lapsis c. 35: »Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, poenitentia crimine minor non sit.« — Ambrosius (?), Ad virg. lapsam c. 18: »Fortius est dolendum, quia fortius est peccatum.« Cf. Caesarium Arelat. Hom. 1; Augustinum, Serm. 34, c. 12; Gregorium, Moral. l. 4, c. 17.

5. Non sufficere quemvis intensionis gradum patet ex s. scriptura: Deut. 6, 5; Mich 4, 10; Matth. 22, 37.

6. Mulieri peccatrici Luc. 7, 47 s. remissa sunt multa peccata, quoniam dilexit multum; multa ergo dilectio requiritur pro delendis peccatis. Praeterea tunc ei remissa sunt peccata, cum Christus dixit ei: remittuntur tibi peccata tua; ergo hactenus haeserat in statu

peccati et tamen ardenter iam amabat et fervebat caritate. Ergo non omnis caritas delet peccata. Ita Baius.

7. Anastasius Sin. Interrog. 105 censet lacrimas proprie dictas esse fere magis necessarias, quam sit piscina baptismi (καὶ τολμῶ εἰπεῖν τοῦ τῆς κολυμβήθρας βαπτίσματος ἀναγκαιότερον).

8. Cyprianus, Ep. 19 et Ep. 54 supponit poenitentes ante absolutionem Deum vera caritate diligere, et tamen adhuc esse sub diaboli potestate donec absolvantur; ergo non putabat omni caritate deleri peccata. Ita Juenin (Comment. hist. et dogm. de sacr., de poen. q. 4, c. 4.) — Cf. et Gregor. Naz. Or. 40, n. 8 (πολλοῖς στεναγμοῖς μόγις).

9. Si sufficeret contritio quaecumque ad statum gratiae acquirendum, sine ratione imposita esset a Tridentino (sess. 13, cp. 7) obligatio confitendi ante Eucharistiae susceptionem, quae urgeat »quantumvis sibi contritus videatur« peccator.

10. Catechismus Romanus p. 2, c. 5, n. 36 ait: »Ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari conferrique possit?«

11. Si omnis amor Dei super omnia iustificat, quivis potest facile scire et esse moraliter certus, an sit in statu gratiae vel non. Sed hoc est contra Eccles. 9, 1; Ioel 2, 12. 14; cf. Conc. Trid. Sess. 6, c. 9.

12. Scriptura (Deut. 4, 29; Joel 2, 12; Matth. 3, 7 s.; Luc. 3, 8; Act. 26, 20; 2 Cor. 7, 8. 9. 11) ad iustificationem per modum condicionis sine qua non requirit propositum satisfaciendi et compensandi offensam iuxta offensi arbitrium. Ergo ubi amor Dei super omnia hac condicione destituitur, non sufficit ad iustificationem. (Amort).

13. Ille amor non sufficit extra sacramentum ad obtinendam iustificationis gratiam, qui nec habet vires ad praestanda sua promissa, nec sibi procurat vires gratiae ad praestanda promissa. Sed talis est amor Dei super omnia, nisi sit ita perfectus, ut maiore studio bonorum operum conetur comparare gratias actuales ad constantem observationem mandatorum necessarias. Nam secus non potest prudenter sperare gratias actuales extraordinarias ad constantem observationem mandatorum necessarias. Ergo non vult efficaciter procurare vires gratiae ad praestanda promissa.

14. Homo non facit moraliter totum, quod est in se, nec de congruo meretur iustificationis gratiam, nisi haec tria observet, primo, ut velit constanter servire Deo, et perseverantiae donum promereri studio bonorum operum. Secundo, ut velit placere Deo moraliter tota vita et moraliter in omnibus actionibus, quantum humana fragilitas sinit. Tertio, ut velit Deo compensare offensam satisfactione congrua. Sed haec fieri nequeunt sine intensione virium et extensione etiam ad actus amoris accidentales.

Intensitatem istam ab aliis aliam postulatam necessariam non esse certum ex manifestam est.

1⁰ inde, quod s. scriptura, patres, concilium Tridentinum caritati tribuentes vim iustificandi, nullum intensionis gradum necessarium dicunt. Hoc patet

α) de textibus scripturae in probatione thes. IV., p. I. allatis et explicatis. „Quemadmodum ergo, cum in scripturis dicitur fides, spes et huiusmodi eisque aliquid tribuitur, licet eae possint esse remissae et intensae, nulli venit adhuc in mentem, quae de eis affirmantur, cum hac limitatione accipere, ut vera sint pro fide aut spe intensa, non autem pro remissa, quid est, quod pro caritate haec distinctio adhibetur?" Palmieri, De poen. th. 24, V. Cf. etiam Io. 14, 23; 15, 10; 1 Io. 2, 5; 3, 14. 24; ubi huius caritatis signum a posteriori mandatorum

Christi observatio designatur. Item Matth. 10, 37: Luc. 14, 26. Cf. Tournely, De sacr. poen. q. 4, a. 1, concl. 2.

b) Idem liquet de patribus. Cf. imprimis Leonem M. Ep. 91 ad Theodorum ep.; Io. Chrysostomum, Ad Theodorum lapsum l. 1, n. 6, Augustinum, Tract. 9. in Ioan. n. 8 etc.

c) Item Tridentinum sess. 14, cp. 4 dicens contritionem caritate perfectam iustificare ante actualem usum clavium, non requirit intensum actum. Nam „actus quilibet tum dicitur caritate perfici, cum a caritate imperatur vel ex motivo caritatis ponitur; contritio igitur, quae caritate perficitur, est detestatio peccati et propositum non peccandi propter amorem Dei per se super omnia dilecti. Dummodo vera sit caritas vel remissa vel intensa, negari nequit contritionem ex ea determinatam esse contritionem perfectam caritate. Cum ergo synodus dicat simpliciter perfecta caritate, non autem caritate intensa, tenendum est synodum docere contritionem informatam caritate, dummodo sit vera caritas, satis esse ad reconciliandum hominem Deo. Secus, cum nomen caritatis simpliciter sumptum pro quavis vera caritate sive remissa sive intensa supponat ideoque phrasis haec: 'contritio caritate perfecta' accipi iure possit et debeat, si in sensu proprio ac obvio verba sumuntur, de quavis vera caritate informante contritionem, et idcirco quod de huiusmodi contritione praedicatur, nempe 'reconciliare hominem Deo ante sacramentum actu susceptum' accipi merito possit de contritione informata quacumque vera caritate, imo debeat accipi, — si sola caritas intensa, non omnis vera caritas, id praestaret, — falsa esset simpliciter propositio concilii, quemadmodum falsa foret ea enuntiatio, in qua de genere universim affirmares, quod proprium est speciei.“ Palmieri, De poen. th. 24. IV.

2⁰ Demonstravimus supra (thes. IV, p. I, A) ex damnatione propositionum Baii sequi, ut sit doctrina catholica, non posse caritatem perfectam et sinceram esse seiunctam a remissione peccatorum. Iam vero certum est hanc caritatem, de qua id sequi probavimus, non esse caritatem tantum intensam sed omnem caritatem veram et perfectam quoad essentiam. Nam caritas, quae in prop. 31 exhibetur, est perfecta quoad essentiam, sed nullum determinatum gradum exigens. „Sane 1) haec erat significatio huius additi ['perfecta'] ea aetate [Cf. Thom., Suppl. q. 5, a. 3. Durandus, In l. 4 dist. 17, q. 1: Toletus, Instr. sacerd. l. 3, c. 4]. 2) si 'perfecta' significaret specialem gradum perfectiorem, sine quo essentia esse potest, perperam additum fuisset illud 'sincera', quod nedum nihil novi dicit, sed minus. 3) Caritas perfecta et sincera est ea caritas, 'quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta'; atqui omnis vera caritas est talis. 4) Est ea caritas, de qua Baius loquitur in suo libro de caritate, in quo propositionem hanc docet: loquitur enim de ea caritate, quae definitur ab Augustino: animi motus ad fruendum Deo propter se ipsum (c. 7.): per quam fides non est mortua, sed viva (ibid.): de qua loquitur Paulus 1 Cor. 13 (ibid.): de qua s. Bernardus dicit, quod sufficiat, si desit citra culpam aqua baptismi (ibid.): haec autem est vera caritas. Porro numquam Baius indicat se intensum quemdam gradum caritatis in catechumenis

et poenitentibus cogitare: neque distinctionem instituit inter caritatem remissam et intensam: immo appellatio haec 'perfecta' non fit ibi a Baio caritati, de qua loquitur, sed fit a pontifice propter eos characteres, quos Baius adserit caritati, quae tamen appellatio a Baio acceptatur; qui tandem in sua Apologia quoad hanc propositionem respondit se perfectae caritatis nomine eam intellexisse, quae extensive quidem perfecta esset, seu Dei super omnia, non autem intensive. Et quamvis dicat se de ea caritate esse locutum, quam Augustinus appellat boni cupiditatem, ut reapse identidem in libro de caritate sic eam Baius appellat, nihilominus hanc boni cupiditatem iis notis exornat, quas supra indicavimus, quibus verus et perfectus caritatis actus constituitur.' Ergo caritas, quae iuxta Apostolicae sedis decretum (quae in sensu ab auctoribus intento propositiones eas damnavit) nequit esse sine remissione peccatorum, est omnis caritas vera et perfecta quoad essentiam.

[Idem facile probatur de prop. 70.]. Ibi occurrit 'caritas vera' et 'caritas perfecta'. Quaerimus ab adversariis, an 'perfecta' caritas sit eadem ac 'vera', an alia? Si eadem, cum omnis caritas, etiam remissa, sit vera caritas, ergo in his propositionibus nomine perfectae non venit caritas intensa, sed simpliciter caritas quoad suam essentiam completa. Si vero est alia, ergo sententia prioris partis propositionis alia est a sententia posterioris ab eaque independens: ideoque et ipsa damnata. Porro ea pars prior docet caritatem veram posse esse simul cum peccato; definitum ergo est caritatem, dummodo sit vera, excludere peccatum mortale." Palmieri, De poen. th. 24, IV.

Reponunt quidem adversarii, si res ita esset, futurum fuisse, ut apostolica sedes, quae decreta sua coram violari non patitur tranquille, procul dubio defensores necessitatis caritatis intensae quacumque data occasione perstringeret. Hanc autem viam nedum secuta sit, secutam esse adversam. Sic Clemens XI. Moralem Gratianopolitanam, ut vocant, a Francisco Genetto Vasionensium episcopo exaratam in Italia typis mandari voluit, prout referunt Christophorus a s. Iosepho, generalis Carmelitarum Hispaniae procurator et illustrissimus Matth. Petitdidier Maerensis episcopus. Sic amoris intensi necessitatem Romae in publicis scriptis tuiti sunt cardinalis de Laurea, Fridericus Nicolaus Gavardi, Franciscus Maria Campion. Sic Lambertus le Drou, Porphyriensis antistes, quadripartitam suam dissertationem Clementi XI nuncupavit. Sic Benedictus XIII. Summam Alexandrinam ex Morali theologia Nat. Alexandri digestam vulgari praecepit. Demum, cum an. 1677 gravissimae contra Lovaniensem academiam motae essent querelae, quasi ea doceret varias opiniones apostolicis decretis contrarias, collegit illa doctrinae suae articulos eosdemque per deputatos suos Innocentii XI. iudicio reverenter summisit; in his porro aperte tradebatur attritionem non sufficere in sacramento sine Dei propter se dilectione. Haec autem doctrina, etsi saepius coram emin. sacrae congregationis cardinalibus ad examen revocata et discussa, intacta evasit. Ergo nihil habet cum Baii opinionibus commune. Cf. Collet, De poen. p. 2, c. 4, n. 627.

Sed haec ratio tunc aliquid valeret, si contenderemus definitum

esse caritatem etiam remissam, si sit perfecta, habere vim iustificandi: sed hoc nos ratiocinando colligimus ex decretis ecclesiae.

3⁰. Si non sufficeret quaecumque intensitas caritatis vel contritionis, aut requireretur summa, quam consequi possumus summo conatu, aut summa comparative ad reliqua bona vel mala, aut non quidem summa sed tamen superiorem quendam gradum tenens.

Atqui *a*) non est opus ea intensione, quam summo conatu attingere possumus. „Aut enim intelligitur ille conatus, qui solis naturae viribus a voluntate exhiberi potest et hic est impertinens ; nam contritio non fit per hunc conatum, sed per illum, quem adhibere potest voluntas cooperando divinae gratiae. Quodsi de hoc sit sermo, in illo nullus est terminus, sed quocumque dato potest voluntas maiorem exhibere cum gratia Dei . . . Dici potest hoc esse verum de absoluta potestate : de lege tamen ordinaria dari definita auxilia, cum quibus potest homo summe operari, et hoc modo requiri summam intensionem in contritione. Sed haec etiam fuga non habet probabilitatem, quia non obligat Deus hominem, ut summo conatu et (ut ita dicam) ad aequalitatem respondeat vocationi eius, sed solum ut respondeat et consentiat. [„Correspondentia totalis non exigitur ex eo quod gratia tanta sit data, sed spectat ad perfectionem supererogatoriam : secus enim peccaret etiam qui bene ageret, dum nempe ex gratia legem observaret cum rectissima intentione et veraci amore Dei, non tamen tantum intense, quantum posset. Sed sicut nemo pro observatione legis et merito tenetur adhibere totum conatum naturae, cuius est capax, sed satis est, quod faciat id, quod lex praecipit ponatque id, quod ex natura rei vel lege exigitur pro aliquo fine, pro reconciliatione assequenda, ita neque tenetur homo agere secundum omnes vires gratiae, quas habet.“ Palmieri, De poen. th. 24, VI.] Alias non sufficeret eadem intensio actus in duobus peccatoribus ; nam potest alter vehementius vocari et habere paratum maius auxilium Dei ; ergo oportebit illum vehementius conari, ut conteratur. Idemque erit, etiamsi ille minus peccaverit. Hoc autem est praeter rationem iustitiae, ut plus exigatur [in ratione contritionis] ab eo, qui minus debet. Est etiam contra modum loquendi scripturae: nam absolute eandem contritionem ab omnibus petit.“ Suarez, De poen. disp. 4, s. 4, n. 1.

b) non est opus intensione, quae sit comparative summa. „Nam vix potest intelligi, quomodo fieri debeat illa comparatio. Interrogo enim an fieri debeat cum qualibet detestatione seu dolore possibili homini, et hoc dici non potest, alias coincidet haec opinio cum praecedente, ut per se constat : vel comparatio est facienda cum dolore, quem homo aliquando habuit, vel de praesenti habet, quando conteritur. Et quidem si sermo sit de praesenti dolore, impertinens est collatio: tunc enim vix potest homo de alia re cogitare, nedum alium intensum dolorem habere in voluntate ipsa; nunc enim non agimus de dolore sensibili, qui ex passione corporis nasci potest. Ideo mirum non est, quod tunc contritio sit magis intensa quam quilibet alius actualis affectus: nam id non provenit ex necessitate intensionis ad contritionem, sed ex eo, quod ad exercendam contritionem moraliter neces-

sarium est, ut homo eo tempore non sit intentus aliis actibus exercendis; quod maxime verum est de actibus peccaminosis, qui repugnant contritioni." Suarez. De poen. disp. 4, s. 4, n. 4,

Nec si comparatio fiat ad dolores vel affectus, quos peccator habuit in vita superiore requiritur ille excessus intensionis:

1. quia tota illa intensio per excellentiam actus contritionis superatur et ideo talis eius intensio non postulatur. (Suarez.)

2. Secus exigeretur „id, quod frequenter non est in nostra potestate; intensio enim actus doloris aut amoris pendet ex eo, quod plerumque nobis liberum non est; pendet nimirum ex sensibili et experimentali cognitione, quae nobis est naturalis." Palmieri, De poen. th. 24, VI. „Obiectum [enim] sensibile naturaliter vehementius movet et afficit voluntatem, quam obiectum aliquod intelligibile et spiritale. Unde sicut amor bonorum sensibilium potest esse intensior quam spiritalium, ita et dolor, qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest illo, qui concipitur propter mala spiritalia; idque citra culpam hominis, qui cum sit in corpore corruptibili constitutus, vehementius movetur sensibilibus tam bonis quam malis, etiamsi ea absolute non magis diligat aut detestetur modo appretiativo; quod sanctissimis etiam viris contigit Iacobo et Davidi, qui longe vehementioris doloris signa dederunt in morte filiorum suorum, quam pro suis peccatis." Sardagna, Theol. dogm.-pol. tr. 6, p. 3. art. 7, n, 91.

3. „Contingeret aliquando unum peccatorem habuisse actum intensiorem circa aliquod obiectum, quam alium; et per consequens deberet postea habere contritionem intensiorem, ut iustificaretur, quam alius; quod est absurdum, praesertim cum potuisset contingere, suum peccatum fuisse simpliciter levius, quia affectus intensior non semper est gravius peccatum; potest enim alius affectus crescere ex malitia obiecti.

4. Item, quando petitur dilectio Dei super omnia ex praecepto caritatis, non requiritur esse intensiorem amore aliorum obiectorum, quae ille homo amat; nam eodem amore amat Deum et homines propter Deum et per consequens eadem intensione, sed tamen plus amat Deum excessu sc. appretiativo." De Lugo, De poen. disp. 5. n. 87.

„Unde etiam fit, quod licet comparatio fiat ad habitualem seu virtualem dolorem aut affectum, quem homo habet relictum ex prioribus actibus, non oporteat dolorem contritionis esse intensiorem tali habitu: quia ille habitus non potest esse intensior quam fuerunt omnes praecedentes actus, seu (quod idem est) quam intensissimus eorum; ergo si necesse non est, ut contritio in intensione superet omnes actus praecedentes, nec etiam erit necessarium, ut superet habitum ex eis relictum. Et confirmatur (potestque haec ratio ad superiora membra applicari): nam alias qui intensissimum habitum peccandi comparavit vel intensissimum odium imimici concepit, non poterit iustificari extra sacramentum, nisi statim a principio iustificationis incipiat habere intensissimam caritatem, quae excedat totam intensionem prioris consuetudinis. Consequens autem est plane falsum et contra communem sensum omnium fidelium, conicitque huiusmodi peccatores in quoddam

desperationis genus. Estque contra vim et dignitatem caritatis; minima enim caritas, si vera sit, potest quaelibet peccata operire seu delere. Item cavendum esset hominibus iustis, si fortasse non adeo intensum dolorem de peccatis vel Dei amorem habuerunt, ne propter intensos actus doloris vel amoris circa creaturas, alioqui non malos, sed rationi et naturae consentaneos, fructum prioris poenitentiae amittant, solum ob excessum intensionis absque alia malitia: quod absurdissimum est; nam sola intensio per se non facit actum peccaminosum. Sequela vero patet, quia eadem est ratio de praecedenti actu vel habitu et de subsequentibus; nam respectu utrorumque tenetur homo et diligere Deum et detestari peccatum super omnia. Et ideo sicut de praeteritis tenetur super omnia dolere, ita et de futuris tenetur proponere ea fugere plus quam alia mala semperque perseverare in eo affectu et excessu super omnia." Suarez, De poen. disp. 4, s. 4, n. 6.

c) Nec requiritur quidam intensionis gradus soli Deo cognitus. Nam alioqui „nulla unquam vel probabilitas haberi posset exerciti actus doloris aut amoris super omnia." Palmieri, De poen, th. 24, VI. Sed „est grave praeceptum eliciendi quandoque contritionem: at nullum datur praeceptum de re ignota [utpote inutile], cuiusmodi sunt contritionis intensae certi gradus; ergo sine sufficienti ratione exiguntur." Wirceburgenses, De poen. disp. 1, n. 43. Hinc simul apparet, quid dicendum sit ad obiecta similem Turnelii (De sacr. poen. q. 4, a. 1, c. 2, prob. rat. I.) rationem impugnantium ex auctoritate s. Thomae (Quaest. disp. q. 24, art. 15; In l. 4. sent. dist. 17. q. 2, a. 5) postulantis ad sufficientem praeparationem ad gratiam aliquem modum determinatum „qui quidem homini notus esse non potest" et ex eo, quod nemo sciat absoluta certitudine, utrum amore an odio dignus sit, nec tamen inde scrupulorum seges oriatur.

4⁰ Idem patet ex defectu rationis pro opposito. „Actus contritionis per se est proportionata dispositio ad infusionem caritatis et gratiae et non constat Deum ex peculiari ordinatione requirere aliquem certum modum accidentalem illius actus . . . Si enim in aliqua dispositione consideremus positivam proportionem cum forma, haec est, ut sit eiusdem ordinis et natura sua postulans talem formam: hoc autem habet actus ille respectu gratiae [„cum sit actus verae caritatis et amor amicitiae ad Deum, est in eo ordine, in quo est habitus caritatis et gratiae sive amicitiae divinae inducendus." Palmieri, De poen. th. 24, VI.] Si vero in dispositione consideretur quod removeat prohibens, quod in praesenti solum est peccatum, hoc etiam sufficienter praestat ille actus in suo genere: nam licet remissus sit, separat efficaciter voluntatem a peccato et convertit in Deum super omnia dilectum . . . . Et confirmatur, quia peccatum mortale, quantumvis remissum tollit gratiam et caritatem." Suarez, De poen. disp. 4, s. 4, n. 10. „Ergo nisi aliunde ac lege positiva Dei oppositum demonstretur et pro reconcilianda amicitia Dei satis erit actus caritatis cum excessu appretiativo. Ex illo enim *a*) colligere licet, id quod Deus in actibus nostris doloris aut amoris considerat, esse id, quod proprie ad voluntatem pertinet, quod prorsus est in nostra potestate, quodque ad essentiam doloris et

amoris spectat: intensio autem et ad sensum pertinet nec libera est omnino nobis et accidentaliter se habet ad actum.“ Palmieri, De poen. th. 24, VI. β) eodem modo et eadem proportione scriptura de eis loquitur. (Suarez) γ) Deus longe pronior est ad veniam quam ad vindictam (Tournely).

Ad 1. »Ex diverso capite oritur appretiatio obiecti et actus intensio. Appretiatio quidem ex praestantia et dignitate obiecti; intensio vero ex magna et vehementi applicatione seu conatu facultatis erga obiectum, quod tale est aliquando, ut etsi magis aestimetur appretiative, non tamen ita movet et afficit voluntatem sicut aliud obiectum, quod non tanti fit. Res declarari potest et illustrari exemplo matris, quae parvulum filium intensiore amore prosequitur, licet natu maiorem amore minus quidem intenso, sed maiore appretiative diligat, cuius vitae conservationem praefert vitae iunioris. [»Venator saepe intensius amat canem quam patrem suum, a quo est offensus, quem tamen plus appretiat paratus potius carere cane quam patre«. Busenbaum, Theol. mor., tom. 6, n. 767].

Ad id quod additur: fatemur quidem esse quid inordinatum, ut voluntas rationalis amore intensiore feratur in creaturam quam in creatorem et intensius oderit quodcumque aliud malum, quam peccatum, quemadmodum inordinatum est, ut caro concupiscat adversus spiritum, ut pars animae inferior plene et perfecte subdita non sit superiori; verum haec inordinatio appendix est naturae nostrae infirmae et corruptae, quae vitio et culpae non imputatur, cum homo Deum super omnia appretiative diligit.« Tournely, De sacr. poen. q. 4, a. 1. adv. concl. 2. obi. 3.

Ad 2. *a*) »Peccator, licet faciat maximam offensionem considerata dignitate personae offensae, non tamen semper peccat cum summo conatu intensivo; neque est necesse, ut in dispositione ad gratiam talis intensio postuletur; quia minima gratia sufficit ad remissionem cuiuscumque peccati et ideo satis est etiam dispositio illi proportionata, quae in substantia et essentia doloris est maxima et in hoc est proportionata culpae«. Suarez, De poen. disp. 4, s. 4, n. 2—*b*) »Si hoc valeret, probaret etiam debere peccatorem satisfacere Deo omnibus modis, quibus posset, sc. precibus, ieiuniis, eleemosynis etc., ut faceret, quantum ex se posset; quod tamen, licet utile sit, non est necessarium. Deus enim requirit a peccatore ex necessitate summam satisfactionem solum in specie, non in individuo; quia illud primum poterat homo facile praestare; hoc secundum non nisi difficillime et fere impossibiliter«. De Lugo, Do poen. disp. 5, s. 7, n. 85

Ad 3. Cf. ad 1. »Quod Petrus Soto ait in qualitatibus non esse magis et minus nisi secundum intensionem, non ita est; nam inter eas, quae specie differunt, praeter comparationem in maiore et minore perfectione essentiali potest inveniri magis et minus in vi agendi vel resistendi et suo modo in vi coniungendi potentiam obiecto suo.« Suarez, De poen. disp. 4, s. 4 n. 7.

Ad 4. respondet Vega (l. 13., c. 14) ss.patres indicare, quid deceat et optandum sit, non quid necessarium sit; Estius (In l. 4, d. 16, § 7) exponi eos posse de maiore vel minore dolore, pro mensura offensae, appretiativo, non intensivo; cf. schol. 2 Suarez (De poen. disp. 4, s. 4, n. 11) censet eos loqui non de remissione culpae, sed de praestanda quantitate poenitentiae, ut poena etiam integre remittatur.

Ad. 5. Locus secundo loco positus non pertinet huc, ut patet ex inspecto contextu. Ad primum vero et tertium optime notat Palmieri, de poen. th. 24, V. »Certe qui diligit semper et nunquam peccat omnem levem legem observans, diligit Deum ex toto corde, ex tota anima ex tota mente et omnibus viribus suis. Iam vero estne hoc mandatum? Profecto, si quodlibet peccatum prohibitum est, illud

erit praeceptum! Sed interest primo, utrum hoc totum praeceptum sit sub gravi, an quaedam ex his sub gravi, quaedam sub levi, deinde, utrum quod praeceptum est, sit necesse habere semper pro consequenda salute, an satis sit habere aliquando; tandem utrum quod universim praeceptum est, sit etiam praeceptum pro aliquo speciali fine, puta pro hoc, nempe pro obtinenda remissione peccatorum; nam plura profecto possunt esse mandata simpliciter, quam quae mandata sint pro assequenda reconciliatione. Iam vero Christus non loquitur de eo, quod mandatum est pro obtinenda remissione peccatorum, sed tantum docet quodnam sit mandatum magnum in lege, Moysis scilicet, quod tamen etiam nunc valet. Porro certe präeceptum est, ut diligamus Deum, certe praeceptum est, ut nunquam offendamus Deum, quod qui praestat certe diligit Deum (Ioan. 14, 21) eumque diligit ex toto corde etc. Hoc praeterea est praeceptum magnum, cuius tamen totalis observatio neque est necessaria sub gravi multoque minus necessaria est pro assequenda remissione peccatorum, neque id Christus ullo modo docet. Ergo perperam ad haec verba Christi provocant adversarii.« Ceterum cfr. Thom. II. II. q. 44, a. 3; a. 5; q. 24, a. 8.; Bonaventura. In l. 3 d. 27, a. 2. q. ult.; et ex patrib. Theodoretus, In Deuter. 6. 5 In Ioel 2, 12; Basilius, In ps. 44, 2.

Ad 6. »Quoad primam partem damus, quod dilectio peccatricis mulieris fuerit amor Dei propter se super omnia, quod indicari videtur a Christo, qui dilectioni fert acceptam remissionen peccatorum ... Verum 1) si, quia Christus dixit dilectio multa, colligunt adversarii necessariam esse dilectionem multam, cur non colligunt eam esse necessariam tantum pro peccatis multis? Non enim Christus dixit tantum: remittuntur ei peccata, quoniam dilexit multum, sed peccata multa, ut satis manifesta sit oppositio, quam Christus notare voluerit inter peccata mulieris eiusque amorem. Explicanda est ergo ab illis huiusmodi oppositio, cur nempe Christus non dixerit simpliciter remitti peccata propter dilectionem multam, quae est sententia eorum accepta voce 'multum' pro intensa caritate, sed dixerit remitti peccata multa, quoniam dilexit multum. Porro 2) licet non uno modo nobis hanc expedire difficultatem. Sane a) 'dilexit multum' denotat amorem perfectum caritatis, h. e. Dei propter se dilecti et excessum caritatis appretiativum; multum enim Deum diligit, qui non solum prout est bonus sibi, sed prout est in se bonus eum diligit eumque omnibus efficaciter praefert. b) Etsi 'caritas multa' sit caritas quoad gradus intensa, significat quidem Christus eam historice fuisse causam, sicut historice exstiterant reapse multa peccata, sed non significat eam fuisse causam necessariam. Si enim quis alterum intensissime amat. dicere alter potest se illum redamare propter eius intensissimum amorem, non quatenus, nisi intensissimus esset, non redamaret, sed quatenus amor, qui causa est redamationis, est reapse amor intensissimus. Cum ergo illa mulier multum amaverit et amor eius fuerit causa remissionis, si res historice spectetur, causa remissionis non fuit quicumque amor, sed amor multus; atque hoc Christus testari voluit. At Christus non dixit quod, nisi multus fuisset amor, peccata remissa non fuissent. c) Si 'multa caritas' est caritas intensa, potest haberi quoque ut causa necessaria remissionis, sed illius remissionis, quae peccatrici illi collata sit, quae fuerit nempe remissio non tantum culpae atque poenae aeternae, sed et poenae totius« Palmieri, De poen. th. 24, VII. Cf. Suarez, De gratia l. 8, c. 10, n. 16. — Alteram partem nihil valere patet ex textu Graeco.

Ad 7. Hic pater loquitur quidem primario de lacrimis veris excitandis, sed quod praemittit de necessitate fletus non est urgendum aut cogendum ad proprie dictas lacrimas (ad summum ex communiter contingentibus).

Ad 8. Idem s. Cyprianus exigit a poenitentibus (sicut etiam s. Eligius, Hom. 4. in cena Dom.), ut »convertantur ad Dominum mente

tota . . ad Dominum toto corde redeant , quos tamen hortatur, ut confiteantur singuli delictum suum, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est.« — »Neutro loco obiecto probatur s. patrem loqui de poenitentibus perfectam caritatem habentibus. Sed etiamsi altero loco de ea ageretur, nihil inde sequeretur, quia quamvis certum sit contritione deleri peccata, episcopus tamen tenetur ea media adhibere iisque remediis succurrere ovibus suis, quae Deus posuit in eius potestate. Cf. Palmieri, De poen. th. 24, VII. De Greg. Naz. cf, Thes. 2, p II. ad 4.

Ad 9. Cf. thes. 4, p. I, ad 14. et adverte, vocem 'quantumvis' valere etiam contra adversarios, si argumentatio illa quicquam valeret. Ratio autem imponendae huius obligationis fuit procul dubio maior securitas acquirenda de dignitate sacrificantis, quatenus alioqui maius esset periculum, ne dignum se esse falso sibi persuaderet neve facile peccata perpetraret.

Ad 10. Idem catechismus paulo ante (n. 27. 28) docuerat contritionem posse 'veram' et 'efficacem' esse, etiamsi id non consequamur, ut sit vehementissima. Vehementissimam igitur non docet esse necessariam, sed vult ut ad eam assequendam, si fieri potest nitamur. Cf. Palmieri, De poen. th. 24, VII.

Ad 11. Nescit homo plena certitudine, an contritio fuerit sincere super omnia; hoc potest fere tantum ex eventu constare. Sed si nullam habere posset de ea re scientiam, nec sacramenta suscipere ei liceret etc. Cf. p. II. ad 1.

Ad 12. Requiritur utique propositum satispatiendi pro mortalibus iuxta Dei arbitrium et etiam satisfaciendi, in quantum requiritur ad conformitatem cum Christo, per poenitentiam (ieiunia et sim.) ab ecclesia impositam. Sed quodcumque sub gravi requiritur, in contritione super omnia continetur.

Ad 13. Maior perfectio vitae requiritur, ut accipiat aliquam uberiorem gratiam, non ad sufficientem. Tenetur ad ea media procuranda, quae sunt necessaria ad salutem idque sub gravi; at non ad alia.

Ad 14. Principium illud »Deus facienti quod est in se non denegat gratiam« imprimis non est exclusive intelligendum, acsi nulli alii det gratiam, saltem si illud 'facienti in se' non ad gravem obligationem refertur. Alioqui reapse nemo acciperet gratiam.

Pars. II. Nec determinatum spatium temporis necessarium est.

Dub 1. Si non requireretur determinata duratio pro aliquo tempore ad valorem contritionis vel actus caritatis, posset aliquis certo scire se esse in statu gratiae; posset enim scire se habuisse dolorem de peccatis super omnia et hoc ex eo motivo, quod peccata displiceant Deo; ergo potest scire se habuisse contritionem, quae infallibiliter affert iustificationem, ex lege Dei. Ita Caietanus.

2. Eliciendo actum contritionis homo vult iustificari, id quod velle debet. Iam vero homini psychologice impossibile est aliquam solidam probabilitatem de actu tali posito habere, nisi per aliquod spatium duret, saltem tantum, ut prima reflexa cognitio de eo oriatur. Ergo ad iustificationem non sufficit instantaneus actus contritionis.

3. Ut contritio sit conversio perfecta, requiritur aliqua permanentia in hac voluntatis inclinatione; nam perfecta non potest esse ea contritio, qua voluntas Deum tantum per instans diligit. Impossibile enim est, ut mens, quae ad perfectam Dei dilectionem pervenit, in eo non paulisper quiescat.

4. Deus non remittit peccata ita, ut unquam reviviscant; atqui more insipientium ageret, si crimina per annos cumulata uno remitteret momento ita, ut nunquam digna pro eis poena dari possit. Nec esset ulla proportio inter diuturnam ad peccata adhaesionem odiumque Dei et contritionem vel dilectionem instantaneam. Propterea

etiam ss. patres docent conversionem debere probari operibus, ut per eam cessent peccata. Cf. Theodoret., In Ezech 33, 13 ss

5. Non statim condonatum est peccatum Petro secundum Ambrosium, Apol. Dav I, c. 6, n. 25 sed demum trina caritatis confessione.

Verum et haec pars firmiter omnino stat. Nam

1⁰. Probavimus prima parte sufficere actum, qui essentiam habeat verae caritatis. Atqui essentia eius nullam determinatam durationem exigit, sed potest esse in instanti. Ergo nulla determinata duratio est necessaria. Cf. Palmieri, De poen. th. 24, VIII.

2⁰. „Homo tenetur habere veram contritionem, non tamen tenetur aliquo tempore durare in actu conversionis, quem elicit: ergo non perficitur contritio duratione temporis, sed sola efficientia talis actus . . . Teneretur enim ad id vel iure naturae vel positivo. Non primum, quia ius naturale solum dictat diligendum esse Deum et detestandum peccatum super omnia et contra hoc nihil esse agendum. Quod vero talis actus duret per horam vel per partem temporis, non dictat; in nullo enim principio naturali hoc continetur. Et, si ratio naturalis hoc dictaret, etiam praescriberet, quantum futurum esset illud tempus: alias esset valde confusa et obscura obligatio. Constat autem rationem naturalem de hoc nihil praescribere." Suarez, disp. 4, s. 5, n. 5. Nec positivo iure ad id tenemur. Nullibi enim in revelatione praescribitur nobis conversio tanta vel tanta quoad durationem. Immo Ez. 18, 27; 33, 12 indicari videtur nullam requiri durationem; quod, si comparetur Ezech. 18, 26 et 23, 12 omnino clarum videtur esse. Nam „sicut consensus in peccatum mortale statim ac fit, est peccatum mortale et destruit gratiam, ita igitur e converso actus contritionis statim ac fit, habet esse contritionis [= est perfecta contritio] seu ultimae dispositionis ad gratiam." Suarez, d. 4, s. 5, n. 1.

3⁰. Idem docent passim sancti patres. Coelestinus, Ep. ad episc. prov. Viennensis et Narbon, n. 3: „Vera ad Deum conversio . . . mente potius est aestimanda, quam tempore, propheta hoc taliter asserente: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris." Gregorius M. (?) In 7 ps. poen., ps. 31, 15: „Attende, quanta sit indulgentiae vitalis velocitas, quanta misericordiae Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat poenitentia; ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat." Cf. Tertullian., De poen. c. 4; Hieron., Ep. 46; 18. Pacian. Ep. 3. ad Sympron.; Augustin., De vera et falsa poen. c. 17; Io. Chrysost., Orat. de s. Philogonio; Theodoret., In Ezech. 18.

Ad. 1. respondet De Lugo, De poen. disp. 5 n. 89 item argumentum solvendum esse in sententia contraria. Posset enim homo certo etiam scire illum dolorem durasse tamdiu, quamdiu in omni sententia sufficit, ut acceptetur a Deo; nemo quippe [sapiens] dicit debere contritionem durare per annum vel mensem, ut homo iustificetur; incertitudo ergo iustificationis et gratiae recuperatae ex multis aliis capitibus provenire potest. Primo, quia nescimus an actus doloris fuerit undequaque bonus absque admixtione alicuius circumstantiae malae tenentis se ex parte actus, qui reddat actum malum saltem venialiter. Secundo, quia saepe putamus nos diligere Deum super omnia et fallimur, habemus enim occultum in corde affectum ad aliquid Deo

repugnans; sicut quando Saul dicebat 1 reg. 15: 'Implevi verbum Domini', cum tamen ex parte non implevisset . . . Sic saepe non attendimus ad inoboedientiam et affectum aliquem perseverantem in corde contrarium legi divinae. Unde David merito petebat, ut ab his occultis liberaretur; sunt enim multa, quae per ignorantiam culpabilem vel committuntur vel non delentur, a quibus semper formidare possumus. Denique (ut alia omittam) ipsa opinionum multitudo circa ea, quae ad veram contritionem requiruntur et multo magis circa requisita ad iustificationem faciunt, ut licet possit aliquis nonnumquam moraliter iudicare se esse in gratia Dei, cuius multa signa in se ipso experitur, nemo tamen (seclusa revelatione) id certo sciat illa certitudine, quam Trident. Sess. 6, c. 2 negavit, sc. certitudine fidei, cui falsum subesse non possit. Videatur Suarez, De gratia l. 9, c. 9 et 10.« De poen. disp. 5, n. 89. Ceterum cf. D. S. Mpalanos, Ἡ περὶ δικαιώσεως διδασκαλία τῆς ὀρθοδόξου Ἑλληνικῆς ἐκκλησίας ἐπὶ τῇ βάσει τῶν πηγῶν (Athen. 1904) p. 44.

Ad reliqua facilis est responsio, cum ut summum probent aliunde requiri durationem actus contritionis sed non ad id, ut homo iustificari possit.

Pars III. Nec opus est distincta omnium peccatorum commissorum vel omnium mandatorum servandorum recognitio.

Dub. 1. Docet sacra scriptura ad iustificationem (לְמַעַן תִּצְדָּק) necessariam esse talem peccatorum commissorum recognitionem: Is. 43, 26; Ez 18, 28. Idem docent ss. patres, velut Chrysostomus, Hom. 4 de Lazaro et divite (ubi allegat Is. 43, 26), Hom. 9 ad Hebr. circa fin., De compunct. cord. l. 1. circa fin.; Ambrosius, Praef. in ps. 37; Augustinus, De vera et falsa poen. c. 17; Gregorius, Moral. l. 4, c. 15; l. 8, c. 10.

2. Homo dum poenitentiam agit debet esse et medicus et iudex sui ipsius, quia castigare et emendare debet delicta; neutrum autem commode exercere potest, nisi distincte sua peccata recognoscat; alioqui nec proportionatam medicinam, neque condignam poenam applicare poterit. Unde propter hanc praecipue rationem necessarium est in vocali confessione hoc modo confiteri omnia peccata, quia in illo sacramento officium medici et iudicis in confessarium translatum est.

3. Concedunt omnes peccatorem in Lege Nova ad hunc contritionis modum obligari. Sed contritionis praeceptum non est auctum in nova lege, sed solum additum praeceptum confessionis.

4. Dictum est supra (thes. 5, decl.) necessitatem contritionis (formalis vel virtualis) oriri ex obligatione ad servanda alia praecepta etiam post peccatum; ergo saltem unus ex praecipuis finibus poenitentiae est correctio et emendatio vitae praeteritae; unde patet necessitas ad id, ut poenitens habeat voluntatem et intentionem expressam corrigendi mores et servandi mandata; nam ad aliquem finem assequendum necessaria est intentio et definitum propositum obtinendi illum. Sed, cum obiecta mandatorum sint adeo distincta, non potest sufficere generale propositum ad eum finem assequendum, sicut non sufficeret propositum aedificandi domum, nisi formarentur particulares de eius partibus intentiones.

5. Constat propositum generale esse parum efficax; unde omnes ascetae unice commendant facienda proposita omnino particularia; iam vero aliquid inefficax non potest esse praeceptum ad iustificationem obtinendam.

Nihilo minus illa recogitatio peccatorum commissorum et illa consideratio mandatorum servandorum, praeterquam quod sane non requiritur in contritione virtuali, quam sufficere iam probavimus, nec ad contritionem

formalem est necessaria. Esset enim necessaria aut ante actum talis contritionis aut simul cum eo aut post eum.

Sed „quod attinet ad actualem repraesentationem omnium peccatorum [vel mandatorum] in eodem instanti per distinctam cogitationem, saepe [vel semper] est humano modo impossibile . . .

Quod vero attinet ad actualem recogitationem praeteritam, quamvis haec praecedere possit, nullum est tamen principium positivum aut naturale, ex quo colligi id possit esse necessarium. Nam etiamsi formalis poenitentia de omnibus peccatis necessaria sit . . ., optime tamen esse potest huiusmodi poenitentia, etiamsi talis recogitatio non praecesserit; quando etiam aliquis detestatur omnia peccata propter Deum, etiamsi distincte de illis non cogitet, formalem poenitentiam habet et non de uno vel de alio peccato tantum, ut constat, quia ad nullum particulare descendit neque in uno aut singulariter aut indefinite sumpto sistit, sed ad omnia extendit intentionem suam . . . . Explicatur hoc modo: Nam etiamsi aliquando praecedat illa recogitatio, necesse tamen non est, ut simul cum illa totó illo tempore duret contritio, quia, ut ostensum est, neque est necessarium paulatim et per particulares actus singula peccata detestari, neque etiam in uno et eodem actu aliquam moram temporis consumere: et sufficit ergo finita recogitatione statim uno motu detestari omnia peccata. Quod etiam concedunt fere omnes, qui huiusmodi recogitationem requirunt. At vero etiam tunc pro eo instanti, quo habetur contritio, iam non manet in intellectu nisi quaedam confusa repraesentatio memoria peccatorum omnium: ergo si haec eadem praecessisset ante recogitationem, ad contritionem habendam suffecisset; ergo necessarium non est, ut illa recogitatio in re ipsa semper praecedat." Suarez, De poen. disp. 4, s. 6, n. 9 s.

Ratio, cur exigatur post contritionem recordatio peccatorum et praeceptorum, non posset esse nisi necessitas alius contritionis; iam vero ad iustificationem sufficit una vera contritio.

Ad. 1. et 5. concedimus, quod »regulariter oportet propositum descendere ad particularia, ut occurrente postea occasione servetur; quae regula est satis communis apud viros spirituales.« De Lugo, De poen. disp. 5, s. 7, n. 91. Plura cf. ap. Vasquez, In III., q. 85, a 2, dub. 7.

Ad. 2. »Quod spectat ad officium iudicis, et potest in se peccator punire sua peccata quantum voluerit, quamvis de illis distincte non cogitet et fortasse etiam potest satisfactionem pro poena in purgatorium remittere [differre] et in utroque differt multum hoc iudicium internum a iudicio sacramentalis confessionis. Quod vero pertinet ad officium medici, pro ratione necessitatis poterit esse recogitatio haec necessaria in ordine ad futurum effectum; haec tamen necessitas nec semper occurrit et respectu omnium peccatorum fere nunquam«. Suarez, De poen. disp. 4, s. 6, n. 13.

Ad. 3. »Etiam in lege nova non requiritur haec recogitatio peccatorum propter contritionem, sed propter confessionem; nam si quis vel prius concipiat universalem dolorem perfectum de omnibus peccatis et postea ea recogitet sine novo dolore, vel postea de omnibus confuse doleat, id satis est; ergo signum est illam recogitationem per se propter confessionem postulari, quamvis, si recte fiat, ex illa recogitatione practica moraliter sequatur maior dolor. Hinc vero fit, ut etiam in hoc statu, si contingat aliquem excusari ab illa obligatione

in ordine ad confessionem, nimirum, quia confiteri non potest ob inopiam confessoris, tunc simpliciter excusetur a tali recogitatione facienda, etiamsi oppositum aliqui senserint sine causa, cum illa recogitatio non per se praecipiatur, sed propter actum externum, qui tunc exerceri non potest«. Suarez, De poen. disp. 4, s. 6, n. 14.

Schol. 1. „Interdum potest homo veram contritionem habere et iustificari, etiamsi de uno solo peccato actu cogitet, si illud ex perfectissimo motivo poenitentiae detestetur . . ., etiamsi alia commiserit. Quod expresse docuit Bonaventura; et idem tenet Medina et idem supponit Corduba. Et ratio est, quia est illa universalis detestatio virtualis omnium peccatorum. Et quidem, si alia peccata commissa oblita sint, res est per se manifesta, quia iam ille homo detestatur peccata commissa, quantum moraliter potest et debet. Addit tamen Bonaventura in eo casu debere hominem detestari saltem sub condicione alia peccata, si forte illa commmisit. Quod est optimum consilium, tamen necessitas praecepti solum erit, quando homo est dubius, an alia peccata commiserit, quae memoria exciderint. Tunc enim ratione dubii et consequenter ratione periculi tenebitur. At, si nullum morale dubium habeat, non est, cur obligetur . . . Rursus, quoniam naturalis inconsideratio pro eo tempore, quo habetur, aequivalet oblivioni et aeque excusat, ideo is, qui multa peccata commisit et unum tantum considerat actu, licet aliorum non sit omnino oblitus, sed solum actualem inconsiderationem eorum habeat, poterit de peccato illo vere conteri et per illam contritionem iustificari ob rationem dictam.“ Suarez, De poen. disp. 4, s. 6, n. 15 s.

2 Peccatum quo gravius eo est detestabilius. Inde licet non oriatur obligatio positiva detestandi aliud magis appretiative quam aliud, habetur tamen obligatio negativa non detestandi peccatum gravius appretiative minus quam peccatum levius. Nam „licet nullum peccatum simpliciter sit eligibile propter vitandum aliud, tamen quacumque ratione vel ex quacumque suppositione fingatur aut veniat necessitas eligendi inter grave et leve peccatum et alterutrum eorum committendi, semper est vitandum potius grave quam leve . . Quapropter recte potest hic affectus seu appretiatio declarari per illam condicionalem: si non possem simul utrumque, potius grave quam leve peccatum vitarem; et contrarius affectus esset inordinatus.“ Suarez, De poen. disp. 3, s. 10, n. 6. Quae inversio ordinis et praeelectio peccati gravioris prae minus gravi sive fiat actu condicionali (quod, si utrumque sit mortale negavit Soto, Henriquez, alii) sive actu absoluto (puta si quis ex ignorantia sua existimat, sibi esse necesse committere unum ex illis peccatis ad vitandum alterum), est culpa mortalis, saltem si excessus sit notabilis. Nam etiam obiectum condicionate volitum refundit malitiam in actum, nisi condicio talis sit, quae praescindat obiectum ab omni malitia. Ceterum quoad excessum minus notabilem notat De Lugo, De poen. disp. 5, n. 42: „In quo etiam casu dubitare aliquis posset, quia excessus unius peccati mortalis supra aliud semper videtur habere malitiam gravem imbibitam; ille enim excessus, quicumque sit, punitur per se et condigne poena aeterna; non potest autem poena aeterna respondere per se culpae levi; ergo excessus ille, etiam prout excessus, habet in se imbi-

bitam malitiam gravem; sed tamen furtum illius, prout coniungitur et supponit furtum centum iuliorum, offendit graviter Deum seu concurrit ut causa partialis ad pariendam graviorem offensam Dei, quare qui vult illum excessum, vult ponere causam gravioris offensae Dei; non solum intra rationem offensae gravis; sicut enim furtum unius iulii seorsim non offenderet Deum graviter et tamen additum furto alterius rei etiam parvae generat offensam gravem, ita ex excessu illo, qui seorsim sumptus non sufficeret ad offensam gravem, tamen prout supponit alias compartes generatur gravitas maior in ratione gravitatis, quam seorsim non causaret, quia coniunctio ipsa ad materiam gravem facit, ut ipsum augmentum habeat imbibitam gravitatem."

EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

Prinz Max Herzog zu Sachsen: **Vorlesungeu über die orientalische Kirchenfrage.** Freiburg 1907. 1 M.

Adumbrata historia schismatis et historia conatuum ad unionem tendentium (ecclesiae Armenorum, concilii Florentini, un. Berestiensis) quaedam consilia proponuntur, quibus via ad unionem inter Occidentem et Orientem praeparetur: caritatis mutuae incrementum, studia unionis crebro tractanda ore et scripto, commercium mutuum studiorum theologicorum (cf. decr. 10. I[i] conventus Velehrad.) etc.

Dr. *Vasile Gaina*, **Admisibilitatea casatoriei a dona a pretilor din punct de vedere dogmatic, canonic si practic**. Černov. 1907. Sacerdoti viduo novum matrimonium concedendum esse.

Dr. *Buchwald:* **Die Epiklese in der römischen Messe.** Wien 1907. (S. 36).

Hoc libello quaestio tangitur inter catholicos valde controversa. Multi enim ex catholicis in liturgia Romana epicleseos proprie dictae (invocatio Spiritus S. super dona proposita) reliquias quasdam adesse nulla ratione concedere volunt. Secundum Buchwald sequenti ratione res sese habet. Usque ad secundam partem saec. 2. nullum cuiuscumque epicleseos vestigium habetur (eine Epiclese irgend welcher Art wird hier noch nicht angedeutet). — Ab Irenaei demum temporibus epiclesis a christianis acceptatur (p. 9 sq.). Apud Irenaeum tamen Adv. haer. IV., 18, 5 — qui locus a multis ad probandam epiclesim citatur — non de epiclesi esse sermonem, tum contextus tum externa argumenta suadent (p. 9 sq.). Ideo autem christiani epiclesim introduxerunt, ut quae sentirent et agerent, etiam explicite traderent (p. 12). Quae etiam de Romana ecclesia valent.

At usque ad saec. IV. non Spiritus S., sed Logos invocabatur vel potius Logos obiectum invocationis erat (p. 10 sqq. et 23 sq.). Cum vero saec. IV. dogma de Spiritus S. divinitate magis in dies evolveretur, etiam in liturgia haec doctrinae de Sp. S. evolutio suum accepit locum; id quod imprimis a Cyrillo Hier. et Ephrem factum esse videmus (p. 23).

In ecclesia itaque Romana a 2. parte saec. II. usque ad saec. IV. epiclesis ad Logon directa adfuit; dein usque ad Gregorium M. qui eam sustulit, id quod ex opere de Sacramentis, l IV., cap. 5 et 6, conicere licet, epiclesis proprie dicta habebatur (p. 13 sqq.) Huius operis canon ex Alexandrina ecclesia e s. Marci liturgia per Aquileiam mediante ecclesia Mediolanensi eam accepit (p. 27 sqq.). Primus, qui eam introduxit, Damasus papa esse videtur (p. 29 sq.) — Gregorius M. vero illam e liturgiae Rom. canone eiecit (p. 33). Verum, si nunc usi-

tatus liturgiae Romanae canon secundum constructionem et sensum consideretur, in ipso quoque epicleseos proprio sensu acceptae reliquiae apprehenduntur.

In fine haec annotanda videntur. Primo auctor haec habet: »Die heutige Praxis, welche die Konsekrationsworte als wesentlich annimmt, wird durch diese historische Untersuchung gar nicht berührt. Christus hat bezüglich der Form der Sakramente ja nur das Wesentliche, die Grundlinien festgelegt, und wie die kirchliche Übung zweifellos beim Bußsakrament im zwölften Jahrhundert von der deprekativen zur indikativen Form übergegangen ist, so hat auch die Anschauung bezüglich der Eucharistie im Laufe der Jahrhunderte mannigfachen Wechsel erfahren (p. 62); quae minus accurate dicta esse videntur. Eodem modo explicat s. Iustini verba, quae sec. communem expositionem de verbis consecratoriis agunt (Ap. c. 66). S. Ambrosium scripsisse libros De sacram., unde (l. 4, 5. 6.) quaedam allegantur, non videtur certum esse, nec constare, eos esse saeculo V° antiquiores.

At, ut paucis totam rem comprehendam, opusculum solida dispositione eminet. *M. H.*

Revue du clergé français Paris 1907.

J. Calvet, Où en est la question de l'union des Eglises? (Juillet 1, p. 1—30).

Ch. Bujon, Le purgatoire. (Oct. 1, p. 43—50).

SS. Eucharistia (Organ der Priester »der Anbetung«). Commentarii confraternitatis sacerdotum adoratorum in lingua Germanica. A. 1907. — XVIII. Bozen in Tirolia. No 3 et 4. Pg. 45 et 67.

Perspicuum et succinctum tractatum »de Eucharistia in Russia« (Die hl. Eucharistie in Russland) invenimus in supra indicatis commentariis periodicis. Scriptor anonymus praeclare demonstrat, neque quod materiam, neque quod formam, neque quod communionem sub una specie attinet, aberrasse ecclesiam Romano-catholicam ab originali institutione Dominica. Potius ecclesiae, quae utitur pane fermentato, maiorem valorem epiclesi quam verbis consecrationis tribuere videtur et ante communionem aquam tepidam speciebus vini copiose commiscet, demonstrandum esse fieri hoc de praecepto Domini vel Apostolorum. Instructivus tractatus hic in commentariis his certe valde utilis est designandus. *Zh.*

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.
Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Kam. Dočkal,
Zagrabiae.

Annus IV. (1908) Pragae Bohemorum. Nr. II.

BOHEMICA.

Dr. *A. Hobza*, **Podvod při smlouvě manželské (Dolus in contractu matrimoniali).** — Pragae 1906.

Opere hoc quaestio solvitur, num et quatenus dolus in contractu matrimoniali impedimentum sit matrimonii. Post brevem introductionem definitur dolus eiusque effectus in contractibus generatim secundum ius Romanum describuntur (pp. 10—16), deinde de natura et effectibus doli in iure canonico agitur (pp. 16--24). Praemissis quibusdam de essentia contractus matrimonialis secundum ius canonicum (24—40) claris argumentis deducit *H.* dolum tum spectata natura matrimonii (41—54), tum ex consensu omnium fere canonistarum catholicorum, quibus pauci tantum repugnant (v. gr. Thaner, Cossi, Mastelloni) non posse considerari ut speciale impedimentum matrimonii, ab impedimento erroris distinctum (55—68). Adductis sententiis scriptorum protestantium, qui vice versa fere omnes pro impedimento doli stant, non tamen sibi cohaerent (68—73) praxim iuris civilis hac in re in diversis Europae statibus vigentem describit, distinguens status, ubi speciale doli impedimentum non agnoscitur ab eis, ubi matrimonium per dolum irritatur. (74--82).

Omnia in epilogo (83—86) resumens *H.* agnoscit per praxim iuris canonici, quae secundum dicta impedimentum doli non habet, magis stabilitati, sanctitati matrimonii eiusque valori publico consuli, pro aliquibus tamen casibus declarationem invaliditatis matrimonii per dolum initi commodam et desiderabilem esse putat.

Totum opus magnam exhibet diligentiam et cognitionem totius litteraturae iuris canonici. Argumenta sunt clara, totus tractandi modus perspicuus et tranquillus, quod praesertim in huiusmodi quaestionibus valde est commendandum.

Minus clare dictum est (p. 17.) ecclesiam persequi (stíhati) dolum etiam in foro externo. — In p. 25. pro „mimo to" (praeterea) melius ponitur „spolu" (simul). — Exigentiam consensus interni in matrimonio non semper conciliari cum principio indissolubilitatis (p. 30) verum esset, si ratio absolutae indissolubilitatis hic ipse consensus esset, a catholicis tamen theologis aliae rationes adducuntur (cf. S. Th.

in IV. dist. c. 27. qu 1. a 3). — Consensus interni theoriam in iure practice non posse exsecutioni dari, verum non est, si agatur de consensu signis externis exprimendo (p. 32.) — Ex eadem ratione igitur etiam post praescripta concilii Tridentini exigentia consensus interni minus practica dici non potest (p. 35). — Allatum c. 2. C. XV. qu 5. agit de confessione publica, non sacramentali. — Ex doctrina de sacramentis non licere concludere quidquam pro validitate matrimonialis contractus (p. 39), dici potest solum, si sacramenta sumuntur, prout a matrimonio analogice distinguuntur. — In p. 84. non est clarum, quomodo impotentia, cum sit speciale impedimentum, afferatur ut exemplum erroris in qualitate. — In p. 83. videtur auctor concedere rei publicae potestatem dirimentia impedimenta statuendi.

Solida et diligens Dris. Hobza lucubratio utriusque iuris doctoribus et studentibus utilitati esse potest. *B. Spáčil.*

Cyrill XXXIV. (1907).

Dobroslav Orel, Hospodine, studnice dobroty, Kyrie fons bonitatis. Studie k českým tropům (De Bohemicis tropis) p. 2 ss.

P. E. Paukner, Co počít s novým chorálem? (Quid agendum de novo cantu chorali?) p. 11 ss.

P. Bernard Velíšek, O některých zpěvech liturgie vánoční (De quibusdam canticis liturgiae fest. Nativit. Dom.) 17 ss.

P. Bernard Velíšek, O některých zpěvech liturgie devítníkové (De quib. cantb. lit. Septuag.) p. 33 ss.

I. Rath, Církevní rok. Mystika doby vánoční (De anno ecclesiastico. De mystica ratione temporis Nat. Di) p. 43. 77. 89 ss.

D. Orel, Dies est laeticiae. Nastal nám den veselý. Studie ku písním vánočním (De cant. de Nativ. D.) p. 62. 65 ss.

Naše Doba XV. (1907—8).

Dr. *J. Stěhule,* Jak vznikl Nový Zákon (Quomodo N. T. ortum sit) p. 99—106; 192—197; 272—279 etc. Traditur contracta doctrina rationalistarum (Jülicher, Harnack etc.) sine critica.

Český Lid XVII. (1907—8).

Jan Soukup, Svatý Mikuláš vládne vodami (S. Nicolaum imperare aquis) p. 113—116.

Dr. *Jos. Volf,* Bratří Růžového kříže (Roseae Crucis) v zemích českých a proroctví jejich na rok 1622 (De fratribus Roseae Crucis in terris Bohemicis et quid anno 1622 eventurum praedixerint) p. 145—9; 161—5.

Věstník české Akademie XV. (1906).

F. Tadra, Z literární činnosti v klášteře bosáků u sv. Václava v Praze (Quid fratres discalceati in Pragensi monasterio s. Venceslai scripserint) p. 371—389.

Monasterium s. Wenceslai, quod certe circa annum 1180 iam exstabat, prope Aulam Regiam, a. 1623 donatum est a Ferdinando II. fratribus discalceatis Ordinis s. Augustini. Ex eis, quae hi monachi (maxime Athanasius a s. Iosepho = Elias Sandrich) scripserunt, multa ad nos pervenerunt ad historiam monasterii et rerum ecclesiasticarum saec. XVII. pertinentia et a *L.* enumerantur. Ex his nominamus: Summarium quaestionis motae inter patres Bohemicae et Germanicae nationis ordinis eremitarum discalc. s. Aug. congregationis Italicae super electione quarti diffinitoris ex Germanis assumpti, ubi post resignationem Boemi debebat eligi alius Boemus, in diffinitorio prov. celebrato Viennae die 12. Mart. 1699 (Cf. Čas. kat. duch. 1885, p. 69—80); Epitome Augustiana seu Origo et progressus fundationis provinciae Boemo-Germanicae Ordinis Eremitarum discalc. s. Aug. in Boëmia ad s. Wenceslaum primum inchoata a. 1623.

F. Tadra, Paměti kláštera Ostrovského i sv. Jana pod skalou (Commentarii monasteriorum s. Kiliani in Ostrov et ad speluncam s. Ioannis B.) (p. 424). Enumerantur, quae de his monasteriis (Benedictinorum) scripta ad nos pervenerunt.

Věstník Královské České Společnosti Nauk, tř. hist. Praha 1906. IV. Dr. *Jos. Teige*, Listiny děkanství Karlštejnského z let 1322—1625. Eduntur documenta ad decanatum Karlsteinensem (ecclesiam s. Ludmilae in Tetín, ad capellam s. Appolinaris in castro Žebrák (1358), ecclesiam s. Palmacii in Karlstein, eccl. s. Venceslai ante oppidum Písek, eccl. s Nicolai in Minore Civitate Pragensi, eccl. s. Iacobi in Beroun, eccl. B. M. V. in Bezdědice pertinentia.

Věstník Královské České Společnosti Nauk IX. (1907) Praha. *František Tischer*, Uvedení řádu Kapucínů do Čech okolo roku 1600. (56 str.). Introductio ordinis Capuccinorum in Bohemiam circa a. 1600.

Scriptor hic ex optimis fontibus, praesertim e litterarum commercio inter Capuccinos et eos, e quibus introductio eorum pendebat, primum ostendit, archiepiscopum Pragensem Sbigneum Berkam (Zbyněk Berka) Capuccinos Pragam introducendos a papa Clemente VIII. expetiisse. Deinde quae ipsis in Bohemia primo evenerunt narrat. Tychonem de Brahe inimicum Capuccinorum fuisse, fabulam esse iudicat. Litterae supra dictae plus quam dimidiam libelli partem explent.

Libellus non parum indolem illius temporis, imprimis Rudolphi imperatoris, illustrat. *J. R.*

Dr. *Josef Kupka*, **O církevním roce. (De anno ecclesiastico.)** Historico-liturgicus tractatus. Pragae 1907. Typographia Cyrillo-Meth. V. Kotrba.

Clarissimus auctor, qui iam a. 1899 ediderat egregium opus „De missae sacrificio," proposuit sibi in praesenti suo novo libro, 612 paginas amplo, scientifice et fuse explicare substantiam, historiam et momentum anni ecclesiastici ad vitam hominis christiani.

Opus dispescitur in tres partes, quarum prima agitur de anno ecclesiastico in genere, de eius divisione, historia, relatione ad munus pastorale. Hac in parte praeterea *K.* de hebdomade christiana loquitur, de die dominica, de feriis in genere et feriis ieiunii, de feriis quattuor temporum, de vigiliis et octavis in specie. In expositione originis quattuor temporum arridet nobis sententia auctoris, cohaerere ea cum festis antiquorum Romanorum (cf. ferias sementivas, ferias messis, ferias vindemiales), quibus ecclesia vim christianam donaverit. In secunda parte loquitur *K.* de singulis anni ecclesiastici partibus: de tempore Nativitatis Domini, de tempore paschali, ad quod etiam festum Pentecostes cum sua octava pertinet. *K.* primum pertractat hic historiam, vim et liturgiam adventus, loquitur dein de singulis adventus dominicis. Explicatio dominicarum adventus constat ex expositione horarum canonicarum et missae formularium, qui modus procedendi quoad omnes dominicas nec non festa per decursum anni ecclesiastici celebrata observatur. Tractans de festo Nativitatis Domini *K.* praemittit primum historiam festi et postea expositionem formularium liturgicorum adiungit. Ansam ad inducendum festum hoc praebuisse festa mense decembri ubique fere antiquitus occasione reditus solis celebrata existimat (p. 75). Apte adiunxit hic auctor quoque expositionem de praesepi et de arbore

usitata in vigilia nativitatis. — Deinde exponitur de festis, quae immediate post festum nativitatis celebrantur. Optime explicantur ulteriora festa Epiphaniae Domini, et ss. Nominis Iesu et Festa s. Familiae ac Purificationis B. M. V. tempus Nativitatis Domini claudentia. Exponens de festo s. Familiae *K.* aptissime adduxit complura opera de momento familiae christianae ad vitam christianam atque etiam socialem tractantia.

In tractatu de tempore paschali *K.* loquitur primum de remotiore praeparatione, nempe de Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima,deinde de propinquiore praeparatione: de tempore quadragesimae. In hac parte via ac ratione exponitur de historia ieiunii quadragesimalis, de historia disciplinae poenitentiae, de catechumenatu secundum optimos fontes. Eadem diligentia et sollertia exarata est etiam explicatio formularium liturgicorum, quae in dominicis huius temporis adhibentur ab ecclesia. Immediata festi paschalis praeparatio, scil. hebdomada sancta, et in specie tres ultimi dies huius hebdomadae, pariter fuse tum respectu historico tum liturgico exponuntur. Concionatores et catechetae invenient hic thesaurum uberem pro suis laboribus. Idem quoque dicendum est de festo Paschatis et tempore paschali in genere. Qui cognoscere et percipere desiderat illud magnum gaudium, quo ecclesia hocce tempore exultat continuo alleluia canendo, perlegat attente pulcherrimam expositionem formularium liturgicorum ab auctore exhibitam, ex qua simul hauriet optimam instructionem ad studium et meditationem liturgiae catholicae.

In tractatu de festo Pentecostes, quo inchoatur pars tertia operis, placet nobis praecipue expositio liturgiae et triplicis activitatis Spiritus s., scil. in mundo condendo, in ecclesia et in anima cuiuslibet hominis christiani (p. 378 sqq.). — Deinde exponitur de festis Corporis Domini et ss. Cordis, peculiari respectu habito ad nostri temporis usus. In tractatu de dominicis post Pentecostem locum praecipuum occupant expositiones pericoparum evangelicarum, certe iterum cum summa utilitate concionatorum. — In expositione festorum B. M. V. exhibetur primum historia horum festorum, dein expositio liturgica, in qua saepius quam alibi adducuntur versiones homiliarum ex breviario, quo iterum homileticum momentum operis cl. auctoris valde augetur. Idem valet etiam de festis s. Iosephi et sanctorum apostolorum. Opus absolvitur expositione de festis patronorum Bohemiae et Moraviae, s. Iohannis Nepomuc., ss. Cyrilli et Methodii, s. Venceslai, et de festis Dedicationis, Omnium Sanctorum, et Commemoratione omnium defunctorum.

Prout vel ex brevi hac argumenti operis expositione elucet, *K.* agit de anno ecclesiastico sub respectu historico-liturgico. Exhibet proinde primum historiam huius vel illius temporis anni eccl. et deinde explicat caeremonias huius temporis. In exarando suo opere usus est novissimis in heortologia et disciplina ecclesiastica explorationibus, prout hoc abunde ostendit litteratura allegata. Sic usus est fuse operibus a Grisar, Kellner, Probst, Thalhofer, Duchesne et al. exaratis. Licet criticam minime negligat, evitat tamen omnem hypercriticismum in rebus ab ecclesia communiter agnitis. In multis ceremoniis anni ecclesiastici est historia

optima significationis earum interpres. Summum momentum vero tribuit expositioni liturgiae anni ecclesiastici, habens peculiarem respectum ad munus concionatoris. Verbi divini praeco habet hic occasionem cognoscendi accurate substantiam anni eccl. et ita etiam populum edocendi, ut festis ecclesiasticis cum fructu optato assistat. Iure querelae fiunt fideles cultum divinum negligere neque cum vero animi sensu functionibus ecclesiasticis interesse solere. Remedium aliud non est nisi apta explicatio liturgiae anni ecclesiastici. Momentum liturgiae anni ecclesiastici elucet vero ex liturgicis formularibus horarum canonicarum et missae sacrificii. Et proinde iure *K.* peculiarem curam impendit ad formularia haec explicanda. Quibus explicationibus aperitur verbi divini praeconibus fons uberrimus novarum ac sublimium sententiarum homileticarum; in hoc enim consentiunt omnes homiletae, ex liturgia catholica Spiritum divinum spirare, Spiritum S. ecclesiam duxisse et direxisse in formanda liturgia liturgicisque formularibus. Ne optimorum quidem operum asceticorum comparari possunt forma atque spiritus, sententiarum profunditas et sublimitas, cum formularibus liturgicis. Neque critici saeculares possunt non agnoscere vim magnam, quae hymnis ecclesiasticis et artificiosae compositioni formularium liturgicorum inest. Ut benevolus lector cognoscat, quomodo cl. auctor procedat, adducimus hic exempli gratia expositionem festi Dedicationis p. 588. *K.* primum exhibet fundamentalem ideam festi, proponit eam dein sub diversis respectibus, idque secundum formularia liturgica: introitum, orationes, epistolas, evangelia, offertorium etc., psalmos et lectiones breviarii, ita ut demum veritas universa cor lectoris afficiat. Quoniam praecipua pars formularium liturgicorum sunt pericopae epistolares et evangelicae, ideo *K.* in eis explicandis, ratione habita praecipue concionatorum, summam adhibuit diligentiam. Non autem exhibetur hic tantum expositio exegetica vel ascetica, sed ostenditur etiam, quale momentum pericopa respectiva habeat in liturgia festi, quo sensu exponenda sit. In explicandis pericopis usus est iterum optimis operibus exegeticis et liturgicis, uti libris a Sušil, Keppler, Fonck, Belser etc. conscriptis.

Ex dictis apparet theologicam litteraturam Bohemicam a clarissimo auctore locupletatam esse opere summi momenti, quale nec Itali aliique populi habent immo nec in amplissima litteratura Germanica hac forma occurrit. Omnes, praecipue autem verbi divini praecones et catechetae grati certe erunt cl. auctori pro labore indefesso, quo hocce opus in eorum potissimum usum et utilitatem composuit.

Dr. *Jos. Samsour.*

POLONICA.

Ks. Dr. J. Nep. Opieliński, **Nowe dekrety prawno-małżeńskie „Ne temere" i „Provida"** z objaśnieniami. (Nova decreta „Ne temere" et „Provida" notis illustrata). Posnaniae 1908. 8⁰. pag. 38.

Textum Latinum decretorum S. C. C., quibus forma praescribitur observanda in celebrandis sponsalibus et matrimoniis, auctor paucis quidem, ast optimis illustrat atque explicat notis Polonicis. Non in

quovis tamen asserto omnes auctor habebit sibi assentientes. Inter alia v. g. quaestio de declaratione Benedictina aliter atque ab auctore, a S. C. C. 1. Febr. 1908 authentice est decisa. *Ro.*

Karol Lutostański, **Zaręczyny**, Studjum z zakresu prawa małżeńskiego (De sponsalibus). Varsoviae 1907. 8⁰ pag. 213.

Exposita doctrina de sponsalibus, prouti exhibetur in iure Romano et in iure canonico (p. 28—71), atque reiectis compluribus iisque recentioribus sententiis de natura iuridica sponsalium et fusius explicata et argumentis fulta theoria de identitate contractuum sponsalitii et matrimonialis (p. 72—144), auctor viam sibi paravit ad exhibendum ius de sponsalibus constitutum in codice a. 1836 pro Polonia Rossiaca edito. Non diffitemur, complura ab auctore optime esse dicta solideque probata, verum silentio praeterire non possumus in quaestionibus pluribus haud exigui momenti auctorem multum a vero aberravisse. Innuisse sufficiat ea, quae auctor docet de discrimine inter sponsalia et matrimonium iuxta ius canonicum (pag. 50 sqq.), vel de identitate contractuum sponsalitii et matrimonialis (p. 126 sqq.). Num latuit auctorem, theoriam identitatis sponsalium matrimoniique a Sohm excogitatam, a compluribus viris doctis solide fuisse refutatam ac paulo post ab ipso Sohm derelictam? *Ro.*

Rozmyślania o żywocie Pana Jezusa. Z rękopisu grecko-katol. kapituły przemyskiej wydał Aleksander Brückner (Meditationes de vita Christi Domini, e manuscripto Capituli Graeco-catholici Premisliensis) 8⁰ pag. 454. Cracoviae 1907.

Hic codex saec. XVI. scriptus est, sed ipse textus ad priora saecula ascendit. Habemus hic compilationem ex variis libris apocryphis latinis, ex commentario biblico s. d. historia scholastica Petri Comestoris, ex evangeliis etc. de vita Christi Domini et Beatae Virginis. Apocryphum hoc pertinet nihilominus ad maxime originalia et memorabilia opera religiosae litteraturae Polonicae medii aevi. Introductionem sat amplam anteposuit libro A. Brückner. *M.*

Kwartalnik historyczny, 1908. fasc. 1. Leopoli.

Aleksander Brückner, Co sądzić o „Żywotach Cyryla i Metodego"? (Quid de vitis Cyrilli et Methodii sentiendum sit?)

Asseritur, publicationes recentes de vitis SS. Cyrilli et Methodii nequaquam attulisse argumentum, quo hypothesis ab ipso proposita subvertatur. Maxime occupatur in refutanda sententia dr. Franko, qui in Ruthenico libro „Swjatyj Kłyment u Korsuni. Pryčynok do istorii starohrystijanskoj łegendy", Leopoli 1906 edidit palaeorussicum textum sermonis declamatorii „Słowo" S. Cyrilli, quem Anastasius e Graeco in Latinum transtulit. E textu huius documenti et ex duobus prologis ad illud e XV. et XVI. saeculo Dr. Franko concludit, Cyrillum reliquias S. Clementis non invenisse, sed tantum Romam portasse, vitas vero Pannonicas et legendam Italicam valore historico privat. Sagaciter Brückner reicit opinionem Dr. Franko, de cetero autem suam sententiam de Methodio non-orthodoxo iterum proponit. Debilissima certe defensio est Brückneri, qui doctorum argumentis non refutatis solum phrases contra se prolatas esse iactat. Specialiter arbitrarie statuit, Methodium epistulam Joannis VIII. pro epistula Hadriani II. substituisse, ut hoc modo missio sua iam inde ab initio operis legitima censeretur. Solidas rei explanationes Dris Snopek Brückner ignorat. *M.*

Ks. Longin Żarnowiecki, **Kielich w kościele rzymsko-katolickim pod względem historycznym, liturgicznym, estetycznym i praktycznym.** (Calix in ecclesia Romana sub respectu historico, liturgico, aesthetico, practico). Varsoviae 1907, pag. 73 cum 44 tabulis.

Auctor huius pretiosi libelli, rector Academiae Petropolitanae, iam ab annis laudabiliter innotuit ex libris liturgico-aestheticis idiomate polonico conscriptis de historia et methodo religiosae artis acu pingendi, de coloribus liturgicis — de symbolismo — de veteribus vestibus liturgicis in dioecesi Luceoriensi, de ornamento domus Dei. Libellus hic solide exponit varias artificiosas formas et ornamenta calicis eo consilio, ut parochi, in quantum fieri potest, ad artem religiosam excolendam concurrant. *Z.* adhortatur, ut calices emant manu artificum factos iuxta optima exemplaria; in specie formam goticam apprime commendat. *M.*

Ks. Stanisław Okoniewski, **Piusa X. encyklika o zasadach modernistów.** (Encyclica Pii Papae X. de doctrinis modernistarum, in polonicum translata et introductione aucta). Posnaniae, Typographia St. Adalberti 1908. 8⁰ (XVI. + 54) Mk. 1·20.

Versio haec, valde accurate et pulchre facta, iam in folio periodico. „Przegląd kościelny", quod inde ab initio anni 1908 non amplius prodit, publicata est. Introductio concinne adumbrat huius temporis culturam intellectualem et necessitatem, opportunitatemque encyclicae exponit. Falso *O.* exegetam Hummelauer Gallum esse putat (pag. XI.), cum sit Germanus. *M.*

Ks. Wład. Hozakowski, **Jak dawno człowiek żyje na ziemi?** (Quantam aetatem habeat genus humanum) Posnaniae 1907. Typographia St. Adalberti 12⁰. Pag. 72. Mk. 0·60.

H. via ac ratione inquirit, quidnam de aetate generis humani iuxta testimonia historica, anthropologica, archaeologica, palaeontologica, geologica sentiendum sit. Chronologia Vet. Testamenti rem nullatenus decidi, immo libertatem doctorum non impediri ostendit. Omnibus postulatis scientiae solidae concessis, hominem ante Christum natum octo millia annorum vixisse admitti potest. Diluvium sex millia annorum ante Christum locum habuisse autumat. Quam incerta tamen sint haec asserta, nemo est, qui nesciat. Studio ethnologiae et rerum naturalium scientiis innixus Dr. J. Riehm in opusculo „Potop" (Diluvium), ab eadem typographia hoc anno Polonice edito, ope magni apparatus scientifici ex recentissima litteratura hausti, tempus diluvii ad antiquiorem aetatem differt, cum iam ante 7000—8000 annorum a. Chr. quidam cultus exstiterit.

Uterque libellus ostendit in Polonia clerum ultimis temporibus magis occupari studiis exegetico-apologeticis. *M.*

Bronisław Ruczyski, **Kościół i kultura** (Ecclesia et cultura) Posnaniae 1907. Typographia St. Adalberti. 8⁰. Pag. 108. Mk. 0·80.

Inquiritur, quid Ecclesia ad mores, doctrinam vitamque homine dignam in nationibus excolendis atque efformandis valuerit. Comparat

igitur culturam antiquorum cum christiana, genuinam verae culturae indolem depingit, auxilia, quibus ecclesia faciem orbis renovarit, enumerat, Pontifices, Ordines religiosos, Sanctos tanquam praecipuos culturae ecclesiasticae propagatores et moderatores exhibet ac tandem ad quaestionem hoc tempore agitatam respondet, utrum civitatum catholicarum in cultura regressus, qui dicitur, Ecclesiae vitio verti possit.

Omnia, quae in hac re momenti sunt maioris, summatim et acute perstringit auctor. Itaque tum de „communismo" priscorum christianorum, tum de dignitate mulieris, ad quam per doctrinam christianam evecta est, tum de vi, quam doctrina Ecclesiae ad servitutem penitus auferendam habuerit, disserit. Laudandum imprimis, quod ad rem illustrandam praecipua momenta ex historia ecclesiae in Polonia attulerit.

Now.

Leopold Caro, **Nowe drogi** z przedmową Ks. arcyb. Teodorowicza. (Novae viae, cum praefatione Ill. DD. Archieppi Teodorowicz, rit. arm.-cath.) Posnaniae. Typographia St. Adalberti 1908. 8⁰. pag. VIII. + 172.

Quamvis hic liber magna ex parte spectet ad res politicas, tamen mentione hic dignus est, quatenus partes ecclesiae et cleri in Polonia in rebus oeconomicis et socialibus dilucide et prudenter exponat. Nostris temporibus, quibus multi ob sociales respectus ad socialismum vergunt, libellus hic apologiam salutaris Ecclesiae influxus in rem socialem constituit.

M.

A. Brückner, **Różnowiercy polscy** (Novatores in Polonia). Notitiae morales et litterariae. Series Iª. Varsoviae 1905. pag. 296.

Ultimis temporibus novatores saec. XVI. in Polonia magnopere occupant mentes, etiam scriptorum externorum. Dalton edidit epistolas Łaski, Kruschke scribit de Arianis in Polonia, Wotschke de Lutomirski, de Threcio, Brückner vero hoc libro populari sermone scripto brevibus descriptionibus novatores saec. XVI. nobis magis notos reddere studet.

Dr. *Kolankowski,* **Kandydatura J. A. Hohenzollerna na biskupstwo płockie** (De candidatura A. A. Hohenzollern ad episcopatum in Płock (1522—23.)

Anno 1522 Hadrianus VI. Caietanum de Vio episcopum Plocensem nominavit (post mortem „praedecessoris" in curia). Ius tamen ad hanc praelaturam a praedicto Caietano pretio 1000 ducatorum emit J. A. Hohenzollern. Sigismundus I., Polonorum rex, hunc, licet sororis suae filius esset, tamen prohibuit, ne episcopatum introeat; timuit enim, ne cum Germanorum influxu etiam haereticae novitates in Polonia spargerentur. Periculum sane erat magnum, eo maius, quia frater electi eppi tunc Magister Supremus ordinis Crucigerorum fuit, qui revera unno 1525 lutheranae haeresi sese adiunxit. Conatibus optimi regis effectus respondit, et cathedra Plocensis catholicae ecclesiae semper fidelis permansit.

K. Konopka S. J.

Libri recentes Polonici:

Jos. Seb. Pelczar, eppus Premisl. Medycyna pasterska (Medicina pastoralis). Ed. IIª valde aucta et emendata. Leopoli 1907. pag. XIV + 479.

Pamiętnik pierwszego kursu katechetycznego we Lwowie (Pro memoria primi congressus catechetarum Leopoli habiti). Leopoli 1908. pag. 171.

Ks. K. J. Kantak, Państwo — naród — jednostka, (Regnum, — natio — individuum). Posnaniae 1908 pag. 120. Tractat de relatione ad nationem et imperium politicum iuxta doctrinam ecclesiae.

Tad. Stark, O przyczynach występków i sposobie ich zwalczania. (De causis vitiorum et modis illa reprimendi). Posnaniae, 1908. pag. 73.

Ks. Ambr. Wadowski, Kościoły lubelskie. (Ecclesiae in dioecesi Lublinensi iuxta fontes archivales.) 8⁰. pag. 578. Cracoviae 1908. Opus hoc ab Academia Scientiarum Cracoviensi primo praemio decoratum est.

Wołyniak, Bazyliańskie klasztory unickie w obrębie prowincyi białoruskiej (De monasteriis O. S. Basilii M. in Alba-Russia) Przew. nauk.-liter. 1907.

RUSSICA.

Prof. *N. Glubokovskij,* **По вопросамъ духовной школы и объ Учебномъ Комитетѣ при Святѣйшемъ Синодѣ. (Po voprosam duhovnoj školy i ob Učebnom Komitetě pri Svjatějšem Sinodě).** Quaestiones, quae scholas ecclesiasticas spectant et de studiorum consilio sanctissimae synodi. Spb. 1907 (V + 148). Pret. 1 r.*)

Duobus annis superioribus satis cognitum est scholae aegrotantis curationem ad effectum perpetuum valentem omnino necessariam esse, ipsa fundamenta, quibus schola innititur, esse reficienda. Haec pari ratione et de schola ecclesiastica et de schola laica valent. Rei gravitate spectata summi momenti est et multum ad propositam quaestionem solvendam confert, si opiniones illorum virorum, quorum hac in re experientia magni est ponderis, foras dentur. Cuiusmodi vir est professor N. N. Glubokovskij, cuius vita tota dedita est scholae ecclesiasticae.

Principales sententiae huius scriptoris his comprehenduntur. Causam praecipuam, quae scholam ecclesiasticam ad ruinam perduxit, in eo sitam esse existimat, quod duobus eodem tempore officiis functa est; nam et iuvenes ingenue educare atque ad humanitatem informare et eosdem iuvenes ad ministerium sacerdotale praeparare studebat. Licet prof. Glubokovskij talem educationis rationem non censeat pugnantia

*) Supplementum huius libri est eiusdem scriptoris „Svoeobraznaja zaščita učebnago komiteta pri svjatějšem sinodě". Spb. 1908 (40 p.), quo libello D. Tihomirovii contradictiones („Ob Učebnom Komitetě pri Svjatějšem Sinodě i o revizii duhovno-učebnyh zavedenij". Spb. 1908) illustrantur et refutantur.

coniungere, quippe cum recte iudicet praeparationem ad sacerdotii munus vinculis arctissimis cum humanitatis cultu connexam esse, tamen haec duo inter se impedientia et coërcentia in schola ecclesiastica ut par est exerceri non posse ratus, hanc utroque munere male fungi fatetur.

Principali defectu scholae ecclesiasticae determinato, idem alium defectum iterum in coniunctione duarum rationum inter se obstantium ecclesiasticae et proprie theologicae animadvertit.

Hoc posito prof. Glubokovskij praecipua capita rationis studiorum ecclesiasticorum statuit. Duas scholarum species condendas esse existimat: 1. scholas destinatas ad sacerdotes praeparandos, rei ipso regimine paedagogico atque administrativo ipsaque methodo disciplinas tradendi omnino accommodatas, et 2. scholas in quibus disciplinae humanitatis tradantur, quaeque omnia iura et privilegia scholarum civilium habeant, in eo tamen ab eis differentes, quod disciplinae philosophicae et theologicae magis et copiosius tractentur. Ea, quae proprie ad doctrinam theologicam pertinent, a schola ecclesiastica separanda esse, et ut libero progressui disciplinarum theologicarum, quarum est sciscitantibus animis omnium satisfacere, consulatur, prof. Glubokovskij in academiis artium facultates theologicas instituendas ese iudicat. Licet disciplinae theologicae in schola ecclesiastica tradantur, tamen eas subtilius via ac ratione in academia artium tractandas esse hic scriptor ducit. Qua in re idem ullum periculum ecclesiae esse negat, exemplo catholicismi indicato, qui, quamvis strenue pro integritate dogmatum confessionis suae militet, permisit, ut facultates theologicae in academiis artium instituerentur. His summis rationibus propositis, quas in primo capite, quod inscribitur: „De reformationis scholarum ecclesiasticarum principiis et de speciebus scholarum ecclesiastico-theologicarum, quae desiderantur“, invenimus, prof. Glubokovskij ad singula exsequenda aggreditur. Ita capite, cui titulus est: „Quid de studiis theologicis sublimioribus in Russia statuendum sit“, idem scriptor, accurate quaestionem de facultatibus theologicis apud academias artium instituendas pertractat. Quae „De specie scholae ecclesiasticae mediae et quomodo ad munus sacerdotale obeundum praeparatio melior reddi queat“ inscripsit, in eis de ordine, quo scholam ecclesiasticam temperandam esse existimet exponit. Dein prof. Glubokovskij transit ad ea, quae ad reformationem academiarum ecclesiasticarum pertinent exprimens vel saltem indicans multas neque negligendas opiniones, consilia, considerationes de natura, indole, ratione disciplinarum theologicarum in academiis tradendarum (pp. 22—46), de modis quibus disciplinae in academiis tradendae describantur (pp. 47—53), de studiis alumnorum eorumque vita dirigendis (pp. 53—60), de episcopi dioecesani ad academias ecclesiasticas relationibus (60—61), de professorum academiarum debita praeparatione et de gradibus academicis (pp. 61—72), denique de iure academiarum ecclesiasticarum gradus in disciplinis philosophicis distribuendi (pp. 72—79).

Secunda libri pars eo consilio scripta est, ut modus agendi Consilii, quod apud Synodum institutum est et quo studia litterarum administrantur, illustraretur. Parum est dicere hanc libri partem magni momenti esse, immo ingentis momenti est et latissime patet. Magna rerum copia, quae modum agendi instituti huius illustrant, hic congesta

est, quibus consideratis de eodem Collegio severum et iustum iudicium fertur. Licet haec libri pars non sine impetu et acritate conscripta sit, aequitas iudiciorum huius scriptoris integra mansit; quidquid iudicavit, rebus, quae vera esse dicta ostendunt, innixum est. Certe fieri non potest, quin liber, quo quaestio praesentissima de scholarum ecclesiasticarum statu earumque malis tollendis movetur, etiam tales opiniones contineat, quibuscum dissentiri potest; hoc tamen valor libri prof. Glubokovskij non minuitur. In aperto est hunc scriptorem longo annorum spatio varietatem casuum scholae ecclesiasticae diligenter considerasse multumque de causis ruinae eius, ad quam paulatim perducta est, meditatum esse. Quicumque praesentem statum scholarum ecclesiasticarum earumque mala tollenda plane cognoscere et eius morbis curandis operam dare velit, is libro prof. Glubokovskij eiusque observationibus, opinionibus, consiliis studere debere nobis videtur. Liber hic singulariter legentibus probatur auctoris sinceritate, qui dicit quid sentiat, ne in multorum offensionem incurrat minime veritus. Prof. Glubokovskij ingenuitas summo ei honori est. *A. I. Jacimirskij.*

Православный Собесѣдникъ, изданіе Казанской духовной академіи **(Pravoslavnyj Sobesědnik).** Kazan' 1906.

Arhiepiskop Dimitrij, Sobor sv. 70 apostolov (Concilium ss. LXX apostolorum) I, 70—85, 212-223, 370 383, II., 37—51, 372—412, III. 57 71, 225—251, 384—406, 543—584. Quidquid de vita, scriptis, fatis septuaginta discipulorum, »quos Dominus designavit et misit ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo ipse erat venturus« (Luc. 10, 1), ex s. Scriptura, scriptoribus ecclesiasticis, variis monumentis et traditione notum est, adducitur. Enumerantur et describuntur hoc ordine; 1. S. ap. Iacobus, frater Domini, 2. evang. Marcus, 3. Lucas, frater Domini, 2. evang. Marcus, 3. Lucas, 4. Cleophas, 5. Simeon seu Simon, 6. Barnabas, 7. Iosias seu Iosephus, 8. Iudas, 9. Ananias, 10. Stephanus, 11. Philippus, 12. Nicanor diaconus, 13. Prohorus diaconus, 14. Timon, 15. Parmenas, 16. Timotheus, 17. Titus, 18. Philemon, 19. Onesimus, 20. Epaphrasus, 21. Archippus, 22. Silas, 23. Silvanus, 24. Crescens, 25. Crispus, 26. Epaenetus, 27 Andronicus, 28. Stachys, 29. Ampliatus, 30. Urbanus, 31. Narcissus, 32. Apelles, 33. Aristobolus, 34. Herodion, 35. Agabus, 36. Rufus, 37. Philegon, 38. Asyncritus, 39. Hermas, 40. Patrobas, 41. Hermes, 42 Linus, 43. Gaius, 44. Philologus, 45. Lucius, 46 Iason, 47. Sosipater, 48. Olympiades, 49. Tertius, 50. Erastus, 51. Quartus, 52. Evodias, 53. Onesiphorus, 54. Clemens, 55. Sosthenes, 56. Apollo, 57. Tychicus, 58. Epaphrodites, 59. Carpus, 60. Ioannes Marcus, 61. Zenas, 62. Aristarchus, 63. Pudens, 64. Trophimus, 65. Artemas, 66. Aquila, 67. Fortunatus, 68. Achaicus, 69. Eubulus, 70. Nymphas. Multa materia in hac commentatione congesta etiam ex litteris Russicis, sed manus critica apposita non est

Jungerov P., Proishoždenie knigi Iova. (De origine libri Iob) I. 321-339. Recensitis sententiis ss. patrum et scriptorum occidentalium de auctoritate libri, adducuntur opiniones Russorum theologorum: Philaretus, Moscoviensis metropolita, defendebat librum historicum omnino esse eumque ab ipso Iob conscriptum; Philaretus[1]), episcopus Rigae, existimabat eum posterius compositum ab aequali Esdrae et Nehemiae et Malachiae rem factum narrare. Non solum nonnulli loci s. Scripturae, sed etiam ecclesia Russica, quae die 6 mens. Mai festum »Праведнаго многострадальнаго Іова« celebrat, cogunt theologum, ut praecipuum saltem argumentum prologi et epilogi historicum habeat; ceterae autem partes multa quidem historica continent,

[1]) Происхожденіе книги Іова. Кіевъ. 1872.

sed cum fieri non potuerit, ut Iobus acerbissimo dolore affectus stichis uteretur, formam a scriptore libri acceperunt. Quo tempore liber compositus sit, diversissimae opiniones sunt. Quarum compluribus cum suis argumentationibus adductis, Philareti, eppi Rigae, sententia affertur, qui libro Iob »collectas sententias ex omnibus V. T. libris« existimat. Cum Ezechieli prophetae (14 [14-21]) liber noster iam notus fuerit, ante Babylonicum exilium erat compositus. Quis eum scripserit nescimus. Philaretus, metr. Moscoviensis, cuius sententiam Jungerov sequitur, Iobum, natione Idumaeum, sanatum fortunam suam conscripsisse tenet, quod opus ab aliquo propheta vel inspirato scriptore Iudaico, linguae Arabicae gnaro, in Hebraicum conversum esse argumento ad Veteris Testamenti sententias accommodato.

Ponomarev P., Iz istorii sv. Predanija (Ex historia traditionis) I. 3—19, 161 172, III. 3—20, 513—521. Tractatur doctrina s. Vincentii Lerinensis de traditione ecclesiastica catholica (=universali) — quam auctor introductionem in Sacram Scripturam appellat — contenta in libro eius, qui inscribitur Commonitorium pro catholicae fidei antiquitate et universitate adversus profanas omnium haereticorum novitates, ubi exponitur atque defenditur, quod ubique, semper, ab omnibus tenebatur. *A. Jašek.*

M. Thivejskij, **Духовныя дарованія въ первоначалной христіанской церкви. [Duhovnyja darovanija v pervonačalnoj hristianskoj cerkvi].** Опытъ объясненія 12.—14 главъ перваго посланія св. ап. Павла къ Кор. (De donis spiritualibus in primaeva christiana ecclesia. Conatus interpretationis primae ep. s. Pauli ad Cor. c. 12.—14.) Moskva (A. I. Mamontov) 1907; pag. 169.

Postquam auctor in libri prooemio (pag. 1.—7.) declaravit quaestionem de charismatibus maximi momenti ac gravitatis pro institutionum ecclesiae apostolicae cognitione esse practicamque rationem habere pro omnibus eius membris et pastoribus, hoc modo pergit (p. 4): „Momentum huius quaestionis protestantibus iam diu notum est, propterea quod ipse protestantismus secundum suam ideam est restitutio primaevae ecclesiae christianae cum eius doctrinis institutionibusque; quam ob rem mirum non est, si apud protestantes in lucem prodiit immanis suaque copia admirationem excitans litteratura de primitivae ecclesiae christianae charismatibus“.

Talem immeritam protestantismi laudationem ex ore theologi Orientalis ecclesiae nemo adprobabit. Hic non est locus demonstrandi protestantismum minime continere ideam primitivae ecclesiae apostolicae. Sufficit attentionem dirigere ad eius de sacramentis, gratia, peccato originali, cultu sanctorum doctrinam.

Auctor non solum laudat protestantismum tanquam reformationem ecclesiae apostolicae, sed commendat etiam ecclesiae Russiacae, ut se convertat ad haec antiqua tempora indeque suam vitam ac novam instaurationem sumat. „Quod attinet“, — ita pag. 4. — „nostram ecclesiam Russiacam, tractatio quaestionum de primordiali ecclesia christiana in genere, et peculiariter de charismatibus hoc maxime tempore, quo ecclesiam nostram reformare et super nova principia reconstruere studemus summi momenti est. Notum est nos in hoc rerum statu quaerentes adire varia saecula et varias ecclesias, quin etiam ecclesiam Graecam, quae hoc tempore in statu indubiae ruinae invenitur“. Principia

ad reformationem Russicae ecclesiae quaerenda esse ait in apostolica ecclesia.

Ergo Russiaca ecclesia secundum eius persuasionem funditus reformanda et renovanda est super fundamenta et principia primaevae ecclesiae. Hoc omnino considerandum et optandum est, quia si haec reformatio vera fuerit, tunc revertentur ad unum pastorem, quem antiqua ecclesia semper agnoscebat.

Porro loquens auctor de difficultatum in interpretatione 1 Cor. 12.—14 causis dicit epistolae ad Hebraeos auctorem s. Paulum esse recenti tempore ab omnibus omnino negari. Non est nostrum proferre omnia testimonia historica, quibus lucidissime ostendi potest s. Paulum esse revera auctorem huius epistolae Hic inculcare liceat testimonia: s. Clementis (Strom. IV. 25; V. 6; confer. Dautsch, Der neut. Schriftcanon und Clemens von Alex. 1894); Origenis (Eus., Hist. ecc., VI., 25; cfr. praeterea Origenes In. Ps. 4, 7; 8, 6; in Ios. hom. 7, 1; in Ioan. V, 3; I, 1. 2. 6. 14); s. Athanasii (Ep. fest. 39; c. Arian. III, 4); Cyrill. Alex. (De ador. in spir. VI.); Didymi (De Trinitate III, 5).

Omnia haec testimonia complectens s. Hieronymus (Ad Dard. ep. 129, 3) dicit: „Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis Graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli apostoli suscipi". (Confer.: Heigel, Verfasser und Adresse des Briefes an die Hebraeer. Freiburg 1905; Cornely, Historica et critica introductio in in U. T. libros sacros.[2] Parisiis (Lethielleux) 1897. III. 522—529). — Gutjahr, Einleitung zu den hl. Schriften des neuen Testaments.[2] Graz 1905 (Styria) p. 342 pervenit ad hanc conclusionem „Der teilweisen Nichtanerkennung des canonischen Charakters des Hebräerbriefes seitens einzelner abendländischer Kirchenväter und Kirchenschriftsteller kommt gegenüber der einstimmigen Überlieferung des Morgenlandes keineswegs eine entscheidende Bedeutung zu. Die Zurückhaltung und die Bedenken erklären sich leicht daraus, dass zeitweilig und lokal der Paulinische Ursprung des Briefes wegen seiner Eigentümlichkeiten nicht völlig sicher stand. Dazu kam in späterer Zeit der Missbrauch, den die Novatianer mit dem Briefe machten (Philastrius [† 387], Haer. 89)".

Quod spectat ad argumentum epistolae, illud omnino s. Paulo adscribendum est (cfr. Iohannes Belser, Einleitung in das N. T. Freiburg im Br. (Herder) 1901. p. 595 ff.). Diversitas generis sermonis facile explicatur per scriptorem epistolae. — Ex litteratura externa quam auctor citat, profero tantum aliquos scriptores: Englmann, Von den Charismen im allgemeinen und von dem Sprachencharisma im besonderen. Eine gekrönte Preisschrift. Regensburg 1848; Henrici, Erklärung d. Korinthierbriefe. Berlin 1887; Meschler, Die Gaben des hl. Pfingstfestes. Freiburg im Br. 1896: Lauterburg, Begriff des Charisma 1898. Ad haec ipse addo: Heinrich Bruders S. J., Die Verfassung der Kirche von den ersten Jahrzehnten der apostolischen Wirksamkeit an bis zum Jahre 175 n. Chr. Mainz (Kirchheim) 1904. (Praeclarissimum opus, quod scriptor noster non respexit). Deinde: Rohr,

Paulus und die Gemeinde von Korinth, 1899; in Bibl. Studien, hrsg. von O. Bardenhewer (Freiburg i. Br. 1895 ss.) Bd. IV., 4; Görres, Mystik (1832 34): Alois Messmer, Erklärung des ersten Korinther-Briefes. Innsbruck (Rauch) 1862 p. 226—264; Cornely, Comment. in I. ep. ad Corinthios. Parisiis (Lethielleux) 1890 p. 355—447; Th. Aquinas, Commentaria in omnes d. Pauli apost. epistolas. Editio Leodiana (Leodii, Dessain 1857) tom. I. p. 463 510; Lexicon biblicum, ed. M. Hagen (Paris 1905) Lb. I. 833 f.; Wetzer und Welte's Kirchenlexicon. III. sub Ch.

Ex Russiacis scriptoribus, qui de hac quaestione tractant, affert hos: М. А. Голубевъ, Обозрѣніе посланій св. ап. Павла къ Коринѳянамъ. (M. A. Golubev, Conspectus epistolarum s. ap. Pauli ad Corinthios). В. Михайловскій, О дарахъ св. Духа въ первенствующей Черкви. 1868. (V. Mihajlovskij, De Spiritus s. charismatibus in primitiva ecclesia. 1868). А. В. Горскій, Евангельская Исторія (A. V. Gorskij, De evangelica historia). М. Д. Муретовъ въ „Богословскомъ Вѣстникѣ«: „Новозавѣтная пѣснь любви сравнительно съ „Пиромъ“ Платона и „Пѣснію Пѣсней“ Соломона“ (1903); „Пророчевство и языкоговореніе (глоссолалія), какъ знаменія для вѣрующихъ и невѣровъ“ (1904); „Знаніе отчасти и самопознаніе 1 Кор. 13, 12. (1905). (M. D. Muretov in „Bogoslovskij Věstnik“: „De caritatis cantico N. T. comparato cum Platonis „Symposio (συμπόσιον)« et „Cantico canticorum“ Salomonis (1903); „De prophetia et glossolalia tanquam signis pro fidelibus et infidelibus“ (1904); „De cognitione ex parte et cognitione sui 1 Cor. 13, 12 (1905)). А. П. Лебедевъ, Харисматіческіе учители первенствующей Церкви 1-го й. 2-го вѣка. (A. P. Lebedev, De charismaticis doctoribus primitivae ecclesiae primi et secundi saeculi).

Maxime dolendum est hunc scriptorem non bene citare scriptores aliosque fontes, quamvis hoc maximi momenti sit in opere scientifico. (confer Dr. Leopold Fonck, Wissenschaftliches Arbeiten [Veröffentlichungen des bibl. patrist. Seminars zu Innsbruck]. Innsbruck [Rauch] 1908, p. 254—265.) —

In capite primo (p. 9—20) loquitur *Th.* de charismatum definitione, essentia ac de eorum divisione. Χάρις — inquit — derivatur a χαίρειν ac significat apud scriptores classicos actus vel actiones internis nostris externisque sensibus iucundas; in N. T. designat „gratiam“, cuius fons ac principium est Deus. Propterea illa est semper aliquid boni et adscribitur Deo Patri et Deo Filio. Unicus locus s. Scripturae, ubi sermo est de Spiritu s. in coniunctione cum gratia, est Hebr. 10, 29, sed ne hic quidem ei attribuitur tanquam principio, a quo procedat — „gratia Spiritus sancti“.

Χάρισμα derivatur a χάρις per verbum χαρίζομαι ac designat generaliter omnem formam, in qua revelatur vita religiosa, omne donum acceptum a Deo. Est secundum entitatem suam aliquid supernaturale, miraculosum.

In secunda parte huius capitis recenset varias charismatum classificationes: Tertulliani (Adv. Marc. V. 8; Migne, P. L. II. 489); Novatiani (De Trinitate c. 29. Migne P. L. III. 944); Constitutionum

Apost. VIII., 1. Migne P. G. II. 1064 sq.). Ex classificationibus recentiorum scriptorum recensentur classificationes quas statuunt. Lightfoot (Opera omnia, 1616. II. p. 916); Olshausen (Biblischer Kommentar etc. Königsberg 1840. II. p. 686); Stanley (The Epistles of St. Paul to the Corinthians[5]. London 1882. p. 223); Godet (Commentaire, II. p. 206): Beugel (Gnomon Novi Test. p. 423); Meier (Krit. Exeget. Handbuch über den ersten Brief an die Korinthier. Göttingen 1861. p. 287 sq.) item Englmann (op. c. p. 92 sq,), qui omnia charismata in duas partes seu classes dividit ita, ut ad primam classem pertineat apostolatus, qui subdividitur in magisterium et ministerium; ad secundam classem pertineant: fides (πίστις), ἐνεργήματα δυνάμεων, χαρίσματα ἰαμάτων.

In fine recte admonet divisionem logicam charismatum maxima difficultate laborare, cum clarum fundamentum a s. Litteris non praebeatur. Alium aliam facere classificationem secundum suam subiectivam opinionem.

In secundo ac tertio libri capite (20—48.) agitur de speciali s. Pauli doctrina de charismatibus (1 Cor. 12, 1—11.). Vers. 1—3. continent prooemium in totam tractationem (p. 20—31.); vers. 4—6. indicant charismatum fontem ac principium, quod est tota s. Trinitas, per appropriationem autem Spiritus sanctus. Recte in his versibus videt auctor fidem in ss. Trinitatem: πνεῦμα — Spiritus s., κύριος — Filius, θεός — Pater. V. 7—10. continent enumerationem apparitionum Spiritus s. in ecclesia, quae sunt: 1. λόγος σοφίας, 2. λόγος γνώσεως, 3. πίστις, 4. χαρίσματα ἰαμάτων, ἐνεργήματα δυνάμεων, προφητεία, 5. διάκρισις πνευμάτων, 6 γένη γλωσσῶν, 7. ἑρμηνεία γλωσσῶν.

In capite IV. (p. 49—63.) agitur de comparatione corpus humanum inter et ecclesiam (V. 12 –26.). Cf. Sl. l. th. II, 157. In vers. 12. et 13. demonstrare vult apostolus ecclesiam, quamvis multa membra habeat, debere esse unam; a v. 14—16. ostenditur e converso ecclesiam, quamvis una sit, habere tamen tanquam corpus humanum plura membra. Quam multitudinem necessariam esse *a)* ad perfectionem (V. 17—18.), *b)* ad ipsam corporis existentiam (V. 19—20.). Quae videntur infirmiora corporis membra, magis necessaria sunt, quae vero putamus ignobiliora, his honor et honestas abundantior concedenda est (V. 21—24.) omnia membra in Christi ecclesia debent unum pro altero sollicita esse: „καὶ εἴτε πάσχει ἓν μέλος συμπάσχει πάντα τὰ μέλη· εἴτε δοξάζεται ἓν μέλος, συγχαίρει πάντα τὰ μέλη“ (V. 26.).

Verba versus 12. „Καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἕν ἐστιν καὶ ἔχοι πολλά, πάντα δὲ τὰ μέλη τοῦ σώματος πολλὰ ὄντα ἕν ἐστιν σῶμα, οὕτως καὶ ὁ Χριστός“ recte *Th.* interpretatur de comparatione unitatis membrorum corporis humani et corporis mystici Christi i. e. ecclesiae, sed admittere non vult hoc loco sermonem esse de Christo tanquam de capite ecclesiae, ut Theophylactus (Migne P. G. 24, 716) et Theodoretus (Migne P. G. 82, 325) putaverunt. Rationem addit, quia nempe in comparatione apostoli etiam caput est membrum corporis. Ergo de Christo intelligenda sunt haec verba tanquam de mystica persona, quacum fideles coniunguntur quaeque eos ad unitatem redigit, non autem tanquam de ecclesiae capite.

Cornely (Comment. in s. Pauli epist. 1. ad Corinthios. Parisiis (Lethielleux) 1890, p. 374 sq.) ita disserit in hunc locum: „Quanta vero sit ecclesiae unitas, nomen quo designatur docet: ita et Christus sc. mysticus; hoc enim nomine directe et immediate idea unitatis animo obicitur, dum nomen ecclesiae (ἐκκλησία contio populi convocata) multitudinem proxime designat. Christi autem nomine designatur ecclesia, quatenus velut vivum corpus, cuius ipse est principium vivificans et informans, consideratur, ita ut haec expressio omnino frequentiori illi consonet, qua ecclesia corpus Christi (V. 27; Eph. 1, 23; 4, 12; 5, 30 etc.) aut etiam corpus, cuius caput est Christus (Col. 1, 18; Eph. 1, 22; 5, 23) nominatur."

Ex verbis v. 13. „καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ Πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, εἴτε Ἰουδαῖοι εἴτε Ἕλληνες, εἴτε δοῦλοι εἴτε ἐλεύθεροι· καὶ πάντες εἰς ἓν Πνεῦμα ἐποτίσθημεν" scriptor noster nullam practicam conclusionem deducit.

Capite V. (p. 63—95.) agit de ministerio ecclesiastico (1 Cor. 12, 27—30), in quo sunt: 1. ἀπόστολοι, 2. προφῆται, 3. διδάσκαλοι, 4. δυνάμεις, 5. χαρίσματα ἰαμάτων, 6. ἀντιλήμψεις, 7. κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν.

De charactere, essentia, natura officii ecclesiastici, vel melius ministerii, tempore apostolico disserit *Th.* hunc in modum (p. 63—70.): Officium — ministerium — ecclesiasticum fundamentum suum tempore apostolico in charismatibus habuisse patet ex 1. Petr. 4, 10: „ἕκαστος καθὼς ἔλαβε χάρισμα, εἰς ἑαυτοὺς αὐτὸ διακονοῦντες, ὡς καλοὶ οἰκονόμοι ποικίλης χάριτος Θεοῦ". Apud s. Paulum varia officia ecclesiastica, quae in v. 28. enumerantur, ponuntur in coniunctione cum charismatibus, quod clarissime patet ex eo, quod aliqua officia v. 25. enumerata non discernuntur a charismatibus enumeratis v. 8—10. (p. 64.). Quae sententia clarius p. 66. exprimitur, ubi *Th.* statuit: nostro tempore multa officia ecclesiastica sine charismatibus exerceri; non ita tempore apostolico, quando omne officium necessario cum charismate coniunctum fuerit illudque consecutum sit. Omnia alia hac in re maxima obscuritate tegi.

Statuta hac relatione charismata inter et officia ecclesiastica transit ad quaestionem, quid secundum doctrinam christianam N. T. sit officium et ministerium ecclesiasticum, Sententiae, inquit, de hac re et generatim de primaevae ecclesiae constructione maxime inter se differunt. Alii statuunt apostolos, prophetas, doctores enumeratos per s. Paulum officiales publicos seu antistites veros fuisse in ecclesia apostolica; alii in primitiva ecclesia nullos officiales (ministeria) admittunt; alii denique statuunt oeconomiam ecclesiae apostolicae eiusque constructionem nihil commune habere cum posterioribus ecclesiis. Illam primam constitutionem ecclesiasticam prae se tulisse specialem i. e. apostolicum characterem, qui nunquam postea reversus sit. Primam ecclesiam neque episcopalem, neque presbyteralem, sed specialem scilicet apostolicam fuisse.

Huic ultimae sententiae, quam Harnack (Zöckler, Encyklopädie IV. p. 612) statuit, noster scriptor favet, cum dicit (p. 64): „Quamvis haec ultima sententia non satis clara sit, tamen maxima probabilitas stat pro ea („однако вѣроятность сильно говоритъ въ его пользу").

Porro investigans, utrum apostoli, prophetae, doctores, aliique veri officiales in ecclesia (должностными лицами въ Церкви) fue-

rint, dicit nos debere hac in quaestione abstrahere a nostra acceptione officii vel muneris. Sub officione (munere) nos nunc temporis intelligere certam aliquam et determinatam actionum complexionem. Diaconum non posse se immiscere in munera episcopi vel presbyteri nec vice versa. Non ita in ecclesia apostolica. „In primitiva ecclesia similes certae determinationes ministerii variarum officialium personarum non erant" (p. 65). Ad haec asserta affert argumenta haec: 1. Apostoli ordinaverant septem diaconos, inter quos Stephanum et Philippum. Secundum nostram acceptionem illos debuisse diaconos tantum temporis manere, donec aliam impositionem manuum acciperent. Sed reapse non ita fuisse. Stephanum praeprimis occupari officiis, quae magis ad episcopum vel presbyterum quam ad diaconum spectent. Eum praedicare et baptizare in Samaria, in via ad Gazam. 2. Aliquas personas exercuisse duo munera. Ita e. g. nos adhuc dicere in liturgia: lectionem evangelii s. apostoli et evangelistae Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis. S. Paulum in itinere ex Mileto Ephesum convocare ad se: τοὺς πρεσβυτέρους, sed in oratione appellare eos: τοὺς ἐπισκόπους) (in Russiaca versione „блюстителями" i. e. antistites, praefectos; quam falsam interpretationem prodiisse ex timore, ne presbyteri se episcopos appellarent). 3. Initio epistolae ad Phil. 1, 1 s. Paulum tantum episcopos et diaconos commemorare, presbyteros autem omittere. Item ex traditione patere apostolos simul munus episcopale exercuisse, ut Ioannem Ephesi. Laicos apostolos, et presbyteros iudicare apostolos (Act. 11, 3; 15, 6): prophetas doctoresque imponere manus (Act. 13, 1—3). 4. Paulum fuisse apostolum pro Galatis, Corinthiis etc., sed Hierosolymis tanquam simplicem fidelem oboedientem omnibus s. Iacobi mandatis se exhibuisse.

In tertia denique parte huius introductionis in interpretationem 1 Cor. 12, 27—30 disseritur de externa potestate personarum in muneribus seu officiis ecclesiasticis exercendis tempore apostolico (p. 67). „Nulli dubio subest, quin personae talia vel alia officia in primitiva Christi ecclesia exercentes nullam externam potestatem habuerint. Novum Testamentum accipit verbum 'potestas' prorsus alio sensu, quam hoc fieri solet apud nos . . . Externa potestas politica partim negligitur, partim agnoscitur. Sed in ecclesia non est, neque debet esse vel umbra cuiuscumque politicae potestatis . . . Vis potestatis fundatur in eius negatione. (Сила власти основывается на ея отрицаніи). Salvator prohibuit suos discipulos non solum, quominus se episcopos ac praepositos, sed etiam simplices doctores appellarent". Matth. 23, 11. *Th.* praeterea provocat ad Matth. 20, 25; 20, 26—28; Marc. 10, 42; 9, 35 sq.; Luc. 22, 25 sq. Quoad Christi testamentum, ait porro, apostolos nullam prorsus sibi externam potestatem usurpavisse. „Haec ecclesia (apost.) est perpetua quaedam reprehensio omnipotentium illarum posteriorum „papisticarum tendentiarum" (p. 68). In ea non potest inveniri excusatio (causa) neque moderatissimarum postulationum, quibus posterior hierachia externam dominationem appetiit".

Hoc esse τὸ χαρακτηριστικόν personarum, quae munera ecclesiastica, in ecclesia primitiva exercebant. Ibi non fuisse ἐξουσίαν, sed διακονίαν. Apostolos nullam externam potestatem exercuisse: eos neque aurum,

neque argentum habuisse (Act. 3, 6); fuisse ἀνθρώπους ἀγραμμάτους καὶ ἰδιώτας (Act. 4, 13); sibi non attribuisse aliquid prae aliis (Act. 10, 26; 14, 15); noluisse dominari super fidelium fidem (2 Cor. 1, 24).

Veram potestatem ecclesiasticam primis temporibus fuisse tantum internam seu eam fundatam esse in officio spirituali, non autem etiam in potestate vel iurisdictione externa, id vult auctor praeterea demonstrare ex s. Clementis Rom. epistola ad Corinthios (XVI., 1); ex Pastore Hermae (Vis. III., 9; Simil. VIII., 7) et ex Const. ap. (III., 19).

Restat, ut investigemus breviter de sententiis scriptoris nostri, inspiciendo fontes historicos, quia tantum hac via ad veram conclusionem pervenire possumus.

1. Quid ex historicis fontibus concludi potest de externa potestate seu de iurisdictione in primitiva ecclesia?

Matth. 28, 18 sq.: „Καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐλάλησεν αὐτοῖς, λέγων, Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς“ .... Apostoli vindicabant sibi verum imperium externum, veram imperandi potestatem, et quidem per modum legum poenarumque. „1 Cor. 6, 1 sq.; 1 Tim. 5, 19. 20 primas iudiciorum ecclesiasticorum normas invenies; 1 Cor. 4, 21. 2 Cor. 10, 6 poenas non intentatas tantum, sed 1 Cor. 5, 3 reipsa inflictas reperimus. Pariter praecipua disciplinae instituta iam in primaeva ecclesia, ut patet ex s. Scripturis, reperiuntur, veluti conciliorum celebratio (Act. 15, 6 sq.), ministrorum ecclesiasticorum delectus (Act. 14, 22 — Tit. 1, 5), institutio et gradatio, ecclesiarum visitatio (Act. 15, 36. 41)“. (Simon Aichner, Comp. iuris eccl. Brixinae 1905 p. 68). De hac re confer insuper: Mazzella, De religione et ecclesia. Romae 1880 n. 757—765; Tarquini, Iur. publ. ecclesiast. institut. 5 sqq.; Th. Mamachi, Originum et antiquitatum christianorum t. IV. (cf. Stimmen aus Maria Laach. Bd. 70 [1906, I] p. 364 sub. inscr. „Harnack bleibt dabei“). Omnes loci a scriptore nostro allati tendunt in commendationem humilitatis, quae omnino cum maxima potestate externa coniungi potest.

2. Erantne munera vel officia in primaeva ecclesia necessario cum charismatibus coniuncta, ita ut quisquis munus aliquod publicum exercere volebat, charisma habere deberet? Ut responsio facilior evadat, praeprimis admonemus, quod etiam *Th.* (p. 11) facit, nostram de charismatibus notionem non licere ad charismata temporis apostolici transferre, quia tunc per vocem charisma non designabantur tantum extraordinaria dona Spiritus s., sed etiam omne beneficium divinum in ordine ad salutem. Heinrich Bruders S. J. (Die Verfas. der Kirche p. 70) recte observat: »Χάρισμα bezeichnet in den christlichen Schriften bis 175, gemäss seiner Grundbedeutung „Wohltat“, alle Güter irgendwelcher Art; nur ist dabei immer die Beziehung ausgedrückt, dass die Güter ein Geschenk sind, und zwar die spezifisch christliche Beziehung, dass sie Geschenke sind, die von Gott kommen. Vorzüglich wird dann das Wort zur Aufzählung der Wohltaten gebraucht, die sich in der neuen Heilsordnung vorfinden, weil sie, im Gegensatze zu allen früher schon gemachten Geschenken der natürlichen Weltordnung in ganz besonderer Weise die Aufmerksamkeit auf sich lenken. Hiernach ist die ganze

neue Heilsordnung ein Geschenk Gottes, ein Charisma. Auch die Verwirklichung derselben in jedem einzelnen, sowohl hier auf Erden als später im Jenseits, ist eine Gabe Gottes, ein Charisma".

Si igitur in fontibus antiquis invenimus nomen Χάρισμα, non statim cogitandum est de extraordinario dono Spiritus s.

Scriptor noster affirmat omnia officia in primaeva ecclesia fundamentum suum habuisse in charismatibus stricte dictis seu secundum nostram acceptionem intellectis (confer. p. 64 ; 66 in fine). Si hoc verum esset, omnes apostoli, omnes doctores, omnes episcopi debuissent necessario hoc munus suum a charismate accepto derivare et si notum fuisset eum non habere charisma neque apostolatus, neque doctrinae eximiae, non potuisset suum munus exercere. Aliis verbis officia ecclesiastica identificabantur cum charismatibus, quae eis respondent.

Sed, si paulo accuratius fontes historicos inspiciemus, videbimus evangelia, apostolos, patresque apostolicos munus suum semper e x m i s s i o n e externa derivare. Hic nobis non sunt opponendi illi loci; sufficit eos tantum adsignificasse: 1. Evangelia: Matth. 21, 37; Marc. 9, 37; 12, 6; Luc. 4, 43; 9, 48; — Luc. 6, 13; 24, 49; 11, 49; Ioan. 4, 38; 20, 28; — Marc. 16, 15—23; Matth. 28, 18. Ioan. 21, 15. — 2. S. Paulus, ut demonstret se esse verum apostolum, non provocat ad suum charisma apostolatus, sed ad alia externa indicia, ad missionem Gal. 2, 7. 8. 9; 1, 11. 12. 15; Rom. 15, 23. 24. 28. „Er nennt sich ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ Rom. 1, 1; 1 Cor. 1, 1; 9, 1; 9, 2; 2 Cor. 1, 1; Gal. 1, 1; Eph. 1, 1; Col. 1, 1; 1 Thess. 2, 6; 1 Tim. 1, 1; 2, 7; 2 Tim. 1, 1. 11; Tit. 1, 1" (Bruders op. c. 89, sq.) Ex his concludere licet, ad ministerium (officium) ecclesiasticum exercendum tempore apostolico non necessaria fuisse charismata, sed missionem apostolicam suffecisse, sicut nostro tempore sufficit, quo multa officia sine charismatibus exercentur. Ex hoc etiam consequitur ecclesiam apostolicam quoad ministerium non fuisse specialiter apostolicam, cuius neque umbra in posterioribus ecclesiis inveniatur, quia sicuti tunc, ita etiam nostro tempore apud catholicos et orientales non unitos missio apostolica ad munus ecclesiasticum exercendum necessaria atque sufficiens est. —

Sicut apud s. Paulum, ita etiàm apud Patres apostolicos eandem persuasionem invenimus: confer s. Ignatius Eph. VI., 1—ed. Franc. Xav. Funck, Patres apostolici². Tubingae (Laupp) 1901. I. 219 vel ed. ab eodem : Die ap. Väter, Tübingen und Leipzig (Mohr) 1901 p. [83]; eadem ep. III., 2 Funck. Die ap. V. [82]; IV., 1 ib.; Smyr. VIII., 1 Funck ead. ed. [104]. Eandem doctrinam sequitur Clemens Romanus: 1. Clem. ad Cor. 42, 1—5. Funck ead. ed. 55—56; 44, 1—2: „Καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς· διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν κατέστησαν τοὺς προειρημένους καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως, ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν". (Funck op. c. 57) (confer ad haec omnia: Bruders op. c. pag. 65 — 129).

Capite septimo *Th.* agit de relatione inter caritatem et charismata (1 Cor. 12, 31—33, p. 95—108); in duobus postremis capitibus

(109—162) disseritur de difficili quaestione glossolaliae et prophetiae (1 Cor. 14 c.).

Opus scriptum est magna cum eruditione, est egregium biblicae litteraturae Russiacae augmentum. Tantum aliquibus locis, uti vidimus, acceptat *Th.* aliquas non demonstratas sententias ex rationalistarum castris. *J. Šimrak.*

Вѣра и Разумъ (Vĕra i Razum) Fides et ratio. Ḫar'kov, 1907, No. 15—24.

E. Voroncov, Psalom 2. i proročestvo Nathana (Psalmus 2. et prophetia Nathan). Characterem Messianicum huius psalmi, qui citatur ab apostolo Paulo (Ep. ad Hebr., I, 5) *V.* fuse demonstrat, citatis locis parallelis Sacrarum Scripturarum, in quibus de eo iniecta est mentio. Testimonia Patrum atque ecclesiasticorum Scriptorum colligit (Irenaeus, Origenes, Tertullianus, Athanasius Alex., Eusebius, Gregorius Nazianz., Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus Alexandr., Augustinus) nec non verba citat exegetarum Iudaeorum, qui psalmum hunc κατ' ἐξοχήν messianicum agnoscunt. *V.* praesertim interpretatur versiculum 7. ps. II. qui censeri potest medulla ac fulcrum christologiae veteris Testamenti. Patrum sententiis scatet disquisitio.

*** Želatel'nyja cerkovnyja reformy na predstojaščem vserossijskom pomĕstnom Soborĕ, p. 332—382; 467—498. Plura auctor loquitur de reformanda Russica ecclesia, quae tamen in votis etiam ulteriori aevo manebunt. Scholam ecclesiasticam praesertim novo sanguine ad vitam revocandam censet anonymus scriptor, quia hoc tantum modo validissimo potietur ecclesia excercitu ad populum christiana fide imbuendum. Defectus pandit scholarum pro pueris in paroeciis institutarum, et seminariorum ecclesiasticorum. Dolet seminaria fere solis cleri saecularis soboli patere, duplicemque scopum sibi proponere: communem scilicet educationem litterariam eodemque tempore specialem theologicam. Exponit ac discutit media, quae scriptores Russici alius aliud proponunt, ne scholae omnino pessum eant. Magis ei placet sententia, quam in Cerk. Vĕdomosti tutati sunt Philaretus, episcopus Rigensis, et Michael episcopus Kurskensis (1905, n. 39) cum ostendant necessitatem seiungendae in seminariis scholae pro communi educatione puerorum a schola pastorali-theologica. Haec titulo collegii ecclesiastici-pastoralis ornata, et publicis expensis sustentata clero educando tantum navabit operam. Scholae vero eparchiales puerorum (епархіальныя мужскія училища) inservire debent instruendis pueris presbyterorum eisque viam sternere ad universitates ac superiores scholas civiles. Harum scholarum ac seminariorum statuta ac programmata fuse auctor enucleat. In seminariis navanda opera studio Sacrae Scripturae, Theologiae dogmaticae ac polemicae, Locis theologicis, Theologiae morali, Historiae ecclesiasticae generali ac Russicae ecclesiae, Eloquentiae sacrae theoretice ac practice, Liturgiae, Archaeologiae sacrae, Iuri canonico, Theologiae pastorali, Patrologiae, historiae Russici schismatis, paedagogiae, linguis Graecae et Latinae, et cantui ecclesiastico. Quomodo moralis educatio alumnorum seminarii procuranda sit, prolixis verbis disserit auctor. Aggreditur inde reformationem scholarum eparchialium pro puellis institutarum, atque Academiarum theologicarum. Non arridet scriptori sententia late diffusa inter magistros academiarum, harum sanciendam esse autonomiam. Studia theologica inspectioni ecclesiae subici debent. Ignorantiam auctoris de rebus catholicis innuunt ea, quae audacter effutit pag. 371: „Quis potest crimini vertere ecclesiae Russicae, quod habenas adducit in provincia theologicarum disciplinarum, cum videamus catholicam ecclesiam, in qua quotannis Propagana de fidei (! . .) denuntiat in illo suo celeberrimo Indice (!) quamplurima scripta, eorumque auctores excommunicationis sententia graviter punit.“ Hac de causa anonymus censoria virgula

notat sententiam eorum (Titov, Světlov) qui sectiones theologicas in Universitatibus stabiliendas esse putant. Disserit etiam de statutis academiarum, quaeque sint expungenda, recenset. Paucis denique absolvit, quae reformationem spectant missionum, liturgiae, vitae paroecialis: linguam palaeoslavicam in libris liturgicis adhibendam esse iustis rationibus defendit contra fautores Rossicae linguae, qui hanc substituere cupiunt. Concludit spe suffultus recurrectionis ecclessiae Russicae, quae fieri nequeat, nisi prius reperiantur viri apti ad eius mala levanda.

A. El'čjukov, Arhiepiskop Theofilakt Rusanov, russkij propovědník, filosof epohi konca XVIII. v. i nač. XIX. v., pag. 427—456; 588—616; 25, 50. Theophylactus Rusanov, episcopus Kalugensis anno 1799, archiepiscopus Rjazanensis anno 1809, exarcha Iberiae anno 1817, vita defunctus anno 1821, notus est in historia litteraturae ecclesiasticae Rossiacae tanquam orator et philosophus, licet quae posteris reliquit, magis sint versiones ex aliis linguis, quam opera proprio marte conscripta. Auctor de meritis eloquentiae Russanov disserens, theorias philosophicas exponit, quae in Russia primatum habuerunt saeculo XVIII. ad occasum vergente. Virtutes praecipuas in eius orationibus sequentes enumerat: elementum analyticum, quod in eis plerumque dominatur; usus peculiaris methodi historicae in evolvendis doctrinis, et illustratio, quae fit narrationibus exemplisque e vita familiari depromptis; mira diligentia in expositione psychologica. Ad quas dotes accedit elegantia stili. Orationes Rusanov, ait auctor, divitem praebent materiarum copiam ad investigandum statum intellectualem, religiosum, socialem periodi, quam diximus. Praeclara haec dissertatio prodiit etiam uno volumine comprehensa Charkoviae, typ. regiminis, 1907, in 8, pp. 88.

Prot. N. Malinovskij, Molitvy cerkvi za umerših (Preces ecclesiae pro defunctis), P. 457—466; 573—587. Praxis orandi pro defunctis in ecclesia christiana a remotissimis iam temporibus existit. Reperiuntur huiusmodi preces in liturgiis S. Basilii et S. Ioannis Chrysostomi, quas Patres VI. synodi oecumenicae dixerunt θεόδοτον τάξιν. Idem testantur Tertullianus, Cyprianus Carthaginiensis, Origenes, Arnobius, et praeclare S. Ioannes Damascenus, quorum testimonia recensentur. Adversarii enumerantur qui has preces impie reiecerunt. Confutantur theologice obiectiones, quae contra eas fiunt. Aggreditur inde auctor quaestionem valde exagitatam in Russica theologia, num liceat orthodoxis preces effundere pro defunctis catholicis et protestantibus. Exponit in hac re doctrinam et praxim neograecae ecclesiae. In casu necessitatis, si nullus adest presbyter catholicus aut pastor lutheranus, praesertim rogatu praefectorum militum, Russicis presbyteris permittitur a synodo cadaver defuncti ad coemeterium usque comitari, ibidem parvas preces recitare, quibusdam tamen ritibus exceptis qui ab auctore recensentur. Defenditur in hac re praxis orthodoxa auctoritate conciliorum, pluresque discutiuntur quaestiones, quae ad eam praxim spectant. Dissertatio referta est doctrina theologica; quare a theologis catholicis non sine utilitate perlegetur.

B. Davydenko, Pedagogičeskija vozzrěnija Pirogova (Theoriae paedagogicae N. I. Pirogov), p. 617—637. Prolixa haec introductio nihil adfert de Pirogov. Tota lamentatio est de miserando statu scholarum Russicarum, quae religioni sint inimicae, praesertim Universitates, quarum professores bellum indicunt theologiae ac vitae supernaturali. Dolet auctor, promulgato decreto tolerantiae religiosae haereses cuiusque generis praesertim in Russia occidentali libere debacchari. Crederes, religionem totaliter influxum in Russia amisisse.

N. Lysogorskij, Religiozno-političeskija vozzrěnija vethozavětnyh ložnyh prorokov v ih bor'bě s istinnymi prorokami iegovy (Theoriae politico-religiosae falsorum prophetarum Veteris Testamenti in suis certaminibus cum veris prophetis Jehovae), IV. p. 1—24; 154—169. Auctor utilem suam tractationem tuetur in praesentia, cum politicae factiones in Russia ecclesiam instrumentum esse cupiunt, quod ad ipsarum fines prosequendos inserviat. Falsi prophetae non defuerunt apud

Hebraeos. Ambitione seducti populum conabantur fallere. Eos recense auctor, ac depingit tamquam duces peioris partis populi. Notitias, quae eos concernunt, haurit praesertim e scriptis inspiratis Hieremiae atque Ezechielis. Fraudulentis verbis nituntur pseudo-prophetae, ut Hebraeos a cultu veri Dei deterreant ac polytheismi mancipia efficiant. Fautores rebellionis sunt, ac sepositis praeceptis divinis, de humanis et civilibus rebus tantum curam habent et praedicant. Synthesin accuratam auctor concinnat de iis quae Sacrae Scripturae tradunt circa pseudo-prophetas.

N. Bogoljubov, Ernest Renan, i ego žizn′ Iisusa (E. Renan eiusque Vita Iesu), p. 51 77; 170—196; 312—320; 600—627; 745—768. Prolixam hanc tractationem vocat auctor Molimen criseos psychologicae. Biographicas de Renano notitias aggerat, ut κρίσιν ipsius animi explicet, originemque indigitet lugendae eius apostasiae a fide catholica. Fidei iacturam, quam Renan passus est, ex eius commentariis enarrat, ac motivis exponit, quibus Renanus ducatur in Vita Iesu componenda: veritatis amore et sensu aesthetico, quorum tamen saepe obliviscitur. Confutantur quae Renanus effutit circa realitatem miraculorum Iesu Christi eorumque credibilitatem. Falsam esse imaginem moralem, quam ipse de Redemptore nostro fingit, et a realitate historica absonam facile demonstrat. Accusat eum, quod phantasiae indulget, dum loquitur de Iesu Christo tanquam fundatore novae religionis. Miratur, eius opus, imperfectissimum, si ratione artis litterariae consideratur, absurdis scatens argumentis, mendaciis, depravationibus veritatis, magnam famam, omnino immeritam, consecutum esse, nec non a viris eruditis laudibus extolli. Citat verba Muretov, praeclari exegetae Academiae Mosquensis, qui Renanum appellat artificem facundiae, pictorem nobilissimum virorum gestorumque evangelii. Hoc iudicium veritati haud consonum declarat auctor. Regulas artis contempsit Renanus characterem moralem Iesu Christi depingens; reicit historicam imaginem Iesu, prout nobis in evangelio obicitur, et praesumit efferre novam imaginem naturae magis consentaneam. Sed quod conatur est depravatio veri.

P. Levitov, O prepodavanii osnovnogo Bogoslovija v duḫovnyḫ seminarijaḫ (De methodo tradendi theologiam fundamentalem in seminariis ecclesiasticis) p. 78—83. Theologia fundamentalis, quae nostra aetate in seminariis Russicis traditur, tres comprehendit disciplinas: philosophiam religionis, apologiam christianismi, atque examen historico-criticum falsarum religionum. Tractatus theologiae fundamentalis, quibus alumni seminariorum utuntur, 1. agunt de religione in genere, eiusque origine, essentia ac relatione ad realitatem obiectivam: 2. argumenta exponunt historica, moralia, philosophica, scientifica, quae veritatem religionis christianae patefaciunt; 3. praecepta et veritates innuunt, quae in religione naturali continentur easque criticae submittunt analysi. De hoc triplici obiecto disserit auctor.

D. Brjancev, K voprosu o brakě (Quaedam de matrimonio), p. 143–153, 299–311. Diiudicat auctor portentosam sententiam Rozanovi qui duobus articulis 1. de matrimonio, quod a Christo innuitur, 2. de influxu formae matrimonii ineundi in mores (Novoe Vremja, 11, 078, 14 ianuarii 1907, et 11, 083, 19 ianuarii) docet, iuxta doctrinam Christi, matrimonium Iudaicum, sive civile, perfectum esse; e contra matrimonium christianum, sive ecclesiasticum, magnis laborare defectibus. Hanc doctrinam, quam Rozanov ex verbis Matth. XIX, 4—6 conatur eruere, refellit auctor dignitatem matrimonii ecclesiastici optime defendens. Quaedam postea attingit, quae immutanda esse in legislatione matrimoniali ecclesiae Russicae existimat.

A. Nikolskij, Russkaja duḫovno-akademičeskaja filosofija, kak predšestvennica slavjanofil′stva i universitetskoj filosofii v Rossii (Philosophia in academiis ecclesiasticis Russicis, quae praeparaverit ad slavophilismum et philosophiam, quae in universitatibus Russiae habetur), q. 197—230. Conclusio haec est seriei articulorum, quos praeclarus auctor antea de hoc themate vulgavit. Opera philosophica recenset ac systema enucleat S. S. Gogockij, professoris Kioviensis academiae

(1841—1851) et Kioviensis universitatis (1851—1881); Iosephi Mihnevič, qui in eadem Academia docuit (1809—1885); archimandritae Gabrielis Voskresenskij (1795—1863), professoris Kazanensis universitatis; et Pamphili Jurkević (1827—1874), professoris Kioviensis academiae et Mosquensis universitatis. Maximae utilitatis haec est dissertatio pro studio historiae philosophiae Russicae. Ex ea deducitur, Academias slavophilis Russicisque universitatibus semitam aperuisse in tradendis philosophicis disciplinis.

T. Pogorělovskij, Proishoždenie hristianstva po učeniju istoričeskago materializma (Origo religionis christianae iuxta doctrinam materialismi historici exposita), p. 287—298; 456—474. Systema Caroli Marx eiusque discipulorum, qui tenent fundamentum socialis organismi esse industriam et commercium ac divisionem societatis in classes. Religionem christianam Marxistae figmentum humanum esse contendunt. Est enim, aiunt, productio unius vel complurium populorum, qui altiorem gradum culturae attigerunt. Originem habet ex proletariis, uti etiam socialismus; nil aliud est nisi compendium sententiarum ac systematum philosophorum orbis Romani, ideologia quaedam ex Iudaica theologia derivata, tractatio ad vulgi captum accommodata philosophiae Graeco-Alexandrinae, elementis nationalibus tum Graecis tum Romanis commixtae. Auctor luculenter demonstrat, falso asseri rationibus tantum oeconomicis evolutionem historicam generis humani explicari. An dici potest influxum, quem in genus humanum exercuerunt S. Franciscus Assis., et expeditiones in Terram Sanctam crucesignatorum ortum esse ex motivis oeconomicis? . . Ad demonstrandum christianismum non hisce motivis debuisse suum ortum in mundo, observat, condicionem plebis in imperio Romano non tam miseram fuisse, qualem sibi effingunt Marxistae. Nequit omnino dici Iesum Christum solutionem quaestionum socialium sibi proposuisse. Regnum Dei, quod ipse praedicat, moralem hominis activitatem respicit; Iesus parvi pendet exteriora bona, bonumque animarum curat.

P. Levitov, Čto takoe dobro (Quid est bonum?), p. 321—340; 479—494. Quid est bonum, et cur bonum hominem trahit? En, duae quaestiones, quae se invicem complent, ac diversimode a philosophis solvuntur. Suam solutionem proponit auctor, quae paucis verbis concinnari nequit. Satis sit indicare, eum materialistarum placita reicere, ac systema ethicum Kantianum nigro lapillo notare. Bonum ab eo definitur: liber conscientiae actus — sive tendentia ad actum —, directus ad augendam summam communem universalis perfectionis (in conceptu perfectionis includitur, tanquam eius stadium, felicitas) ex motivo psychologico amoris aut ratione debiti.

T. Pogorělovskij, Sv. Ioann Żlatoust po žizni i tvorenijam svoim (S. Ioannes Chrysostomus secundum eius vitam et doctrinam), p. 430—455; 579—599; 720—744. Oratio lecta ab auctore in seminario ecclesiastico Charkoviensi, die XIII. novembris 1907, hic fusius amplificata proponitur. Ostendit auctor, Chrysostomum divinitus electum esse, ut strenue certaret ad funditus evellendum paganismum ex imperio Romano regnumque firmandum religionis christianae. Vitam breviter concinnat; Syrum eum fuisse, non Graecum, ex progenie declarat. In pago Kumano, ubi gloriosus athleta beatam mortem oppetiit, narrat nunc temporis monasterium orthodoxum monialium reperiri, quod immerito omnes fere lateat. Opera S. Ioannis absolutam exhibent bibliothecam theologicam. Ratione fecunditatis litterariae comparari tantum potest Chrysostomus cum Origene. Eius doctrina nititur in fundamento Sacrae Scripturae et traditionis ecclesiae universalis, quatenus determinata erat quarto saeculo. Optime igitur habetur tanquam Doctor universalis ecclesiae, qui vestigiis inhaeret apostolorum in servanda tuendaque Christi doctrina. Ad apostolum Paulum propius accedit. Opera Chrysostomi in quinque classes dispescit: oratoria, moralia, ascetica, exegetica, litteras. De omnibus singillatim disserit.

M., Iz našej sovremennoj literatury (Observationes criticae in hodiernam litteraturam), p. 475—478. Invehitur auctor in litteraturam, quam pornographicam vocant, quae nunc temporis maximo cum detrimento

morum diffunditur in Russia. Corripit vehementer propagationem spiritismi. Societas spiritistica Mosquensis nomen usurpat ecclesiae spiritualisticae, spiritualisticam celebrat liturgiam, ac gloriatur suis in comitiis colloquia se habere cum sanctis ecclesiae orthodoxae, ex. gr. cum S. Seraphimo Saroviensi.

S. Glagolev, Nedostatki klassičeskoj teorii sillogizma (Defectus theoriae classicae syllogismi), p. 628—649; 769—794. Dissertatio peracutum ingenium ac peritiam philosophicarum disciplinarum in auctore pandit. Natura, definitio, structura, figurae syllogismi Aristotelici exponuntur, multis syllogismorum exemplis allegatis. Specialis character huius dissertationis, quae tota speculativa est, impedit, quominus paucis verbis resumatur.

Kratirov, Psihologija sv. Apostola Pavla (Psychologia S. Pauli Apostoli), p. 709—719. Recenset auctor opus hoc thema evolvens, quod Germanice editum est a Theodoro Simon, et nunc etiam Russice prodit cura et studio episcopi Georgii. Maxime laudat opus, quod voces ab Apostolo adhibitas clare et praecise explicat. *A. Palmieri* O. S. A.

Собраніе сочиненій Владиміра Сергѣевича Соловьева (Sobranie sočinenij Vladimira Sergěeviča Solov'eva). Opera Vl. S. Solov'evii collecta. Peterburg, 1901—5 Tom. I. (1873—1877) Pag. 376.

Ex octo tomis, quibus opera cl. viri Vl. S. Solov'evii absolvuntur (tom. IX. supplementi instar 1907 editus vitam eiusdem continet), primus hic tomus primam viri aetatem (1873—1880) litterarum monumentis edendis impensam complectitur. Hoc opus I. ad philosophiam spectat neque ex professo lectorem quaestionibus theologicis occupat, quae sequentibus tomis continebuntur. Complures hic primus tomus complectitur labores philosophicos argumenti diversi, de quibus pauca referemus.

I. Mithologičeskij process v drevnem jazyčestvě (1873) (Processus mythologicus in antiqua gentilitate.)

Progressus mythologicus gentilitatis antiquae in inscriptione quadam Aegyptiaca mentione digna continetur, quae Graece translata apud Euandrum et Theonem Smyrnensem habetur (de musica, cp. 47): *θεοῖς ἀθανάτοις, Πνεύματι καὶ Οὐρανῷ, Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ καὶ Γῇ καὶ Νυκτὶ καὶ Ἡμέρᾳ καὶ Πατρὶ τῶν ὄντων καὶ ἐσομένων Ἔρωτι.* *S.* has ponit theses: 1. Ratio religiosae explicationis, quam novimus, declarat in gentilitate monotheismum antecessisse. — 2. Primus purus monotheismus homini impossibilis fuit atque necessarium apparebat unum et spiritualem Deum externa repraesentari forma; inde factum est, ut natura in imagine deae corporea forma exprimeretur; exinde postea multitudo deorum progressusque mythologicus nata sunt. — 3. Progressus ipse his tribus absolvitur momentis: *a)* Spiritualis Deus, iam corporea forma circumscriptus, sed servata eius unitate ac potestate — periodus urania. *b)* Spiritualis deus, subditur legi formae corporeae et passibilis redditur — periodus solaris (period soljarnyj). *c)* Spiritualis deus omnino cum natura corporea confunditur — (period Thalličeskij) periodus Thallia.

II. Krisis zapadnoj filosofii (Protiv Pozitivistov). 1874. De crisi philosophiae occidentalis (Contra positivismum). (p. 26—145).

Primum cl. auctor ingeniose et clare evolutionem philosophicam a Scoto usque ad Kantium describit. Praecipuorum systematum tum

essentia tum mutuus inter se influxus ac relatio exponuntur: Scotus, Abaelardus, realismus et s. Thomas Aqu. (incidenter), nominalismus et Occam; Descartes, Spinoza, Leibniz; Bacon, Hobbes, Berkeley, Hume. Quis est finis vel effectus huius progressus? Negatio metaphysicae tamquam scientiae impossibilis. Dein diversae formae idealismi proponuntur, qualem statuunt Kant, Fichte, Schelling, Hegel. Denique auctor transit ad positivismum in quo refutando magnam operis impendit partem.

III. et IV. loco opuscula minora de theoria Aug. Comte et de scriptis philosophicis P. D. Jurkevičii (1874) habentur (p. 145—162: 162—187).

Metafisika i položitel'naja nauka (vstupitel'naja lekcija v kurs filosofii, skazannaja v Movskovskom universitetě 27 janvarja 1875 g.) p. 187—195. Metaphysica et positivismus (Lectio pro initio cursus philosophici in universitate Moscoviensi 27. Ian. 1875 habita.

Conatibus omnibus libertatis humani ingenii coarctandae successus deerat; hinc etiam modernorum studium, quo intellectum ad solam phaenomenorum notitiam restringere ac metaphysicam destruere nituntur, irritum erit. Idem aliae quoque rationes, ex ipsa haustae scientia, declarant. — Physica in statuendis legibus versatur. Quae leges formulae quaedam sunt, exprimentes constantem in rebus corporeis successum. Sed physica longius progreditur. Ita optica non solum quae sit phaenomenorum ratio investigat, sed etiam quid sit ipsa lux, statuitque eam undulationem atomorum aetheris esse. Haec vero non est sensibilis, et similiter ubique non sensibile elementum in physica habetur. Ex quo conficitur, phaenomena in se non existere formasque esse subiectivas.

Cum scientiae eventibus positivismus congruit, nisi quod rerum essentias, quas physica admittit, negat. — Duplex habetur mundus, alter sensibilis, alter qui sensibus percipi non potest, atomi, quae hunc mundum spectabilem constituunt. Probantur autem non experientia sed ratione. Itaque id quod immediate sensus percipit, subiectivum est, id quod ratio deducit obiectivam realitatem habet. Sed cur obiectivum valorem sensibilium reicio? Quia non sunt aliud nisi affectiones subiectivae. Sed si iis quae sensibus percipio, realitatem nego, quo pacto eam rationi subiectivae adscribo? Ita logice theoria atomismi statui nequit.

„Teper' sprašivaetsja: naskol'ko osnovatel'no takoe prevraščenie? Počemu nauka otricaet obektivnuju istinu u dannyh neposredstvennago čuvstvennago vozzrěnija? Potomu otricaet, čto eti dannyja sut tol'ko naši oščuščenija, slěd. imějut tol'ko subektivnyj harakter. Soveršenno spravedlivo. No nužno byt' poslědovatel'nym: esli ja otricaju obektivnuju istinu čuvstvennyh dannyh na tom osnovanii, čto eto věd' tol'ko naši oščuščenija, to s kakoj že stati budu ja pripisyvat' etu istinu tomu, čto est tol'ko moja subektivnaja mysl'? Čuvstvennoe javlenie, govorit nauka, ne iměet obektivnoj real'nosti, potomu čto est produkt naših subektivnyh oščuščenij. No atomy, ethir, i. t. d. sut věd' produkt vašej subektivnoj mysli. Čto že ručaetsja za obektivnuju realnost' etoj vašej mysli? Čto esli eto tol'ko mysl', da i plohaja? (l. c. p. 190)."

Sed neque experientia atomismus probari potest. Nam atomi eiusdem naturae solum eo, quod colliguntur et inter se uniuntur, non possunt diversitatem formarum sufficienter explicare. — Physica ut partialis scientia non continet suprema τοῦ esse, vel absoluti esse principia; hoc est metaphysices, quam illa supponit.

VI. Strannoe nedorazuměnie (odvět g. Leseviču; 1874). 195—204. Mira quaedam dissensio exponitur (responsum Lesevičio). Lesevič in foliis, quae „Otečestvennyja zapisky" dicunt, de dissertatione Solov'evii, quae inscripta est: „Krisis zapadnoj filosofii" criticam subiectivam exercuit. Neglecto corpore totius operis ex quibusdam dictis non inspecto contextu sensum auctoris omnino diversum ab eius mente deducit. Sol. contra hanc methodum potissimum disserit.

VII. O dějstvitel'nosti vněšnjago mira i osnovanii metafisičeskago poznanija (otvět K. D. Kavelinu) 1875. Str. 204—214.

De existentia mundi externi et fundamento cognitionis metaphysicae. Responsum K. D. Kavelinio 1875.

Tota nostra cognitio sensitiva phaenomenalis est; sed inde non sequitur, mundum corporeum in se non existere. Nam quaevis cognitio logica necessitate subiectum cognoscens supponit. Nos tamquam subiectum affectionum nostrarum non solum ut phaenomenon existimus in cognitione alterius, sed etiam in nobis realiter. Sed ubi sunt similia phaenomena, supponuntur similes causae: itaque non solum cognitionem phaenomenorum sed etiam essentiarum rerum sive metaphysicam habemus. „No sprašivaetsja: iměet li eta uvěrennost' položitel'noe logičeskoe osnovanie, možet li ona byt' svedena k kakomu-nibud neobḫodimomu logičeskomu zakonu? Ja naḫožu, čto možet, imenno k zakonu, analitičeski vyvodimomu iz zakona toždestva i vyražajuščemusja tak: postojannaja i neposredstvennaja odnorodnost' (materialnaja i formalnaja) nezavisimyḫ drug od druga projavlenij (točněe: rjadov projavlenij) predpolagaet vnutrennjuju odnorodnost' projavljajuščiḫsja suščestv." (str. 211).

VII. Tri sily (Tres vires): 1877. Str. 214—227.

Lucubratio haec etiam magis quam priores ingenium amplum et profundum scriptoris prodit. Exhibetur enim quidam conspectus historiae et indolis generis humani, quatenus tres vires ipsam formaverunt. Prima earum ad unitatem absolutismi tendit; altera omnino opposita ad libertatem singulorum et formarum, quibus vita continetur; tertia inter utramque conciliat, et haec vitae humanae pretium, valorem, bonitatem tribuit; ipsa est a Deo et vocatur religio. Tres dein sedes, si formam vel modum spectas, praecipuae cultus humani civilisque adducuntur. Oriens Islamicus, Occidens excultus, mundus Slavicus. Has, quomodo tres illae vires formaverint atque excoluerint, pulchre et profunde describitur. No otkuda možet byt vzjato eto bezuslovnoe soderžanie žizni i znanija? Esliby čelověk iměl ego v samom sebě, on ne mog by ni utratit', ni iskat' ego. Ono dolžno byt' vně ego kak častnago, otnositel'nago suščestva. No ne možet ono byt' i vo vněšnem mirě, ibo etot mir predstavljaet tol'ko nizšija stepeni togo razvitija, na veršině kotorago naḫoditsja sam čelověk, i esli on ne možet najti

bezuslovnyh̯ načal v samom sebě, to v nizšej prirodě ešče meněe (str. 223).“

IX. Filosofskija načala cělnago znanija (De principiis philosophicis cognitionis, prout finem spectat). 1877. Str. 227—345.

1. Obščeistoričeskoe vvedenie (o zakoně istoričeskago razvitija) 227—265. Introductio in historiam universalem (de lege progressus historici).

2. O treh̯ tipah̯ filosofii. 265—282. De tribus exemplis philosophiae.

3. Načala organičeskoj logiki: h̯arakteristika cělnago znanija. — Ish̯odnaja točka i metod organičeskoj logiki (282—316). Principia logices organicae: Descriptio cognitionis spectantis finem. — Unde proficiscatur et quae sit methodus logices organicae.

4. Načala organičeskoj logiki (prodolženie). Ponjatie absoljutnago. Osnovnyja opredělenija po kategorijam suščago, suščnosti i bytija (316—345). Principia logices organicae (pars altera). Definitiones fundamentales iuxta categorias entis, existentiae, essentiae ponuntur.

5. Načala organičeskoj logiki (prodolženie). Otnositel'nyja kategorii, opreděljajuščija ideju kak suščestvo (345—375). Principia logices organicae (pars tertia). De categoriis, quae determinant ideam ut esse·

Sub 3. numero *S.* de principiis logices et de qualitatibus cognitionis quae finem spectat (H̯arakteristika cělnago znanija) agit. Quid intelligit sub cognitione illa ad finem spectante? Nihil aliud nisi liberam theosophiam. „Vo pervyh̯ ona (organičeskaja logika) dolžna razsmatrivat'sja po otnošeniju ko vsej sistemě cělnago znanija ili svobodnoj teosofii (str. 282). *S* dein agit 1. de obiecto cognitionis 2. de fine 3. de materia universali („po obščemu materjalu“) 4. de forma 5. de causa efficiente 6. de ratione, unde exorsus (po ish̯odnoj točkě) et 7. de methodo progressus.

1. Obiectum theosophiae est id, quod vere est; quo differt ab empirismo, qui solum phaenomena, et a rationalismo extremo, qui solum ideam admittit. — 2. Finis liberae theosophiae est duplex: proximus est cognitio, ultimus est unio cum esse absoluto sive cum summo esse. Illud enim utpote omnia in se continens, ab omni influxu externo liberum est; inde homo solum per unionem cum ipso liber efficitur. Etiam empirismus (Bacon Verulam) per cognitionem nos dominos naturae efficere vult; sed ad plenam libertatem homo etiam dominium in se ipsum habere debet: quod empirismus praebere non potest. Homo, ut liber efficiatur, centrum suum in supremum esse transferre debet. — 3. Materiam usus et experientia praebent. Tres sunt classes, quae experimentis subiacent: a) ubi ab extra est determinatio seu physica: b) ubi ab intra est affectio seu psychologia; c) ubi ab altiore ente determinamur: mystica. Conatus ille, quo totum ad mechanismum reduci studetur, logice falsus est: in organismo enim nova inveniuntur principia, quae in mechanismo non continentur; ex nihilo vero nihil. Existentia mysticismi usu comprobatur: eum impossibilem esse, a priori demonstrari nequit. — 4. Quod formam cognitionis attinet, maximi momenti universalia sunt: nam rerum particularium cognitio philosophia nondum est. „V obščem ponjatii čelověk vo-pervyh̯ zaključaetsja otricanie častnoj individualnosti,

togo ili drugogo čelověka v otdělnosti, a vo-vtoryh utverždenie ih vsěh v někotorom novom vysšem edinstvě, kotoroe vsěh ih obnimaet, no vměstě s těm iměet svoju osobennuju, nezavisimuju ot nih obektivnost; no samoj etoj obektivnosti, samogo soderžanija vysšago edinstva, ili samoj položitel'noj idei čelověka, obščee ponjatie o nem očevidno ne daet (str. 290)." Dein *S.* de relatione hominis ad ideam, de obiecto artis et philosophiae, de utriusque differentia agit. Concludit, obiectum artis neque phaenomenon esse neque ideam universalem; ergo solum ideam detectam intuitu vel contemplatione artificis. — 5. Agitur de causa efficiente. Neque phaenomena, neque ideae ipsae pro se, neque mere subiectivae formae esse possunt; habent ergo sua propria subiecta et activitas horum in nobis causat cognitionem ipsorum.

Haec de primo tomo operum praecl. viri sufficiant. Praeter amplum ingenium et singularem eruditionem duo potissimum elucent: alterum est studium probandi metaphysicam, quo contra rationalismum sive idealismum extremum atque empirismum pugnat, alterum profunda illa cognitio absoluti et summi esse. Iam hinc non adeo mirum, Solov'ev veritatem tandem ipsam invenisse. *O. Žídek.*

Libri a. 1907 editi.

diak. Aleksandrov, Otvěty, poddannye Nižegorodskomu episkopu Pitirimu v 1819 g. (Vtoraja polovina) (Responsa Pitirimo episcopo in Nižnij Novgorod oblata an. 1819). N. Novgorod 1907.
(rec. in Cerk. Věd. 1907 p. 1893 94: Verjužskij.

I. Baženov, Harakteristika četvertago Evangelija so storony soderžanija i jazyka v svjazi s voprosom o proishoždenii Evangelija (Quarti evangelii proprietas spectato argumento ac dictione describitur simulque, unde ortum sit, inquiritur). Kaz. 1907 (XV + 402) 2·25 r.
(rec. in Cerk. Věd. 1907, 1740—41).

F. Běljavskij, O reformě duhovnoj školy (Quae mutanda sint in schola ecclesiastica) (230) Spb. 1907, č. I. 1·50 r.
(rec. in Strannik 1907, 457—8).

A. Běleckij, Pereměny v russkom zakonodatel'stvě o věrě i Cerkvi pravoslavnoj (De mutationibus in legislationem Russicam introductis in iis, quae fidem et ecclesiam orthodoxam spectant) Vil'na 1907 (54 p.) 0·10 r.

V. V. Bolotov, Lekcii po istorii drevnej cerkvi. I. Vvedenie v cerkovnuju istoriju (Lectiones historiae ecclesiae primorum saeculorum. In historiam ecclesiasticam introductio.) Posmertnoe izdanie pod redakcieju prof. A. Brilliantova (Editio postuma dirigente prof. A. Brilliantov). Spb. 1907.
(rec. in Trudy 1908, I., 139—142: I. Brodovič).

ep. Georgij, Teorija prof. A. P. Lebedeva o brat'jah Gospodnih (Sententia A. Lebedevii, prof., de fratribus Domini). Har'kov 1907 (20).

B. I. Gladkov, Tolkovanie Evangelija² (Evangelium explicatum) Spb. 1907, 1·60 r. (Editio aucta et emendata; cf. Sl. l. th. III., 17—18).

A. Golubcov, Sobornye činovniki i osobennosti služby po nim (De ritualibus ecclesiarum cathedralium et de officiis divinis specialibus, quae in ipsis continentur). M. 1907.
(rec. in Cerk. Věd. 1908, 193—97: N. Pokrovskij).

P. Jungerov, Častnoe istoriko-kritičeskoe vvedenie v svjaščennyja vethozavětnyja knigi. Vyp. I. knigi zakonopoložitel'nyja, istoričeskija i učitel'nyja. Vyp. II. Proročeskija ne kanoničeskija knigi. (Specialis historica et critica introductio in libros sacros antiqui Testamenti. Vol. I. Libri legales, historici et morales. Vol. II. Libri prophetici et non-canonici [i. e. nostri deuterocanonici]) Kaz. 1907.
(compos. e commentat. editis in Prav. Sob.).

M. Krasnožen, Cerkovnoe pravo[2] (Ius ecclesiasticum). Jur'ev 1907 (304 p.).

N. D. Kuznecov, Po voprosam cerkovnyh preobrazovanij (Quaestiones, quae ad res ecclesiasticas melius componendas spectant). M. 1907 (212 p.) 1 r.
(rec. in Cerk. Vědom. 1907. N. 24, p. 972—3).

N. D. Kuznecov, K voprosu o cerkovnom imuščestvě i otnošenii gosudarstva k cerkovnym iměnijam v Rossii (De bonis ecclesiasticis et relationibus status erga bona ecclesiastica in Russia quaestiones nonnullae). Spb. 1907 (pp. 142).
(comment. e Bogoslovskij Věstnik 1907 II., III., seorsum expressa).

P. Lavrov, Žitija sv. Nauma ohridskago i služba emu. (Vitae s. Naum Ohridensis et officium divinum in eius honorem compositum). Spb. 1907 (51).
(comment. ex Izvěstija otd. . . seorsum expressa; rec. in Český Časopis histor. 1908 p. 121).

A. P. Lebedev, Po voprosu o proishoždenii pervohristianskoj ierarhii. (De origine hierarchiae christianae primorum saeculorum quaestiones nonnullae). S. Pos. 1907 (15).
(Comm. e Bogosl. Věstn. 1907. I., 460—474 seorsum expressa).

A. P. Lebedev, Slěpye voždi. Četyre momenta iz istoričeskoj žizni Cerkvi. (Duces caeci! Quattuor momenta in vita historica ecclesiae considerantur) M. 1907. (86) 0·50.

A. P. Lebedev, Uroki i priměry iz istorii drevnih soborov — priměnitel'no k predstojaščemu vserossijskomu Soboru (Exempla, ex historia antiquorum conciliorum deprompta, quae ad meliorem modum agendi in futuro concilio Russico inservire possint). M. 1907. (44).

M. Lebedev, Vzaimnoe otnošenie cerkvi i gosudarstva po vozzrěnijam slavjanofilov. Opyt opravdanija sistemy otdělenija cerkvi ot gosudarstva. (De mutua necessitudine inter ecclesiam et imperium ad opinionem slavjanophilorum. Ecclesiam separandam esse ab imperio probari temptatur) Kazań 1907 (IV + 559 + III) 2·50 r.
(comment. e Prav. Sob. 1906 seorsum expressa.)

I. Ljutostanskij, Talmud i evrei (Talmud et Hebraei). Kn. VI. Spb. 1906 (372) 2 r.

N. Malinovskij, Sojuz meždu Cerkoviju zemnoju i nebesnoju. (De coniunctione inter ecclesiam terrestrem et caelestem) Har'kov 1907 (114) 0·50 r.

N. K. Mel'nikov, Dva mira. (K voprosu ob otdělenii Cerkvi ot gosudarstva) (Duo mundi. Quaestiones de ecclesiae a statu separatione). Izd. 1. Berlin 1907 (53) 0·90 r.

Th. I. Miščenko, Rěči svj. apostola Petra v knigě Dějanij Apostol'skih (De sermonibus S. Petri apostoli in libro Actuum apostolorum) Kiev 1907. (VIII + 354).
(rec. in Cerk. Věstn. 1907, col. 1130—2; Cerk. Věd. 1908, 550—1).

A. Nečaev, Beseda I. Hrista s Nikodimom (De sermone Christi cum Nicodemo) Opyt istoriko-psihologičeskago razjasnenija besědy. (Sermo methodo historica et psychologica explicatur.) Tambov 1907 (p. 53).

P. I. Nečaev, Praktičeskoe rukovodstvo dlja svjaščennoslužitelej. (Enchiridion practicum pro clericis). Spb. 1907 (494 + 220).
(rec. in C. Věd. 1907 n. 8).

P. V. Nikol'skij, Pis'ma o russkom bogoslovii (Litterae de theologia Russorum). Spb. 1907 (109 p.).
(commentatio e Pravoslavnyj Putevoditel' seorsum expressa).

K. Nikol'skij, Posobie k izučeniju ustava bogosluženija Pravoslavnoj Cerkvi [7] (Adminiculum pro illis, qui ritibus ecclesiae orthodoxae discendis operam dant) Spb. 1907.
(rec. in Cerk. Věd. 1907, 1741—42).

L. Nikol'skij, Kratkij očerk Athonskoj stěnnoj živopisi (De pictura parietum Athonensi). Spb. 1907 (122).
(rec. in Trudy K. d. A. 1908, I, 463—475.)

L. P. Novikov i I. A. Kallistov, Metriki u pravoslavnyh inoslavnyh, staroobrjadcev, sektantov, evreev, karaimov i magometan. Akty graždanskago sostojanija v Carstvě Pol'skom (De litteris testimonialibus apud orthodoxos, heterodoxos, veteroritualistas, sectarios, Hebraeos, Karaimos et Muhamedanos. Acta status rerum publicarum in Regno Poloniae). Spb. 1907 (XII + 292) 2·50 r.
(rec. in C. Věd. 1907, N. 13.)

M. A. Novoselov, Čto takoe Biblija (Quid sint libri sacri) M. 1907. (68) 0·25 r. (Rel.-fil. bibl. XII.)
(rec. in Cerk. Věd. 1908, 657—8.)

M. A. Novoselov, Kak čitat' Bibliju (Quomodo sacri libri sint legendi) Vyšnij-Voloček 1907 (56 + XLVIII) 0·35 r. (Rel.-fil. bibl. XIII).
(rec. in Cerk. Věd. 1908, 658—9.)

Opisanie dokumentov i děl hranjaščihsja v Arhivě Svjatějšago Pravitel'stvujuščago Synoda za 1735 god. (Descriptio actorum et documentorum anni 1735, quae in archivio SS. Dirigentis Synodi asservantur). Tom. XV. Spb. 1907. (1—1200 stl. + 6 str.). — Idem: za 1746 god. Tom. XXVI. Spb. 1907. (VIII+874).
(XIII. et XIV. nondum editi sunt; rec. in C. Věd. 1907, N. 16—17; 1908, N. 9.)

Opisanie dokumentov arhiva zapadnorusskih uniatskih mitropolitov 1701—1839 gg. (Descriptio documentorum, quae in archivo

metropolitanorum Russiae occidentalis asservantur). Tom. II. (VIII. + 1632) Spb. 1907.
(rec. in Cerk. Věd. 1907 n. 11).

M. Posnov, O sud'bah biblejskago Izrailja. (De sorte antiquorum Israelitarum). Kiev 1907 (66) 0·50 r.
(Cf. Sl. l. th. III. 22. 228).

Th. Prohorenko, Russkaja duhovnaja missija v Japonii i v Koreě. (De missionibus Russicis in Japonia et Korea). Har'kov 1907 (101 p.).
(rec. in Trudy 1907, I., 454—58).

V. Rodnikov, Pervaja kniga Makkaveev. Isagogičeskoe izslědovanie. (Primus liber Machabaeorum. Disquisitio isagogica). Kiev 1907 (XI + 257) 1·50.

Aleksěj Rodosskij, Biografičeskij slovar' studentov pervyh XXVIII kursov v S. Peterburgskoj Duhovnoj Akademii (1814—69 gg.) Lexicon biographicum studiosorum, qui primis XXVIII annis Academiam Ecclesiasticam Petropolitanam frequentabant). Spb. 1907 (LXXXIV + 552) 2·25.
(rec. in Stran. 1907, No 4, p. 653—658; C. Věd. 1907 No 10).

D. Roždestvenskij, Element sovremennosti v slovah i besědah Vasilija Velikago, Grigorija Bogoslova i Ioanna Zlatoustago (Quaedam, quae quaestiones huius temporis tangunt in orationibus et homiliis Basilii Magni, Gregorii Theologi et Ioannis Chrysostomi) Serg. Pos. 1907, 0·30 r.
(rec. in Cerk. Věd. 1908, p. 551—2.)

Polnoe sobranie postanovlenij i rasporjaženij po vědomstvu Pravoslavnago Ispovědanija Rossijskoj Imperii. Tomy I. i II. Carstvovanie gosudaryni imperatricy Elizavety Petrovny 1741—45 gg. Spb. 1899 i 1907. (Completa collectio constitutionum et ordinum, quae ex congregatione confessionis orthodoxae emanarunt. Vol. I. et II. Regnante Elisabetha Petrovna).
(11 tomi huius operis editi sunt tractantes a. 1721—37 et 1741—45; rec. in C. Věd. 1907 No 15).

I. I. Sokolov, Izbranie patriarhov v Vizantii s poloviny IX. do poloviny XV. věka (843—1453) (De Patriarcharum Byzantinorum creatione a medio saec. IX. usque ad medium saec. XV.). Spb. 1907 (162 p.).
(comment. e Hrist. Čt. 1907 seorsum expressa; rec. in Cerk. Věd. 1907 No 25 p. 1016 7).

ep. Stefan, Pravoslavno-hristianskoe nravstvennoe učenie po sočinenijam Innokentija arhiep. hersonskago (De doctrina morali orthodoxa, sicut in operibus Innocentii archiepiscopi Chersonensis exhibetur) t. I.—II. Mogilev na Dněprě 1907. 3 r.
(Rec. in Strannik 1907, 461)

N. V. Stepanov, Novyj stil' i pravoslavnaja pashalija. K voprosu o peremeně vremjasčislenija v Rossii. (Novus [Gregorianus] annorum computus cum »paschalia« orthodoxa comparatus. Quae ad quaestionem de annorum describendorum ratione in Russia pertinent, pertractantur. M. 1907 (IV + 110) 1·25 r.

P. Ja. Světlov, Čto čitat' po bogosloviju (Quid legendum sit ab eis, qui theologiae student [Bibliographia apologetica]). Kiev 1907. (V + 265).
(rec. in Prav. Sob. 1907 II, 547—558: V. Kerenskij.)

P. Ja. Světlov, Krest Hristov. Značenie kresta v dělě Hristovom² (Crux Christi. Momentum crucis in opere salutis a Christo patrato) Kiev 1907 (XV + 564 + IV) 3 r.

M. Tarěev, Hristos. Osnovy hristianstva² (De Christo. De principiis doctrinae christianae) t. I.—III. Serg. Posad 1908 (368 p.) 2 r.
(rec. in Cerk. Věstn. 1908, No. 8, 244—6.)

Mih Thivejskij, Duhovnyja darovanija v pervonačal'noj hristianskoj Cerkvi (De donis spiritualibus in ecclesia christiana primorum saeculorum) M. 1907. 2 r.
(rec. in C. Věd. 1907, N. 21: N. Glubokovskij).

B. Titlinov, „Hristianstvo“ grafa L. N. Tolstogo i hristianstvo evangelija (»Doctrina christiana« comitis L. N. Tolstoj cum doctrina christiana evangelii comparata). Spb. 1907 (p. 183).

Th. Titov, Russkaja prav. Cerkov' v pol'sko-litovskom gosudarstvě v XVII.—XVIII. vv. (1654—1795) (De statu ecclesiae Russicae orthodoxae in finibus regni Polonici et Lituanici saec. XVII.—XVIII.). Tom. I.; pervaja kniga vtoroj poloviny toma (Tom. I. Liber primus, qui ad secundam partem voluminis pertinet). (1725—1761). Kiev 1907 (276) 2 r.

Th. Titov, Razjasnitel'nye paragrafy po istorii zapadno-russkoj cerkvi (Commentarii, qui ecclesiae Russicae occidentalis historiam illustrant) Vyp. I. Kiev 1907 (37) 0·30 r.

D. K. Trenev, Sohranenie pamjatnikov drevne-russkoj ikonopisi (De conservatione monumentorum artis iconographicae Russiae antiquae). Spb. 1907.
(rec. in Istor. Věstn. 1907, oktj. tom. CX. p. 290—91.

I. Troickij, Obozrěnie istočnikov načal'noj istorii egipetskago monašestva (Fontium, quae ad historiam primaevam monachorum Aegypti pertinent, conspectus). S. Posad 1907 (400 + III) 2·50 r.
(rec. in Hr. Čt. 1908, I, 189—201: A. Brilliantov.)

I. Turenskij, Kronštadskij andreevskij sobor, ego istorija i opisanie s 6 snimkami (De S. Andreae Kronstadtii fano; eius historia et descriptio, 6 imaginibus ornata). Spb. 1907 (312).

A. Šil'tov, Ernst Gekkel' pered sudom logiki (E. Haeckel ad iudicium logicae exhibetur). Har'kov 1907 (54) 0·25 r.

A. I. Vvedenskij, Za sčast'e dětej (Voprosy hristianskago vospitanija) (Pro filiorum felicitate! Quaestiones, quae educationem christianam tangunt). Spb. 1907 (354 p.).
(rec. in Strannik 1907, 460—1: Bronzov).

K. F. Žakov, Princip evoljucii v gnoseologii metafizikě i morali (Quid valeat ratio progressus [principium evolutionis] in noëtica, metaphysica, ethica). Spb. 1907 (87) 0·25 r.

Libri a. 1906 editi
(supplementum).

D. Aleksandrov, K voprosu o Bělokrinickoj ili Avstrijskoj ierarhii Veteroritualistarum imperii Austriaci hierarchiam Bělokrin. dictam [esse nullam]). Samara 1906 (32 p.).
(rec. in Cerk. Věd. 1907 No. 27.)

Arhiep. Antonij, Sočinenija (Opera) IV., Počaev 1906.

V. Bočkarev, Stoglav . . . (Sl. l. th. IV, 24).
(rec. in Bogosl. Věstn. 1907. II, 752–762 (indicata litteratura 756): S. Avaliani; in Cerk. Věd. 1907, 903—5: D. Stefanovič; in Žurn. M. N. Prosv. 1907, Mart 202—7: N. Suvorov.)

V. Bočkarev, Istoriko-kanoničeskie očerki (Commentarii, qui historiam et ius canonicum spectant). Juhnov 1906 (150) 1 r.
[cont.: 1. Zaměščenie cerkovno-prihodskih dolžnostej v drevnej Rossii (Quomodo temporibus antiquis in Russia officiales, qui paroeciae curam gerebant, substituti sint).
2. Vdovoe duhovenstvo v Rossii ot načala v nej hristianstva do nastojaščago vremeni (De statu sacerdotum viduorum in Russia ab initio propagationis doctrinae christianae usque ad nostra tempora).
3. Bezměstnoe, i krestovoe duhovenstvo v drevnej Rossii (De statu illius cleri, qui temporibus antiquis in Russia sine titulo fixo extra paroecias vagabatur).
4. O tom, kak obščestvo ljubitelej duhovn. prosvěšč. izdalo pravila sv. Apostolov, sv. vselenskih soborov i sv. otcov s tolkovanijami (Quomodo a societate promotorum scientiae ecclesiasticae sint editi et commentariis illustrati libri: constitutionum apostolorum, sanctorum conciliorum oecumenicorum et sanctorum patrum).
5. Literatura Apostol'skih postanovlenij (Quae de Constit. Apost. scripta sint).
6. Tak nazyvaemaja didaskalija Apostolov v sirijskoj redakcii (De »Doctrinae Apostolicae«, quae vocatur, Syriaca redactione)].

Ja. A. Bogorodskij, Evr. c. . . . (Sl. l. th. III, 53).
(rec. in Cerk. Věd. 1907, No. 7.)

A. Bulgakov, O zakonnosti i dějstvitel'nosti anglikanskoj ierarhii (Ordinationes Anglicanae sintne legitimae ac validae) Kiev 1906.

Eranos. Sbornik statej po literaturě i istorii v čest' zaslužennago prof. Imper. universiteta sv. Vladimira Nikolaja Pavloviča Daškeviča (Collectio commentariorum historicorum et eorum, quae litteras spectant in honorem admodum bene meriti prof. universitatis s. Vladimiri Nicolai Pavlovič Daškevič.) Kiev 1906. (V + 437) 2 r.
[insunt comment.: V. N. Peretc, Čelobitnyja blagoslovenija na Kievskuju i vseja Rusi mitropoliju arhiepiskopa polockago Iony Glezny (44—9) (Benedictiones, quae archiepiscopo Počensi Ionae Gleznae sunt impertitae, ut titulum metropolitae Kioviensis et totius Russiae possideat.)

K. Th. Radčenko, Etjudy o bogomilstvě (Commentarii de secta Bohomilorum). 229—234.

A. V. Storoženko, O suščestvovanii v Kievě rimsko-katoličeskih hramov (Utrum Kioviae ecclesiae Romano-catholicae exstiterint) 242—253.]

Th. A. Golubinskij i D. G. Levitskij, Premudrost' i blagost' Božija v sud'bah mira i čelověka (Sapientia divina in rebus mundi et hominis) 1906 (ed. Russkij Palomnik).

Ioann, ep. smolenskij, Bogoslovskija akademičeskija čtenija. (Academicae lectiones theologicae) Vyp. I. i II.[2] Spb. (Priloženie k žurnalu „Cerkovnyj Golos") 1906.

Th. Ivanov, Cerkov' v epohu smutnago vremeni na Rusi (Ecclesia tempore turbarum in Russia). Ekaterinoslav 1906 (X + 276) 1·25 r.

P. Izvěkov, Moskovskija kremlevskija dvorcovyja cerkvi i služivšija pri nih lica v XVII. věkě (De statu ecclesiarum aulicarum in arce Moscoviensi saec. XVII. et de officialibus, qui ad illas fuerunt ministerii gratia destinati) M. 1906.
(rec. in Cerk. Věst. 1907, 127–8: P. Žukovič).

I. L. Janyšev, Pravosl. . . . (Sl. l. th. III, 55).
(rec. in Cerk. Věd. 1907, No. 20.)

B. B. Kagarov, Religija drevnjago Egipta (De religione antiqua Aegypti). Spb. 1906. 0·30 r.

A. Th. Karašev, Otnošenie hr. . . . (Sl. l. th. III, 55).
(rec. in Strann. 1907, No. 4 p. 650; in Cerk. Věd. 1907, 1205–6.)

V. V. Kasatkin, Monastyri, sobory i prihodskija cerkvi Vladimirskoj eparhii, postroennye do načala XIX. stolětija. (De monasteriis, ecclesiis cathedralibus et parochialibus, quae in dioecesi Vladimirensi usque ad initium saec. XIX. aedificata sunt). Vladimir 1906. (1—352 str.).
(rec. in Cerk. Věd. 1907 No 12).

Krasnožen, Granicy věroterpimosti (Usque ad quos limites libertas conscientiae se extendi debeat?) Jur'ev 1906.

N. Kuznecov, Preobrazovanija v russkoj cerkvi (De illis, quae in ecclesia Russica mutanda sunt). M. 1906.
(rec. in Istorič. Věstn. Mart. 1907: M. Krasnožen).

V. V. Latyšev, Žitija sv. episkopov hersonskih. Izslědovanie i teksty (Vitae ss. episcoporum Chersonesi; editae et tractatae) Spb. 1906. (81 p.) 0·60 r.
(Comment. e Zapiski Imp. Ak. N. po istoriko fil. otděleniju. Tom VIII., No 3 seorsum expressa; rec. in Ž. M. N. P. 1907, Sentjabr 234—8: S. Žebelev).

A. P. Lebedev, Ob učastii . . . (Sl. l. th. III, 55).
(rec. in Ist. Věstn. 1907 Mai: M. Krasnožen.)

N. P. Lihačev, Materialy dlja istorii russkago ikonopisanija (Congeries documentorum, quae ad illustrandam historiam iconographiae Russicae inserviunt). Spb. 1906.
(rec. in Ž. M. Nar. Pr. 1907, apr. 416—431: N. Kondakov; in Hrist. Čt. 1907, 658—678: N. V. Pokrovskij).

I. Lihnickij, Osvj. sobor . . . (Sl. l. th. tII, 55).
(rec. in Istor. Věstn. Mart. 1907: M. Krasnožen.)
St. Lobačevskij, Sv. Ant. . . . (Sl. l. th. III, 55).
(rec. in C. Věstn. 1907, 1517—8: A. Bronzov.)
G. Maljarevskij, K reformě duhovno-učebnyh zavedenij (Quaedam de illis, quae in scholis ecclesiasticis mutanda sint, tanguntur) Spb. 1906.
S. Mel'ganov, Cerkov' i gosudarstvo v Rossii. (De statu ecclesiae et gubernii civilis in Russia). 0·50 r.
A. N. Norcov, Simvol čaši v hristianskoj ikonografii i istorii. S. 7 ris. (Symbolum calicis in iconographia et historia christiana. Cum 7 imag.) Tambov 1906. (78 p.).
V. Th. Pěvnickij, Cerk. krasor. . . (Sl. l. th. III, 56).
(rec. in Cerk. Věd. 1907, No. 4.)
P. Pokryškin, Pravoslavnaja cerkovnaja arhitektura XII.—XVIII. stolětij v nyněšnem Serbskom korolevstvě (De arte architectonica XII.—XVIII. saec. in regno Serbiae). Spb. 1906.
(rec. in Ist. Věstn. 1907 [t. CIX.] ijul' p. 275—7).
A. Preobraženskij, Grigorij V., patriarh Kp-ij, obzor ego žizni i dějatel'nosti. (Vitae et eorum, quae gessit Gregorius V. patr. Cpnus conspectus) Kaz. 1906. (XIII + 477 + XIV) 2·50 r.
(cf. Slav. l. th. II., 45; Prav. Sobes. 1906, I., 340—361; II., 337—371; rec. in C. Věd. 1907, No 12).
Th. Samarin, Kakija školy nam nužny dlja prigotovlenija duhovenstva? (Quibusnam scholis indigemus, ut clerum ministerio sacro dignum praeparent?) M. 1906.
A. Savin, Anglijskaja sekuljarizacija. (De saecularizatione in Anglia). M. 1906. (576 p.) 3 r.
S. Savinskij, Eshatologičeskaja beseda Hrista Spasitelja. Opyt isagogiko-ekzegetičeskago izslědovanija. (Mt. 24, 1—51; Mc. 13, 1—37; Lc. 21, 5—36) (De sermone eschatologico Christi Salvatoris. Tentamen disquisitionis isagogicae et exegeticae). Kiev 1906.
Simeon Dionisievič, († 1741) (knjaz Myšeckij), Vinograd Rossijskij (Vinetum Russicum) ili opisanie postradavšich v Rossii za drevlecerkovnoe blagočestie (Veterorit.) 1906 (XVI + 135).
(rec. in Cerk. Věd. 1907, 1464.)
S. Smirnov, Duh. otec. . . (Sl. l. th. III, 56).
(rec. in Žurn. Min. N. Pr. 1907 Janv. 170—180: N. Suvorov; in Cerk. Věd. 1907, 905—7: S. Troickij.*)
Th. I. Schmit, Kahriə-Džami. Istorija monastyrja Hory. Arhitektura mečeti. Mozaiki narthikov. (Kahrie-Džami. Historia monasterii »Hora« necnon aedis [moscheae] ars architectonica atque narthecum musiva exhibentur) Sofija 1906.

---

*) Huius iudicium est: „Rabota G. Smirnova est' v suščnosti ne sovsěm udačnaja popytka primirit' vzgljad protestantskih učenyh na istoriju pokajanija na vostokě, osobenno rězko vyskazannyj v knigě K. Holl'ja, Enthusiasmus u. Bussgewalt beim griechischen Mönchthum, eine Studie zu Symeon dem neuen Theologen. Lpzg 1898, s pravoslavnym učeniem o tainstvě pokajanija soveršaemom tol'ko licami ierarhičeskimi."

P. Sokolov, Agapy ili večeri ljubvi v drevnehristianskom mirě. (De agapis seu caritatis conviviis in mundo christiano primorum saeculorum) Serg. Pos. 1906. (270) 1·25 r.
(rec. in Strannik 1907 No 4.)

N. Solov'ev, Istoričeskij očerk pravoslavnago russkago pěnija (Commentarius historicus de cantu Russico orthodoxo). S. Pos. 1906.
(cf. Sl. l. th. III, 309).

A. Spasskij, Istorija dogmatičeskih dviženij v epohu vselenskih soborov (v svjazi s filosofskimi učenijami togo vremeni) (Historia turbarum dogmaticarum temporis conciliorum oecumenicorum) t. I. Serg. Pos. 1906.
(rec. in Hr. Čt. 1907 (Oktj.) 502—511: A. I. Brilliantov; in Cerk. Věd. 1907 (No. 37) p. 1600—7.)

K. Stefanovič, Theofan Prokopovič kak kanonist (De Theoph. Prokopovič iuris canonici perito). M. 1906 (133).

A. A. Šahmatov, Korsunskaja legenda o kreščeniju Vladimira (De narratione Corsunensi, quae de baptismate Vladimiri agit) Spb. 1906.
(rec. in Ist. Věst. 1907, Avg.)

Th. Titov, Preobrazovanija duhovnyh akademij v Rossii v XIX. věkě. (De reformatione academiarum ecclesiasticarum in Russia saec. XIX.). Kiev 1906. (134 p.)
(Cf. Sl. l. th. III., 330)

N. I. Troickij, Biblejskaja nauka (Doctrina biblica). Akademičeskija čtenija Episkopa Mihaila po Sv. Pisaniju Nov. Zavěta V. 1. Kolosskaja cerkov' i poslanie k Kolossjanam (Ecclesia Colossensis et ep. ad Col.) 2. Thessalonikijskaja cerkov' i poslanie k Thessalonikijcam (Ecclesia Thessalonicensis et ep. ad Thess.) Tulla 1906).

Trudy Vladimirskoj učenoj arhivnoj komissii; kn. VIII. (Opera res archivi spectantia, quae a collegio virorum doctorum Vladimirensi, composita sunt). Vladimir 1906. 5 r.
[insunt comment.: N. Ušakov, Istoričeskija svěděnija ob ikonopisanii i ikonopiscah Vladimirskoj gubernii (De iconographia et iconographis Vladimiriensium finium); arh. Misail, Svjatyj blagověrnyj knjaz' Konstantin Muromskij, i Blagověščenskij monastyr' (De sancto et orthodoxo principe Constantino Muromskij et de monasterio Blagověščenskij)].

V. Uspenskij, Licevoe žitie sv. Marii Egiptskoj. (Vita S. Mariae Aegyptiacae imaginibus exhibita). Spb. 1906.

I. A. Vahroměev, Cerkov' vo imja sv. proroka Ilii v g. Jaroslavě. (De ecclesia Jaroslaviensi s. prophetae Eliae sacra). Jaroslavl' 1906.
(rec. in Cerk. Věd. 1907, 1520: N. Pokrovskij).

A. Vertelovskij, Ljubov' k Bogu i bližnim v žizni pervyh hristian, po svidětel'stvu istorii Cerkvi. Har'kov 1906 (64). 0·40 r.
(cf. Sl. l. th. III, 220; rec. in Cerk. Věd. 1907, 1059.)

I. Vostorgov, Hristianstvo i socializm. (Doctrina christiana cum socialismo comparata). M. 1906.

D. Vvedenskij, Tajna smerti maljutok (De mysterio mortis infantium). Serg. Pos. 1906.

N. Zaozerskij, Osn. nač. . . . (Sl. l. th. III, 57). (rec. in Ist. Věstn. 1907 Maj: M. Krasnožen).

P. N. Žukovič, Sejmovaja bor'ba pravoslavnago zapadno-russkago dvorjanstva s cerkovnoj uniej (s 1609 g.). Vyp. 3. (1620—1621). Vozstanovlenie ierarhii. (De lucta comitiali orthodoxae nobilitatis Russiae occidentalis cum unionis ecclesiasticae asseclis). Spb. 1906. (Cf. Sl. l. th. IV., 13).

SERBICA.

Glasnik pravoslavne crkve. 1907. (Belgrad).

Hi commentarii periodici usque ad finem a. 1906 semel in mense edebantur et quaestiones theologicas scientifice tractabant. Initio a. 1907 autem multa mutata sunt; eduntur bis in mense et de rebus ecclesiasticis et theologicis modo ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodato agunt. Ad theologica studia subtiliora colenda in Serbia desunt theologi ac sacerdotes eruditi; quod ex eis, quae de erigenda „facultate theologica“ (n. 2) exponuntur, elucet.

Bogoslovski Glasnik. 1906 (IX.) n. 3—6; 1907 (X.) n. 1—3.

I. Zeremski, Kušanje Gospoda našega Isusa Hrista. (Tentatio D. N. I. Ch.) Exegesis in Mt. 4, 1—11. IX. p. 282—305.

Z. generatim cum sententia Knabenbaueri et Philareti concordat. V. 5. Ordinem tentationum apud Mt. relatum cum re convenire putat, quod Mt. priores duas tentationes coniungat cum voce *τότε* (tum) et Lc. cum *καὶ* (et). Dein gradationem quoque a minori ad maius et verba: „Vade Satanas!“ apud Mt. sententiam suam confirmare ait. Diabolum porro Christum assumpsisse (*παραλαμβάνειν*) non posse significare Christum modo insolito sicut per aërem abductum esse, sed hoc loco idem esse ac proficisci. V. 8—9. Difficultatem, quomodo diabolus Christo omnia regna mundi praeter Palaestinam ostendere potuerit, ita solvit, ut id modo nobis ignoto factum esse dicat, cum neque Christus neque diabolus sint mere homines.

D. R., Rad oko uredjenja crkvenih odnošaja istočno-pravoslavne crkve u Austriji 1860. (Quomodo de constitutione ecclesiae orientalis in imperio Austro-Hungarico a. 1860 actum sit). IX. p. 163—70, 306—20; X. 51—63, 180—9.

Patriarcha Ios. Rajačič et episcopus Temešvari a. 1860 imperatorem petitione adierunt, ut res ecclesiae orientalis in imperio Austro-Hungarico in ordinem redigeret. Eius summa haec erat: 1. omnes huius ecclesiae dioeceses in memorata parte sita in unam hierarchiam coniungantur; 2. ad administrationem dioecesium, parochiarum, seminariorum etc. dirigendam quotannis synodus habeatur; 3. ad procuranda ea, quae ad ecclesiam et statum simul pertinent, conventus nationalis (narodni sabor) convocetur; 4. universitas altera pro Serbis et altera pro Rumunis instituatur etc.

Synodus ab imperatore concessa non convenit, at Bukovinae episcopus Eugenius Hakman omnes suae eparchiae sacerdotes convocavit, qui his de rebus agebant: de Buk. ecclesiae independentia a metropolita Karloviciensi et erectione metropolitarum in Buk. et Transsilvania, de synodis provincialibus etc. Omnia haec auctor verbotenus e documentis in linguam Serbicam (a prof. theol. Živkovič) translatis refert.

Vl. Maksimović, Karlovačka bogoslovija i bogoslovski seminar. (De instituto theol. et seminario clericali Karloviciensibus). IX. 360—80.

A. 1904/5 seminarium clericale pro auditoribus theologiae institutum est. Statuta instituti studiorum theologicorum ex a. 1897/8 (cf. Sl. Lit. th. III. 250) accedente seminario radicitus reformari debent. Nam in auditores III. et IV. a. potestatem in rebus disciplinae exercet quidem collegium professorum, non tamen in alumnos I. et II. a., qui seminario subiecti sunt. Ut haec inter institutum theol. et seminarium discrepantia tollatur, pro utroque suadet auctor eadem statuta ferenda esse vel diversa, quae tamen in hoc casu intime connectenda sint. Unusquisque, praesertim qui curam animarum iam exerceat, hac de re sententiam suam ut proferat, auctor hortatur, quo citius miserabili huius temporis statui succurratur.

Omnes fere alumnos moleste ferre talem rerum condicionem manifestum esse e discordiis, quae fere quotidie oriantur. Saepe indignationis causam praebere quod statutum est, ab omnibus esse promittendum se finitis studiis ituros in locum a superioribus sibi designatum, quae tamen indignatio malae alumnorum indoli tribuenda sit. Radicem omnium malorum esse, quod seminarium et institutum theologicum plene inter se sint separata, cum alumnis saepius usus cum professoribus osse deberet. Imprimis igitur rectoris seminarii locum alicui ex theol. professoribus committendum esse et pariter loca praefectorum. Theologiae professores seminarium frequentent, ut timor ille servilis professorum et parva fides erga eosdem tollatur. Disciplina severe exigatur, non tamen crudeliter.

I. Vučković et *Vl. Dimitrijević,* Izvještaj o pravosl. srp. bogoslovskom učilištu i pravosl. srp. bogoslovskom seminaru u Sr. Karlovcima. Školska godina 1905/6. (Annales de institituto theol. et seminario theol. Karloviciensibus pro anno 1905/6.) IX. 427—35.

Summam in institutum potestatem exercet s. synodus metropoliae Karlov. ipsique metropolitae commissa est eius inspectio. Collegium docentium constat e 6 professoribus et 6 adiutoribus. Hoc anno 20 obligatoriae materiae tradebantur et in I. classi praeterea libere lingua Russica. De historia optime merito et 1905 mortuo primo seminarii rectori Hil. Ruvarac monumentum in annalibus positum est.

Postulantibus, ut philosophia quoque traderetur, id denegatum est. Simul cum seminarii auditoribus externi institutum frequentare nequeunt. Summa auditorum in fine anni erat 96, quorum 70 probati sunt.

I. Vučković. Misli povodom pokreta za drugi brak pravosl. sveštenstenstva (Observationes de secundis nuptiis sacerdotum) 1907, XI, pg. 1—30, 145—145.

V. hanc quaestionem tantopere agitatam prudenter pertractat. Proposuit sibi quaestionem, utrum prohibitio ecclesiae de matrimonio sacerdotum divini iuris sint necne. Solutio rei dependet a charactere verborum S. Pauli: „unius uxoris vir." Tit. 6. Sed si sensum horum verborum ex traditione inquirimus non perveniemus ad certum iudicium. Sancti patres enim et scriptores ecclesiastici magnam in hac re sententiarum discrepantiam prae se ferunt. Multi defendunt sententiam, huiuscemodi prohibitionibus competere characterem legis divinae multi nihil certi dicunt. Quae cum ita sint, inquit *V.*, melius est dicere: „Ignoramus," quam inutiliter huc illuc nutare. Nam ecclesia nondum haec verba S. Pauli ita interpretata est, ut omne dubium excludatur, ut quoque sciat, utrum in quaestione de numero et tempore matrimonii sacerdotum agatur de lege divina an de ecclesiastica tantum praescriptione, quae mutabilis est. (p. 159.) Canonistae nunquam veritatem eruent, ergo iudicium ecclesiae exspectandum est. (p. 161). *F. K.*

SLOVENICA.

Katoliški Obzornik. 1906. Nr. 4.

Dr. *A. Ušeničnik:* Zadnja beseda nevere (Ultimum irreligiositatis argumentum), pg. 317—336.

U. ultimam irreligiositatis rationem in erroribus metaphysicis quaerendam esse ostendit. Multi recentes scriptores duce Kant agnosticismo vel subiectivismo indulgentes supra res sensibiles nihil agnoscunt, immo principium causalitatis ipsum negant. Cui perverso systemati scientiae omnes, quippe quae, praesertim exactae, inductionis methodo exortae — in omni conclusione necessario metaphysicam supponant, evidenter contradicunt. Rem in serium vertentes iam ad necessitatem metaphysicae affirmandam sunt adducti.

Dr. *A. Ušeničnik:* Morala brez religiji (Ethica sine religione), p. 401—415. Ethicam sine religione existere non posse triplici argumento demonstratur. Tria enim ethicam veram et firmam efficiunt: cognitio boni et mali, obligatio moralis, facultas ad obligationes morales explendas necessaria.

Katoliški Obzornik (Conspectus Catholicus) exeunte anno 1900 decimum annum explevit. Ineunte anno 1907 eum nova publicatio periodica excepit, quae inscribitur »Čas« (Aevum). Decies singulis annis edendus et largiore fundamento praesertim extensive instructus omne genus disciplinarum respicit ac themata breviora modo intellectui communi pervio dilucidat dirigentibus dr. A. Ušeničnik, dr. F. Grivec, prof. E. Jarc.

Čas, 1907.

Dr. *A. Ušeničnik:* Katoliški modernizem (De modernismo catholico), pg. 265—274.

Falsis nostri temporis de religione et ecclesia eiusque indigentiis opinionibus refutatis, manifesta conclusionum serie, quale periculum e modernismo, qui dicitur catholicus, verae religioni exoriatur, ostenditur. Nam evolutionismo religioso faventes iam nullam admittunt veritatem absolutam, affirmantes, quidquid cognoscitur, solum relative verum esse et aliis temporum aliisque rerum adiunctis falsum esse posse. Qua ex opinione symbolismus dogmaticus evadit, qui iam nihil aliud est nisi indifferentismus religiosus.

Dr. *A. Ušeničnik:* Evolucionizem (De evolutionismo), pg. 337—347.

Disciplinae exactae, tempore recenti mirum in modum provectae, theoriam illam falsissimam et periculosissimam evolutionismi secum attulerunt. Evolutio absoluta est formula atheismi, quia ex evolutionismo ontologico logicus et ethicus exortus est; postremo etiam evolutionismus religiosus, qui est omnis verae religionis negatio, logice quidem, sed ex falsis praemissis sequitur.

Dr. *A. Ušeničnik:* Hipoteze in veda (Quid est hypothesis et quid scientia?), pg. 152—161.

U. compluribus exemplis e disciplinarum historia allatis verum hypotheseos valorem illustrat et, quibus condicionibus vestita hypothesis, propositio certa habenda sit, ostendit atque ita hypotheseos et scientiae conceptus distincte determinat.

Dr. *A. Ušeničnik:* Moderna ethica (Ethica huius temporis) pg. 460—468.

Paulsen, qui in systemate suo ethicae Kantium deseruit, merito postulat, ut ethica metaphysicae adiuncta sit, quia finis ultimus illa norma est, secundum quam, quid bonum, quid malum sit, diiudicandum est. Etiam de conscientia et obligatione morali sat iuste iudicat. At in investigatione, unde haec obligatio moralis proveniat, in errorem evolutionisticum delabitur, qui totam eius ethicae rationem inanem facit.

Dr. *F. Grivec:* Vzhodno cerkveno vprašanje v luči moderne historiografije (Orientalis ecclesiae ab occidentali separatio nova luce illustratur), pg. 18—25.

G. aliquas causas ab historiographis saepe neglectas schismatis exorti affert: ruinam religionis ac vitae ecclesiasticae et oblivionem linguae Latinae in Oriente ac linguae Graecae in Occidente, indolem populi Orientalis aliasque peculiares culturae condiciones alienationem inter utramque ecclesiam non minus fovisse ostendit, quam caesaropapismum.

Idem: Ivan Grozni in Rim. (De Ioanne Terribili eiusque cum Roma commercio), pg 257-265, 296—305, 353—364, 445—452.

Ioanne IV., cognominato Terribili, in Moscovia regnante complures schismatis tollendi conatus sunt suscepti. Ultimus, qui plurimos fructus attulit, demandatus erat Antonio Possevino, qui maxima sagacitate ac sollertia opus hoc perdifficile coepit et, quamquam rebus infectis abiit, tamen unionem politica et diplomatica via fieri non posse ingeniose intellexit. Nam fundamentum unionis religiosae non exsistet, nisi in serio utriusque culturae studio ac praesertim in peculiari eruditione religiosa construatur. Quapropter et haec historiae unionis pars sit vitae magistra!

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

XIII.

De ecclesiae catholicitate.

De significatione termini „καθολικός“ primis quattuor saeculis christianismi.

Professor M. Muretov in opere e Bogoslovskij Věstnik 1905 seorsum edito quod inscribitur: „Drevne-Evrejskija molitvy pod imenem apostola Petra,“ tractans etiam de significatione termini „καθολικός“

(p. 28 sq. sq.) ita scribit: „Takim obrazom v h̬ristianskoj istorii termina „*καθολικός*“ my različaem tri ponimanija, vyražajuščijasja slovami: „sobornost,“ „podlinnost ili kanoničnost ili pravoslavnost“ i „vselenskost.“ Odnakož eto različie otnositsja ne ko vsej cělokupnosti Cerkvi i eja žizni v tainstvennom edinenii so H̬ristom, a tolko k naučnotheologičeskoj, tak skazat, storoně i otvlečennoj. V glubině žizni i duh̬a Cerkvi vsě eti storony sokryty i dějstvujut v nerazdělnom i neslijannom edinenii vsegda i vezdě. No v istorii h̬ristianstva iz glubin etoj nerazdělnosti vzplyvala na verh̬ teologičeskago věrosoznanija cerkvi i preimuščestvovala v raznyja vremena i u raznyh̬ narodov kakaja-libo odnā storona. Tak v epoh̬u pervoh̬ristianstva, . . . — preimuščestvovala ideja „sobornosti“ — živago i dějstvennago vzaimoobščenija vsěh̬ členov tainstvennago těla H̬ristova, . . . Zatěm, načinaja s Origena i Evsevija na Vostokě i Kipriana na Zapadě, sostavljaet predmet preimuščestvennago bogoslovskago soznanija ideja „pravoslavnosti“ — podlinnosti, kanoničnosti, zavětnosti, obščepriznannosti . . . Potom nastaet vremja raskrytija idei „vselenskosti“ — (ib. p. 53—54).“

Idem argumentum tractaturi, praecipua ex primis quattuor saeculis documenta seligemus. Quae ita persolvemus, ut quae inter Muretov nostramque sententiam intersit differentia, ex ipsis testimoniis declaratis appareat.

1. Prima nobis cura est in eo collocanda, ut paucis et originem huius vocis *καθολικός* et usum apud scriptores profanos inquiramus.

καθολικός derivatur *α καθ᾽ὅλου* „quod attinet ad totum,“ universalis generalis, vel *α καθ᾽ὅλον* „per totum (universum).“ „secundum totum (universum).“ — Polybius († 123 ante Ch.) 8, 4; *καθολική καὶ κοινή ἱστορία* dicit de sua historia universali (omnium gentium). Similiter *καθολικὴ ἔμφασις* (6, 5. 3), *καθολικὴ ἀποφασις* (1, 57. 4). — In philosophia conceptus universales, abstracti, prout contrarii sunt concretis, *καθολικά* vocabantur: Aristot. Analyt. post. I, 4; Diogenes Laertius in Epicur. X, 33: *καθολικὴν νόησιν, τοῦτ᾽ ἔστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος.* — Aristot. Plant. II 6, 1: *καθολικῷ λόγῳ* sive universim. — Sext. Emp. Pyrrh. 2 § 84: *καθ. λόγος* locus communis. — Epict. II. 20. 2: *καθολικὸν ἀληθές.* — Quintilian. Institut. orat. II, 14: Mihi semper moris fuit, quam minimum alligare me ad praecepta, quae *καθολικά* vocant, i. e. universalia vel perpetualia.“ — Aristot. *καθολικοὶ τόποι* vocat fontes seu sedes argumentorum eloquentiae. — Accedit idem mos apud scriptores ecclesiasticos: Clemens Alexandr.: *καθολικοὶ λόγοι* de proverbiis quae sunt in usu omnium. Stromata l. I, c. 4: *ἔπειτα ἐπιφέρει καθολικὸν δὴ λόγον καὶ παντὶ τῷ συνετῷ καρδία δέδωκε σύνεσιν.* ib. VI., 8. — Clemens Alex. item de universalibus l. c. VIII., 8 ed. Migne t. 9 col. 589. — Clemens Alex., Tertul., Euseb. Caesar. loquuntur de catholica (i. e. universali, omnes homines complectente) providentia Divina. Clemens A. l. c. l. VI. Tertul. adv. Marc. l. II: catholicae et summae illius (Dei) bonitatis; Euseb. Praepar. evang. II., 10: *περὶ τῆς καθόλου προνοίας καὶ περὶ τῆς συστάσεως καὶ δημιουργίας τοῦ κόσμου.* — Iustin. phil. Dial. cum Tryphone: *μετὰ ταῦτα τὴν καθολικὴν καὶ αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενέσθαι*

καὶ κρίσιν. — Similiter Theophil. Antioch. ad Autol. I., 18: *δυνατός ἐστιν ὁ θεὸς ποιῆσαι τὴν καθολικὴν ἀνάστασιν ἁπάντων ἀνθρώπων.* — Chrysostomus *καθολικός* uti universale opponit particulari: Com. in Ps. 110: *ἀπὸ τῶν καθολικῶν ἐπὶ τὰ μερικὰ μετάγειν τὸν λόγον.* — Theodoret. ad Rom. 14, 5 de legis Mosaicae observatione interpretatus verba: „unusquisque in suo sensu abundet" pergit: *οὐ καθολικῶς* (i e. pro omnibus) *τοῦτο τέθεικεν, οὐδὲ γὰρ περὶ τῶν θείων δογμάτων τοῦτο κελεύει.* (Plura de usu *τοῦ καθολικὸς* habent Mitr. Muretov, Drevne-Evrejskija Molitvy pod imenem Apostola Petra ... str. 29—30. — Dr. R. Söder, Begriff de Katholizität der Kirche u. des Glaubens; S. 10—12.)

2. Quod de ceteris attributis ecclesiae valet, id etiam de praedicato „catholica" dicendum est. Illud non statim ab initio ad sensum unum determinatum, nec statim usurpatum vel in symbolum assumptum erat. Etiam haec proprietas lapsu temporis magis manifestata, declarata et ad sensum certum determinata est. Quod primo pro duobus primis saeculis probaturi sumus, dein pro duobus sequentibus.

Primum documentum assumimus „Constitutiones Apostolicas", quae iuxta Probst, Liturgie der drei ersten christlichen Jahrhunderte, S. 39—63, iam saeculo secundo in Syria in usu erant. Constitutiones istae vocem „catholica" simul cum „apostolica" saltem ter adhibent (VI, 14; VIII, 10). In „*προσφώνησις ὑπὲρ τῶν πιστῶν*" preces funduntur pro „ecclesia sancta catholica (*καθολικῆς*) et apostolica, quae a finibus terrae usque ad fines se extendit (*τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων*) . . ." Quo sensu vox *καθολικῆς* usurpatur? Non eodem plane sensu sicut additum praedicatum „a finibus terrae usque ad fines." *Ὅλον* significat aliquod totum, quod partes inter se (interne et organice) unitas habet. Ita Söder (l. c. p. 47) intelligit sub *καθολικῆς*: „organicam unitatem ecclesiae apostolicae, quae tamen simul super totum orbem extensa est." Vel forte exprimitur plenitudo veritatis eiusque indefectibilitas et plenitudo gratiarum seu mediorum, quibus gratia communicatur; id esset catholicitas intensiva, ut aiunt, quae est vita ecclesiae et parens extensionis. Utrumque attributum *καθολικῆς* et *τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων* forte ita differunt, ut alterum in directo (clare) exprimat unitatem, in obliquo (connotando) universalitatem et vice versa. Certe illud praedicatum, ecclesiam oportere esse universalem quoad totum orbem et re vera iam esse quod modo intelligitur, quando dicitur ecclesiam esse catholicam, quoad rem manifesto enuntiatur (cf. Söder, l. c. pp. 5, 47—48). — Celeberrimum documentum traditionis propter summam antiquitatem est locus epistolae s. Ignatii martyris successoris secundi s. Petri in cathedra Antiochenae ecclesiae, urbis principalis Syriae. Scribens ex itinere, cum Romam ad martyrium duceretur, Smyrnensi ecclesiae, eamque exhortans ad oboedientiam episcopo, presbyteris, diaconis exhibendam, ait: „*ὅπου φανῇ ὁ ἐπίσκοπος ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω, ὥςπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία* (VIII, 2)." Conferuntur hic duo et duo, episcopus cum Christo, populus cum ecclesia catholica. Quem sensum habet *τὸ* catholica? Tum ex collatione cum fine epistolae, quae

intendit ad oboedientiam episcopo et hierarchiae praestandam perducere, et se separantes unire, tum ex sensu ipso verborum elucet „catholicam“ significare directe explicite unitatem (vivam et actualem) ecclesiae eius (quae ita opponitur Smyrnensi sicut Christus ipse episcopo) cum Christo Domino. Cuius porro ecclesiae unitas extollitur? In hoc contextu, ubi »catholica“ partiali ecclesiae scil. Smyrnensi opponitur, non intelligitur secundum plenitudinem veritatis et sanctitatis, sed exhibetur ut totum aliquid, cuius Smyrnensis paroecia est pars quaedam. Immo forte s. martyr catholicam ecclesiam intellexit universalem, sive per totum (*ὅλον*) orbem diffusam. Nam alibi s. Ignatius de multis episcopis sermonem facit, qui per totum orbem diffusi ecclesiam gubernant: Cf. Ephes. cp. 3: *Καὶ γάρ Ἰησοῦς Χριστός, τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ πατρὸς ἡ γνώμη ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν.* Rom. 6. „*βασιλεύειν τῶν περάτων τῆς γῆς*“. Factum universalitatis iam s. Ignatius clare testatur. Sed quia eo tempore errores Gnosticismi oriebantur, inde s. martyr unitatem ecclesiae imprimis designabat. (Cf. Möhler. Die Einheit in der Kirche oder das Princip des Katholicismus, I., 393; luculenter de hac re: Söder, l. c. 38—45, praesertim quo sensu de ecclesia Romana Ignatius dicat: *προκαθημένη τῆς ἀγάπης*: *προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων*; *ἐπισκοπεῖν* (c. 9) ecclesiae Antiochenae). — Monumentum aliud antiquitate illustre epistola Smyrnensis de martyrio s. Polycarpi conscripta exhibet († 155 vel † 168); *Ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις* (Funk, Opp. patr. apost. p. 282). Item n. 8. p. 290: *μνημονεύσας* (scil. Polycarpus) *ἁπάντων καὶ . . . καὶ πάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας*. Et alibi occurrit *καθολικός*. Quaeritur, quid significet? Distinguuntur hic „catholica“ et „per totum orbem diffusa“ ita, ut omnes particulares ecclesiae per totum orbem dispersae exhibeantur Subiecti loco, sanctitas pro forma determinante vel Praedicato. Significat ergo catholicitas unitatem, quae oritur ex multis ecclesiis particularibus, prout in ipsis identitas doctrinae, veritatis indefectibilis, et communio ecclesiastica praecipue per communionem episcopatus, attenditur. Ita Söder (l. c. p. 78) locos intelligit: „de ecclesiastica unitate in doctrina et constitutione, quae in collectione (totalitate) ubique existentium ecclesiarum particularium apparet. Muretov p. 40 dicit: „Vo vsjakom slučaě učenie o Cerkvi u Origena soglasno s Irineem, kak o edinom, organičeski živom i nerazdělnom tělě Hrista, čto vpolně vyražaet drevne-hristianskoe značenie termina *καθολικός* (Contra Cels. VI., 48. Migne XI. 1373)“. De doctrina Origenis infra p. 119 agetur. Solum hic animadvertimus, illam unitatem organicam in documentis antiquitatis christianae non solum ut unitatem mere fidei describi, sed intelligi etiam unitatem hierarchicam, communionem episcoporum praesertim, etiam saepe plus minus explicite cum sede Apostolica Romana. Quam rem ex professo tractat Söder toto opere suo praeclaro, iam saepe citato (v. g. 39—44, 48—50 etc.). Immo etiam Dr. Joseph Reinkens, „cathol.“ episcopus, De unitate ecclesiae catholicae scribit:

„Hic (scil. utroque loco supra citato) conceptus extensionis localis universalis speciatim praeter praedicatum „catholica“ expressus est, quod ergo proprium conceptum addit. In priore scilicet multiplicitas ecclesiae multis locis in particularibus coetibus existentis exprimitur, in posteriore vero unitas eiusdam ubique essentiae, a qua praedicatum catholica non minus quam sancta disiungi potest (p. 130, apud Söder l. c.).“ Muretov (l. c. str. 31) locos hos voce „sobornaja“ transfert quia alius sensus non iam remaneat. Ostendimus alium conceptum, saltem magis clarum et determinatum, restare: quatenus hic conceptus „unitas in doctrina et constitutione, quae apparet in universalitate ecclesiae“ (Söder l. c. 35; qui scriptor doctissimus in eximio opere cum multo apparatu scientifico hanc notionem generatim de primis saeculis demonstrat) differt a „sobornaja“, eatenus eum praeferimus. Neque in deductione, quam Muretov facit, quidquam occurrit, quod huic notioni „catholicitatis“ adversetur. Idem valet ad plures alios locos, in quibus brevi manu *καθολικός* „sobornaja“ (p. 30 sqsq.) transfertur. — In eadem epistola (XVI., 2) legimus: „. . . *Πολύκαρπος, ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις διδάσκαλος ἀποστολικὸς καὶ προφητικὸς γενόμενος, ἐπίσκοπός τε τῆς ἐν Σμύρνῃ καθολικῆς ἐκκλησίας*“. Hic ecclesia Smyrnensis etsi particularis, dicitur tamen catholica, quatenus singula membra viva coniunctione cum toto organismo eius etiam attributa consequuntur (Kaufmann, Einheit, Katholicität und Apostolicität der Kirche, S. 117), vel prout ecclesia particularis viva est imago totius ecclesiae, vel denique ut distinctiva denominatio a coetibus haereticis in eadem urbe simul existentibus (Söder, l. c. p. 49—50). Tandem animadvertimus, in epistola quoad rem catholicitatem moderno sensu contineri (v. g. *καὶ πάσαις ταῖς κατ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις* vel *καὶ πάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας*).

3. Inter monumenta Latina fragmentum a Muratori inventum antiquitate sua eminet (apud Kaulen, Einleitung in die hl. Schrift, S. 29—30). Quod documentum tradit canonem novi testamenti et linea 65ª vel 66ª habet: „quae (puta epistola) in catholicam ecclesiam rece(i)pi non potest“ linea 69ª vel 70ª: „In catholica habentur“ scil. duae epistolae Ioannis. Ecclesia catholica declaratur ibi: „una per omnem orbem terrae diffusa“. Cum „catholica“ sine declaratione ulteriore de ecclesia dicatur, vocem usitatam ac notam fuisse sequitur. Quare neque aliam significationem ab auctore suppositam nisi omnibus notam recte concludimus (cf. Muretov, l. c. p. 44). Nam nemo ipsum intellexit, si alio sensu locutus quam omnes alii hoc non declaravit. Quod auctor non fecisse videtur. Sensus ergo fuit quem supra dedimus. Consentit Köstlin protestans, Realencyclopaedie v. Herzog und Pitt. Art. Kirche Bd. 7. S. 699. Nota: ter occurrit *καθολικός*. Epistolae autem catholicae dictae esse videntur, ut ex contextu patet, quia non ad unam ecclesiam solam, sed ad universam ecclesiam destinabantur. Nam auctor fragmenti s. Paulum ad Corinthios quidem et Thessalonicenses scripsisse dicit, sed apostolum ecclesiam „unam per omnem orbem terrae diffusam“ intendisse affirmat. Nam et s. Ioannes, ut idem auctor ait, quamquam ad septem ecclesias in apocalypsi scripsit, tamen ad omnes loquitur. Revera s. Paulus ep. I. ad Corinthios destinat: „*Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ οὔσῃ*

ἐν Κορίνθῳ, . . . κλητοῖς ἁγίοις σὺν πᾶσιν τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν (v. 2)." cf. Paul. Rom. 10, 18. Hinc s. Paulus ipse rationem praebere potuit, cur omnes epistolae canonicae etiam catholicae vocarentur. Quem usum iam initio saeculi III[ii] probatur communem fuisse ex Clemente Alex., Origene, Cyrillo Hieros. (Catech. IV., 20); Söder (l. c. p. 46 et alibi). Idem auctor l. c. testem etiam Eusebium affert, qui (Hist. eccl. IV., 23) epistolas s. Dionysii Cor. († c. 170) catholicas vocat, quia hic sanctus non solum propriae ecclesiae sed aliarum etiam saluti prospexit. Scriptor ecclesiasticus quoque, nomine Apollonius (c. a. 200), Themisonem haereticum epistolam catholicam temerario conatu, more Apostolorum*) scripsisse refert (Euseb. H. E. V., 18). — Ad finem ecclesiam nostro sensu catholicam, licet aliis verbis, clare dici bene notetur. — Cum hac expositione vocis: *καθολικῆς* eccl. consentire videtur Alex. Molčanov in opere suo: Sv. Kiprian Karthagenskij i ego učenie o cerkvi. P. 189 sq. legitur: „Kogda evangelie propovědano bylo v raznyh městah. i kogda vo vsěh etih městah organizovalis otdělnyja hristianskija obščiny, to každaja iz nih soznavala sebja tolko liš častiju vsej sovokupnosti věrujuščih. Takim obrazom, vsě častnyja cerkvi sostavljali v suščnosti tolko odnu cerkov. Uže v samoe rannee vremja iz soznanija etogo edinstva vozniklo osoboe nazvanie, kotorym oboznačalis vsě otdělnyja obščiny, kak odno cěloe, nazvanie „*ἐκκλησία καθολική*" — cerkov vselenskaja".

4. Positis his documentis praecipuis saeculi secundi ad tertium pervenimus. Ex patribus Orientalibus, explicite voce *καθολικός* utentibus primo loco Clemens Alexandrinus († c. a. 217) nominandus est. Strom. VI, 17 (Ed. Migne T. 9.): *Εἰκότως οὖν Ἰουδαίοις μὲν νόμος, Ἕλλησι δὲ φιλοσοφία μέχρι τῆς παρουσίας. ἐντεῦθεν δὲ ἡ κλῆσις ἡ καθολικὴ εἰς περιούσιον δικαιοσύνης λαὸν κατὰ τὴν ἐκ πίστεως διδασκαλίαν, συνάγοντος δι᾽ ἑνὸς τοῦ κυρίου τοῦ μόνου ἑνὸς ἀμφοῖν θεοῦ, Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων, μᾶλλον δὲ παντὸς τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους.* Hic vocatio (invitatio) catholica dicitur, quatenus opponitur et legi et philosophiae, atque quatenus ad Hellenes et Barbaros directa est. Vix autem aliud atque universalis, vicem gerens legis et philosophiae, complectens omnes asseclas disciplinae partialis, vox catholica significat. IV, 9 ad Luc. 12, 8: *καὶ ἔστιν ἡ διὰ τῆς φωνῆς ὁμολογία οὐ καθολική, ἀλλὰ μερική. καθολικὴ δέ, ἣν νῦν λέγει τὴν ἐν ἔργοις και πράξεσι καταλλήλοις τῆς εἰς ἑαυτὸν πίστεως.* Confessio dicitur catholica et opponitur partiali quo alio sensu nisi universalis? VII., 17. *Κατά τε οὖν ὑπόστασιν κατά τε ἐπίνοιαν κατά τε ἀρχὴν κατά τε ἐξοχὴν μόνην εἶναί φαμεν τὴν ἀρχαίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν εἰς ἑνότητα πίστεως μιᾶς τῆς κατὰ τὰς οἰκείας διαθήκας, . . . τῶν δ᾽ αἱρέσεων αἱ μὲν ἀπὸ ὀνόματος προσαγορεύονται, ὡς ἡ ἀπὸ Οὐαλεντίνου . . . αἱ δὲ ἀπὸ τόπου ὡς οἱ Περατικοί* (ad Euphratem), *αἱ δὲ ἀπὸ ἔθνους ὡς ἡ τῶν Φρυγῶν, αἱ δὲ ἀπὸ ἐνεργείας ὡς ἡ τῶν Ἐγκρατικῶν· αἱ δὲ . . . αἱ δὲ . . . αἱ δὲ . . . .* Clemens

*) H. E. V., 18 Heinichen p. 241: μιμούμενος τὸν ἀπόστολον, καθολικήν τινα συνταξάμενος ἐπιστολὴν ἐτόλμησε κατηχεῖν μὲν τοὺς ἄμεινον αὐτοῦ πεπιστευκότας.

adversus haereticas factiones si ecclesiam antiquam (i. e. apostolicam) et catholicam unam esse affirmat, vox „catholicam" non aliud nisi universalem dicit. Errores seu haereses, cum singulae sint particulares, inter se diversae, immo oppositae, in se non habent fundametum unitatis nec universalitatis. Quare defectus universalitatis iam in essentia et nomine haeresis essentialiter includitur. Quare Clemens ex ipsa universalitate religionis eius veritatem deducit. Lib. VI. versus finem Platoni quidem Socratem, et Xenocrati Platonem, Aristotelem Theophrasto et Cleanthi Zenonem placuisse scribit. „Magistri autem nostri verbum" pergit „non mansit in sola Iudaea, sicut Philosophia in Graecia, sed diffusum est per totum orbem terrae . . ." Manifesto hic a s. Clemente ex universalitate veritas demonstratur. Ultimam et internam rationem catholicitatis seu universalitatis ecclesiae verae sicut alibi, praesertim Paedagog. l. 1, c. 6 (T. 8) describit; *Ὦ θαύματος μυστικοῦ· εἷς μέν ὁ τῶν ὅλων πατήρ, εἷς δὲ καὶ ὁ τῶν ὅλων Λόγος καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πανταχοῦ· μία δὲ μόνη γὰρ μήτηρ παρθένος· ἐκκλησίαν ἐμοὶ φίλον αὐτὴν καλεῖν . . . ὡς γὰρ τὸ θέλημα αὐτοῦ (θεοῦ) ἔργον ἐστὶ καὶ τοῦτο κόσμος ὀνομάζεται, οὕτως καὶ τὸ βούλημα αὐτοῦ ἀνθρώπων ἐστὶ σωτηρία καὶ τοῦτο ἐκκλησία κέκληται.* Magnus Alexandrinus catechista hic ex universalitate voluntatis salutiferae et satisfactionis universalitatem ecclesiae, ex unicitate Dei et Salvatoris eius unitatem deducit. Qui sanctus iam dogmaticas rationes catholicitatis profert, quatenus destinatio, immo obligatio ecclesiae se ad omnes gentes extendendi spectatur. (Cf. Göpfert, Katholicität der Kirche, Die Universalität der Kirche begründet durch die Universalität des Heilswerkes, S. 30—32.) Plura de doctrina s. Clementis Alex. quoad catholicitatem ecclesiae: Söder l. c., p. 57—59, Muretov l. c. str. 37—39. Qui ultimus auctor generatim nobiscum consentit scil. *καθολικός* significare universalis v. g.: Strom. IV., 9, ed. Rotteri 1, 595, 25—39; VI., 15. Rott. 801, 16; VI., 17. Rott. 823, 23; VI., 8. Rott. 773, 38: *καθολικὸς λόγος* generalis ratio; VI., 6. Rott. II. 764: *γέγονεν ἄρα τις καθολικὴ κίνησις καὶ μετάθεσις κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ σωτῆρος·* Paedag. 1, 6. Rott. 1. 116, 25: *μία καθολικὴ τῆς ἀνθρωπότητος σωτηρία ἡ πίστις.*

Clarissimus locus Clementis hac de notione habetur Strom. VIII., 8. Rott. II. 928, 5—11 vel ed. Migne 9. col. 589: *Τὰ μὲν οὖν ὀνόματα ἡ γραμματικὴ εἰς τὰ καθολικὰ στοιχεῖα* (i. e. litteras alphabeti 24) *κδ' ἀνάγει·* („grammatika svodit vsě slova k 24 vseobščim elementam") *ὡρισμένα γὰρ χρὴ εἶναι τὰ στοιχεῖα·* („ibo elementy dolžny byt opredělenny") *τῶν γὰρ καθ' ἕκαστα ἀπείρων ὄντων μὴ εἶναι ἐπιστήμην.* („meždu těm kak častnoe, pri svoej neopredělennosti, ne est nauka") *ἴδιον δὲ ἐπιστήμης καθολικοῖς ἐπερείδεσθαι θεωρήμασι καὶ ὡρισμένοις.* („svojstvo nauki [znanija] — osnovyvaetsja na vseobščih opredělennyh sozercanijah [položenijah, terminah]", conceptibus universalibus) Muretov, str. 38; VI., 7. Rott. II. 769. 4: *εἰ γ' οὖν τις τοῖς μερικοῖς ὡς καθολικοῖς χρώμενος τύχῃ καὶ τὸ δοῦλον ὡς κύριον, σφάλλεται τῆς ἀληθείας.* Etiamsi cui aliquis locus dubius (v. g. Muretov: IV., 15 Rott. 1, 606, 32—35 *κατὰ τὴν ἐπιστολὴν τὴν καθολικὴν τῶν*

ἀποστόλων ἁπάντων) esse videtur, — paucissimi restant — eum tamen ex tot manifestis lucem accipere oportet.

5. Quarto saeculo testimonia de catholicitate iam adeo crebra habentur, ut nonnulla solum eligere possimus. Primo concilia de hac re audiamus. Illiberritanum Hispanum (305), Arelatense (314), Nicaenum oecumenicum (325), Sardicense (343), Riminense (359), Siricense (390), Toletanum (398 inter et 447), quae utuntur praedicato „catholica“ de ecclesia sensu nobis iam noto, scil. de unitate in fide et hierarchica communione universalis vel (etiam nonnunquam) totius ecclesiae Christi (lege Söder, l. pp. 87—95). Hanc notionem ut distinctivam verae ecclesiae Christi ab haeresi et schismate adhibuerunt. Nicaena synodus septies voce hac utitur v. g. „catholica et apostolica ecclesia“ anathemizat . . . (Hefele I., 281, 391). Synodus Sardicensis ad dimidiam partem ex orientalibus episcopis constans, cui Hosius Cordubensis loco episcopi Romani cum duobus legatis praefuit, ita scribit: Can. 17: *διὰ τὴν ἐπιστήμην ἢ διὰ τὴν ὁμολογίαν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἢ διὰ τὴν τῆς ἀληθείας ἐκδικίαν.* Textus Latinus, eiusdem synodi, utpote quae ad totam ecclesiam Latine et Graece scripsit, ita sonat: „Universa quae constituta sunt, catholica ecclesia in universo orbe diffusa custodiet“. Cf. Can. 3. Hefele, C. G. I., 586—588. —

Ex patribus Graecis primus Adamantius est, qui disputans cum Marcionita quodam de fide, haeresin nominis humani arguit, eique nomen „catholicos“ opponit, illudque explicat *διὰ τὸ καθ' ὅλου τοῦ κόσμου εἶναι.* (Söder p. 95). Cf. quae supra posuimus.

Athanasio magno ecclesia est catholica, quia „in toto orbe diffusa est, et quidem ita, ut in omnibus partibus ubique et semper eadem fides apostolica vigeat, prout eam episcopi consueta institutione et legitimis conciliis tradunt (Söder p. 95)“. Ep. ad Iovian. Imp. (Migne t. 26, col. 815): „*κἂν ὀλίγοι τινὲς ἀντιλέγωσι ταύτῃ τῇ πίστει, οὐ δύνανται πρόκριμα ποιεῖν πάσης τῆς οἰκουμένης τὴν ἀποστολικὴν πίστιν κρατούσης . . . . Τὴν δὲ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πίστιν ὡμολόγησαν ἐγγράφως, ὥστε ταύτης πανταχοῦ κηρυττομένης ἀποσβεσθῆναι τὴν ἀναφθεῖσαν αἵρεσιν παρὰ τῶν αἱρετικῶν·* ib. p. 814: *αἴτιοι δὲ γεγόνασιν αἱρέσεως καὶ σχισμάτων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ — ἐκπεσόντες τῆς ἐκκλησιαστικῆς διδασκαλίας*“. — Cf. inter Athan. opp. qu. 37. de parab. Script.: ecclesiam catholicam dici, quia per totum orbem diffusa est. — Quod nullus sapiens, nullus philosophus ethnicus, nullus rex praestare potuit, ut hominibus doctrinam suam persuaderet, id Christus perfecit, qui totum orbem doctrina sua implevit, cum Dominus universi, virtus altissimi esset: or. de incarn. Verbi n. 46—51, n. 48: *Τίς οὖν ἄρα καὶ πηλίκος ἐστὶν οὗτος ὁ Χριστὸς ὁ τῇ ἑαυτοῦ ὀνομασίᾳ καὶ παρουσίᾳ τὰ πάντα πανταχόθεν ἐπισκιάσας καὶ καταργήσας καὶ μόνος κατὰ πάντων ἰσχύων καὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τῆς ἑαυτοῦ διδασκαλίας πληρώσας·* —

S. Cyrillus Hierosol., celeberrimus et profundissimus in suis praesertim catechesibus, notionem *καθολικός* copiose evolvit. Inprimis oportet ecclesia sit hierarchice organica: cat. 18 (a. 347) n. 24: *Τόγε μὲν τῆς ἐκκλησίας ὄνομα τὴν τῶν εἰς Χριστὸν πιστευσάντων ὑφαίνει πληθύν, ἱερουργούς τε καὶ λαούς, ποιμένας καὶ διδασκάλους καὶ τοὺς ὑπὸ χεῖρα*

κατεζευγμένους. — Ecclesia vocatur catholica: 1. Quia in toto orbe est, a fine usque ad fines. 2. Quia pro omnibus (καθολικῶς) et sine defectu (ἀνελλειπῶς) omnem doctrinam docet, quae ad salutem pertinet. 3. Quia omne genus hominum in vera instituit religione, principes sicut subiectos, doctos sicut rudes. 4. Quia homines ad perfectum Dei servitium ducit (καθολικῶς λατρεύειν), omne genus peccati sanare potest, continens plenam ideam virtutis in verbis, operibus, diversis charismatibus (catech. 18 n. 23)". Söder l. c. p. 96—97; Kaufmann, Einheit, Katholicität und Apostolicität der Kirche, p. 115; Göpfert, Katholicität der Kirche p. 33. — Sanctus Cyrillus plenius notionem catholicitatis intelligit, quatenus primo loco diffusionem per totum orbem, secundo loco universalitatem doctrinae eiusque indefectibilitatem, tertio extensionem quoad omnes homines (quod respondet primo puncto), quarto perfectam sanctitatem (respondet secundo puncto) complectitur. —

Eusebius Caesariensis catholicitatem vocat (Söder p. 95) „a diffusione per omnem locum terrae, a collectione omnium populorum, simul etiam ab unitate in fide". Diffusionem per totum imperium Romanum, insulas Atlantis, et populos vagos iuxta propheticos sermones iam adesse testatur, catholicitatemque ab eo deducit, quod fundator ecclesiae creator ac redemptor mundi sit. Euseb. in Ies. 32, 17: *τὴν ἀπὸ περάτων ἕως περάτων καθολικὴν ἐκκλησίαν . . θεσπίζει.* — In. Ies. 19, 18: *αὕτη γὰρ μόνη καθ' ὅλης τῆς γῆς ἵδρυται τῷ θεῷ πόλις H. E.* X., 4: *τοιοῦτος ὁ μέγας νεώς, ὃν καθ' ὅλης τῆς ὑφ' ἥλιον οἰκουμένης ὁ μέγας τῶν ὅλων δημιουργὸς Λόγος συνεστήσατο.* (cf. Söder, l. c.). Muretov, p. 33, l. c. scribit: „Bezimjannyj polemist 2-go věka u Evsevija V., 16, 9. Hein. 235 govorit, čto Montan osmělilsja *τὴν καθόλου καὶ πᾶσαν τὴν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίαν βλασφημεῖν.* Iz etogo citata možno vyvesti zaključenie, čto anonim sčital termin *καθολικός* nedostatočno jasno vyražavšim ego mysl o vsemirnosti cerkvi, počemu on zaměnil ego bolěe jasnym naręčiem města *καθόλου*, slědovatelno termin ponimalsja ne v etom značenii, a v drugom, t. e. sobornosti". Ad quae iuxta Söder aliosque auctores respondemus distinguendo duplex elementum in *καθολικός*; directe et clare „unitas interna, organica, per fidem et hierarchiam obtenta" exprimitur, indirecte vel confuse „totalitas" seu alibi saepe „universalitas" adsignificatur. Quibus congruit, quod ibi (p. 34) sequitur: „Odnakož ostaetsja neizvěstnoju točnost citaty, ibo sam Evsevij sklonen byl k takomu imenno tolkovaniju i zaměně termina, kak vidno iz IV. 7. Hein. 160: *ἡ τῆς καθόλου καὶ μόνης ἀληθοῦς ἐκκλησίας λαμπρότης* (sr. VII., 10, 331—332; IX., 11, 462)". —

Etsi etiam de Latinis saeculi quarti testimoniis nobis tractandum esset, tamen satius duximus, ad probatos auctores (v. g. Söder l. c.) remittere.

Paucis ad finem recolentes nostram sententiam de usu termini „*καθολικός*" in christiana antiquitate, eam in eo ponimus, ut directe et clare significetur: unitas verae ecclesiae Christi, per identitatem doctrinae et communionem hierarchicam obtenta: indirecte vel in obliquo adsignificetur tanquam subiectum: ecclesia vel „tota" vel in aliis

testimoniis „universalis“; quare claritatis causa nonnunquam explicite „universalis, oecumenica“ insuper adicitur. Hoc ultimum elementum „universalitatis“ postea praesertim a s. Augustino primario vel etiam exclusive „*καθολικός*“ intelligitur. Quid a Russis nunc temporis hac voce significetur, scribit Muretov (l. c. p. 54): „Ideja sobornosti, cělokupnago i živago meždu soboju edinenija vsěḫ istinno věrujuščiḫ ḫristian, kak edinago i nedělimago, organičeski- živogo i strojno-sočlennago (Ephes. 4, 15 sl. 1 Cor. 12), tainstvenno-duḫovnago těla Glavy Cerkvi — Ḫrista Bogočelověka (Ephes. 5, 32 dr.): est, tak skazat, duša slavjana-russkago ḫristianstva.“

Ecclesia Smyrnensis a. 251 de martyrio Pionii sacerdotis sui libellum conscripsit (Acta Sanct. Bolland. T. III., Febr. p. 44), cuius memoriam Metaphrastes servavit. Polemo, ter rogatus a iudice, cuius esset ecclesiae, ter catholicae se esse respondit, ut significaret veram ecclesiam Christi, unam in fide et constitutione, quâ ab haereticis ab ipsa disiunctis secernitur (Ita Söder, l. c. p. 59—60). — Porro litterae encyclicae synodi Antiochenae a. 269 contra Paulum Samosatenum celebratae eodem sensu vocem adhibent. Legimus apud H. E. VII., 30: „*Διονυσίῳ* (sc. papae) *καὶ Μαξίμῳ* (patriarchae Alexandr.) *καὶ τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσι συλλειτουργοῖς ἡμῶν ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ πάσῃ τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ* . . .“ (cf. VII., 29) „ . . *τὸ γοῦν φρόνημα καθολικὸν ἔχοντα (ἐπίσκοπον)* . . . VII., 30“. Recte Söder ad hunc locum (S. 60—61 nota[3]): „Dieser katholischen Gesinnung, welche besteht in der inneren u. äusseren Gemeinschaft mit der Synode, resp. mit der gesammten Kirche unter dem Himmel, wird gengenüber gestellt die an einen menschlichen Namen sich knüpfende, von jener abweichende Gesinnung, welche ein Abfall vom rechten Glauben ist: *καὶ οἱ τὰ Ἀρτεμᾶ φρονοῦντες, τούτῳ (Παύλῳ) κοινωνείτωσαν — τῇ τῆς πίστεως ὀρθοδοξίᾳ ἐκπεπτώς*. — Tandem ex scriptoribus tertii saeculi Origenes, discipulus Clementis memorandus est. Muretov p. 39—40, quamvis vix unum vel alterum locum dubium adferat, plures vero adeo claros, ut ne ipse quidem dubitet, tamen non satis clare et aperte pro sensu universali *τοῦ καθολικός* loquitur. Contra Celsum 1, 37 Migne XI., 729: *προφῆται ἦσαν ἐν Ἰουδαίοις προλέγοντες οὐ μόνον τὰ καθολικὰ περὶ μελλόντων . . . ἀλλὰ καὶ τὰ καθ’ ἕνα*. Sensus manifestus est: prophetas de futuro non solum abstracte, quaedam indeterminata, universalia vel generalia, sed etiam concrete, singula praedixisse. Porro: *γέγονεν αὐτῷ (Χριστῷ) ἡ ἐπισημία σωματικῶς καθολική τις καὶ ἐπιλάμψασα ὅλῳ τῷ κόσμῳ* (In Ierem. 9, 1, Migne 13, 348, B). Sensus: Christus corporaliter omnibus fuit manifestus, eius visio (apparitio) fuit universalis. Similiter *κ. ἐπιστήμη* (in Ierem. 22, 28 Migne 573, A); *κ. λόγος διηγήσεως* (c. Cels. 1, 71, M. 792 A). Non sensum eundem „universalitatis“ videtur habere locus: *τὸ πνεῦμα καθολικῶς ἐν ταῖς καρδίαις τῶν ἁγίων κράζει* (In Psal. 3, 5 M. 12, 1124 C). Sensus, quem supra (ad 3b) declaravimus, qui est de unitate organica per eandem fidem et communionem episcoporum facta, potissimum de unitate per caritatem obtenta, subest, praesertim cum de Spiritu sancto sit sermo, qui

est principium unitatis et vitae. Quare sicuti alii scriptores etiam Origenes implicite saltem καθολικός hic haeretico opponit, quia haeresis unitatem corporis ecclesiae scindit. Non adeo mirum est, si hinc Latinus translator vocem „catholicus" opponit haeretico. Significatio denique vocis καθολικὴ ἐπιστολή (de 1. epist. s. Petri, servata apud Euseb. H. E. VI., 25, 5. Hein. 294) ex clarioribus supra dictis locis illustranda nobis esse videtur. Satis valoris addit similis expressio de s. Petri epistola: μίαν ἐπιστολὴν ὁμολογουμένην καταλέλοιπεν (apud Euseb.). Nec multum obstat, quod aliud sit opus Origenis, ex quo alter locus decerptus sit (scil. Com. in Io. V, 3), modo sit res eadem, scil. epistola Petri. Quibus omnibus doctrinam Origenis a doctrina magni eius magistri, s. Clementis Alex. haud differe satis constat.

5. Ex scriptoribus illustrissimis Latinis 3[i] saeculi primo Tertullianus occurrit. Non raro τὸ catholicus apud ipsum invenies sensu τοῦ universalis vel in oppositione ad particulare vel haereticum. Qua in re etiam Muretov p. 32 l. c. nobis consentit. De Praescript. adv. haeret. (scriptum 203 vel 204) ed. Paris. t. 1. p. 175: „Quamquam etsi quaedam inter domesticos, ut ita dixerim, disserebant (Apostoli), non tamen ea fuisse credendum est, quae aliam regulam fidei superducerent, diversam et contrariam illi, quam catholice in medium proferebant". Catholice proferebant i. e. ubique et apud omnes. Ibidem: „in catholicae (ecclesiae) primo doctrinam" (Oehler, De praescr. haeret. 2, 24 et 26). Opponitur haeresi vel particulari tanquam universale. Consentit Muretov l. c. p. 32: „v oboih slučajah kak protivoložnost častnomu i eretičeskomu". In libris adv. Marcionem a. 207 vel 208 scriptis inde hunc convincit, quod vaticinia V. T. de regno Messiano totum orbem complectente iam impleta sint, ideoque eius doctrina vera esse non possit (cf. Söder, p. 62). L. 3, 21 (Oehler 151): „Christus, catholicum Dei templum, in quo Deus colitur"; ib. 22 (Oehler 153): „apud veram et catholicam Hierusalem"; L. 4, 9 (Oehler 2, 176): „apud ecclesiam per Christum Iesum, catholicum patris sacerdotem". Cur Christus catholicum Dei templum appellatur? Ratio petitur ex vaticiniis Isaiae, ubi ecclesiae universalitas clarissime praedicitur. Ex clarissima prophetia Malachiae de universali et sempiterno sacrificio N[i] T[i] ipsa ecclesia catholicum Hierusalem vocatur. Similiter Christus catholicus dicitur sacerdos, quia pro omnibus et in omnibus sacrificium est et sacerdos (l. c. l. 4. p. 383 ed. Par.). Eadem apud Muretov: „kak vseobščij (za vsěh i ot vsěh) svjaščennik Otca (p. 32)"; ad locum alterum: „catholicus otličaetsja ot verus, kak vseobščij ot istinnago". Adv. Marc. l. 4, 4 (Oehler 2, 163): „pecuniam in primo calore fidei catholicae ecclesiae contulit (Marcian) . . . posteaquam in haeresim suam a nostra veritate descivit". Catholica ecclesia opponitur haeresi particulari. De fuga, l. II. p. 143: „ab eo permittatur vel imperetur necesse est, catholice fieri haec (sc. fugere), a quo et ex parte (patre), scilicet ab illo, qui dicit . . . ." Opponuntur hic „catholice" (i. e. communiter, omnibus) et „ex parte" (i. e. alicui, aliquibus, parti). — Haeresis, quae opponitur catholicae ecclesiae ab hac et defectu unitatis et locali limitatione dignoscitur (adv. Marc. l. 5). —

Tertullianum etiam montanistam catholicitatem ecclesiae non negasse, inde patet, quod etiam Romani episcopi auctoritatem satis clare agnovit. Adv. Praxeam t. I. p. 671 (ed. Par.) summum ius in rebus fidei Romano episcopo adscribit: „(Praxeus) falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum (scil. Montanistarum) adseverando et praecessorum eius (qui tunc erat Rom. episcopus) auctoritates defendendo coegit, et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare („charismata“ Montanistarum)“. Alter locus est De pudicitia t. II. p. 466, ubi (probabiliter Zephyrinum) Romanum episcopum „Pontificem maximum“ „episcopum episcoporum“ vocat (Söder l. c. p. 68—72; Katholik 1873, II., 385—99; 551—568). —

Alter testis traditionis in eadem ecclesia florenti Africana est s. Cyprianus Carthaginiensis († 258).

Tamquam primas contra Novatum sacerdotem qui nimium rigorismum in recipiendis lapsis in persecutione Deciana invexit, doctrinam traditam defendit. Saepe vocem „catholicus“ apud ipsum invenies. Sensus non alius esse videtur atque „unitas hierarchica in ecclesia ubique diffusa vel tota“ (cf Söder, l. c. p. 72—86). Praesertim in illa celeberrima epistola: „De catholicae ecclesiae unitate“ data ad ecclesiam Romanam, ut ipsam a partibus Novatiani, schismatici papae ad Cornelium traduceret, sensum vocis „catholicus“ aperit. Porro in Ioan. 6, 67—69: „ . . quando ecclesia, quae catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata (Ep. 66, ad Florent., p. 733 ed. Hartel)“. Ep. 45 ad Cornel p. 606: „scimus nos hortatos eos esse, ut ecclesiae catholicae . .“ S. Cyprianus generatim propugnator Romanae sedis ut centri ecclesiae est: nam aliud quid ac primatus intelligi potest, quando vocatur: cathedra una, ratio unitatis, radix arboris, fons fluminis, etc.? (Epp. 33, 59, 69, 71, 73, 75. Söder hac de re passim.) Antonianus episcopus de Novatiani persona et doctrina s. praesulem quaesierat. Cui Cyprianus rescripsit (ep. 55, p. 642): „Cum sit a Christo una ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique coniunctam catholicae ecclesiae unitatem humanam conetur ecclesiam facere“. Iterum ad Cornelium de generali Synodo Africana scribit: „Placuit ut per episcopos omnes omnino in provincia ista positos litterae fierent, sicuti fiunt, ut te universi collegae nostri et communicationem tuam, id est ecclesiae catholicae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter et tenerent“ (ep. 48). Similiter alibi saepius v. g. ep. 68, p. 744: ep. 72, p. 775. Antonianus episcopus intercessionem Cypriani apud Cornelium petit: „ut deposita omni sollicitudine iam sciret (Cornelius), me secum, hoc est cum catholica ecclesia communicare (ep. 55, p. 624)“. —

Muretov l. c. p. 44 de doctrina s. Cypriani talia profert: „Uže zaglavie sočinenija, posvjaščennago raskrytiju edinstva cerkvi „De catholicae Ecclesiae unitate“ (ed. Hartel, 1, 209), sbližaet ideju „katholičnosti“ s ideju „edinstva“ ili „edinstvennosti vselenskoj cerkvi“. Auctor affert plures locos. Dein pergit: „Počti sovsĕm jasno, čto „so-

bornost" dlja Kipriana vyražalas v pozdněe razkrytoj i osuščestvlennoj, rimsko-papističeskoj i otčasti greko-vizantijskoj, ideě vněšnekanoničeskago dogmatičeskago i liturgičeskago edinstva, vselenskosti i ortodoksalnosti Cerkvi, vopreki osobnosti i individualismu eresej". Ad quae declaranda infra (p. 53 sq.) auctor dicit: „Takim obrazom v ḫristianskoj istorii termina „καθολικός" my različaem" tri ponimanija, vyražajuščijasja slovami: „sobornost", „podlinnost ili kanoničnost ili pravoslavnost" i „vselenskost". Nostram sententiam decursu totius tractatus, innixi auctoribus probatis, exposuimus, neque opus est, dicta resumere. —

Denique s. Irenaeum commemoramus, qui ad orientalem et occidentalem pertinet ecclesiam, cum in Asia natus ac disciplinis imbutus, Lugdunensi postea praefuerit ecclesiae. Verum quidem est, ipsum vocem catholica de ecclesia distincte et clare non adhibere (Söder l. c. p. 52). Sed notio, quam nos voce hac exprimimus, apud eum reperitur v. g. adv. haereses l. I. c. 2: „ἡ ἐκκλησία καθ᾽ ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη". Quamvis s. Irenaeus non habeat vocem, tamen rem clare exprimit, cum credat et doceat ecclesiam universalem vel totam unitate praeditam esse, quae unitas ex vinculo hierarchico et identitate essentiae in omnibus partibus resultat. Ita fere protestans Ziegler, Der Bischof von Lyon, Berlin 1871, S. 280. André Gouillaud, Saint Irénée et son temps, Lyon 1874. Massuet, ed. Maurin. diss. III. de Iren. doctr. Plura apud Söder, l. c. pp. 51—57. Irenaei clarissimum est testimonium de Sede Romana. adv. haer. III., 3: „Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem (potentiorem) principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio". „Principalitas" non potest „ἀρχή" (origo) transferri, nam „potior" huic sensui non congruit; an origo Romanae ecclesiae potior fuit quam Antiochenae vel Ephesinae? dein „in qua" continet rationem, cur omnis ecclesia cum Romana convenire debeat; sed hoc non potest de origine, ἀρχή dici (cf. Möhler, Die Einheit in der Kirche, S. 209). Porro „convenire" de doctrinae convenientia hic dicitur, quia de alia re toto loco non est sermo (Hefele, Beiträge z. K. G. S. 48; Söder, l. c. p. 54—55). Etiam catholicitatem intensivam Irenaeus docet. Cf. Göpfert, Katholicität der Kirche p. 40—45 et alibi. Irenaeus adv. Haeres. l. IV., c. 32 n. 8; „Agnitio vera est Apostolorum doctrina et antiquus ecclesiae status in universo mundo (Γνῶσις ἀληθὴς ἡ τῶν ἀποστόλων διδαχή καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς Ἐκκλησίας σύστημα κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου) et character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt. In ecclesia igitur iuxta sanctum doctorem vera γνῶσις, vera cognitio invenitur. Quoad catholicitatem externam seu localem: c. haer. l. IV. cp. 17 n. 5: „Novi Testamenti novam docuit oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias (I., 10—11) sic praesignificavit: Non est mihi voluntas in vobis . ." Idem sanctus tum factum catholicitatis tum eius

necessitatem ex prophetia Malachiae demonstrat. Similiter l. I. ep. 10 n. 2: „*Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα, καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει, καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη . . . ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος, τὸ κτίσμα τοῦ θεοῦ, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτός· οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῇ φαίνει καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν*“.

O. Židek.

VI.

De sacramento poenitentiae.

Thesis VII.

Ad remissionem peccatorum venialium sufficit contritio perfecta, si ad ea saltem virtualiter extendatur. Probabiliter autem in homine iusto sub eadem condicione idem praestat etiam quoad deliberate commissa attritio (de eis ut offensis Dei) etiam virtualis et remissa et ea, quae non sit appretiative summa, dummodo excludat efficaciter voluntatem idem peccatum committendi. Semper vero requiritur aliqua contritio (formalis vel virtualis); nunquam autem votum subiciendi ea clavibus aut contritionem formalem eliciendi.

Decl. 1. Esse peccata venialia, i. e. peccata, quae neque spiritualem mortem afferunt animae neque aeterna poena per se puniuntur, est doctrina revelata. Cf. Suarez, De vitiis et peccatis, disp. 2, s. 4—5; S. Nikitskij, Věra pravoslavnoj vostočnoj greko-rossijskoj cerkvi, po eja simvoličeskim knigam (M. 1889—90) T. I., 89; T. II., 23.

Scotus (In l. 4. Sent. d. 21, q. 1) et Gabriel (In l. 4. d. 16, q. 5, a. 2) dicunt peccata venialia (habitualia) consistere tantum in reatu ad poenam debitam; remitti igitur venialia solutione poenae temporalis debitae pro culpa veniali. Sed „sola ordinatio ad poenam non pertinet ad rationem culpae, neque maculat animam et manere potest ipsa culpa remissa“. Suarez, De vit. et pecc. disp. 8, n. 18. — Aliqui existimant venialia consistere in privatione augmenti (vel in diminutione: Dionysius Carthus.) gratiae et gratia collata tolli, ut Oswald (Die dogmatische Lehre von d. h. Sacramenten. T. 5, Abschn. 3, Cap. 1, N. 6; cf. p. 5 Einleit. n. 3). Et ratio esse potest (cf. Dionys. Carth., In l. 1., d. 17, q. 9; ed. Tornaci 1902 p. 61, A.), quod secundum Matth. 25. 27. 30 homo teneatur bona opera praestare ad augendam gratiam, cui obligationi satisfacere utique possit illis operibus, quae ceteroqui praescripta sunt. Sed in hac sententia hoc incommodum habetur, quod dicendum foret, religiosum, qui statum religiosum sane sine obligatione elegit, quovis peccato veniali proprio sui status peccare contra illam obligationem augendi gratiam. — Contraria est

sententia s. Thomae Aq. (De malo qu. 7, a. 11), qui peccatum veniale ponit in privatione ‚fervoris caritatis'; quod dupliciter intelligi potest: vel opponitur veniali omnis actus bonus, in quantum saltem initialis amor inest, vel actus procedens virtualiter ex caritate. Quibus actibus oppositum veniale formaliter tolli statuitur ab aliis ita, ut soli caritatis ipsius actui hoc tribuatur (ut a Becano), ab aliis etiam ceteris (ut a Gonet). Venialia tolli formaliter per condonationem Dei externam solam statuunt Ripalda (De ente supern. disp. ult. n. 286), Munier (Wirceburgenses), alii. Viva (Curs. theol. p. 8, disp. 2, q. 7, n. 4) omnes sententias videtur velle conciliare.

Solam contritionem perfectam delere ex opere operantis venialia existimant Petrus Soto, Arauxo, Becanus, Vasquez, Laymann, Lorca, Torres, Sporer, Wirceburgenses. — Suarez tenet omnem efficacem attritionem (probabiliter tamen tantum intensam) de peccatis ut sunt contra Deum, etiam virtualem (contra Durandum, In l. 4. Sent. d. 22, q. 2. et Thom. de Argentin. d. 21, a. 4) tollere omnia peccata venialia, ad quae se extendit. De Lugo non vult omnia peccata (ad quae se extendit) per eam tolli, sed tantum partem. Non omnem attritionem efficacem, sed tantum aliquam ad id valere Valentia statuit. Etiam Gihr (D. h. Sacramente II., 194) negat cuiuscumque virtutis motivum par esse venialibus remittendis extra confessionem sacramentalem. Nos in hoc Suarezii sententiam sequimur.

Russorum theologi, si A. Šost'in (in Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija VI., 241) nomine eorum scripsisse putandus sit, negant venialia extra confessionom sacramentalem dimitti.

Si contritio (virtualis) formaliter opponitur peccato veniali, hoc non obstat, ne sit meritoria expulsionis peccati (sui effectus formalis) idque de condigno (contra De Lugo). Expulsio enim venialis vel retractatio qua talis non est effectus primarius, sed secundarius, qui sc. non absolute et necessario praestatur a forma (nisi facta aliqua suppositione); et haec expulsio dici potest effectus per modum meriti. Nam „ut dicatur mereri remissionem peccati et emundare ab illo per modum meriti, satis est, quod ipsa non solum physice, sed meritorie habeat oppositionem cum peccato, i. e. non tantum tanquam forma opposita, sicut amor et odium, assensus et dissensus eiusdem obiecti, sed etiam in genere moris tanti valoris censeatur, ut aequivaleat ei, cui opponitur". Dicastillo, De sacr. poen. disp. 2, n. 387.

2. Contritio virtualis, quam sufficere dicimus, est amor cuiuscumque virtutis, quocum affectus actualis peccati adaequate (cum suis adiunctis) spectati componi non potest. Qui dolor potest includi in efficaci proposito venialia vitandi ob poenas purgatorii vel dilatam gloriam caelestem (cf. De Lugo, De poen. disp. 14, n. 55), vel in desiderio recipiendi sacramentum et effectum sacramenti (ut aiunt Henno, Tamburini, Ballerini-Palmieri), vel in exercitio virtutis contrariae sub adiunctis saltem non facilioribus etc. Negamus eam attrionem debere esse appretiative summam ita, ut voluntas parata sit peccatum commissum vitare in omnibus circumstantiis, attamen non debet secum compati affectum ad idem peccatum adaequate (cum suis

circumstantiis facilioribus vel difficilioribus) spectatum: eatenus igitur debet positive excludi voluntas peccandi. Cf. De Lugo, De poen. disp. 9, n. 25.

3. Hanc vim attritioni tribuimus in homine iusto, i. e. libero a culpa mortali. Licet enim fuerint, qui hanc condicionem non statuerent (ut Scotus, Mastrius, Gabriel, Durandus, Tournely), communis tamen sententia est, ad remissionem peccati venialis requiri gratiam antecedentem vel concomitantem. Et, si non tenetur attritionem formaliter tollere venialia, hoc argumento probari potest: Si veniale remitti posset sine mortali, vel id fieret in sacramento, vel extra sacramentum. Non in sacramento, quia ibi confertur semper gratia habitualis, quando digne suscipitur, nec potest dispositio ad partialem fructum sufficiens esse. Nec extra sacramentum, quia vel remitteretur per contritionem vel per attritionem; per contritionem remittuntur simul etiam mortalia; attritio vero non est dispositio sufficiens. Sufficeret enim vel ex iustitia vel ex liberalitate et gratia Dei. Non ex iustitia, tum quia opus peccatoris non habet valorem moralem ad ullam satisfactionem de condigno (1 Cor. 13, 3), tum quia existens in peccato mortali dignus est ira divina; quomodo ergo potest ex iustitia eum obligare ad hoc beneficium conferendum? Nec ex liberalitate Dei, quia primo hoc gratis asseritur. Deinde nihil habet opus inimici, unde amice in satisfactionem acceptari mereatur. Indignus est enim talis homo hoc beneficio, tum quia non se disponit cum debita proportione, cum non detestetur offensam Dei propter ipsum, tum etiam, quia permanet in inimicitia divina. Cf. Suarez, De poen. disp. 11, s. 2, n. 5; Sylvius 3, q. 87, a. 4; De Lauraea, disp. 15, a. 9. — Accedit, quod alioqui contingere posset, ut quis peccati sui veniam haberet, etsi necdum ipse fratri suo peccatum dimisisset — contra Matth. 6, 15. Cf. Collet, De poen. p. 2, c. 3, n. 55. Quid autem dicendum sit in sententia attritione venialia tolli formaliter, infra (p. 2, ad 1) inquiremus.

Pars I. Ad remissionem peccatorum sufficit contritio perfecta, si ad ea saltem virtualiter extendatur.

Dub. 1. Remissio venialium fit per modum satisfactionis condignae et meriti condigni. Ergo tot et tanta possunt commissa esse venialia et ex parte altera tam tepida et remissa contritio, ut non tollat omnia, licet se ad ea virtualiter extendat.

2. Si per quemvis caritatis actum tolli possent omnia venialia, ad quae se extendit, facile possent homines iusti esse sine ullis peccatis contra illud: ‚Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus‘ (1 Io 1, 8); nec egerent precatione: ‚Dimitte nobis debita nostra‘.

3. Contritione perfecta nunquam possunt tolli peccata venialia, quia iam per antecedentem conversionem ad Deum, ut quae sit virtualis retractatio aversionis, semper sublata sunt; nam sine praevia dispositione actus tantae perfectionis non elicietur.

4. Ut per contritionem perfectam tollere possemus venialia, deberemus ea detestari appretiative super omnia. Sed cum impossibile sit homini formaliter dolere de quovis levissimo peccato appretiative super omnia eo, quod summo bono displicuerit, ergo et virtualis dolor de venialibus peccatis ex hoc motivo perfectae contritionis erit nullus seu inefficax.

5. Summa Dei bonitas est motivum universale; ergo debet se semper extendere ad omnia etiam venialia.

6. Sicut unum est motivum fidei, ita et caritatis; ergo sicut unum credens articulum ceteros omnes implicite credit ex motivo fidei, ita etiam detestans peccatum mortale ex motivo caritatis, ex eodem motivo necessario detestatur etiam venialia peccata.

7. Bonitas Dei est dignissima et meretur talem appretiationem, vi cuius excludatur affectus etiam ad quaevis venialia, ergo illam digne non appretiat, uti meretur, qui contritionem non extendit etiam ad venialia; nec eam super omnia et summe appretiat.

8. Actus omnis dilectionis Dei gloriam aeternam meretur. Atqui *a*) talis actus a fortiori meretur venialium remissionem; *b*) cum mereatur finem, meretur etiam tolli impedimenta ad finem, quae sunt venialia (cf. Thom. Aq. I. II., q. 114, a 10).

Re vera maior certe aversio a Deo est in peccato gravi quam in levi; atqui ad illud tollendum sufficit contritio perfecta; ergo a fortiori et ad hoc, dummodo se ad id extendat. At non necessario se ad venialia extendit. Nam contritio perfecta (formalis) habetur per hoc, quod ex motivo caritatis concipiatur detestatio et dolor de illis peccatis, quae cum Dei amicitia pugnant. Sed venialia non pugnant cum Dei amicitia. Nec per veniale peccatum actus caritatis retractatur, sed per mortale.

Ad 1. Ad huiusmodi condignitatem sufficit proportio actionis et dignitas personae operantis.

Ad 2. »Sensus illius loci est non posse aliquem vere dicere se nunquam peccare. Addo etiam, nunquam posse hominem de se affirmare, quod sit sine peccato, quia non est certus de tali contritione«. Suarez, De poen. disp. 11, s. 3 n. 7. »Hoc voluit Ioannes dicere nec posse nos omni peccato carere sine Dei gratia nec sine ea unquam posse iustum vere dicere, se esse sine omni peccato«. Azor, Inst. mor. l. 4, c. 11, q. 6.

Ad 3. Non quaevis conversio ad Deum retractat virtualiter quodvis peccatum, sed per se solum aversionem aequivalentem seu, quae sub eisdem circumstantiis facta est.

Ad 4. Potest idem motivum gignere detestationem partim appretiative summam partim inferiorem, dummodo obiecta ne sint aeque detestanda. Cf. De Lugo, De poen. disp. 14, n. 146.

Ad 5. Motivum universale non semper universaliter movet. »Id oritur a voluntate, quae ex modo et efficacia detestandi vel restringit vel extendit suum actum; sicuti enim intellectus potest eidem obiecto ex eodem motivo diversimode adhaerere, nempe firmiter, firmius, firmissime propter diversam sui applicationem aut inclinationem voluntatis eum simul extrinsece determinantis, ita multo magis voluntas libera poterit per contritionem diversimode detestari hoc, quod displicet Deo ob eandem bonitatem Dei 1) detestando quidquid solvit amicitiam cum Deo, et haec contritio est infima seque extendit ad sola mortalia. 2. detestando quidquid magis deliberate fit contra Deum, et haec contritio est perfectior seque extendit ad omnia mortalia et venialia deliberata. 3. detestando quidquid ullo modo displicet Deo, et haec contritio est perfectissima seque extendit ad omne peccatum etiam ad veniale minus deliberatum; in praxi autem qui ad tertium gradum non contendit, vix perveniet ad primum«. La Croix, Theol. mor. tom. 6, n. 739.

Ad 6. »Fides non habet motivum nisi unicam Dei loquentis auctoritatem; e contra licet caritatis motivum formale ultimum sit tota Dei infinita bonitas, quae specie infima est unica, proximum tamen ratione multiplex esse potest, videlicet perfectiones omnes, propter

quas Deus amore dignus est; v. g. detestor peccatum mortale ex amore in Deum ut amicum, ut finem ultimum, etc.; quae motiva ad peccatum veniale non porriguntur, quibus nec amicitia divina solvatur nec homo a fine ultimo excidat. Quodsi de peccatis doleas eo, quod Deo summo bono displicueris per illa, etiam venialia dolore eodem comprehendis«. Wirceburgenses, De poen. n. 61.

Ad 7. »Quamvis non appretiet, quantum meretur, tamen simpliciter digne appretiat, uti meretur, qui potius vult amittere omnia bona et subire omnia mala, quam illam simpliciter deserere, sive quam solvere amicitiam cum Deo . . . Tum bonitas Dei appretiatur summe et super omnia, prout hic intelligimus, quando praefertur omni motivo simpliciter opposito bonitati Dei et exclusivo eius amicitiae«. La Croix, Theol. mor. t. 6 n. 740 s.

Ad 8. a) »Illud axioma ‚qui potest maius, potest et minus' habet locum solum in his, quae sunt eiusdem rationis aut subordinata, qualia non sunt remissio culpae venialis et meritum vitae aeternae; b) Qui meretur finem, meretur tolli impedimenta essentialia, non accidentalia. Alioquin qui meretur gloriam mereretur totius poenae temporalis remissionem, nam haec etiam est impedimentum ad illam«. Gonet, Clip. theol., tr. 5, disp. 4., n. 15. »Nota iustum non mereri immediate ipsam venialis remissionem, sed auxilium gratiae excitantis, quo movetur ad contritionem de veniali«. Becanus, De sacram. in sp. c. 32, q. 8.

Pars II. Probabiliter autem in homine iusto sub eadem condicione idem praestat etiam quoad deliberate commissa attritio (de eis ut offensis Dei) etiam virtualis et remissa et ea, quae non sit appretiative summa, modo excludat efficaciter voluntatem idem peccatum committendi.

Dub. 1. Si per attritionem remitterentur extra usum clavium omnia, ad quae porrigitur attritio, nunquam per eum daretur venialium remissio, siquidem absque praevia attritione nullum sacramentum confert venialium remissionem. Nam si non sit contritio vel attritio illorum, illa nec directe nec indirecte remittuntur per sacramentum. Nam gratia, quae confertur in absolutione peccatorum non sufficit ad remittenda venialia. Illa enim gratia nec est ex se incompossibilis cum venialibus, nec datur intuitu retractationis et confessionis venialium, neque illa peccata sine tali dolore possunt subici confessioni et per absolutionem remitti. Si vero sit dolor contritionis vel attritionis, non iam per absolutionem, sed per talem dolorem remittuntur. Cf. thes. 13, p. I p. 2^{0}. (Vasquez, In I. II. disp. 207).

2. »Peccatum quodlibet, etiam veniale, est aliquo modo contra Deum, quippe aversio aliqua et recessus a Deo. Ergo extra sacramentorum veluti privilegium, remitti non debet nisi per poenitentiam seu detestationem peccati conceptam propter Deum, seu per quam convertitur homo ad Deum, quae est contritio«. Laymann, Theol. mor. l. 5, tr. 6, c. 4, n. 14. Cf. Thomas Aq. S. th., III. q. 87 a. 1 ad 2.

3. »Peccatum veniale nunquam etiam extra sacramentum remittitur, nisi simul infundatur gratia sanctificans, tanquam per se remissiva peccati. Atqui gratia sanctificans homini extra sacramenta non infunditur sine actu caritatis formali aut virtuali«. Laymann, Theol. mor. l. 5, tr. 6, c. 4 n. 15.

4. »Sicut attritio venialium opponitur peccatis venialibus, ita retractatio mortalium mortalibus; ergo si illa delet venialia, etiam haec delebit mortalia. Sicut ergo attritioni de mortalibus horum remissio non est promissa, ita neque attritioni de venialibus a s. scriptura promissa ostendi potest remissio venialium.« Wirceburgenses, De poen. n. 59.

5. Voluntas venialiter peccando convertitur aliquo modo ad creaturam inordinate; ut illa inordinatio tollatur necessaria est eius retractatio. Sed per poenitentiam virtualem non proprie retractatur. Nam ex eo quod nunc bene operor non sequitur displicere mihi quod olim male operatus sum. Nec quisquam dicet furem abstinentem hodie a furto retractare furta sua prius commissa vel dantem eleemosynam satisfacere pro eis, quin ablata restituat.

6. Si virtualis attritio sufficeret, consequenter dicendum esset (quod Scotus et Suarez expresse fatentur) quemlibet actum meritorium relatum ab operante ad effectum remissionis a Deo obtinendae quoad venialia, mereri et obtinere illam. Sed tunc ultra concedendum est ipsam intentionem veniae accipiendae includere attritionem de veniali et mereri eius remissionem; et, cum talis intentio virtualiter includatur in appetitu beatitudinis et hic in omni supernaturali actu voluntatis, sequitur per omnem actum supernaturalem omnia venialia tolli; quod certe falsum est. Praeterea sequeretur rationem unicam cur remitterentur non esse mutationem voluntatis sed ad summum recordationem, quod bonum esset, si peccatorum omnium venia accipiatur; qua cognitione posita certe sequetur intentio illa mundans ab omnibus peccatis.

7. Remissio venialium extra sacramentum non fit sine condigna satisfactione vel merito; fieri autem potest, ut venialia sint quam plurima et gravia. Ad quae tollenda non sufficiet attritio remissa. Licet enim contritio etiam remissa tollat peccata mortalia, attritio, cum non sit actus ita nobilis, qui ex vi suae substantiae digno et proportionato modo convertat voluntatem in Deum sicut contritio perfecta, requirit complementum dignitatis ex perfectionibus accidentalibus.

8. Augmentum gratiae et caritatis non statim confertur, nisi quando ponuntur actus caritatis habitu intensiores; a pari nec peccata venialia tolluntur actu caritatis remisso; et a fortiori non: remisso actu attritionis. Quod confirmatur, quia in sacramento peccata non tolluntur sine infusione vel augmento gratiae; ergo nec per contritionem, quippe quae vices gerat sacramenti.

9. Si non requireretur attritio appretiative summa, homo, qui in facilioribus versatur circumstantiis, facilius liber esset ab omni peccato, quam alter, in difficilioribus positus adiunctis. Sed hoc pugnare videtur cum iustitia divina.

10. Requiritur attritio appretiative summa, si non potest remitti unum veniale sine alio; sed non potest. Nam macula peccati venialis opponitur privative actuali fervori caritatis; ergo non potest sine fervore caritatis remitti. Sed caritatis fervor quodcumque peccatum veniale excludit.

Demonstratur haec pars: Sufficit *A)* attritio formalis. Nam 1. Concilium Trid., Sess. 14, cp. 5. docet peccata venialia citra culpam taceri in confessione multisque aliis remediis expiari posse; ergo non est unicum remedium contritio. Sed nec sacramenta nec sacramentalia alio modo tollunt venialia ac mediate, quatenus scilicet ex institutione et meritis Christi vel ex orationibus ecclesiae a Deo obtinent digne (et sine actuali affectu ad venialia) ea recipientibus auxilia quaedam supernaturalia ad eliciendos actus, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displiceant et retractentur.

Nam 1º Eucharistiae fructus est inter alia remissio venialium; sed ad fructuose suscipiendam nec formalis nec virtualis de venialibus attritio requiritur; et tamen sine tali (ut patebit ex p. III.). remitti venialia non possunt; ergo non potest Eucharistia immediate tollere venialia, nec per consequentem poenitentiam tantum tollitur obex. Ergo

dicendum cum Petro Lombardo (l. 4. d. 12) venialia tolli ratione fervoris actus, qui excitatur per hoc sacramentum. Idem a fortiori valebit de reliquis sacramentis et de sacramentalibus. Cf. Thom. Aq. In l. 4. d. 16. q. 2. a. 2. q. 3. S. th. III., q. 79, a 4; q. 87, a. 3. ad 1.

2⁰ si venialia consistunt in privatione fervoris caritatis nec possunt solum extrinsecus condonari a Deo, forma opposita, per quam tollantur non potest esse nisi actus poenitentiae. Cf. Thom. Aq. S. th. III. q. 87, a. 2; Gonet, Clip. theol. t. 5, disp. 4, n. 61.

2. „Maxime congruum est, ut culpae leves, quae ex condicione et fragilitate humana facile ac frequenter et cum morali necessitate committuntur, facilioribus et frequentioribus remediis expientur, quam graves, quorum lapsus adeo frequens et necessarius non est, superioremque considerationem et libertatem desiderat." Ripalda, De ente supern. l. 4, disp. 97, n. 59. Unde „incredibile videtur eandem dispositionem requiri", quae ad remissionem mortalium requiritur. De Augustinis, De re sacram. l. 3, p. 1. a. 9, n. 4.

B) attritio virtualis 1. Attritio in genere requiritur ad remissionem, ut fiat peccatorum retractatio; sed retractantur etiam et nonnunquam efficacius per virtualem. Immo „re bene perpensa dolor, qui dicitur eliciendus formaliter, re ipsa ut plurimum nihil est aliud nisi actus reflexus, qui oritur ex dolore et detestatione, quae iam in corde residet. Quem tamen actum reflexum in aliis rebus non solemus quaerere. Ita v. g. satis aversari morbum eos dicimus, qui recurrunt ad medicum, licet de morbo detestando (formaliter quidam dicerent, nos dicemus reflexe) nihil cogitent. Ita verissimum et evidens est illud psalmi: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam, nec tamen actus formalis odii habetur." Ballerini-Palmieri, De sacr. poen. n. 93.

2. „Obsequia iusti ferunt secum tantam congruentiae rationem, ut remittantur venialia amico et filio, quantam fert contritio, ut mortalia remittantur homini non amico et filio; tum quia id, quod eis deficit bonitatis et perfectionis aequalis actui contritionis, suppletur abunde ex dignitate personae, quae confert maxime et movet ad remissionem venialium; tum quia excessus contritionis supra alios actus quoad bonitatem compensatur per excessum peccati mortalis supra venialia quoad gravitatem et malitiam." Ripalda, De ente supern. l. 4, disp. 97, n. 59.

3. Cf. *A)* 1. 2⁰.

C) attritio remissa. Nam quamvis remissa sit tamen cum aequivaleat actui opposito, sufficiens dicenda est. — Cf. etiam thes. 6. p. I., 3⁰, *b)*, 2.

D) attritio non appretiative summa. Nam 1. veniale unum remitti potest sine alio. Est enim in hoc discrimen a mortalibus „quia reatus aversionis a Deo omnibus mortalibus peccatis est communis iuxta illud Iac. 2, 10; porro reatus aversionis auferri nequit nisi per infusionem gratiae, et infusio gratiae est evidenter incompossibilis cum qualibet macula mortalis culpae, nisi velimus contradictoria posse esse simul; ergo vel omnia mortalia dimittuntur vel nullum. At vero sicut habitus gratiae compossibilis est cum quibuslibet venialibus, ita etiam

cum pluribus vel paucioribus; unde, si quem de aliquo veniali poeniteat, remissionem illius consequetur et poterunt remanere alia nondum per poenitentiam retractata.“ Billot, De Eccl. sacr. l. 2, q. 87, a. 2.

2. Si requireretur summa appretiatio, facilius medium ad remissionem venialium esset contritio perfecta quam omne aliud; et quaedam peccata minima vix unquam nisi in sanctissimis hominibus in hac vita remitterentur.

E) modo excludat efficaciter voluntatem idem peccatum committendi. Si enim eam non excluderet efficaciter, posset componi cum actuali amore peccati; „atque adeo absolute et simpliciter non esset poenitentia peccati, neque recessus voluntatis ab illo, prout opus est ad condonationem illus.“ Ripalda, De ente sup. l. 4, d. 97, n. 61.

Ad 1. Suarez haec fere respondet: »Satis est, quod aliquando peccata venialia tollantur per absolutionem, nimirum quando tolluntur simul cum mortalibus in homine tantum attrito; nam hic effectus satis ostendit claves per se vim habere ad tollenda peccata venialia, quando dispositio poenitentis per se sola non sufficit. Unde quod in homine grato semper supponantur ablata ante absolutionem per condignam satisfactionem est accidentarium ad virtutem clavium et non tollit veritatem formae. Nec vero inde fit, ut confessio talium peccatorum sit superflua; quia licet non conferat ad maiorem certitudinem de remissione ipsorum, sicut confert in mortalibus et in venialibus, quae cum illis simul remittuntur« utilis est tamen *a*) ratione sacramenti, ad quod conficiendum illa materia sufficit, atque adeo ratione infusionis gratiae sanctificantis, *b*) ratione poenae illis debitae, quae saltem ex parte vi sacramenti remittitur; *c*) ratione gratiae sacramentalis, quae vi sacramenti confertur, ad ea evitanda in posterum; *d*) ratione confusionis et directionis. (Suarez, De poen. disp. 11, s. 3, n. 18.) Nec quod De Lugo huic solutioni opponit, esse sc. contra sensum fidelium nunquam remitti praeter illum casum clavibus peccata venialia, quidquam evincit; sequeretur enim nec per Eucharistiam nec per caritatem perfectam, sine quibus sane fideles non diu manebunt in statu gratiae, venialia tolli ante usum clavium.

Sed alia oritur difficultas sc. de veritate formae. Ut explicatio Suarezii salvetur necessarium esse videri posset supponi remissionem venialium formaliter fieri per augmentum gratiae (cf. Palmieri, De poen. th. 12, VI.); cuius sententiae incommodum iam tetigimus (decl. 1); tunc enim in remissione venialium cum mortalibus sensus formae determinatus esset: Do tibi augmentum gratiae, quo formaliter tollantur venialia; in remissione solorum venialium: Do tibi augmentum gratiae per se remissivum venialium. — Sed si vera est sententia eorum, qui dicunt tolli venialia formaliter per actum oppositum, et vera eorum, qui tamen sine gratia antecedente vel concomitante ea tolli negant (ut Amort), verba absolutionis relate ad venialia sensum videntur habere posse: ‚Do tibi gratiam ad actus eliciendos, quibus peccata tua venialia formaliter tollantur.‘ Quodsi iam remissa sunt, ut cum sola venialia clavibus subiciuntur, sensus absolutionis relate ad ea saltem (cf. Pesch, Prael. dogm. t. 7, n. 199), quae directe remitti dicuntur, iam non poterit ille esse, sed solum: Do tibi gratiam, quae correspondet tuis actibus attritionis. Sed hoc incommodum habebitur in sententia parti huic opposita tunc saltem, cum praecesserit actus contritionis perfectae, qui omnia iam delevit. — Aliquomodo commodius dici posset in sententia (quam consequentia exigi dicit Azor. Inst. mor. l. l. 4, c. 10, q. 17.) eorum, qui statum gratiae non requirunt, ut possint venialia tolli actibus oppositis (utique non sine auxilio gratiae positis), hunc postremum sensum verbis absolutionis quoad venialia semper esse tribuendum; quod tamen recipiatur insuper gratia ad actus etiam

reliquis venialibus, nondum remissis, oppositos eliciendos, hoc nec in aliis sacramentis exprimitur, nec hic est, cur exprimatur. — Sed neque haec solutio satisfacere potest vel ideo, quia aliena est a sensu obvio verborum absolutionis, et maxime, quia sententia praedicta extra statum gratiae posse remitti venialia a veritate aliena videtur, cum peccatori desit directio in finem, quam directionem haberet per gratiam sanctificantem. Non potest ei dari ‚fervor caritatis', quo tollatur formaliter eius defectus, si caritatem non habet; nec enim per retractationem venialis (etiam simul cum imperfecta contritione) in finem iam dirigitur ita prout deberet esse directus.

Dicimus igitur peccatum veniale consistere formaliter in privatione integrae actualis directionis ad finem. In peccatore sane non reapse demit integram actualem directionem, sed, quantum est in se, ea privat. Dicimus consequenter veniale condonari eo, quod homo iterum integre in finem dirigatur. Non igitur per attritionem solam tollitur veniale, sed per attritionem et gratiam sanctificantem, quatenus praesupponitur ad hanc remissionem. Itaque per absolutionem a venialibus datur gratia, quatenus est fundamentum remissionis venialium. Sensus igitur absolutionis sacramentalis declarari potest cum Caesare Manzoni (De natura peccati deque eius remissione. S. Angeli Laudensis 1890, n. 311, p. 362) verbis his: »Ego tibi confero gratiam sanctificantem radicaliter remissivam venialium, quae accusasti.«

Ripalda, De ente supern. l. 4, disp. 97, n. 70 ss. triplex aliud responsum proponit: posse. *a*) attritioni ex motivis minus nobilibus denegari vim ad tollenda venialia *b*) vel attritioni intrinsece inefficaci et efficaci extrinsece *c*) vel posse confugi ad arbitrium divinum, cum attritio non mereatur venialium remissionem nisi de congruo. Sed supponit sane peccata venialia non posse formaliter tolli actibus oppositis.

Ad 2. Non est cur requiratur conversio perfecta, qua homo convertatur formaliter ad Deum finem cui; sed sufficit vera, qualis est etiam in attritione a nobis postulata.

Ad. 3. S. Thomas Aq., S. th. III., q. 87 a. 2. dicit: »Ad hoc, quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia«. Unde negari potest maior, si tamen veniale non consistit in privatione augmenti gratiae per opus bonum omissum acquirendae. Sed minor certe, licet s. Alphonsus etiam pro ea s. Thomam afferat, quem tamen alii (velut Billuart) rectius explicare videntur, probari non potest.

Ad 4. »Per veniale convertitur voluntas ad creaturam non ut ad ultimum finem, sed ut ad obiectum non referibile ad verum ultimum finem«. Suarez, De poen. disp. 11, s. 1, n. 4. Mortale opponitur caritati, veniale eius fervori.

Ad 5. Si opus bonum non consideratur abstracte sed concrete ut procedens ex motivo virtutis, semper est virtualis dolor peccati oppositi antea commissi qua offensae Dei.

Ad 6. Attritionem intelligimus eam, quae excludat efficaciter voluntatem idem peccatum committendi.

Ad 7. Responderi potest »ex coniunctione ad gratiam accipere illum actum magnum valorem moralem, ratione cuius plus valet apud Deum in ordine ad meritum, quam ipsa contritio, ut est prior quam gratia«. Suarez, De poen. disp. 11, s. 3, n. 17.

Ad 8. Negari potest vel paritas vel sententiae de augmento gratiae et de essentiali relatione venialium ad sacramentum poenitentiae.

Ad 9. Deus non sinit tentare hominem supra vires.

Ad 10. »Cum fervor caritatis habeat quandam latitudinem, fieri potest, ut aliquis fervor caritatis opponatur solum aliquibus peccatis venialibus, non tamen omnibus (quia non tantus est, ut formalem aut virtualem omnium displicentiam includat) subindeque licet per illum caritatis fervorem aliqua peccata venialia remittantur, non tamen omnia«. Gonet, Clyp. theol. t. 5, disp. 4, n. 22.

P. III. Semper vero requiritur aliqua contritio (formalis vel virtualis).

Dub. 1. Nulla est contritio sine serio proposito. Sed non potest serium propositum vitandi venialia concipi, cum obiectum talis propositi esset res impossibilis, ut patet ex conc. Tridentino.

2. Neque sacramentalia possunt dici solum excitando aliquem motum pium venialia remittere. Nam in decreto Alexandri I. legimus: ‚Aquam sale conspersam in populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur'. Et postea: ‚Si enim cinis vitulae aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale conspersa populum sanctificat et mundat; et si sale asperso per Eliseum prophetam sterilitas aquae sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum et inquinatos sanctificat et purgat'. Ita Azor. Ergo ipsa remittunt venialia idque sine poenitentia, quae si necessario praecederet, nunquam possent virtutem suam exercere.

3. Si verum esset quod ponimus, sacramentalia solum mediate remitterent peccata, excitando scilicet fervorem caritatis; sed tunc nulla esset differentia inter illa et sacras imagines, quae etiam excitant in nobis pios motus et affectus.

4. Si quis cum affectu ad veniale decumberet et dormiens subiret pro Christo mortem, quam ante acceptasset, is utique venialium remissionem consequeretur, alioquin enim orari pro eo posset contra tritum id Augustini: ‚Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre'. Atqui tunc sine poenitentia remissionem consequeretur.

5. Fieri potest, ut quis paulo post suam iustificationem per baptismum moriatur in peccato veniali nullo adhuc opere meritorio facto. Sed, cum status alterius vitae non sit status viae sed termini, nullus actus hominis post hanc vitam potest esse meritorius vel satisfactorius vel consequenter causare remissionem peccati venialis. Ergo condonabitur per meram condonationem externam Dei: Accedit quod post mortem hominis voluntas iam mutari non potest sicut nec voluntas angeli; ergo nullo modo potest peccatum commissum retractari.

Prob. 1⁰ Peccatum leve est inordinatus amor creaturae. Ergo tamdiu remanet, quamdiu voluntas inordinate adhaeret creaturae; atqui inordinatus ille amor non tollitur, nisi displiceat. Ergo ad remissionem peccati levis requiritur poenitentia seu retractatio saltem implicita. Cf. Thomas, S. th. III., q. 87, a. 1. Augustinus, Ep. ad Vincentium episc. 93 n. 52 s.

2⁰ Si poenitentia opus non esset, aut tollerentur peccata venialia per quodvis opus meritorium, licet eorum retractationem non includat, aut per claves vel alia sacramenta vel sacramentalia ita, ut contritione nec antecedente nec consequente opus sit aut denique per condonationem Dei externam. Sed *a)* per opus meritorium qua tale solum eatenus possunt tolli peccata, quatenus per illud meremur gratiam excitantem, qua moveamur ad actum contritionis. Secus, sive spectetur gratia habitualis, quam tali opere meremur, sive ipsum opus secundum se, non potest qua tale tollere venialia. (Cf. Becanus, De sacram. c. 32, q. 4). Nam „cum peccatum sive mortale sive veniale non remittatur saltem de facto per solam non imputationem sed per actum vel formam ipsi contrariam sive cum eo incompossibilem, illi actus [vel formae] dumtaxat sufficiunt in homine iustificato ad remissionem venialium, qui sunt incompossibiles cum peccatis illis; sed non quodlibet opus meritorium [vel gratia habitualis, quam hoc meretur]

est incompossibile cum peccato veniali; alias enim remanens in tali peccato nihil omnino mereretur.“ Gonet, Clyp. theol. t. 5, tr. 5, disp. 4, a. 1. § 1. Accedit probabilis ratio, quod, si per quodlibet opus meritorium per se, etiamsi non referatur ab operante ad obtinendam remissionem venialium, tollerentur peccata venialia, quibus non opponitur, iusti, qui opera sancta quasi perpetuo exercent, frequenter liberi essent ab omnibus peccatis. Sed iustus certe et magnus Dei amator Ioannes haec scripsit 1 Io. 1, 8: Ἐὰν εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, ἑαυτοὺς πλανῶμεν καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν. Cf. Sylvius, In Summ. III. p. q. 87 a. 1.

b) Per claves certe non possunt directe remitti peccata, nisi antecedat poenitentia idonea. Verum etiam culpas veniales indirecte per claves vel per sacramenta alia vel per sacramentalia sine aliqua poenitentia non remitti omnes consentiunt et merito. Nam sacramenta nihil in homine pariunt praeter gratiam aut gratiae augmentum. Atqui neutrum ratione sui incompatibile est cum venialibus. Ideo solum eatenus sacramenta remittunt venialia, quatenus nata sunt excitare fervorem caritatis, quo venialia tolluntur. Sacramentalia vero (ea, quae non includunt poenitentiam) nec ad hoc habent virtutem ex opere operato et infallibiliter, ut conferant gratiam actualem, qua excitemur ad poenitentiam de venialibus, sed solum ex opere operantis ecclesiae, quae suis orationibus nobis non immediate remissionem venialium, sed contritionem impetrat, qua tollantur. Cf. De Lugo, De poen. disp. 9, n. 61.

c) Nec per meram externam condonationem Dei venialia unquam delentur. Nam veniale remitti non potest nisi per aliquam formam ipsi oppositam et cum eo pugnantem. Cf. Thom. Aq., De malo qu. 7, a. 11; Suarez, De poen. disp. 11, s. 4, n. 11; De Lugo, De poen. disp. 9, n. 35.

Ad 1. Impossibilitas vitandi venialia seu impotentia, de qua agit synodus Tridentina non antecedens est intelligenda, acsi Deus hoc nobis impossibile redderet, quod a nobis fieri vult (auxilio sufficienti concesso); cf. Ballerini-Palmieri, Opus, theol. mor. tr. 10, n. 100, sed eadem, quae experientia colligitur in nostro libero arbitrio posita est ita, ut nostra sit culpa, nostra negligentia (etsi hoc a Suarez, De gr. l. 9, c. 8., n. 14 non concedatur), cum veniale committimus. Cf. hac de re Sl. l. th. III., p. 105.

Ad 2. »Verbum illud ‘sanctificandi’ amplissimum est. Et de legalibus ceremoniis affirmat Augustinus, De vera et falsa poen., c. 20 abstulisse peccata venialia, quod sine dubio non faciebant ex opere operato.« Suarez, De poen. disp. 12, s. 2, n. 9.

Ad 3. »Aliter sacramenta vel sacramentalia et aliter imagines sacrae excitant in nobis fervorem caritatis; imagines enim sacrae eum excitant solum obiective; sacramentalia vero et sacramenta impetrative, quatenus ex meritis Christi vel ex precibus ecclesiae impetrant a Deo auxilia supernaturalia, quibus homo in actus ferventes caritatis prorumpit«. Gonet, Clyp. theol. tr. 5, disp. 4., n. 79.

Ad 4. Ideo non potest ecclesia orare pro martyre, quia martyri poenae condonantur sive veniale in ultimo statu viae sive in primo termini sublatum est.

Ad 5. »Fieri potest, ut venialia quoad culpam deleantur per actus displicentiae, qui nec vere meritorii sint, nec proprie satisfactorii, ut in praesenti vita, sed quandam habeant cum peccato repugnantiam«. Collet, De poen. p. 2, c. 3, n. 104. Voluntas enim, licet mutari

post mortem nequeat »quantum ad finem vel quantum ad caritatem aut gratiam, potest tamen accidentaliter mutari«. Thom. Aq., De malo qu. 7, a. 11, ad 2. Cf. Anastasius Sin. Interrog. 22.

P. IV. Votum autem venialia clavibus subiciendi aut contritionem formalem eliciendi nunquam est necessarium.

Dub. 1. Venialia certe possunt esse materia confessionis; sed confessio ordinatur ad iudicium; iudicis autem est potestas et absolvendi et retinendi. Ergo venialia retineri possunt. Ergo usus clavium ad ea remittenda est saltem in voto necessarius.

2. Ad idem retinendum Dominus potestatem dedit, ad quod remittendum. Ergo absolutio sacramentalis est necessaria necessitate medii.

3. Si recursus ad claves quoad venialia necessarius non esset, ingens onus sacerdotibus a Christo impositum esset sine causa proportionata. Sed hoc quis dixerit?

4. Si confessio venialium superflua esset, facile homines pro magna sui aestimatione sibi persuaderent se non cum plena deliberatione peccasse vel saltem id dubium esse. Sed talem sequelam Dominus permittere non potuit.

5. Potestas satisfactionem imponendi colligitur ex potestate retinendi peccata. Illam certe sacerdotes habent quoad venialia; ergo et hanc.

6. Ex praecepto Concilii Lateran. IV. omnes fideles saltem semel in anno omnia peccata confiteri tenentur; ergo etiam venialia; ideoque votum contritionis formalis habere debent.

„Cum potestas remittendi et retinendi sit delegata a Deo, est potestas remittendi ea peccata omnia, quae potest et vult Deus remittere et retinere. Porro effectus retentionis peccatorum per ministerium huius potestatis in hac vita est retenta ea esse a Deo, qui ratam habet sententiam ecclesiae; retenta autem esse a Deo peccata, est ea non remitti unquam a Deo, neque in hac neque in altera vita; dixi non remitti unquam independenter ab illa potestate; si enim independenter ab illa petestate vel independenter ab exigentia huius potestatis Deus remitteret tandem peccata, falsum simpliciter esset, ea retenta esse in caelo, quae in terris retinent sacerdotes; quia semper retinent, quamdiu non remittunt. Iam vero peccata venialia, quae sola sint, nec vult Deus nec potest ita retinere. Cum enim ea peccata impediant ex se ingressum in caelum, ex alia vero parte iustus ratione gratiae, qua filius et amicus Dei est, ius habeat ad gloriam, necesse est, ut haec peccata tandem remittantur, ideoque, si iustus pro ipsis non satisfecerit libere, cogatur satispati. Igitur peccata venialia non sunt huiusmodi, ut perpetuo retineri possint. Cum ergo potestas collata apostolis sit potestas retinendi perpetuo: quorum retinueritis, retenta sunt, *κεκράτηνται,* ea potestas non extenditur proprie ad peccata venialia; ad quae tamen se extendit potestas remittendi; nam peccata venialia sunt remissibilia et quidem facilius quam mortalia. Non est eadem extensio potestatis remittendi et potestatis retinendi, sed utraque indefinite patet, quantum potest, seu quantum patitur natura obiecti.“ Palmieri, De poen. th. 10, III. Quodsi potestas retinendi ad venialia se non extendit, non potest votum ea clavibus subiciendi esse necessarium necessitate medii. Sed neque est necessarium necessitate praecepti. Imprimis non ex praecepto concilii Lateranensis IV. c. 21; nam

illud loquitur de peccatis mortalibus, quod patet ex eo, quod postulat confessionem peccatorum omnium; et ex Conc. Tridentino, Sess. 14, cp. 5. Ergo praeceptum illud non obligat nisi illos, qui grave peccatum commiserunt; sed, ut s. Thomas (In l. 4. sent. dist. 17. q. 3 a. 1; cf. D. Scotus eadem dist.), dicit „sufficit ad praeceptum Ecclesiae implendum, ut se sacerdoti repraesentet et se ostendat absque conscientia mortalis esse, et hoc ei pro confessione reputatur." Cf. Ballerini-Palmieri, Tr. 10, s. 5, n. 1061. Verum neque aliud praeceptum exstat, propter quod votum venialia clavibus subiciendi in contritione necessario includendum sit. Nemo enim potest cuiquam iniungere, ut hoc determinatum veniale clavibus subiciat. Ergo neque praecepti necessitate huius rei votum requiritur.

Consequenter autem nec voto contritionem (vel attritionem) formalem de venialibus eliciendi opus est. Nam non esset alius fons obligationis ad hoc praeter praeceptum confessionis, quod non exstare ostendimus.

Dubitationes ex dictis facile solvuntur. *A. Špaldák.*

XIV.

De causa papae Liberii.[1])

1. Etiam Liberii nomen quaestiones de Romani Pontificis infallibilitate agitatae celeberrimum effecerunt, cum infallibilitatis huius adversarii etiam in hoc pontifice firmissimum suae causae praesidium repositum esse arbitrati sint. Quem in sensum A. Homjakov scribere posse sibi visus est: „Liberius iudicatus est Semiarianus, propter assensum datum symbolo Mediolanensi",[2]) et N. Bělaev: „Liberius insidiis Arianorum in exilium missus libertatem pro mutata doctrina ecclesiae emit et symbolum Sirmiense subscripsit" [3]) et alibi: „Nomine subscripto Liberius utique sanctionem dedit symbolo Sirmiensi et ea re auctoritatem symboli oecumenici reiecit".[4]) Quae eos errores protestans Georgius Krüger, etiam alias aequior catholicarum rerum aestimator dedocere potest dum fructum suorum in hanc quaestionem studiorum his verbis complectitur: „Nulla certe est ratio, de orthodoxia eius dubitandi aut de „lapsu Liberii" loquendi".[5]) Atque hanc eius sententiam solam veritati historicae respondere, documentorum discussione invicte demonstrabitur.

2. Ut autem verus status quaestionis ab oculis ne dilabatur, quod in causa Honorii iam monuimus [6]), id etiam hic monere non pigebit: Nihil videlicet contra doctrinam Romanam effici, etiamsi quis probare se posse confideret, Liberium quocumque modo errasse nisi etiam demonstraverit,

[1]) Jungmann, Dissertationes in H. E. II. 2, ubi antiquior litteratura. Grisar, K. L. VII. 1951. G. Krüger, Real-Encyklopaedie[3] XI. 450. F. Savio, La questione di papa Liberio, 1907, ubi recentior litteratura.
[2]) Polnoe sobranie sočinenij[3] VII. 122; F. II. 71.
[3]) O katolicizmě. Kazań 1889, p. 179.
[4]) P. 180.
[5]) Real-Encykl. XI. 453.
[6]) Slav. L. Th. III. 148 ss.

Liberium definitionem id est locutionem ex cathedra, eandemque falsam edidisse. Cum enim concilium Vaticanum solam in definiendo seu loquendo ex cathedra infallibilitatem Romano Pontifici vindicaverit, aerem verberat, qui aliquem Romanum Pontificem non ex cathedra loquentem errasse contendat.

3. Factum historicum vero, quod omni dubitationi ansam dedit, reditus Liberii ex exilio Beroeensi est. Quaestio autem solvenda haec est, utrum Liberius, ut facultatem ex exilio redeundi a Constantio Imperatore impetraret, vel definitionem ex cathedra eamque falsam ediderit, vel saltem minus decore se gesserit. Atque ad utramque quaestionem, omnibus quae in contrariam sententiam afferri solent non obstantibus, negative est respondendum.

Ut vero quaestio, multitudine earum rerum quae considerandae atque in iudicio ferendo respiciendae sunt, iam satis intricata, inquisitionibus utilibus quidem at non necessariis non magis obscuretur, tantum ea quae vere necessaria sunt eo ordine proponemus, qui firmitati et perspicuitati demonstrationis proponendae maxime inservire videbitur.

I. *De fontibus eorumque usu.*

4. Ac primum quidem, cum generatim, tum maxime in hac quaestione de recta fontium constitutione omnia pendere nemo est qui non videat. Si enim quae contra Liberium congesta sunt documenta paulo attentius considerentur, inter haec non pauca sane inveniunter, quae in testando aut prorsus nullam auctoritatem habent, aut quorum usus pro eorum natura non potest esse nisi cautissimus. Alia enim spuria sunt; alia longo post res gestas tempore scripta, cum rerum gestarum memoria iam nulla erat; alia sive quoad testium cognitionem sive quoad eorum in testando bonam fidem gravissimis dubitationibus obnoxia sunt, alia bonam fidem in testantibus nullam fuisse manifeste produnt. Quorum deinde in universum quidem neque bona fides neque rerum gestarum cognitio in dubium vocari potest, ea in usu qui de ipsis in hoc determinato casu faciendus est, magnam circumspectionem requirunt: quae omnia cum de singulis fontibus sermo inciderit, evidenter patebunt.

5. Quod vero in omnium fontium usu cautionem insolitam adhibendam esse statuimus, ratio huius rei est, quia testes immediatos omni exceptione maiores non habemus, tum quia hic non quid fuerit probandum est, sed quid non fuerit, quod tum ex natura rei, tum teste experientia solet esse difficillimum. Probat enim quotidiana nostrorum dierum experientia, ut, si quando viro innocentissimo calumnia aliqua impingatur, etiamsi efficacissimae innocentiae eius probationes afferantur, rarissime fieri ut omnis de eius probitate suspicio ex animis evellatur; quae enim est hominum in malis de proximo credendis, maxime si alicui parum faveant credulitas, „semper aliquid haeret".

6. Non igitur viri prudentis est, vulgare illud, etsi potius inconscium ratiocinium imitari: Multorum ore tale crimen praedicatum est; ergo aliquid saltem veri suberit. Viro prudentí tantum examen fontium accuratum sine ira et studio institutum, fundamentum praebere potest ad talia crimina diiudicanda. Qua in re sane nobis gratulandum est, quod non catholici solum sed etiam protestantes, hac via ad aequius de Liberio ferendum iudicium adducti sint.

Accusatorum, sive illius sive nostri temporis, est, crimen obiectum evincere, quod si facere non possunt, iustitia et veritas historica postulat, ut is qui accusatur non solum non condemnetur sed etiam absolvatur et innocens declaretur. Id enim non solum de iudice forensi valet, verum etiam de iudice historico. Est quidem inter forense iudicium et iudicium scientificum haec differentia, quod saepe saepius propter defectum probationis iuridicae aliquis condemnari in foro nequeat, qui tamen propter rationes etsi non iuridicas attamen gravissimas ab omnibus reus iudicatur. Quem nec historicus innocentem dicet. Verum clarum est, etiam hic suspiciones per aera volantes, maxime si studio partium inserviant iisque rationes graves in contrarium obstent, sufficere nullo modo posse sed etiam ad mere historicam probationem argumenta convincentia esse postulanda — quae utrum in causa Liberii adsint, auditis rationibus quisque aequus iudex iudicabit.

II. *Epistolae quattuor, Liberio attributae, spuriae sunt*[7]).

7. Baronius[8]) quibusdam litteris Liberio adscriptis nixus, etsi Liberium nec professionis haereticae nec definitionis falsae reum iudicat, tamen a debilitate in fide defendenda excusari non posse asserit. Neque negari potest, epistolae illae si revera a Liberio scriptae sint, eum a tali culpa excusari non posse, nec quidquam tunc nobis dicendum restare, quam quod Athanasius in eadem causa scribit: „Quae tormentorum vi praeter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita“[9]), quae res etsi ad purgandum hominem Liberium non sufficeret, ad Romani pontificis in definiendo infallibilitatem vindicandam plus quam satis esset, cum nulla ibi definitio, ubi nulla libertas.

Unicus fons e quo hae epistolae Baronii tempore primum innotuere et etiamnum notae sunt, sunt fragmenta quaedam litteraria, quae ex sancti Hilarii opere historico desumpta communiter existimantur.[10]) Iam vero ante omnia statuendum est, et epistolas illas spurias esse et fragmenta illa huiusmodi ut ex eo, quod epistolae Liberii in eis inveniantur, nulla his epistolis accedere possit historica auctoritas.

8. Ut hoc appareat, statim nervus rei tangendus est. Certum est enim in illis fragmentis reliquias ex duobus diversis libris Hilarii contineri, quae nunquam a Hilario ipso in librum non solum externe sed etiam logice unum coniuncta sint. Prior est liber aliquis a S. Hilario paulo post concilium Mediolanense scriptus, prius quam ipse in exilium pelleretur; alter est liber post concilium Ariminense scriptus, quo teste Hieronymo[11]) Valens imprimis et Ursacius notabantur. Existentia alterius libri facile conceditur, existentia prioris illius probanda.

9. Iam vero Hilarium talem librum scripsisse, ex fragmento I. evidens est, cum notae chronologicae non paucae quae in introductione ibi con-

---

[7]) Migne, P. L. 10, 679, 686 ss.
[8]) Ad. A. 357, 38, 41 ss.
[9]) Hist. Arian. n. 41 (M. P. G. 25, 742).
[10]) M. P. L. 10, 627—724. M. Schiktanz, Die Hilarius-Fragmente, Breslau 1905, et eius recensio facta ab A. Feder, (Zeitschrift für kath. Theologie 1907, 722 ss.) A. F. Savio (La questione di papa Liberio, 63 ss.).
[11]) De viris illust. n. 100 (M. P. L. 23, 699).

tenta inveniantur, omnes tempus aliquod a concilio Arelatensi parum distans indicent.[12]) Ut enim minora taceam, hoc fuit illud tempus, quo, Magnentio debellato, sicque etiam in Romano imperio quiete restituta, „rex angebatur, palatium fervebat, episcopi circumcursabant, officiales magistri volitabant, adversus catholicos viros officiorum omnium festinatione turbabatur“: de pace imperii Hilarius post diu iam victum Magnentium non iam locutus esset, bene vero tunc, cum pacis vixdum obtentae beneficium magis ab omnibus aestimabatur. Sed quod gravius est, dicit Hilarius ibidem, se velle incipere „ab his quae proxime gesta sunt, id est, eo tempore, quo primum in Arelatensi oppido . . . Paulinus . . . eorum se perditioni simulationique non miscuit“: quo clare tempus concilii Arelatensis indicatur, quod cum scribenti Hilario „proximum“ adhuc esset, non diu post illud scribere potuit.[13]) Scripsisse tamen Hilarium non immediate post Arelatense concilium sed etiam Mediolanensi iam transacto, id tum ex „quorundam“ iam episcoporum exiliis commemoratis, tum ex libro Hilarii primo ad Constantium[14]) patet; hic enim liber, quem nuper Wilmart[15]) partem operis historici ab Hilario conscripti esse ostendit, nihil aliud est, quam continuatio fragmenti II., cum vero in illa continuatione gesta Mediolanensia iam commemorentur eaque ut proxime elapsa designentur[16]), patet librum illum paulo post concilium Mediolanense scriptum esse.

Estque scriptus ab Hilario adhuc in Galliis degente. Elucet hoc ex loco aliquo fragmenti I. cuius lectio tam certe corrupta est quam facilis ad restituendum; dicit enim ibi Hilarius, se opus aggredi „locorum quibus res gesta est, nosque agimus, desperatione peregrinum“[17]); quod patet esse lectionem depravatam pro „separatione“. Opus igitur illud seu potius materia in illo opere tractanda, turbationes scilicet Arianae, specialem difficultatem Hilario scribenti faciunt quia sunt „locorum separatione“ seu distantia peregrina, dum alius est locus „in quibus res gesta est“, alius locus „in quo nos agimus“. Iam vero locus turbationum Arianarum praecipuus usque ad illud tempus fuerat oriens, ergo Hilarius cum haec scriberet, adhuc in occidente versabatur hoc est in Gallica sua patria.

10. Iam vero primum illud opus Hilarii, ante exilium ab ipso conscriptum nunquam ab ipso Hilario cum aliquo alio opere in perfectam unitatem logicam fusum est, cum in libro posteriore tempore, puta post concilium Ariminense scripto, introductionem illam, qua tempus scriptionis designabatur ut concilio Arelatensi vicinum, conservare non potuisset. Neque illud primum opus characterem fragmentarium habebat, ut sequentia legenti videri possit: „Raptim tunc haec per nos ingerebantur, corruptio evangeliorum, depravatio fidei et simulata Christi nominis blasphema confessio“: haec enim omnia de praeterito dicuntur, atque de „sermone“, in quo „necesse fuit omnia esse praepropera, incomposita, confusa“, atque ob hanc

---

[12]) Sic nunc etiam A. Feder (Zeitschrift für kath. Theologie, 1907, 734.), B. Marx et A. Wilmart, ibidem citati.

[13]) Fragm. I. n. 4—7 (M. P. L. 10, 630 s.).

[14]) M. P. L. 10, 557 ss.

[15]) Revue bénéd., 1907, 149 s.

[16]) M. P. L. 10, 562.

[17]) M. P. L. 10, 630.

ipsam causam Hilarius dicit se iam rem omnem „propensiore cura" „hoc volumine" velle exponere.[18])

11. Hoc primum opus autem, quod nec ab initio characterem fragmentarium habuit, eiusmodi est, ut etiam hodie eius dispositionem saltem ex parte indicare possimus: tria enim tractationis capita in fragmento secundo clare indicantur: „Satisfecimus igitur primae propositioni, qua spondimus, Athanasium reum teneri nullius eorum quae obiectatis criminum posse. Superest ut de Marcello et Photino quod gestum est, paucissimis dicam" [19]). „Nam tertius mihi locus praestat, ut fidem, quam epistolae primordio condiderunt, fraudulentam demonstrem" [20]). Ubi tamen duo animadvertenda sunt; primo verba illa quae a nobis primo loco allata praecedunt, „tria illa quae tractanda fuerunt" [21]) non divisionem operis Hilarii sed divisionem relationis a Synodo Sardicensi ad Iulium Romanum pontificem factae continere, secundo, alterum locum a nobis citatum non de fide in epistola aliqua Sirmiensium contenta sed de alia non satis determinata agere; id ex eo evincitur, quod Hilarius, ubi hanc fidem carpit, incipiendo a numero vigesimo tertio[22]), cum talibus agit, qui damnationem Marcelli ab Athanasio factam vituperabant, dum in numero praecedente de talibus agit, qui Athanasium in Marcello condemnando imitabantur.

12. Praeter fragmentum I et II in tota collectione, quae ex quindecim fragmentis constat, tantum duo, III et V, et pars quarti et sexti inveniuntur, quae chronologice spectatae ad primum opus pertinere possunt; valde probabile est, fragmentum tertium, quod acta pseudosardicensia continet, cum actis Sardicensibus fuisse coniunctum; fragmentum quintum, quod epistolam a Liberio ad Constantium pro postulando concilio Aquileiensi missam continet, fini quem Hilarius sibi in primo opere proposuit, apprime respondet, ideoque vero simile est, etiam ipsum exinde esse desumptum; idem de epistolis Liberii ad exules, ad Caecilianum et ad Hosium valet, quae primam partem fragmenti sexti constituunt.

13. Manent igitur secunda pars fragmenti quarti et sexti, et novem reliqua fragmenta, quae cum de rebus postea gestis agant, ad primum illud opus pertinere non potuerunt. Ad secundum autem opus, post concilium Ariminense scriptum, tria ultima fragmenta (XIII., XIV., XV.) pertinere nec ipsa potuerunt, cum de re agant, quae sub ipsum tempus mortis Hilarii accidit, de conversione Germinii Sirmiensis. Remanent igitur tantum sex (VII.—XII.), cum duobus dimidiis (IVb, VIb), in quibus quattuor sunt, quae nihil omnino praeter documenta cum suis titulis continent (VII., IX., XI., XII.), duo tantum (VIII., X.) et duo illa dimidia praeter documenta aliquem textum continent. Quod vero hunc textum attinet, in tribus ex quattuor locis tantum

---

[18]) M. P. L. 10, 630 s.
[19]) M. P. L. 10, 645.
[20]) M. P. L. 10, 652.
[21]) M. P. L. 10, 640.
[22]) M. P. L. 10, 651.
[23]) Genuinitatem harum epistolarum, quam Hefele (Concilien-Geschichte I.[2] 648 ss., 689 ss.) definitive profligasse videri poterat, iterum defendere conatur Schiktanz, l. c, cui tamen iam iterum contradicunt L. Saltet (Bull. de lit. eccl 1905, 230), A. Wilmart (Revue bénéd., juillet 1907), F. Savio (l. c. 61 ss.) et H. Hurter (Zeitschrift für kath. Theologie, 1908, 415).

aliqua reflexio in determinatum documentum (IVb, VIb), vel nota obvia (VIII.) continetur, dum unicus textus longior adsit (X.), qui tamen nihil aliud quam invectivam Hilarii in Ursacium et Valentem propter perfidiam, ipsis auctoribus Arimini perpetratam continet. Quare, quod bene notandum est, in totis fragmentis ne unicus quidem locus continetur, quo dispositio aliqua secundi illius Hilariani operis, post concilium Ariminense scripti adumbretur, nullum omnino indicium, quaenam documenta ille liber comprehenderit ideoque sine ullo fundamento ex eo quod aliquod documentum imprimis in secunda serie a nobis descripta continetur, aliquis illud documentum ab Hilario libro suo insertum esse, multoque minus illud ab Hilario tanquam genuinum consideratum esse contenderet; praesertim cum tria documenta ibi contineantur (XIII., XIV., XV.), quae quasi certo Hilarius referre propter mortem non iam potuerit. Quare manet, quod diximus, ex eo, quod aliquod documentum in collectione illa continetur, nulla ei potest accedere historica auctoritas.

14. Sed epistolae ipsae iam considerandae sunt, quarum primam nomino eam quam Liberius ad Orientales scripsisse exhibetur et fragmento quarto reperitur („Studens paci"), reliquae in fragmento sexto sunt, quas secundum ordinem quo ibi positae sunt, secundam („Pro deifico") ad eosdem Orientales, tertiam („Quia scio vos") ad Ursacium, Valentem et Germinium, quartam („Non doceo") ad Vincentium Capuanum numero. Specialem omnino attentionen meretur nota quaedam primae epistolae in fragmento quarto addita, quae nobis clavem dat ad falsitatem harum epistolarum invicte demonstrandam[23]). Nota his verbis concepta est: „Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est? Sed Potamius et Epictetus, dum damnare Urbis Romae episcopum gaudent, sicut in Ariminensi synodo continetur, audire haec noluerunt. Quin etiam Fortunatianus, episcopus epistolam eamdem rursum diversis episcopis mittens, nihil profecit. Ut autem in negata communione sibi potius essent onerosi, remque omnem sibi periculi facerent, dummodo nihil Sardicensi synodo, qua Athanasius absolutus et Ariani damnati fuerant, decerperent, litterae ex Aegypto omni atque ab Alexandria missae admonebant; quoniam quales ad Iulium pridem de reddenda exsulanti Athanasio communione erant scriptae, tales nunc ut de subiectis intelligetur, ad Liberium datae sunt de tuendo.[24])

Haec verba, cum iam concilium Ariminense commemorent, post illud concilium scripta sunt, ideoque ad secundum opus Hilarii pertinere debent. Illo igitur tempore, sub finem vitae suae, apparet hic Hilarius omnino honorifice loquens de Liberio, commemorat Arianorum, Potamii scilicet et Epicteti, circa tempus Ariminense in Liberium persecutionem. Sed quod gravius est, haec verba evidenter ostendunt in vero Hilario, loco epistolae primae fuisse aliam epistolam Liberii, omnino catholicam[25]), quae tantas laudes, quantas ei hic tribuit, Hilario mereri visa est. Fuisse hic talem epistolam ex eo certum est, quod tantum talem epistolam Hilarius laudare potuit; fuisse autem solam catholicam aliquam epistolam tum ex

[24]) M. P. L. 10, 681.
[25]) F. Saltet, l. c.
[26]) M. P. L, 10, 688, 692

eo patet, quod Hilarius, si etiam haec perfida epistola ibi fuisset, non tam illimitatam laudem epistolae Liberii dedisset, sed etiam dolori vel admirationi alicui in suo commentario locum reliquisset, tam ex eo, quod ut nota ostendit, Hilarius hoc loco ordine chronologico procedit, ideoque tantum aliqua epistola, Aegyptiorum epistola antiquior, notam praecedere potuit, nulla autem ex quattuor nostris epistolis, fatentibus etiam genuinitatis defensoribus, ante Aegyptiorum illam epistolam scripta supponi potest. Habemus igitur hic manum falsarii, in flagranti delicto comprehensam, dum scilicet pro epistola Liberii catholica perfidam aliquam intrudit. Quo ipso ostensum est, in hac Hilarii collectione non solum documenta contineri quae Hilarii non sunt, sed aliunde desumpta, ut epistolas de Germinio, verum etiam ex animo Liberio infenso veris Liberii litteris falsas esse substitutas, id quod accuratiore examine epistolarum ipsarum ad evidentiam usque probatur.

15. Prima quidem epistola ex ratione hic ipsum allata, exhibetur ut ante epistolam Aegyptiorum scripta, in eaque depingitur Liberius tamquam a pontificatus sui initio Athanasio non favens, cum ex Athanasio, Hilario ipsisque Liberii litteris, etiam in fragmentis relatis, notissimum sit, quanta animi constantia Liberius Athanasium certe usque ad exilii sui tempus defenderit. Neque praetereundum est in nota ad eandem epistolam Fortunatianum tamquam latorem epistolae illius Liberii catholicae designari, dum in secunda et tertia epistola tamquam lator epistolae perfidae ad Constantium repraesentetur, quod artem falsarii denotat.

Tres aliae epistolae in fragmento sexto continentur, quarum tamen sola secunda notas habet, unam initio, alteram in fine. Nota quae est in principio, epistolas alias Liberii ad episcopos exules unam, qua eis de felici eorum sorte gratulatur et alteram ad Caecilianum, in qua de lapsu Vincentii Capuensis dolet, subsequitur; illasque duas epistolas cum tribus sequentibus coniungit nota prima hoc modo: „Post haec omnia quae vel gesserat vel promiserat Liberius, missus in exilium universa in irritum deduxit, scribens praevaricatoribus haereticis Arianis, qui in sanctum Athanasium orthodoxum episcopum iniustam tulere sententiam“. Cumque in epistola Liberius inducatur scribens, se libenti animo suscepisse fidem Sirmii expositam, nota in fine sic concepta est: „Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt, qui conscirpserunt, Narcissus, Theodorus, Basili s, Eudoxius, Demophilus. Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marcus, Aetius, Iulius, Surinus, Simplicius et Iunior (requirendum) omnes haeretici.“ [26])

16. Clarum est, epistolas ipsas, si primam partem ultimae, ad Vincentium directae, quae omnino Liberio digna est, excipias, eo tendere, ut Liberium Arianis consensisse, Athanasium damnasse et communionem cum omnibus Arianis, iisque talibus permanentibus, ipsum iam Arianum factum, iniisse appareat. „Sciatis me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Ecclesiae catholicae pacem habere, supradictum autem Athanasium alienum esse a communione mea sive Ecclesiae Romanae et consortio litterarum ecclesiasticarum“ („Studens paci“,

[27]) Vide sis Hefele C. G. I [2] 648 ss.; 689 ss.; Savio, l. c. 61 ss.

ad episcopos orientales) „Itaque amoto Athanasio a communione omnium nostrum, cuius nec epistolia a me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Orientalibus seu per universas provincias pacem et unanimitatem habere“ („Pro deifico“, ad presbyteros et episcopos orientales). „Cognoscat itaque prudentia vestra, Athanasium . . . a me esse damnatum . . . Me autem cum omnibus vobis episcopis ecclesiae catholicae pacem habere, his litteris meis aequo et simplici animo scire debetis . . . Scire autem per vos volo, etiam fratres et coepiscopos nostros Epictetum et Auxentium, pacem me et communionem ecclesiasticam cum ipsis habere“ („Quia scio vos“, ad Ursacium, Valentem et Germinium). „Sanctitati tuae significandum credidi, me de contentione illa de nomine Athanasii recessisse et ad fratres et coepiscopos nostros Orientales litteras dedisse de super nomine eius“; iubet eum etiam episcopis Campaniae hoc communicare, ut „de unanimitate nostra et pace ad clementissimum imperatorem“ scribere possint („Non doceo“ ad Vincentium Capuanum). Ex quo patet, omnes has epistolas cum prima, quam iam falsam ostendimus, omnino ita convenire, ut omnes quasi eodem typo excusae videantur.

Mitto, epistolam secundam, „Pro deifico“, quod certe inauditum est, non solum ad presbyteros quoque dirigi, verum etiam illos ante episcopos nominari: „Dilectissimis fratribus presbyteris et coepiscopis Orientalibus, Liberius“, ubi etiam illud „Liberius“, non addito „episcopus“ iure mireris. Mitto etiam, in nota quae secundam epistolam sequitur, de formula agi, quam Basilius simul cum eius inimicissimo Eudoxio, qui tunc ne Sirmii quidem fuit, conscripsisse dicitur, quo iterum apparet, neque hanc notam ab Hilario esse posse, ut qui res illius temporis multo melius noverit. Verum, quod gravius est, omnes quattuor epistolae uni eidemque conceptioni eidemque evidenter falsae innituntur. Namque enim, quod vehementer notetur, quidquid statuatur, de temporibus, quo singulae epistolae scriptae exhibeantur, omnes fingunt, Liberium, iam antequam in exilium iret, imo vixdum orientalium litteris Athanasium incusantibus acceptis, eorum desideriis condescendisse et Athanasii communionem solvisse, de eaque re litteras per Fortunatianum ad Constantium imperatorem dedisse. „Ego Athanasium non defendo (alii: defendi); sed quia susceperat illum bonae memoriae Iulius episcopus decessor meus, verebar ne forte ab aliquo praevaricator iudicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, iuste vos eum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, litterasque super nomine eius per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad imperatorem Constantium“ (Pro deifico). In hac epistola res ita repraesentatur, ac si Liberius, tantum initio sui pontificatus modum agendi praedecessoris Iulii continuans, brevi omnino tempore, postquam Orientalium contra Athanasium litteras accepisset, mox consensum suum eis dedisset.

Quocum conferatur prima epistola „Studens paci“: „Postquam litteras charitatis vestrae de nomine Athanasii et ceterorum factas ad nomen Iulii bonae memoriae episcopi accepi, secutus traditionem maiorum, presbyteros Urbis Romae, Lucium, Paulum et Helianum e latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad Urbem Romam veniret, ut in praesenti id quod Ecclesiae disciplina existit, in eum statueretur. Litteras etiam ad eundem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quod si

non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiae Romanae communione. Reversi igitur presbyteri nuntiaverunt, eum venire noluisse. Secutus denique litteras charitatis vestrae, quas de nomine supradicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his litteris, quas ad unanimitatem nostram dedi, me ... pacem habere“: Quasi Liberius magnum illum Athanasium, Romanae ecclesiae colentissimum, hoc modo tractare potuerit, eum quasi ad condemnationem suam Romam evocando, excommunicationem minitando, et quasi Athanasius se Romam venire adeo perfracte negare potuerit, ut inde quasi in contumaciam damnari potuerit! Longe aliter se res habet; adhuc sub finem anni 355, cum Liberius coram Constantio Mediolani staret, tantum abest, ut, ad se purgandum, quod tunc opportunissimum fuisset, se tale Athanasio mandatum dedisse dicat, ut potius etiam tunc imperatori declaret, non Romae sed tantum Alexandriae, ubi et accusatus et accusatores sint, posse eum legitime iudicari!

Sed pergamus. Tertia epistola „Quia scio vos“ eadem habet: „Cognoscat prudentia vestra, Athanasium ... a me esse damnatum, priusquam ad comitatum sancti imperatoris litteras Orientalium destinarem episcoporum et ab Ecclesiae Romanae communione esse separatum, sicuti teste est omne presbyterium Romanae Ecclesiae“; ubi patet, „omne presbyterium Romanae ecclesiae“ solum ea potuisse de Liberio testari, quae Romae adhuc praesens egerat; unde excommunicatus exhibetur Athanasius a Liberio, antequam in exilium traheretur; quod quantum verae illius temporis historiae contradicat, postea videbimus, cum totam rerum gestarum seriem exponemus. Scio quidem lectionem illam „priusquam ad comitatum imperatoris etc.“ esse valde corruptam; verum, quaecumque lectio eligitur, argumentum de „presbyterio teste“ invictum manet. Pergit: „Sola haec fuit causa, ut tardius viderer de nomine ipsius litteras ad fratres et coepiscopos nostros Orientales dare, ut legati mei, quas, ab Urbe Roma ad comitatum direxeram, seu episcopi qui fuerant deportati, et ipsi una cum his, si fieri posset de exilio revocarentur“: ubi dicitur, Liberium, etsi iam Athanasium coram toto presbyterio Romano excommunicasset, tantum legatorum, post concilium Mediolanense ad Constantium ibidem degentem missorum reditum se expectasse, ut hunc de Athanasio excommunicato nuntium episcopis Orientalibus transmitteret, cum secundum rei veritatem, ut mox videbimus, neque Romae neque Mediolani ab Athanasio fortiter defendendo unquam destiterit. Dicit deinde, se nunc ex exilio Fortunatianum pro reditu suo impetrando ad eundem Constantium misisse. Quarta epistola, huic ultimae sententiae inhaerens, in secunda parte a Vincentio Capuano petit, ut cum episcopis Campanis apud Constantium pro reditu suo intercedat: quae aperto eandem officinam ac tres aliae resipit.

17. Jam vero, cum omnes quattuor epistolae adeo manifeste inter se cohaereant, superfluum est, omnium et singulorum quae in ipsis continentur rerum falsitatem probare.[27]) Si enim ex duabus rebus quae continent, communione scilicet Athanasio negata, Orientalibus data et subscriptione fidei alicuius Sirmiensis, una aperte falsa demonstratur, omnes epistolae falsae sunt et nihil iam refert, quid falsator praeterea eis inserendum iudicaverit. Certo autem falsum est, quod in his epistolis de negata iam pridem Athanasio,

---

[26]) Athan. De synodis, n. 20 (M. P. G. 26, 715).

concessa Arianis communione adstruitur, ergo epistolae simpliciter spuriae sunt nec ullam omnino fidem merentur.

III. *Qualem Liberius ante exilium se exhibuerit.*

18. Ut quattuor epistolarum illarum falsitas adhuc manifestius appareat, ostendendum est, quomodo Liberius secundum rei veritatem ante ea quae Sirmii acciderunt, se gesserit; luce clarius enim erit, eum prorsus opposito modo se gessisse, quam epistolae illae fingere volunt, ideoque has epistolas esse spurias nulliusque contra Liberii innocentiam momenti. Qua vero constantia quaque animi magnitudine Liberius tunc temporis omnibus Arianorum conatibus se opposuerit, non apparet, nisi simul ad universas Arianorum contra Athanasium machinationes animum convertamus et earum quae a Liberio ipso in hac re vere gesta sunt, seriem integram secundum documentorum fidem texamus. Petra scandali pro Arianis perpetua fuit tum concilium Nicaenum, quod Filium Dei Patri consubstantialem esse definiverat, tum Athanasius, magnus ille Alexandrinorum episcopus, in quo firmissimum huius concilii praesidium constitutum esse, non ignorabant. „Cum antiqua synodo pugnant, quia scilicet qui in eo convenere patres, suis similia non scripserunt, imo Arianam haeresim, quam hi stabilire studebant, percusserunt anathemate.“ [28]) „Cum enim [Ariani in conciliabulo Hierosolymitano a. 335 congregati] dicerent, eliminatam omnem invidiam fuisse, et, postquam Athanasius Alexandriae episcopus in exilium missus esset, scriberent, oportere Arium suscipi, plane ostenderunt, se ea de causa Athanasio et omnibus aliis episcopis sibi repugnantibus insidias struxisse, ut Arium cum sociis exciperent haeresimque introducerent in ecclesiam.“ [29])

19. Quae res Arianis imperatoria potestate fretis, pro voto successit, donec ad concilium Sardicense perventum est, „ubi adversarii nostri quasi sycophantae damnati depositique sunt. Iis vero, quae nostri gratia decreta fuerunt suffragati sunt plusquam trecenti episcopi,“ [30]) vix non ex omnibus Romani imperii provinciis existentes, quorum 170 praesentes fuerunt, ceteri postea scripto adhaeserunt. Sed non statim Athanasius sedem suam repetere potuit. Ariani, qui ex synodo Sardicensi infensis animis delapsi erant, „talia perpetrarunt scelera, ut leviora priora facinora illis collata viderentur.“ Adrianopoli decem laicos, ipsis communicare recusantes, ut capite truncarentur, a Constantio obtinuerunt; „duos presbyteros diaconosque tres in Armeniam relegari curarunt; Arium vero et Asterium, illum Petrarum in Palaestina, hunc in Arabia episcopum, quod abs se recessissent, non modo in superiorem Libyam relegarunt, sed et operam dederunt, ut contumeliis afficerentur. [31]) „Lucium vero Adrianopolis episcopum, . . . catenis ferreis iterum, quod iam antea egerant, collo et membris vinci curarunt; itaque illum in exilium miserunt atque illic . . . defunctus est. Diodorum item episcopum loco pellunt. Olympium autem Aenorum Theodosiumque Traianopolis, ambos Thraciae episcopos, probosque illos et orthodoxos viros . . . calumniati sunt“ apud Constantium, ab eoque petierunt, ut hi „capitali

---

[29]) Ibid n. 22 c. 719.
[30]) Athan. Apol. c. Arian. n. 1 (M. P. G. 25, 247—250).
[31]) Athan. Hist. Arian. n. 8 (M. P. G. 25, 714).

poena, sicuti reperti fuissent, plecterentur"; sic pergit Athanasius catalogum scelerum eorum pertexere.

Quibus demum permotus „imperator Constantius, paulisper compunctus ad se rediit, remque in Euphratem gestam secum reputans, eiusdem generis esse illorum adversus ceteros molimina suspicatus est, Arianosque ex eo tempore coercere coepit et Athanasium magna honoris significatione pluribusque litteris amicitiae plenis missis ecclesiae suae restituit." [32]) Calumniatores quidem eius accersere noluit, tamen „quotquot per calumniam scripta fuerant, auferri abradique iussit fidemque dedit, se calumniis pos ea minime aurem praebiturum, sed firmum immotumque hoc suum fore propositum. Hoc non tantum verbis protulit, sed etiam iuramentis sermonem obsignavit." [33])

Cum sic omnia in contrarium versa essent, rebusque Athanasii maxime florentibus, tunc etiam Ursacius et Valens, qui omnium quae adversus Athanasium gestae erant quaeque contra Liberium postea gerendae erant rerum pars magna fuere, optimum existimabant esse, ut etiam ipsi, litteris ad concilium Mediolanense et postea ad Iulium Romanum Pontificem atque ad ipsum Athanasium datis, in pacem cum ecclesia redirent. [34]) Eorum tamen conversionem non sinceram fuisse, tum e litteris retractationis ab ipsis ad Romanum pontificem et ad Athanasium datis [35]) suspicari quis potuit, tum post Constantis mortem (a. 360) illico apparuit.

20. A quonam initium novi in Athanasium belli factum sit, non satis constat; certum est, primam machinam eam fuisse, quod orientales quidam episcopi, cum ad occidentales litteras darent, damnationi Photini haeretici nomen Marcelli eius magistri, qui prius ab Arianis accusatus, a concilio Sardicensi absolutus, deinde ab Athanasio propter novos errores excommunicatus fuerat, eo consilio addiderunt, ut hoc modo viam sibi munirent, ad ipsum etiam Athanasium, a concilio Sardicensi pariter absolutum, simili modo iterum condemnandum [36]). Neque tamen tunc Constantium Ariani in partes suas denuo iam traxerant; morte enim Constantis fratris iam cognita, Constantius Athanasio denuo scripserat; „neque vanis rumoribus, quicumque tandem illi sint, fidem adhibeas. Hoc enim firmum in animo propositum habemus, ut iuxta placitum et voluntatem nostram in tuis semper sedibus episcopus sis." [37])

Verum non ita multo post, omnia denuo in peius vergere coeperunt. Cum Constantius Mursae degeret, ad Magnentium tyrannum debellandum, Valens, qui illius civitatis episcopus erat, adeo se in gratiam Constantii insinuavit, ut eius animum iterum falsis in Athanasium suspicionibus totum impleret. [38]) Cumque Constantius, Magnentio plene devicto, Arelati resideret, pace imperii vix parta ad Athanasium aggrediendum et penitus debellandum uti Ariani decrevere. Iam antea videntur, post superiores illas litteras, in quibus Photino tantum Marcellum adiunxerant, alias ad occidentales litteras dedisse, in quibus

---

[32]) Ibid. n. 21 c. 718.
[33]) Ibid. n. 22 c. 718.
[34]) Ibid. n. 26 c. 723, Apol. c. Arian. n. 57, 58 (M. P. G. 25, 351—354).
[35]) Apol. c. Arian. (58) (59) c. 354 s.; Hilarius, Fragm. II n. 20 (M. P. L. 10, 647—649).
[36]) Hilar. Fragm. n. 20 s. c. 650 s.
[37]) Hist. Arian. n. 22 c. 722.
[38]) Sulp. Sev. H. S. l. 2, c. 38 (M. P. L. 150).

his duobus iam diserte Athanasium adiungebant. „Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem, conspirant penitus Sardicensis synodi decreta subvertere . . . ., astuto consilio miscent innoxium criminosis damnationemque Photini et Marcelli et Athanasii eadem sententia comprehendunt. Illud nimirum apud imperitorum animos praestruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam iudicasse, qui de Marcello atque Photino vera sensissent.

Verumtamen ea tempestate Ariani perfidiam suam (i. e. quaestionem doctrinalem) occultabant, non ausi palam erroris sui dogmata praedicare, catholicos se gerebant, nihil prius sibi agendum rati, quam ut Athanasium ecclesia submoverent, qui semper eis velut murus obstiterat; quo remoto, reliquos in libidinem suam cessuros sperabant." Quem effectum haec epistola habuerit, idem auctor sic exponit: „Sed pars episcoporum, quae Arium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit, pars coacta metu et factione, in studia partium concesserant, pauci quibus fides cara et veritas potior erat, iniustum iudicium non receperunt: inter quos Paulinus episcopus Trevirensis, oblata sibi epistola, ita subscripsisse traditur, se in Photini atque Marcelli damnationem praebere consensum, de Athanasio non probare."[39])

21. Circa idem tempus Ariani Orientales ab ipso Liberio, qui anno 352 (17. Mai) episcopus Urbis Romae factus erat, hoc idem petere ausi sunt, ut Athanasio, propter eadem crimina, de quibus iam a duobus conciliis absolutus fuerat, communionem negaret.[40]) Verum etiam „ab Aegypto omni atque ab Alexandria" missae sunt ad eundem litterae, „quoniam quales ad Iulium pridem de reddenda exsulanti Athanasio communione erant scriptae, tales nunc, ut de subiectis intelligetur, ad Liberium datae sunt de retinenda."[41])

Quid Liberius, Orientalium Aegyptiorumque acceptis litteris egerit, utrum, sicut in spuriis illis epistolis dicitur, Orientalibus, „statim assensum accommodaverit" an vero aliquid aliud, ea ipsius verbis audiamus: „Satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse Ecclesiae, legisse concilio, atque haec etiam Orientalibus respondisse; qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore octoginta episcoporum Aegyptiorum de Athanasio sententia repugnabat; quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra divinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio maior existeret, in parte aliqua commodare consensum":[42]) en Liberius in epistola ad ipsum Imperatorem missa, sollemniter declarat, se coram concilio suo et episcopis Italiae ibidem congregatis tamquam rem iniustam, divinae legi repugnantem, petitionem Orientalium de damnando Athanasio iudicasse — et spuriae illae epistolae „presbyterium Romanum" testem esse scribunt, quod Athanasium acceptis Orientalium contra eum litteris, statim abiecerit!

Concilium illud Romanum ex episcopis Italis Liberius ideo collegerat, ut communibus votis a Constantio impetrarent, ut scribit ipse Hosio, „ut iuberet, sicut ipsi placuerat dudum, concilium ad Aquileiam congregari. Vincentium Capuensem cum Marcello aeque in Campania episcopo legationem no-

---

39) Sulp. Sev., H. S l. 2 c. 27 (M. P. L. 20, 149 s.).
40) Ep. Liberii ad Constantium n. 2 (M. P. L. 8, 1352).
41) Hil. Fragm. IV n. 2 (M. P. L. 10, 681).
42) M. P. L. 8, 1352.

stram suscepisse sanctitati tuae insinuo. De quo cum multa sperarem, quod et causam optime retineret, et iudex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset, credideram, integrum Dei Evangelium sua legatione posse servari".[43]) Quae in eodem Romano concilio de Athanasio acta erant, ea omnia, „ne ad impetrandum forte concilium deessent, Vincentius, qui cum ceteris missus fuerat, Arelatum pertulit".[44])

Interea vero Ariani apud Constantium tantum profecerant, ut ab eo edictum proponeretur, „ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exsilium pellerentur".[45]) Totum illud fidei negotium, grave et multiplex, diabolica fraude perplexum, haereticorum parte (arte?) subtile, dissimulatione multorum ac metu praeiudicatum", »tempore antiquum, silentio novum, pridem simulata rerum pace praeteritum" iam erat „impia fallacissimorum hominum calliditate renovatum; hocque, quo etiam in Romani imperii negotiis quies carpitur, rex angitur, palatium fervet, episcopi circumcursant, officiales magistri volitant, adversus apostolicos viros officiorum omnium festinatione turbatur. Ita ubique agitur, trepidatur, instatur, ut plane iniquitatem huius assertionis obtinendi labor et cura prodiderit." „Taceo imperatoris, sublata causae cognitione iudicium; non queror, extorqueri de absente sententiam, quamvis apostolo dicente, Ubi fides, ibi libertas, pati istud simplicitas sacerdotalis non debeat." „Quamquam ex his quae quibusque in terris gesta sint, cognosci potuerit, longe aliud agi, quam existimabatur".[46])

Ipse Vincentius Capuanus, legatique alii sedis Apostolicae, Arianorum impetus non sustinuerunt; scribunt enim ad Liberium: »propter turbationem quidem omnium ecclesiarum se quidem ante sententiis Orientalium succumbere voluisse, proposuisse tamen conditionem, ut si iidem Arii haeresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis oboedirent. Placitum scriptura teste firmatur, itur in concilium, accipiunt cum deliberatione responsa, Arii se doctrinam condemnare non posse, Athanasium, quod solum exigebant, communione esse privandum".[47]) Non deerant tamen, qui Arianis fortiter resisterent. „Sed quia, ut Hilarius, qui ex eorum numero fuit, scribit, quanto nos impensiore cura audientiam quaereremus, tanto illi pertinaciore studio audientiae contrairent", tantum sermone, in quo „necesse fuit omnia esse praepropera, incomposita, confusa", „raptim tunc haec per nos ingerebantur: corruptio evangeliorum, depravatio fidei, et simulata christiani nominis blasphema confessio." Etiam „Paulinus, ecclesiae Trevirorum episcopus, eorum se perditioni simulationique non miscuit" et ab eorum sententia „referens voluntatem, indignus ecclesia ab episcopis, dignus exilio a rege est iudicatus".[48])

Non defuerunt, qui, pacis nimis amantes, Paulinum aliosque episcopos, qui cum ipso damnationi Athanasii restiterant, vituperarent. „Enimvero versari in sermone hominum iam diu memini, quosdam sacerdotum Dei idcirco exulare, quod in Athanasium sententiam non ferunt; et hic error prope omnium mentes

---

[43]) Ibid. 1349.
[44]) Ibid. 1352.
[45]) Sulp. Sev. H. S. l. 2 c. 29 (M. P. L. 20, 150 s.).
[46]) Hilar. Fragm. I n. 4 s. (M. P. L. 10, 630).
[47]) Ep. Liberii ad Const. n. 5 (M. P. L, 8, 1354).
[48]) Hilar. Fragm. I n. 5 s. (M. P. L. 10, 630 s.).

occupavit, ut sub nomine eius non satis unicuique eorum dignam causam suscepti exilii arbitrentur.“

Atque haec fuit Hilario gravissima causa, cur „incipiendo ab his quae proxime gesta sunt,“ in concilio scilicet Arelatensi, in quo Paulinus in exilium pulsus est, omnem rerum gestarum seriem libro scripto exposuerit, ut inde omnibus manifestum fieret, non ob favorem in aliquem hominem, sed fidei causa ipsum aliosque episcopos exsilio multatos esse.[49])

22. In Arelatensi conciliabulo ($^{353}/_{354}$) gesta ubi Liberius ex legatorum suorum litteris didicit, vehementer doluit, maxime de Vincentio Capuano, quod „non tantum nihil obtinuit, sed et ipse in illam ductus est simulationem. Post cuius factum duplici moerore confectus, mihi moriendum magis pro Deo decrevi, ne viderer novissimus delator, aut sententiis contra evangelium commodasse consensum“.[50]) Scripsit epistolam ad Caecilianum Spoletinum episcopum, ne se tristi Vincentii exemplo a constantia removeri sineret, quae epistola etiam aliis missa videri potest.[51])

Tum vero manus illico operi admovendas putavit, ut exundanti iam Arianorum impetu fortiter resisteret. Novam ad ipsum Constantium, versus finem 354 iam Mediolani degentem, legationem mittere decrevit, ut exposito vero rerum statu precibus ab eo concilium Aquileiae, ut Constantius iam diu ei promiserat, habendum impetraret. „Deo procurante, sic scribit ipse de hac re ad Eusebium Vercellensem, frater et coepiscopus noster Lucifer de Sardinia supervenit, qui cum latebras causae interiores cognovisset, et pervenisset ad eius conscientiam, sub occasione nominis Athanasii haereticos haec velle tentare, pro devotione fidei suae subire voluit iustum laborem et ad comitatum religiosissimi principis pergere, ut tandem exposito ordine totius causae, impetraret ut omnia, quae in medium venerunt, in coetu possent Dei sacerdotum tractari“.[52])

Utque Liberius nihil quod tempus suggerebat intentatum relinqueret etiam ab Eusebio Vercellensi, qui gratia apud Constantium multum valebat, petiit, ut Luciferum ceterosque legatos consilio et opera iuvaret: „Me frater charissime, ad solatium vitae praesentis erigit invicta fides tua, qua secutus Evangeliorum praecepta, nullo genere a consortio sedis apostolicae discrepasti, quod credo non sine Dei impulsu, qui dignos sibi in sacerdotio detinet, benevolentia complesse . . . Itaque quia scio sanctum fidei tuae calorem cum eius (Luciferi) animo concordare, prudentiam tuam peto, ut si procurante Deo habuerit te praesentem, per quoscunque potueris, sollicite excubare contendas, ut possitis universa, quae fides catholica exigit, clementissimo imperatori insinuare; ut tandem aliquando, deposita animi indignatione, faciat, quod et quieti nostrae et saluti suae possit in omnibus convenire“.[53])

23. Intimam quasi animam nobis pandit vir piissimus, prudentissimus simul et fortissimus Liberius in duabus epistolis, quarum unam ad eundem Eusebium, alteram ad imperatorem Constantium destinavit. Eusebio, qui se ad Luciferum ceterosque legatos adiuvandum promptum esse respon-

---

[49]) Ibid. n. 4, 6 c. 630 s.
[50]) Ep. Liberii ad Hosium (M. P. L. 8, 1349)
[51]) Ibid.
[52]) Ep. Liberii ad Eusebium l. c. 1350.
[53]) Ibid.

derat, ita rescribit: „Sciebam, domine frater carissime, quod Spiritu Dei fervens in causa fidei, quae nos potest Domino commendare, fratri et coëpiscopo nostro Lucifero et Pancratio compresbytero nostro, qui simul erat profectus, cum filio meo Hilario diacono, fida dignareris solatia exhibere; nec te possis iis negare, quos sciebas pro devotione fidei suae tantum laborem itineris suscepisse. Magnum itaque levamen animus meus ex lectione litterarum tuarum accepit; imo causam ipsam in melius proficere posse, Deo favente, quod fratres nostros deserere noluisti, iamiamque confido.

Labora itaque ut bonus miles, qui praemium aeterni imperatoris exspectas, et virtutem animi, qua te scio mundi huius illecebras contempsisse, adversus eos, qui ecclesiae quidem luce orbi sunt, praebere contende. Habens utique contemptum vitae istius, veridicum te sacerdotem ostende: ut laborantibus vobis pro ecclesiae statu, concilium possit celebrari, ut omnia quae in praeiudicium fidei subtiliter ex diverso venientes machinati sunt, possint in melius reformari. Hunc laborem, quem egregia fides tua melius novit, aeterna praemia comitantur; cui quemadmodum insistere debemus, etiamsi exhortatio frigesceret fervens Spiritus Sanctus, qui in te est, propter unitatem sanctae ecclesiae per momenta animum tuum stimularet ad maiora solatia.“ Eundem hominem, rerum terrenarum contemptorem, solum aeternitatem continuo animo versantem, prodit, quod addit: „Etiam ad fratrem et coepiscopum nostrum Fortunatianum, quem sciebam neque personas hominum vereri et futura magis cogitare, litteras erogavi, ut et ipse pro sinceritate pectoris et pro fide, quam se scit etiam cum discrimine vitae praesentis custodisse, etiam nunc vobiscum dignetur excubare. Quem quidem scio pro sanctitate pectoris sui indubitanter in consilio suo prudentiam vestram firmare, et si ita vobis placuerit, praesentiam suam in nullo dilectioni vestrae negare“.[54]

In priore epistola ad Eusebium Liberius de „animi indignatione“ Constantii loquitur. Haec indignatio ferebatur maxime in ipsum Liberium, quem consiliis suis obstare bene intelligebat. Hoc clarius ex Liberii ad ipsum Constantium epistola apparet; quae multum in hac indignatione removenda laborat: „Obsecro, tranquillissime imperator, ut mihi benignas aures clementia tua tribuat, quo possit mansuetudini tuae mentis meae propositum apparere. De christiano enim imperatore et sanctae memoriae Constantini filio hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare. Sed in eo me laborare intelligo, quia repetita satisfactione placabilem etiam circa reos animum tuum in gratiam meam revocare non possum. Sermo enim pietatis tuae, iam dudum apud populos missus, me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est, plurimum lacerat; sed animum tuum, qui lenitati semper vacat, qui nunquam ut scriptum est, in occasum diei iracundiam servat, retinere circa me indignationem miraculo mihi est.“ Ubi notetur, Liberium nequaquam, ut animum Constantii demulceat, indicare, se quidquam iam fecisse, ut ad vota eius, in causa Athanasii, quantulumcumque descenderet.

Libertate potius vere apostolica quid postulet, exponit: „Ego enim, religiosissime imperator, tecum veram pacem requiro, quae non sit verbis composita,

[54]) Ibid. 1355 s.

interna disposit one fallaciae, sed praeceptis evangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasii tantum negotium, sed multa alia in medium venerunt, propter quae concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus: ut ante omnia, quod specialiter optat mentis tuae erga Deum sincera devotio, cum fidei causa, in qua prima nobis spes est ad Deum, diligenter fuisset tractata, ne (tunc?) eorum qui nostram circa Deum observantiam mirari debent, possent finiri."

Ex iis quae sequuntur, clarius apparet, quid tunc contra Liberium in publicum spargeretur: „Sed multi Ecclesiae membra lacerare festinant, qui confinxerunt, me litteras suppressisse, ne crimina eius, quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent," scilicet Orientalium adversus Athanasium litteras. Id autem non esse verum, se eas publice in concilio Romano coram episcopis Italiae legisse, sed simul etiam litteras Aegyptiorum, Athanasium defendentium, qui etiam plures fuissent, ita ut nefas sibi esse duxerit, desiderio Orientalium „in parte aliqua commodare consensum." Mox protestatur sic pulcherrime de sua inter has calumnias innocentia. „Videt igitur prudentia tua, nihil in animum meum introisse, quod Deo servientibus non fuerat dignum cogitare. Testis autem mihi est Deus, testis est tota cum suis membris ecclesia, me fide et metu in Deum meum cuncta mundana, ita ut evangelica et apostolica ratio praecipit, calcare atque calcasse. Non furore temerario, sed constituto atque observato iure divino atque in alio ministerio ecclesiastico vivens, nihil per iactantiam, nihil per gloriae cupiditatem, quod ad legem pertinebat, implevi; et ad istud officium, testis mihi est Deus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in saeculo fuero, permanere. Et nunquam mea statuta, sed apostolica ut essent semper firmata et custodita perfeci. Secutus morem ordinemque maiorum, nihil addi episcopatui Urbis Romae, nihil minui passus sum, et illam fidem servans, quae per successionem tantorum episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exstiterunt, illibatam custodiri semper exopto."

Iam venit ad id in quo cardo totius rei versatur: „Denique iam me aperire causam pietati tuae sollicitudo ecclesiastica atque ipsa devotio persuadet. Significant Orientales, paci nostrae velle coniungi. Quae est pax, clementissime imperator, cum sint ex partibus ipsis quattuor episcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii sententiam haereticam noluissent damnare, de concilio iratis animis exierunt? Horum, si fas est sententiis, quale sit, aut quid periculi habeat, commodare consensum, aequitas et clementia tua poterit aestimare. Non est novum, quod nunc subtiliter et sub occasione nominis Athanasii attentatur: Manent litterae Alexandri episcopi olim ad Silvestrum sanctae memoriae destinatae, quibus significavit, ante ordinationem Athanasii, undecim tam presbyteros quam etiam diaconos, quod Arii haeresim sequerentur, se Ecclesia eiecisse: ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam catholicam foris positi dicuntur sibi conciliabula invenisse, quibus asseveratur etiam Georgius in Alexandria per litteras communicare. Quae ergo pax potest esse, tranquilissime imperator, si exhibitis episcopi, ut nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire?"

Postquam de legatis suis Arelati tam indigne tractatis rettulit, ad preces se convertit, „ut, habens ante oculos eius beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit, haec in coetu episcoporum diligenter facias cum omni consideratione tractari, ut pacatis per te, Deo favente, temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, ut quae fuerint iudicio sacerdotum Dei confirmata, cum constiterit omnes in expositionem fidei quae inter tantos episcopos apud Nicaeam, praesente sanctae memoriae patre tuo confirmata est, universos consensisse, cum exemplo possint in posterum custodiri: ut ipse Salvator, qui desuper mentis tuae propositum intuetur, in tanta rerum expeditione laetetur, causam fidei et pacis etiam reipublicae necessitatibus non immerito praeposuisse".[55])

24. Quae nefanda initio anni 355 ab Arianis Mediolani gesta sint satis notum est. Eusebius Vercellensis, ab ipso Constantio ad concilium Mediolani habendum accedere iussus, decem diebus ad ecclesiam in qua congregationes episcoporum habebantur, accedere prohibitus est. Cum tandem, intrandi facultas facta esset, postulareturque ab eo, ut in Athanasium subscriberet, „ait, de sacerdotali fide prius debere constare; compertos sibi quosdam ex his, qui adessent, haeretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicaeam posuit in medio, spondens omnia se quae postularent, esse facturum, si fidei professionem scripsissent. Dionysius Mediolanensis episcopus chartam primus accepit; ubi profiteri scribendo coepit, Valens calamum et chartam e manibus eius violenter extorsit, clamans, non posse fieri, ut inde aliquid gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est... Verentes igitur illi populi iudicium e dominico ad palatium transeunt. Cuiusmodi sententiam in Eusebium longe ante quam ecclesiam ingrederetur, scripserint, de se loquitur ipsa sententia".[56])

Accitis igitur inter alios episcopos Lucifero, Eusebio et Dionysio, „illis praecepit imperator, ut contra Athanasium subscriberent, ac cum haereticis communicarent. Quibus rei insolentia stupentibus ac dicentibus, id ecclesiastici non esse canonis, statim ille: At quod ego volo, id pro canone, inquit, habeatur... Aut igitur obtemperate, aut vos quoque actores futuri estis. His auditis episcopi, remque summopere mirati manibus ad Deum tensis, compellare virum docereque non suum esse imperium, sed Dei qui tradidisset, rogare ut eum timeret, ne derepente datum adimeret; interminari iudicii diem, suadereque ne ecclesiasticas res pessumdaret, neu Romanum imperium cum ecclesiasticis statutis commisceret, vel Arianam haeresim introduceret in ecclesiam Dei. Verum ille neque audivit, nec eos plura dicere permisit, quia et acrius districto adversum illos gladio comminabatur, immo ex illis nonnullos ad iudicium abduci iusserat, sed postea... sententiam mutavit. Excusso itaque pulvere sancti illi, erectisque ad Deum oculis, neque minas imperatoris reformidarunt, neque stricti gladii metu veritatem prodiderunt, sed exsilium pro ministerii sui officio habuerunt." [57])

Ex aliis duobus Liberii legatis, Pancratium „presbyterum statim illi in exilium ablegarunt; diaconum vero Hilarium postquam nudassent, atque dorso

---

[55]) Ibid. 1351—1354.
[56]) Hilarii ad Constantium l. 1 n. 8 (M. P. L. 10, 562—564).
[57]) Athan. Hist. Arian. n. 33 s. (M. P. G. 25, 731—734).

flagris cecidissent, in exsilium item miserunt. Dum flagellarent autem, haec vociferabantur: Quare Liberio non obstitisti, sed eius detulisti litteras?" Illud facinus admisere Ursacius et Valens cum spadonibus".[58]) Multi tamen episcopi, minis territi, contra Athanasium subscripserunt, inter quos fuit etiam Fortunatianus Aquileiensis episcopus.

25. Quae omnia narranda erant, ut appareret, quanta fuerit persecutionis contra catholicos motae vis ac violentia, quanta proin Liberii vis animi et fortitudo, quod etiam tunc, cum omnia terrore plena essent, nec Arianis nec ipsi Constantio ne minimum quidem cesserit. Vixdum earum quae Mediolani acciderant rerum notitia ad eum pervenit, cum pulcherrimam primoque ecclesiae pastore dignam epistolam ad episcopos in exilium missos dedit; sic enim ad Eusebium, Dionysium et Luciferum scribit: „Quamvis sub imagine pacis humani generis inimicus vehementius in membra ecclesiae videtur esse grassatus, vos tamen acceptissimi in Domino sacerdotes egregia et singularis fides et hic probabiles Deo ostendit et iam ad futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque praemio laudis, qua vocis exsultatione merita virtutis vestrae proferam, positus inter moerorem absentiae vestrae et gaudium gloriae, prorsus invenire non possum; nisi quod scio hinc me vobis probabiliora solatia exhibere, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem, quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor.

Optaveram enim fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exemplum gloriae per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit haec palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veniretis. Quaeso igitur dilectionem vestram, ut me praesentem vobiscum esse credatis; atque eo me affectu absentem non esse sentiatis; et intelligatis dolere me satis, quod sum interim a consortio vestro disparatus. Quantam denique gloriam fueritis consecuti, hinc magis scire potestis, quod si qui in persecutione coronati sunt, solius persecutoris cruentos gladios sentire potuerunt; contra vos, devoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, de perfidia victoriam pertulistis; quorum quanto violentia in saeculo crescere potuit, tanto sanctis sacerdotibus praemia laudis inveniuntur conferre.

Estote itaque de promissione caelesti securi, et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem, famulum Dei, ad Dominum sublevate, ut supervenientes impetus, qui de die in diem cum annuntiantur graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus: ut inviolata fide, salvo statu ecclesiae catholicae, parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio quae gesta sunt in ipsa congressione fidelius scire, obsecro sanctitatem vestram, universa fideliter litteris intimare dignemini, ut additamentum maius vel ipse animus, qui diversis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quae iam extenuatae sunt, de cohortatione vestra possint sentire" [59]).

---

[58]) Ibid. n. 41 c. 742.
[59]) M. P. L. 8, 1356 s.
[60]) Rerum gestarum l. 15 c. 7.

26. Neque Liberius, etsi iam tunc „viribus corporis extenuatis", aliter cum episcopis per epistolas, aliter cum regio ministro atque cum ipso Constantio praesente egit. Scriptor gentilis Ammianus Marcellinus, ubi de conatibus Constantii ad Athanasium sede sua pellendum agit, ait: Liberius, monitus, perseveranter renitebatur, nec visum hominem nec auditum damnare nefas ultimum saepe exclamans, aperte scilicet recalcitrans imperatoris arbitrio. Id enim (expulsio scilicet Athanasii), ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque, qua potiores aeternae Urbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti".[60])

De quo Constantii conatu, quidque ad finem hunc obtinendum egerit, Athanasius haec habet: „Nam neque Liberio, Romano episcopo ab ipso initio pepercere, sed usque ad eius Urbis cives suum propagarunt furorem". „Cum enim illum cernerent sanae fidei cultorem, Arianaeque haeresis adversarium, auctoremque omnibus esse ut eam aversarentur ab eaque declinarent, arbitrati sunt impii homines, se si Liberium seducere possint, omnes illico superaturos, quare illum apud Imperatorem calumniantur. Ille sperans se Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum, cum litteris spadonem quemdam Eusebium mittit dona ferentem, ut blandiretur donis, litteris vero minaretur.

Profectus Romam spado, principio auctor erat Liberio, ut contra Athanasium subscriberet, cum Arianisque communicaret; illud, aiens, imperator exoptat, hoc te facere iubet. Hinc ostensis muneribus hortabatur, manusque Liberii contrectans aiebat: Imperatori obtempera et haec accipe.

Episcopus contra monebat hisque verbis docebat hominem: Qui, quaeso, adversus Athanasium id agatur? Nam quem non una solum, sed et altera synodus ex toto orbe coacta purum innoxiumque iure declaravit, quem Romana synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? Quis nos probaturus est, si quem praesentem amanter excepimus ad communionemque admisimus, absentem aversemur? Non ecclesiastici canonis illud est nec talem unquam a patribus accepimus traditionem, quas videlicet traditiones ipsi qui a beato apostolo Petro accepere. Sed si imperator ecclesiasticam curat pacem, si iubet abrogari quae apud nos pro Athanasio scripta sunt, abrogentur item quaecumque ab illis adversus eum gesta fuerint, abrogentur quae adversus alios sunt acta, ac demum ecclesiastica synodus procul palatio cogatur, ubi nec imperator compareat, nec comes accedat, nec iudex comminetur, sed Dei timor sufficiat, cum apostolica constitutione; ut eo modo cum primis ecclesiastica servetur fides, prout a patribus in Nicaena synodo definita est. Eiciantur Arii sectatores, anathemateque damnetur eorum haeresis. Ac demum iudicio reddito de criminibus in Athanasium, vel in alium quempiam allatis, de criminibus item, quibus accusantur illi: tunc demum rei expellantur, innoxii cum fiducia et securitate degant. Neque enim fas est, eos synodo adnumerari, qui fide impii sunt, neque convenit fidei inquisitioni alterius cuiusque negotii inquisitionem anteferri . . . Haec a patribus didicimus, haec imperatori renuntia, haec et illi et ecclesiae aedificationique conduxerunt. Ne audiantur Ursacius et Valens, qui

cum de rebus a se ante gestis poenitentiam egerint, iam minime fide digni sunt.

Haec episcopus Liberius. At eunuchus indignatus, non tam quod scribere renueret, quam quod illum haeresi adversarium comperisset, oblitusque se coram episcopo stare, acriter interminiatus eum donis abit, nefariamque rem aggreditur . . ., profectusque ad Martyrium Petri apostoli, ibi dona illa apposuit. Re comperta, Liberius adversus loci custodem graviter succensuit, quod non prohibuisset hominem, ipsaque dona ut illicitum sacrificium abiecit“ [61]).

„Litteras igitur Romam mittit imperator, iterumque palatini, notarii et comites, litteraeque ad praefectum mittuntur, ut aut Liberium dolo Roma subductum in castra ad se transmitterent, aut vi hominem persequerentur. His itaque et eiusmodi missis litteris, metus exortus est, insidiaeque per totam Urbem paratae. Quot igitur domibus insidiati sunt, quot viris quantae pollicitationes factae, ut adversus Liberium rem gererent? quot episcopi his perspectis rebus se abdebant? quot liberae mulieres ob structas a Christi inimicis calumnias, per pagos secesserunt? quot ascetis insidiati sunt? quot illic commorantes homines, qui statum ibi domicilium nacti erant, expelli curarunt? quoties et quo studio portum exitusque portarum custodierunt, ut ne quis ingressus orthodoxorum Liberium inviseret?“ [62]) Postquam sic per aliquod tempus Romam quasi obsidione cinxerant, tandem „Liberius aegre, populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari“.[63])

28. „Iam vero celeberrimi Liberii pro veritate fiduciam et admirabiles sermones quos coram Constantio habuit, scripto mandare libet. Descripti sunt enim a piis viris, ut idonei, qui stimulent et excitent ad aemulationem rerum divinarum studiosos.“ [64]) „Constantius imperator dixit: Nos, quoniam et Christianus es et episcopus nostrae civitatis, idcirco te evocandum duximus, et admonendum, ut nefariae dementiae impii Athanasii communionem abicias. Id enim aequum esse, orbis terrarum censuit, eumque a communione ecclesiastica alienum esse synodali sententia decrevit. Liberius episcopus dixit: Iudicia ecclesiastica, o imperator, summa cum aequitate fieri debent. Quare si placet pietati tuae, iudicium constitui iube; et siquidem Athanasius condemnatione dignus videbitur, tunc secundum ecclesiastici ordinis formam in illum sententia proferetur. Neque enim a nobis condemnari potest vir, quem non iudicavimus. Constantius imperator dixit: Totus terrarum orbis de eius impietate sententiam tulit, et perinde atque ab initio, tempori illudit. Liberius episcopus dixit: Quicumque subscripserunt, res gestas ipsi non viderunt; sed propter gloriam ac metum, neve abs te ignominia afficerentur, subscripserunt. Imperator dixit: Quaenam est gloria, quis metus, quae ignominia? Liberius respondit: Quicunque non diligunt gloriam Dei, ii tua munera anteponentes, eum quem ipsi non viderant, nullo iudicio praevio condemnarunt; quod alienum est a christianis.

---

[61]) Athan. Hist. Arian. n. 36 s. (M. P. G. 25, 734 s.).
[62]) Ibid. n. 38 c. 735.
[63]) Amm. Marcell. l. c.
[64]) Theodoretus H. E. l. 2, c. 13 (M. P. G. 82, 1034).

Imperator dixit: Atqui praesens iudicatus est in concilio Tyri et omnes orbis terrae episcopi eum in concilio damnarunt. Liberius dixit: Nunquam ille praesens iudicatus est. Quotquot enim tunc congregati Athanasium damnarunt, post illius e iudicio discessum, absque ratione eum condemnarunt. Eusebius eunuchus dixit: In concilio Nicaeno alienus a catholica fide demonstratus est. Liberius dixit: Quinque soli iudicarunt ex iis qui cum Ischyra navigaverunt in Mareotem: quos quidem illi miserunt, ut adversus accusatum acta conficerent. Ex iis qui tunc missi fuerant ex hac luce migrarunt duo, Theognius scilicet et Theodorus, tres autem reliqui adhuc superstites sunt, nempe Maris, Valens et Ursacius. Contra hos, qui missi erant, Sardicae eam ob rem lata est sententia; qui postea in synodo libellos obtulerunt, veniam poscentes ob acta quae per calumniam una dumtaxat parte praesente adversus Athanasium in Mareote fecerant. Quos quidem libellos nunc in manibus habemus. Utris horum assentiri et communicari debemus, imperator? Hisne qui cum prius condemnassent Athanasium, postea veniam petierunt; an illis qui nuper istos condemnarunt? Epictetus episcopus dixit: Non fidei causa, nec pro defensione iudiciorum ecclesiasticorum Liberius hodie verba facit, o imperator, sed ut apud Romanos senatores glorietur, imperatorem a se esse superatum.

Imperator Liberio dixit: Quota pars es orbis terrarum, ut tu solus homini impio suffragari velis, et orbis ac mundi totius pacem dissolvas? Liberius dixit: Etiamsi solus sim, fidei causa non idcirco minuitur; nam et olim tres tantum reperti sunt, qui regis mandato resisterent. Eusebius eunuchus dixit: Imperatorem nostrum Nabuchodonosor facis? Liberius dixit: Nequaquam, sed tu temere hominem condemnas, quem non iudicavimus. Ego vero postulo, ut primum generalis praecurrat subscriptio, quae fidem Nicaeae expositam confirmet; deinde ut revocatis ab exilio fratribus nostris et in sedes suas restitutis, si iis qui tumultus in ecclesiis nunc excitant, visi fuerint apostolicae fidei consentire, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi et accusatus et accusatores sunt, et defensor eorum, examinata illorum causa, concordem sententiam proferamus. Epictetus episcopus dixit: Verum cursus publicus haudquaquam sufficiet episcoporum subvectioni! Liberius dixit: Ecclesiastica negotia non indigent publico cursu; ecclesiae enim episcopos suos ad mare usque perducere suis sumptibus facile possunt.

Imperator dixit: Quae iam formam excepere, ea resolvi amplius non possunt, valere enim debet plurium episcoporum sententia. Tu solus es, qui impii illius amicitiam retineas! Liberius dixit: Nunquam audivimus, imperator, iudicem absenti reo impietatem obicere, quasi privatas inimicitias cum eo gerat. Imperator dixit: Omnes quidem ille in commune affecit iniuria, neminem tamen aeque ac me, qui non contentus exitio fratris mei maioris natu, etiam felicis memoriae Constantem ad suscipiendas nobiscum inimicitias incitare nunquam destitit, nisi nos maiori mansuetudine incitantis et incitati impetum sustinuissemus. Nullam itaque victoriam tanti facio, ne illam quidem quam de Magnentio retuli ac de Silvano, quanti ut hic sceleratus ab ecclesiae administratione submoveatur.

Liberius dixit: Noli, imperator, inimicitias tuas per episcopos vindicare. Ecclesiasticorum enim manus ad sanctificandum et benedicendum vacare debent. Iube igitur, si placet, ut episcopi ad proprias sedes revocentur, et si visi fuerint consentire cum illo qui fidem orthodoxam Nicaeae olim expositam tuetur, tunc in unum convenientes, paci orbis terrarum provideant; ne virum qui nihil deliquit, notatum esse comprobetur. Imperator dixit: Unum est quod quaeritur, te namque, ubi ecclesiarum communionem amplexus fueris, Romam remittere volo. Assentire igitur paci et subscribe atque ita Romam revertere. Liberius dixit: Fratribus, qui Romae sunt, iam valedixi. Potiores enim sunt ecclesiasticae leges quam domicilium Romae. Imperator dixit: Ergo trium dierum spatium habes ad deliberandum utrum subscribens Romam redire velis, aut ad cogitandum, quem in locum cupias deportari. Liberius dixit: Trium dierum vel mensium intervallum non mutat sententiam; quo circa mitte me quo voles.

29. Biduo post imperator cum Liberium accivisset et is de sententia non decederet, eum Beroeam, Thraciae Urbem, relegari praecepit. Cumque egressus esset Liberius, Imperator quingentos ei solidos misit ad sumptus faciendos. Liberius vero dixit ei qui attulerat: Abi, redde has imperatori; opus enim his habet, ut praebeat militibus suis. Similiter et Augusta totidem ei misit. Liberius dixit: Redde hos imperatori, hisce enim opus habet ad stipendium militum. Quodsi imperator opus his non habet, det Auxentio et Epicteto, his enim opus habent. Cum igitur ab his noluisset accipere, Eusebius eunuchus alias ei attulit. Cui Liberius dixit: Ecclesias orbis terrarum vacuas ac desertas fecisti et mihi tamquam noxio eleemosynam affers? abi, et primum christianus fias! Et post triduum relegatus est, cum nihil accepisset.“[65]) Quem in exilium pergentem Siritius eius diaconus, postea Urbis Romae episcopus, secutus est.[66])

30. Quae hic attulimus, non solum evidenter evincunt falsitatem quattuor illarum epistolarum, ut quae cum tota historia pugnantia contineant, sed simul et Liberii et adversariorum eius indolem clarissima luce illustrant. Liberius non est episcopus aliquis aulicus, qui mille artibus tandem sedem episcopalem aliquam favore principis consecutus sit, sed est vir in sinu ecclesiae Romanae enutritus, propter vitae meritum ad sedem Romanam elevatus, quam, Deo teste, invitus ascendit. Non est naturae ardentis, sicut Hieronymus vel Lucifer Calaritanus, non est homo qui in suis actibus ab impulsibus transeuntibus abripi se sinat, est vir asceticus, cuius cogitationes in mundo pedibus calcando defixae sunt, qui pati desiderat et fratribus episcopis propter fidem in exilium pulsis sancte invidet, qui gravitatis singularis officii sui plene conscius est, qui constantiam in fide tuenda maxime propter adversariorum vim et artes necessariam esse clare videt, eandem a Deo per fratrum intercessionem cum pari humilitate ac fiducia exorat, seseque ad eandem, martyrum sibi exempla ante oculos ponendo atque aeterna praemia mente perpetuo volvendo roborare numquam desistit.

---

[65]) Theod. H. E. l. 2, c. 12 (M. P. G. 82, 1034 ss.); Soz. H. E. l. IV c. 21 (M. P. G. 67, 1138 s.).

[66]) Ihm, Damasi Epigrammata p. 96.

Iam vero virum qui talis sit, frangi posse, id absolute quidem non nego, in hominibus enim omnia sunt absolute possibilia; verum etiam, id credo unusquisque concedet, talis mutatio, etiamsi ob minas violentiamque illatam acciderit, semper remaneret verum miraculum morale, miracula autem, etiam moralia, non sunt supponenda sed stricte probanda, quae quidem probatio tantum abest, ut nobis ex documentis suppeditetur, ut potius contrarium evincatur.

31. Antequam ulterius procedamus, iam hic alius quidam textus e serie testium eliminandus est propter nimis evidentem contradictionem cum historia hucusque exposita. Est textus s. Hieronymi de viris illustribus, quo ipse asserit, Fortunatianum, Aquileiae episcopum, Liberium in exilium euntem fregisse.[67]) Nemo enim sibi persuadebit, Liberium paucis post diebus vel hebdomadibus, postquam ipsi Constantio tam fortiter restiterit statumque verum quaestionis eidem identidem opposuerit, a Fortunatiano fractum aut deceptum esse, quodsi nihilominus factum esset, Liberius ab Aquileia non Beroeam in exilium, sed, muneribus Constantii cumulatus, Romam ad sedem suam rediisset; in nullo autem casu Constantio ratio fuisset, eum per integrum biennium Beroeae in exsilio retinendi, sed potius ex eo tempore incepisset auctoritate Liberii ad finem suum apud ceteros episcopos obtinendum uti; manifeste igitur Hieronymus, cum haec scriberet, siquidem ipse scripsit, de quo non litigo, non bene informatus fuit sed turbidis fontibus pro genuinis usus est.

32. Aliud quod ex historia iam exposita patet, et quod ad indolem adversariorum Liberii ostendendam plurimum valet, est quod inter media quibus Constantius et eius episcopi aulici contra Liberium usi sunt, non fuerunt tantum vis et minae, quibus eum labefactare conati sunt, verum etiam calumniae, quibus iam tunc eius bonum nomen apud populum destruere conati sunt, ut saltem hac via eius auctoritatem infringerent. „Sermo enim pietatis tuae, iamdudum ad populum missus, me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est, plurimum lacerat". „Videt igitur prudentia tua, nihil in animum meum introisse, quod Deo servientibus non dignum fuerat cogitare".

Nimirum sicut Athanasio nihil veri obicere Ariani poterant, sed Constantium eo contra ipsum accenderant, quod eum calumniati erant, quasi ipse tum inter ipsum et Constantinum iuniorem tum inter eundem et Constantem discordias seminasset, ita etiam contra Liberium Constantii animum primum suspicionibus repleverant, quasi ipse auctoritatem Constantii imminuere vellet. Huc spectat indigna illa Epicteti insinuatio: „Non fidei causa nec pro defensione iudiciorum ecclesiasticorum Liberius hodie verba facit, o imperator, sed ut apud Romanos senatores glorietur, imperatorem a se esse superatum." Hinc verba hic ante relata Liberii et ea quae in eadem epistola sequuntur, ex quibus apparet, iam antea eandem calumniam contra eum sparsam esse; hinc verba illa: „Ad istud officium, testis mihi est Deus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in saecula fuero, permanere. Et numquam mea statuta, sed apostolica ut essent semper firmata et custodita, perfeci. Secutus morem ordinemque maiorum nihil addi episcopatui Urbis Romae, nihil minui passus sum, et

[67]) De viris illustr. n. 97 (M. P. L. 23, 697).

illam fidem servans, quae per successionem tantorum episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exstiterunt, illibatam custodiri semper exopto".

Postquam deinde semel Constanti animus ab ipso aversus erat, non est dubium, quin cum malis suis consiliariis, eunuchis et episcopis, omnia facere paratus fuerit ut tandem de Liberio triumphum aliquem ageret. Atque ad hunc finem obtinendum etiam a Liberio calumniis onerando eos non abhorruisse, res est certissima uti postea videbimus, ideoque non gratuitam suppositionem faciemus, si ad rumores sinistros contra Liberii famam explicandos eos pariter calumniis deberi asseruerimus, cum pro eius adversariis praesumptio calumniae pro ipso praesumptio vehementissima innocentiae stet.

IV. *Quomodo Liberius post reditum suum se gesserit.*

33. Neque tantum propter ea quae Liberius ante suum exilium fecit, verum etiam propter ea quae postea gesta sunt, pro Liberio firmissima praesumptio innocentiae stat. Ac primum quidem etsi Constantius cum suis hanc maxime ob causam Liberium ad subscriptionem aliquam adducere vellent, ut deinde eius auctoritate uteretur, qua alios omnes episcopos ad idem faciendum desideriisque suis acquiescendum adduceret, nihilominus, quod iure vehementer mireris, praeter vagos rumores in populo sparsos nullum afferri potest documentum, in quo sive Constantius, sive aliquis ex eius episcopis ad Liberii exemplum sive diserte sive implicite provocaverit aut formula aliqua a Liberio subscripta exhibita sit, cum tamen talis formula, si unquam exstitisset, pro Constantio eiusque episcopis, auro et lapidibus pretiosis fuisset pretiosior. Unica ratio hoc factum naturaliter explicandi est, quia nec talis formula a Liberio subscripta nec exemplum aliquod Liberii existebat, ad quod provocare Constantius eiusque episcopi cum utilitate potuissent.

Deinde, quod in hypothesi alicuius lapsus Liberii, non minus inexplicabile esset, nulla habetur ipsius retractatio aliqua. Si talis enim unquam exstitisset, certo certius id tum amicorum tum adversariorum eius scriptis notum esset, amicorum, qui ad eum excusandum et purgandum ad talem retractationem provocassent, adversariorum, ex quibus Ariani ei inconstantiam et mutabilitatem animi improperassent atque ut ad id quod aliquando docuisset, reverteretur postulassent, Luciferiani e contra, qui eos qui aliquando minis perterriti lapsi essent ad sedes suas reverti prohibebant, Liberio sedem suam denuo occupanti, se etiam ex hac ratione opposuissent mitioremque Liberii cum lapsis agendi modum conscientiae proprii aliquando lapsus maligne tribuissent.

Et tamen, si Liberius unquam lapsus fuisset, retractationem et facere debuisset et certo certius fecisset. Debuisset, haec enim ecclesiastica regula erat, ut qui aliquando lapsi essent, tantum post retractatos publice errores ad sedes episcopales remeare permitterentur, id quod, ut infinita alia exempla taceam, ex retractatione Ursacii et Valentis, Ariminensium et Orientalium de quibus statim, patet; neque a tali purgatione, quam canones postulabant, ipse Romanus pontifex, imo, cum canonum ipse praeci-

puus custos esset, ipse multo minus quam alii se eximere potuisset; atque violatio canonum, post scandalum adeo enorme admissum, ab eius adversariis non paucis, iisque canonum zelum ostentantibus, inobservata neque notata praeterire non potuisset.

Neque Liberius, qualem eum iam cognovimus, oppido is erat, qui, si vere scandalum tam enorme dedisset, sollemnem etiam retractationem edere etiam tantillum dubitasset. Erat enim vir humillimus, gravitatis muneris sibi commissi bene conscius, qui non tardasset, malum, quod ex pravo suo exemplo consequi potuisset, clarissima declaratione impedire, eo magis, quod ipsum non latebat, se, si retractionem omitteret, mali exempli scandalum tantum novo, violati in re gravissima canonis, scandalo aucturum. Imo, etiam si nullo modo homo vere spiritualis et sanctus fuisset sed tantum rationibus prudentiae regi se sivisset, non potuit a sollemni retractatione abstinere, cum secus propriam auctoritatem, sicut videbimus, penitus enervasset. Quae enim post exilium suum, imprimis post concilium Ariminense egit, auctoritatem sive nunquam fractam, sive postquam aliquando fracta esset, plene reparatam requirebant atque ei revera eam non defuisse facta ipsa loquuntur! Haec autem auctoritas, si aliquando fracta fuisset, tantum per sollemnem retractationem omni exceptione et omni dubio maiorem recuperari potuisset. Cum talem retractationem nunquam ediderit, sequitur, auctoritatem eius tali reparatione non indiguisse ideoque nulla unquam labe infractam fuisse. Id quod ex iis quae iam allaturi sumus clarius patebit.

34. Atque primum, quod concilium Ariminense spectat, a fine Mai 359 usque ad finem illius anni celebratum, notatu dignum est, quod in epistola ex plusquam quadringentis episcopis catholicis ad Constantium missa legitur. Cum enim ibi Valens et Ursacius formulam suam, Sirmiensem quartam, in qua vox consubstantialis condemnabatur, attamen Filius secundum omnia Patri similis asserebatur, ad subscribendum porrexissent, restiterunt illi episcopi vehementissime, statuta vetera firmissima manere debere edixerunt, idque Constantio significabant, „ut et tua sapientia cognosceret, non hoc quod promiserunt supradicti Valens et Ursacius, Germinius et Gaius, si sublatum fuisset, pacem posse compleri, magis enim turbatio cunctis regionibus et ecclesiae Romanae immissa est“ [68]). Quae verba non satis clara, tum a Socrate, tum a Sozomeno, qui eundem textum Latinum habent, parva tamen propositione auctum, sic Graece vertuntur: „Πῶς γὰρ εἰρήνην οἷόν τε ἄγειν, τοὺς τὴν εἰρήνην καταλύοντας; Μᾶλλον γὰρ ἔρις καὶ ταραχὴ ἐκ τούτων σὺν ταῖς λοιπαῖς πόλεσι καὶ τῇ τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ, γενήσεται“ [69]). Quare uterque hic historicus id secundum sensum de futuro intellexit, futura autem in ecclesia Romana perturbatio supponebat, usque ad concilium Ariminense Romanam ecclesiam atque imprimis Liberium „statuta vetera“ id est Nicaenum integrum cum vocibus substantiae atque consubstantialis firmiter custodisse.

Item ex verbis Damasi sequitur, qui de concilio Ariminensi scribit: „Neque enim praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet neque Romanum episcopum, cuius

[68]) Hil. Fragm. VIII n. 2 (M. P. L. 10, 701).

[69]) Socr. H. E. l. 2, c. 37 (M. P. G. 67, 515—517); Soz. H. E l. 4, c. 18 (M. P. G. 67, 1167 s.).

ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos sacerdotium illibate servavit, neque alios huiusmodi statutis consensum aliquem commodasse“ [70]); quae verba omnino indicare videntur, Liberium a concilio Ariminensi a machinatoribus eius, Valente et Ursacio, consilio fuisse exclusum, quod iterum signum est, eos a Liberio nihil suae causae speravisse.

Idem ostendit hostilitas illa Potamii et Epictetis Arianorum contra Liberium in eodem Ariminensi concilio, qui, ut ait Hilarius in fragmento IV „damnare Urbis Romae episcopum gaudent, sicut in Ariminensi synodo continetur“ [71]). Tandem Siricius, secundus Liberii in Petri cathedra successor, qui Liberium in exilium euntem tamquam eius diaconus comitatus fuerat, in epistola ad Himerium Tarraconensem explicite dicit, Liberium concilium Ariminense „cassasse“ et „generalia decreta“ ad provincias misisse [72]).

Ex narratione Sozomeni, de causis, cur tot episcopi apud Arminium formulam quoad speciem haereticam acceptare potuerint, quidquid de motivis ab ipso adductis dicendum sit, factum ibi allatum, cum etiam aliunde confirmetur, omnino constat: Ursacium et Valentem „vi compulisse episcopos huic formulae subscribere, complures autem, qui resisterent, ecclesiis exturbasse et primum omnium Liberium episcopum Romanum“ [73]): est hoc secundum Liberii exilium, initio anni 360. Confirmatur hoc a Faustino et Marcellino, qui cum Romae viginti post factum annis scriberent, haec quae Romae gesta fuerant, scire adhuc potuerunt, scribunt autem: „Tertio anno redit Liberius (scilicet Beroea), cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit. Felix (antipapa) notatus a senatu vel populo, de Urbe propellitur, et post parum temporis, impulsu clericorum, qui periuraverant, irrumpit in Urbem et stationem in Iulii basilica trans Tiberium dare praesumit, quem omnis multitudo fidelium et proceres de Urbe iterum cum magno dedecore proiecerunt“ [74]). Interim Liberius prope basilicam S. Agnetis in Via Nomentana habitasse videtur, quam etiam marmoribus exornavit [75]). Neque labantibus iam tunc Constantii rebus, pro illo tempore, anno 360 versus finem vergente, quidquam improbabile habet, quod Liberius per populum restitutus sit. Haec autem omnia tantum abest, ut Liberium Sirmii in ulla re Constantio consensisse prodant, ut potius vix intelligi possint, si Liberius quidquam in favorem Arianorum praestiterit.

35. Quod vero tempus post concilium Ariminense spectat idem omnino evincitur. Cum enim aliqui episcopi, inter quos ipse Lucifer Calaritanus [76]), olim Liberii in concilio Mediolanensi legatus, praecipuus erat, nimis severe cum episcopis Arimini lapsis sed iam errorem suum deflentibus, agendum existimarent, Liberius, hanc nimiam severitatem minime probans, in epistola ad episcopos Italiae ea de causa data, haec inter alia scribit: „Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Aegyptii omnes et Achivi accusati sententiam receperunt, multis parcendum quidem his, de quibus supra tractavimus, auctores vero esse damnandos, qui obliqua et maligna subtilitate

---

[70]) Ep. 1 (M. P. L. 13, 549).
[71]) M. P. L. 10, 681.
[72]) n. 2 (M. P. L. 13, 1133).
[73]) l. IV c. 19 (M. P. G. 67, 1170).
[74]) Libellus precum. n. 1 (M. P. L. 13, 81).
[75]) L. P. (ed. Duchesne) I 207; Gesta Liberii n. 2 (M. P. L. 8, 1389).

et caligine offenderunt innocentium sensus, per quae velamen obducerent veritati, tenebras lucem et lucem tenebras venditantes. Igitur si quis ignorationis captum resipiscens sermonis nostrae advocationis (sermonis nostri adhortatione?) brevissima, illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum fuerat expertus, reparatus exhauriat, condemnet, vehementiusque in auctores eius insaeviat, quos in se violentos expertus est, totumque se fidei apostolicae et catholicae, quae usque ad Nicaenae synodi conventum cucurrit de integro mancipet: per quam professionem, etiam si quibusdam leve et remissum videtur, recuperet id quod per astutiam rectitatis amiserat. Verum si aliquis tam stolidae mentis, quod haud credo, fuerit inventus, qui non solum nolit converti antidotum recipiens sanitatis, venenum virusque noxius sese vindicare crediderit, et ratione vincetur, et auctori perfidiae perdite deputatus, Ecclesiae catholicae spirituali vigore plectetur" [77]). Haec epistola anno 363 scripta, quae etsi textus valde corruptus est, tamen, sensum clare servat, ex alia Liberii epistola anno ultimo vitae eius scripta, opportune illustratur.

36. Constantio mortuo, cum in Oriente Valens imperaret, Arianorum et ipse fautor, Eudoxius, Valentis auctoritate fretus, Semiarianos ex quibus tunc iam Macedoniani emergere coeperant, persequi coepit; qui aliter sibi consulere non posse visi sunt quam si Liberii atque Valentiniani imperatoris auxilium implorarent.[78]) Etsi tunc errores contra Spiritum Sanctum spargi in Asia iam coeperant iidemque ab Athanasio primum Alexandriae, mox eius opera etiam Antiochiae damnati fuerant, idque Liberius iam sciebat, tamen nemo tunc iam scire poterat, ex eorum episcoporum numero, qui hoc tempore sedem apostolicam adierunt, non paucos fore apertos haeresis Macedonianae fautores. Multi igitur Orientales episcopi, ex quibus in epistola Liberii 64 nominantur, habitis Lampsaci, Smyrnae aliisque Isauriae, Pamphyliae et Lyciae in urbibus conciliis, ad Liberium occidentalesque episcopos Eustathium Sebastae, Silvanum Tarsi et Theophilum Catabalorum legatos cum litteris miserunt; quibus eos hortabantur „ut legatos suos omni ope iuvarent, et cum illis quid agendum esset perpenderent, et statum ecclesiae prout ipsis visum esset, corrigerent; quippe qui probam ac stabilem fidem ab apostolis traditam retinerent, ac prae ceteris omnibus religionis curam gerere deberent."[79]) Qui cum Romam ad Liberium pervenissent, „ille quidem ab initio eos admittere recusabat, Arianorum partium illos esse dicens, nec ab ecclesia suscipi posse, utpote qui Nicaenam fidem abrogassent. At illi se dudum resipuisse et veritatem agnovisse responderunt; et Anomoeorum quidem doctrinam eiurasse iampridem, Filium vero Patris per omnia similem confessos esse, nec differre similem a consubstantiali." [80])

Liberius, ut eos cautione aliqua obligaret,[81]) declarationem scriptam a legatis postulavit, quam ipsi suo eorumque a quibus missi fuerant nomine

---

[76]) Sulp. Sev. H. S. l. 2 c. 45 (M. P. L. 20, 155).
[77]) M. P. L. 8, 1372 s.
[78]) Socr. H. E. l. IV c. 12 (M. P. G. 67, 483 ss.). Soz. H. E. l. VI c. 10 (M. P. G. 67, 1318).
[79]) Soz. ibid. 1318 s.
[80]) Socr. ibid. 486.
[81]) Socr. ibid. 490.

conscripserunt, eandemque Liberius describendam litterisque suis ad Orientales adnectendam curavit, „ne quam haereticis occasionem ad struendas rursum insidias relinquamus, quibus de integro incentiva malitiae suae commoventes, discordiarum ignes pro suo more excitent.“[82]) Professio fidei ab his episcopis edita, omnino catholica erat in eaque inter alia haec leguntur: „Profitemur . . ., episcoporum orthodoxorum synodum, quae Lampsaci, Smyrnae, variisque in locis celebrata est, . . . catholicam fidem tenere et custodire, quae in sancta synodo Nicaena beati Constantini temporibus a trecentis decem et octo episcopis confirmata, hactenus integra et inconcussa perpetuo permansit, in qua consubstantialis vocabulum adversus Arii peversitatem sancte ac pie positum. Similiter et nos cum supradictis eandem fidem tenuisse et tenere et usque ad extremum spiritum servaturos esse propria manu profitemur; condemnantes Arium . . . et omnes, qui eadem atque illi sentiunt . . ., imprimis anathema dicentes Ario atque iis omnibus, quae in Ariminensi synodo adversus praedictam fidem sancti concilii Nicaeni gesta sunt; quibus ab oppido Thraciae Nice Constantinopolim allatis, dolo ac periurio circumventi subscripsimus.“ [83]) Ubi nemo non videt, quam claram damnationem concilii Ariminensis et quam explicitam professionem fidei Nicaenae cum ipsa etiam consubstantialis voce Liberius ab his episcopis tamquam pignus conversionis exegerit.

Hac quasi cautione accepta, tandem Liberius litteras amicitiae plenas ad orientales legatis dedit perferendas. De epistola ab eis ad se missa gaudet, „idque eo maxime, quod sententiam vestram atque doctrinam cum tenuitate mea cumque omnibus Italis et occidentalibus consentire prorsus et concinere affirmarunt simul ac demonstrarunt. Hanc autem fidem catholicam et apostolicam esse agnoscimus . . . et hanc legati vestri se habere professi sunt, et cum inaestimabili gaudio omne vestigium ac fomitem absurdae suspicionis abolentes, non sermone solum sed et scripto eam exposuerunt . . . Insuper et hoc professi sunt carissimi fratres nostri Eustathius, Silvanus ac Theophilus, tum se, tum vestram charitatem semper eam fidem habuisse et ad extremum usque spiritum servaturos esse, quae scilicet Nicaeae . . . comprobata est . . ., quae quidem fides in substantia et consubstantialis vocabulo comprehensa, tamquam firmum et inexpugnabile munimentum, omnes impetus et pravas machinas Arianae dementiae reprimit ac repellit.“

„Quocirca cum omnes occidentalium partium episcopi Ariminum convenissent, quo illos Arianorum improbitas convocaverat, eo consilio, ut aut persuasione aliqua, aut, quod verius est, saecularis potentiae auctoritate coacti, id quod in fide cautissime positum fuerat, tollerent, aut oblique negarent (τοῦθ᾽ ὅπερ ἀσφαλέστατον ἦν ἐν τῇ πίστει κείμενον ἀνέλοιεν ἢ πλαγίως ἀρνήσωνται) nihil profecit illorum versutia. Etenim omnes propemodum ii, qui apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo tunc decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam ab Ariminensi concilio editam anathemate damnarunt et catholicae fidei apud Nicaeam promulgatae subscripserunt, et communione nobiscum inita, adversus

[82]) Socr. ibid. 491.

[83]) Socr. ibid. 486—490; Soz. H. E. l. VI c. 11 (M. P. G. 67, 1319—1324).

Arium eiusque discipulos graviori indignatione commoventur. Cuius rei argumentum cum ipsi charitatis vestrae legati viderent, vos ipsos in subscriptione sua coniunxerunt, anathemate damnantes Arium necnon ea quae Arimini contra fidem Nicaeae firmatam gesta sunt, quibus et vos, periculis in fraudem inducti subscripsistis." Promittit deinde eis suum auxilium, „praesertim cum ex professione legatorum vestrorum cognoverimus, Orientales ad sanam mentem reversos cum orthodoxis occidentalibus consensisse et, ne si is nescii, significamus vobis, Ariminensis concilii blasphemias ab iis qui tunc per fraudem decepti fuisse visi sunt, nunc anathemate perculsas esse; et universos conspirantibus animis in Nicaenam fidem consensisse. Sed et vos id omnibus indicare debetis, ut qui per vim ac fraudem aliquod fidei suae detrimentum passi sunt, nunc tandem ex haeretica caligine ad divinam catholicae libertatis lucem valeant emergere. Qui quidem si post hoc concilium perversae doctrinae virus evomere et omnes Arii blasphemias eicere, easque anathemate damnare noluerint, sciant se pariter cum Ario eiusque discipulis ... extraneos esse et alienos a communione ecclesiae, quae adulterinos filios non admittit."[84])

37. Appare ex his Liberius, etsi ad veniam Ariminensibus dandam erat paratissimus, quam graviter eorum lapsum, conatum illum, „id quod in Nicaena fide cautissime positum fuerat" scilicet vocem consubstantialis, „tollendi" aut „oblique negandi," — diiudicaverit; „blasphemiae" illae sunt, „aliquod fidei suae detrimentum passi sunt" qui illa subscripserunt, quamdiu in illo statu versantur, „adulterini filii sunt," „extranei et alieni a communione ecclesiae," qui necessario prius „ad sanam mentem redire" debent. Certe, si Liberius unquam in eadem damnatione fuisset, imo, propter eminen iorem quem occupabat locum, gravius notatus fuisset, nunquam sic loqui potuisset, aut enim eandem rem verbis mitioribus dixisset, aut si iisdem verbis usus esset, aliquod signum doloris de proprio lapsu atque poenitentiae addidisset.[85]) Auctoritatem autem Liberii hic omnino integram nulloque modo labefactatam apparere, adeo evidens est, ut id hic iterum monuisse satis sit. Sed iam ad nodum totius quaestionis accedamus, ubi imprimis examinandum est, quomodo Sozomenus, qui solus illud factum quod toti causae originem dedit, paulo longius narravit, rerum gestarum seriem exponat.

V. *Quomodo secundum Sozomenum factum sit, ut Liberius de exilio reverteretur.*

38. Sozomenus haec habet: „Haud multo post imperator ab Urbe Roma Sirmium reversus, cum occidentales episcopi legationem ad ipsum misissent, Liberium Beroea ad se accersivit. Camque adessent legati episcoporum orientis, convocatis sacerdotibus qui in comitatu erant, Liberium coepit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem confiteretur. Instabant autem et imperatorem ad hoc impellebant Basilius, Eustathius et Eleusius,

---

[84]) Socr. ibid. 490—494.

[85]) Etiam Baronio, qui Liberium lapsum putabat, necessitas alicuius reparationis evidens fuit; professionem autem fidei ab eo ad Athanasium missam, quam Baronius ad hunc finem recitat (A. 357 n. 72) cum retractatione aliqua, qualem imprimis Liberius facere debuisset, si unquam cecidisset nihil commune habere legenti patet.

qui praecipua apud ipsum auctoritate pollebant. Qui cum ea quae contra Paulum Samosatensem et contra Photinum episcopum Sirmii decreta fuerant, ac praeterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis basilicae editam, in unum tunc libellum coniecissent, perinde quasi quidam, sub obtentu vocabuli consubstantialis propriam haeresim stabilire conarentur, effecerunt ut Liberius et Athanasius, Alexander, Severianus et Crescens Africae episcopi ei formulae consentirent. Consenserunt pariter Ursacius et Germinius episcopus Sirmii et Valens Mursae et quotquot ex Orientis partibus aderant episcopi.

Sed et confessionem a Liberio vicissim susceperunt, qua eos, qui Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabant. Nam cum Eudoxius et qui cum illo opinioni Aetii favebant, Antiochia Hosii epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverunt, Liberium quoque consubstantialis vocem condemnasse et Filium Patri dissimilem confiteri. His per occidentalium legatos confectis, imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit. Scripserunt etiam episcopi, qui Sirmium convenerant, ad Felicem, qui tunc Romanae ecclesiae praesidebat, et ad clerum eiusdem civitatis, ut Liberium susciperent, utque ambo apostolicam sedem gubernarent et simul sacerdotio fungerentur, absque ulla dissensione et quidquid molesti acciderat propter Felicis ordinationem atque absentiam Liberii, oblivioni traderent. Nam Liberium, virum undequaque egregium, et qui pro religione imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat, adeo ut eius causa gravissimam seditionem excitaverit et ad caedes usque proruperit. Post haec vero cum Felix modico tempore supervixisset, Liberius solus Ecclesiam administravit. Quod quidem divina providentia ita dispensavit ne sedes Petri dehonestaretur, a duobus praesulibus simul gubernata; quod discordiae signum et ab ecclesiasticis legibus alienum est.“ [86])

39. Secundum hanc narrationem Sozomeni, legatio aliqua episcoporum occidentalium, et quidem Africanorum, („Athanasius, Alexander, Severianus et Crescens, Africae episcopi“), causa fuerunt Constantio, ut cum Liberio iterum tractare voluerit ideoque eum Beroea Sirmium accersierit; ratio autem cur Constantius Liberium redire permitteret, fuit compromissum aliquod, ut aiunt, in quo Liberius aliquid Sirmiensibus, Sirmienses aliquid Liberio concesserint, ita ut ad aliquam sententiam mediam communem perveniretur. Sive Liberium sive Sirmienses aliquid subscripsisse, id quidem Sozomenus non dicit, neque in circumstantiis adeo gravibus id supponere possumus dum non explicite dicitur. Quoad id quod Liberius praestiterit, Sozomenus duo affert, conatum Constantii et Sirmiensium, ut a Liberio obtinerent, „ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur“, et consensum in aliquam formulam a Sirmiensibus propositam; Sirmienses vero vicissim professos esse, „Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem esse.“

40. Antequam haec ulterius discutiantur, in vocem „consubstantialis“ eiusque tum absolute tum pro illo tempore significationem inquirendum est. Consubstantialia illa dicuntur, quae sunt eiusdem substantiae. Iam vero et substantia in qua duo convenire dicuntur, et ipsa convenientia absolute loquendo diversa esse possunt. Si quis substantiam plenissimo huius vocabuli sensu sumit, et sic Filium Patri consubstantialem esse dicat, tunc sensu

---

[86]) H. E. l. IV c. 15 (M. P. G. 67, 1150—1154).

modalistico Pauli Samosateni et Photini proprio, Patrem et Filium non in sola substantia verum etiam in persona convenire dicit, ita ut non personarum sed tantum eiusdem personae modorum trinitas permaneat. Si vero substantia, sensu minus pleno, de sola essentia intelligatur, tunc generatim consubstantialia dici possunt, quae in eadem essentia conveniunt; id quod diverso modo esse potest.

Vel habetur tantum perfecta similitudo ratione naturae specifice eiusdem, quo sensu Petrus et Paulus consubstantiales sunt, qui tamen sensus in considerationem non venit, cum etiam Ariani, sicut ex una parte perfectam Filii cum Patre similitudinem negabant, ita ex altera parte Filium ex Patre esse concedebant. Vel habetur, ultra perfectam unius cum altero similitudinem in ipsa natura realis origo unius ab altero, quae origo realis ipsius perfectae in natura similitudinis ratio est: atque hanc imprimis patres Nicaeni vocabulo consubstantialis exprimere volebant, perfectam dico in natura similitudinem in vera Filii ex Patre generatione fundatam. Ariani enim semper in eo erant, ut Patrem dicerent non vera generatione naturali, sed voluntate libera, ad producendum vel non producendum indifferenti, produxisse Filium, quo ipso sequebatur, Filium non esse quoad ipsam substantiam Patri similem, nec aeque perfecte Deum ac Patrem. Contra quos patres Nicaeni opposuerunt, Filium non esse, sicut ea quae libera Deus voluntate facit, ex nihilo, sed, utpote ex ipso vere genitum, „ex substantia" Patris, ex hoc ipso autem sequi, Filium non utcunque Patri similem, verum in ipsa substantia, idque perfectius adhuc quam filium humanum cum Patre, propter inseparabilem Filii cum Patre unionem: „ἵνα μὴ μόνον ὅμοιον τὸν υἱὸν, ἀλλὰ ταὐτὸν τῇ ὁμοιώσει ἐκ τοῦ πατρος εἶναι σημαίνωσι, καὶ ἄλλην οὖσαν τὴν τοῦ υἱοῦ ὁμοίωσιν καὶ ἀτρεψίαν δείξωσι παρα τὴν ἐν ἡμῖν λεγομένην μίμησιν . . . Ἐπειδὴ δὲ ἡ ἐκ πατρὸς τοῦ υἱοῦ γέννησις ἄλλη παρὰ τὴν ἀνθρώπων φύσιν ἐστὶ καὶ οὐ μόνον ὅμοιος, ἀλλὰ καὶ ἀδιαίρετός ἐστι τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, καὶ ἓν μέν εἰσιν αὐτὸς καὶ ὁ πατὴρ, ὡς αὐτὸς εἴρηκεν, ἀεὶ δὲ ἐν τῷ πατρί ἐστιν ὁ λόγος, καὶ ὁ πατὴρ ἐν τῷ λόγῳ, ὡς ἔστι τὸ ἀπαύγασμα πρὸς τὸ φῶς." Quibus utique dictis aperte declaratur, his vocabulis ‚ex substantia' et ‚consubstantialis' deleri impietatis voculas, quibus aiunt, Filium esse rem creatam, conditam, factam et mutabilem, nec prius fuisse, quam genitus est." [87])

Ex ore ipsius Athanasii, quo nemo melius sensum horum vocabulorum in concilio Nicaeno definitum novit, nemo maiore constantia defendit, habemus hic in quonam cardo totius pugnae circa vocem consubstantialis tunc versatus sit. Etsi enim secundum rei veritatem in Deo consubstantialitas inter Patrem et Filium numericam etiam ipsius naturae in utroque unitatem involvat, ex qua ubique perfectissima similitudo in ipsa natura in personis divinis hanc numerice eandem naturam habentibus consequitur, tamen de hac numerica unitate naturae tunc non pugnabatur. Si vere Filius a Patre non factus sed genitus est, eo ipso ex substantia eius est, ipsi in natura perfectissime similis est, ὁ αὐτὸς τῇ ὁμοιώσει ἐκ τοῦ πατρὸς ὤν, imo naturam numerice eandem cum ipso habet; quare qui pro statu controversiae qui tunc erat, unam ex his quattuor propositionibus affirmabat vel negabat, ceteras implicite affirmabat vel negabat.

Ex Semiarianis multi erant, qui omnes quattuor vel potius tres — nam de numerica identitate naturae explicite tunc non agebatur — pro-

---

[87]) Athan. De decretis Nicaenae Synodi n. 20 (M. P. G. 25, 451).

positiones illas admittebant, imo etiam vocabulum consubstantialis ad eas una formula comprehendendas aptum esse non negabant, ab eo autem abstinere volebant, non quia unam ex propositionibus oppositis Arianorum defendebant, sed vel quia eam vocem aliquid obscuritatis habere dictitabant, vel ob rationem extrinsecam, quod videlicet haereticis quibusdam, oppositum Arianae haeresi errorem tuentibus, vocabulum consubstantialis tunc ad suam haeresim velandam inserviret[88]).

41. Redeamus nunc ad narrationem Sozomeni. Ex iis quae iam exposuimus patet, Constantium damnationem vocis consubstantialis sensu catholico acceptae, nec a Liberio nec ab aliis tunc praesentibus ullo modo obtinuisse, cum e contrario Sirmienses, postulante Liberio, „Filium Patri secundum substantiam et per omnia similem" profiteri debuerint. Sed quid de voce consubstantialis? Videri enim posset, Liberium ‚consentiendo' formulae a Sirmiensibus propositae, saltem silentio suo vocem illam suppressisse. Formulam cui Liberius consenserit, Sozomenus dicit ex decretis Sirmiensibus contra Photinum[89]) et ex „fidei formula" in dedicatione Antiochensis basilicae edita[90]) fuisse compositam.

Utramque formulam, etsi vocem consubstantialis non contineat, tamen Hilarius sine ulla dubitatione catholicam iudicat, neque omnino negari potest, in formulis quas Orientales post fidem Nicaenam proposuerunt diiudicandis, Hilarium aequius tulisse iudicium quam Athanasium.

42. Quid Athanasius generatim[90b]) de sibi invicem succedentibus illis synodis et formulis senserit, ex libro eius De synodis clare apparet, ubi inter cetera haec habet: „Ceterum illi frequentes synodos adversus universale illud concilium celebrantes nunquam fatiscunt... Coeunt igitur Hierosolymis atque huiusmodi litteras dedere."[91]) „Hoc fuit illis synodorum initium".[92]) „Attamen rati, aliquid adhuc ad suum propositum desiderari, Antiochiae synodum obtentu encaeniorum, ut vocant, coegerunt... In aliqua autem epistolarum suarum haec conscripsere."[93]) „Iterumque in alia epistola eorundem encaeniorum tempore, cum priorum poeniteret ac nova quaedam et plura excogitassent, haec edidere."[94]) Theophilus porro quidam episcopus Tyanensis, hanc fidei formulam a se compositam coram omnibus proposuit, cui, hominis approbata fide, subscripserunt omnes."[95])

„Haec cum Antiochiae encaeniorum tempore gessissent, rati se nondum perfecte fidem suam scripsisse, utpote fluctuanti mente praediti, aliud denuo edunt de fide rescriptum paucis interiectis mensibus."[96]) „Sed quasi horum

---

[88]) Athan. De Synodis n. 12 (M. P. G. 67, 702); n. 41 c 763—766; Hilar. De Synodis n. 81 (M. P. L. 10, 534). Ad quae cf. Savio, 117 ss.

[89]) Athan. De Synodis n. 27 (M. P. G. 26, 735).

[90]) Ibid. n. 24 c. 722; nam haec est illa formula, quam Hilarius simpliciter Antiochiae in encaeniis scriptam dicit.

[90b]) Mitius iudicat. De Synodis c. 41 (M. P. G. 26, 766).

[91]) n. 20 c. 718.

[92]) n. 22 c. 719.

[93]) n. 22 c. 719.

[94]) n. 23 c. 723.

[95]) n. 24 c. 723.

[96]) n. 25 c. 726.

poeniteret, rursum post tres annos concilium suum coegerunt, miseruntque Eudoxium, Martyrium et Macedonium in Cilicia episcopum, cum iisque alios quosdam in Italiam, qui fidei formulam plurimis conscriptam deferrent, multisque additamentis auctiorem quam superiores; nam quasi recentiora quaedam excogitassent, haec secum attulere."[97]) „Sed neque hic steterunt; iterum namque Sirmii adversus Photinum coacti, aliam fidei formulam ediderunt, non ita prolixam, neque tot verbis conscriptam, sed plurimis detractis, alia addiderunt, veluti ea a quibusdam sibi suggerentibus accepissent."[98]) „His omnibus reiectis, quasi praestantiora excogitassent, fidei doctrinam formulamque statuunt, et haec Sirmii Latine scribunt"[99]) (= secunda Sirmiensis formula, reiciens substantiam, consubstantiale et homoiusion).

„Haec cum scripsissent, consilio iterum mutato, eam edidere fidei formulam, quam se cum consulatu edidisse postea erubuere. De more autem quasi hanc iterum improbarent, curarunt, ut per Martinianum notarium exempla ab eis qui haberent auferrentur. Et cum Constantio imperatori auctores fuissent, ut adversus eam edictum promulgaret, aliam rursus tradidere, additisque, uti solent, quibusdam verbis, haec in Isauria conscripserunt"[100]) („homousion et homoiusion utpote voces a Scripturis alienas reicimus, anomoion autem anathemate damnamus ... Quod autem fides Sirmii nuper edita coram pietate imperatoris nostri, huic paria contineat, norunt omnes qui legerint").[101]) His in Isauria scriptis, Constantinopolim profecti, quasi se iterum poeniteret, ea de more mutaverunt, additis tamen quibusdam voculis; ita ut neque hypostasim in Patre et Filio et Spiritu sancto dicerent; eademque ipsa iis transmisere, qui Ariminum convenerant, coactis omnibus harum regionum episcopis ut iis subscriberent. Et si qui repugnabant, eos a Constantio in exilium pelli curarunt."[102]) „Sed nec hic quidem stetere, nam Constantinopoli Antiochiam profecti, mutata sententia, qua, iuxta sacras litteras, similem esse Patri Filium scripto tradiderant, concinnatisque iis quae excogitarunt, rursus ad priorem reversi sententiam, dixerunt Patris omnino dissimilem."[103]) Huc usque igitur progressi supradicti viri, substitere tandem, ac demum depositi sunt."[104])

43. Ex his apparet, Athanasium, cum praesertim post Constantii mortem scriberet longamque seriem formularum et gesta Arianorum nefanda vidisset, sine ulla omnino distinctione rerum, causarum, personarum ac temporum omnes illas synodos omnesque illas formulas tamquam unius eiusdemque catenae Arianae annulos condemnasse; et tamen erant inter haec omnia aliqua quae sic in cumulo non erant necessario damnanda, sicque etiam viros maxime orthodoxos sensisse ideoque Liberium, si vellet, sentire iure suo potuisse, testis luculentissimus est Hilarius, qui suum De synodis librum paucis mensibus post Liberii reditum conscripsit. Pauca testimonia sufficiunt ut eius tum de synodis illis in genere tum de synodis

[97]) n. 26 c. 727.
[98]) n. 27 c. 735.
[99]) n. 28 c. 739.
[100]) n. 29 c. 743.
[101]) n. 30 c. 746.
[102]) n. 30 c. 746.
[103]) n. 31 c. 747.
[104]) n. 32 c. 750.

atque formulis Antiochena et Sirmiensi, de quibus Sozomenus loquitur, iudicium clarum fiat.

„Sed iam superioribus diversisque, temporibus, multis his causis postulantibus, fides alias necesse fuit conscribi.“ [105]) Quas dum referre vult, incipit cum fide Antiochiae in encaeniis edita, cuius verba aliquantulum obscura de similitudine Patris et Filii omnino catholica esse ait: „Et primum sciendum est, non adversus haeresim quae dissimilis substantiae Patrem et Filium ausa est praedicare, in Antiochia fuisse conventum, sed adversus eam, quae post sanctam synodum Nicaenam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adscribere . . . Volens igitur congregata sanctorum synodus impietatem eam perimere . . .“[106]), idcirco illa verba posuit, quod Hilarius omnino approbat.

„Dignum est autem, etiam ceteras eorundem episcoporum Orientalium diversis et locis et temporibus conscriptas fides noscere, ut per plures confessiones sinceritas conscientiae possit intelligi.“ [107]) Affert ad hoc fidem Sardicensem, Orientalium scilicet, cuius sinceritatem probat, omnia et singula cum catholica fide convenire ostendendo. Deinde pergit: „Consequens autem est, ut eam nunc fidem retractemus, quae non olim, cum Photinus episcopus deiectus est, conscripta est“ [108]) id est, fidem Sirmiensem primam de qua Sozomenus loquitur. De qua in fine ita iudicat: „Necessitas et tempus admonuit eos qui tum convenerant, per multiplices quaestiones latius ac diffusius expositionem fidei ordinare; quia multis et occultis cuniculis in catholicam domum ea, qua per Photinum renovabatur, haeresis tentaret irrepere, ut per singula genera intemeratae et illaesae] fidei unicuique generi haereticae ac furtivae fraudulentiae contrairetur: essentque tot fidei absolutiones, quotidem essent quaesitae perfidiae occasiones“, [109]) quod deinde discurrendo per singula ostendit, necessitatem singulos illos errores opposita veritate refellendi iterum iterumque inculcando. [110])

44. Et revera hae formulae etsi vocem consubstantialis non contineant, tamen doctrinam, voce consubstantialis significatam satis clare exprimunt. Ut iam monuimus, quod Liberius hanc formulam compositam subscripserit, hoc ne ipse quidem Sozomenus dixit; qui tantum de consensu aliquo loquitur; secundum ipsum igitur rem nobis ita repraesentare possumus, ut Basilius Ancyranus, qui Photinum ex sede sua Sirmiensi tandem deiecerat, et Germinius Photini in sede Sirmiensi successor, Liberio sua in Photino removendo haeresique eius Sirmii exstirpanda merita exposuerint et praedicaverint, quod profecto in ipsa illa civitate, ubi Photinus per factionem populi diu removeri non potuit,[111]) ubi Basilius in eo removendo tantum insudaverat,[112]) ubi Germinius sine dubio contra fautores eius continuo adhuc bellum gerere debebat, nihil mirum habere potest. Quod in his sermonibus etiam de decretis Antio-

[105]) De Synodis n. 28 (M. P. L. 10, 502).
[106]) n. 32 c. 504.
[107]) n. 33 c. 506.
[108]) n. 37 c. 509.
[109]) n. 39 c. 512 s.
[110]) Cf. n. 61—63 c. 522 s.
[111]) Hil. Fragm. II. n. 21 (M. P. L. 10, 650).
[112]) Soz. H. E. l. IV. c. 6 (M. P. G. 67, 1119, 1122 s.).

chenis atque Sirmiensibus contra Photinum editis mentio inciderit, omnino naturale, immo necessarium erat. Liberium, quae a Basilio bene gesta erant approbasse, nec synodorum decreta quibus ille in Photino pellendo nisus erat damnasse, plus quam verisimile est; idque eo magis, quod Liberius et Sirmii reliquias haeresis Photini adhuc sub cineribus gliscentes animadvertere potuit, nec ipsi, per biennium ab omni communicatione cum mundo catholico separato et Sirmii tantum ab Arianis vel Semiarianis circumdato, facile esse poterat, ut de extensione et gravitate haeresis Photini deque sinceritate eorum, qui ei pericula inde imminentia repraesentabant, rectum sibi iudicium formaret; quod ipse Hilarius hoc non mere imaginarium sed valde reale periculum fuisse iudicaverit, ex iis, quae ante rettulimus, evidens est. Nec dubitari potest, Sirmienses, illa quacumque approbatione formulae suae contentos, ad vitandam apertam Liberii explicationem approbationis illius limitatae, plus ab eo non postulasse, cum praesertim unus vel alter eorum illa approbatione secus ac Liberii mens erat, utendum sibi postea iam tunc decrevisse videri possit.

45. Verum hic non sistit narratio Sozomeni. *Calumnias* iam tunc Liberio motas meminit, et tantum abest, ut nobis Liberium, exilii laboribus et minis mortis perterritum, manus ad omnia dedisse depingat, *ut potius eundem virum magnanimum*, quem coram Constantio Mediolani degentem admirati sumus, etiam Sirmii reperiamus. Contra rumorem adversus ipsum sparsum, quasi Filium Patri dissimilem dixisset, consubstantialem negasset, exigit et obtinet a Sirmiensibus professionem, Filium secundum substantiam et secundum omnia esse Patri similem. Hic iure aliquis miretur, quod Sozomenus, dum cum magna admiratione constantiae Liberii, eum in exsilium euntem describit, eundem dicentem introducat: Se pecunia imperatoris non egere, „nobis vero Christus, *qui Patri in omnibus similis est* et annonas et bona omnia subministrat“;[113] dixeris, Sozomenum ut virum orthodoxum significet, eum similitudinem Filii in omnibus cum Patre profitentem inducere! Num etiam in nostro loco Liberio, ut orthodoxiam eius ostenderet, haec verba in ore posuit? Certe eundem Eustathium, quem Sozomenus tamquam Sirmii praesentem exhibet, iam ad ipsum Liberium de se suisque ita loquentem audivimus: „Se dudum resipuisse et veritatem agnovisse; et Anomoeorum quidem doctrinam eiurasse iam pridem, Filium vero Patri per omnia similem confessos esse, *nec differre similem a consubstantiali*“. Hoc autem semel posito, Liberius dicendus esset, etiam secundum narrationem ipsius Sozomeni vocem consubstantialis non solum non prodidisse, sed potius efficaciter asseruisse.

Quodsi simul consideretur, quid Liberius Sirmiensibus secundum Sozomenum concesserit, quidque ab ipsis postulaverit atque obtinuerit, patet, de compromisso, ut vocant, secundum rei veritatem hic non agi, cum neque in mere orali et tacita illa approbatione formularum Antiochenae et Sirmiensis, quibus Basilius in Photino pellendo usus erat, vocem consubstantialis vere suppresserit,[114] et contra calumnias in ipsum sparsas denuo asseruerit.

---

[113]) H. E. l. IV. c. 11 (M. P. G. 67, 1139).

[114]) Attentione valde dignum est, Ursacium et Valentem, in retractatione sua ad Iulium data, Arium quidem condemnare, sed nec substantiae nec consubstantialitatis mentionem facere. Innuit quidem Hilarius, hanc satisfactionem parum fuisse sufficientem, Iuliumque potius ex oeconomia quadam

46. Quod ad formulas illas spectat, etiamsi Liberius eas subscripsisset, nihil ei inde vitio verti posset. Taceo quod non de formula agebatur tunc primum composita sed de formula iam existente, quae Basilio Ancyrano in iis quae contra Photinum iam laudabiliter gesserat auctoritatem praebuerat. Nec illa formula contra Arianos directa erat, qui vocem consubstantialis reiciebant, sed contra Photinianos, qui illam ultra admittebant, sed ita, ut ea ad errorem suum tegendum simul et asserendum abuterentur. Quibus in circumstantiis, dato semel magno illo periculo, quod, Basilio aliisque testibus, fidei catholicae iam ex parte Arianis omnino contraria imminere credere debebat, Liberius nihil melius facere potuit, quam ut veteres formulas catholicas illas et ad novam haeresim impugnandam aptas, suo aliquo consensu firmaret.

Si aliud facere voluisset, consubstantialis vocem aut sensu Photiniano damnare, aut sensu catholico contra Arianos affirmare, aut utrumque modum, claram distinctionem apponendo, coniungere debuit;[115]) si primum fecisset, non est dubium, quin Ariani solita sua mala fide statim rumorem sparsissent, Liberium tandem aliquando simpliciter vocem consubstantialis damnasse; si confirmasset, Photiniani sparsissent, Liberium, de Photino agentem, vocem consubstantialis tandem agnovisse; quodsi utrumque coniunxisset, quae tamen agendi ratio cum in scholis unice recta sit, in vita practica autem difficillime adhiberi potest, periculum fuisset, ut tum Ariani tum Photiniani eodem quo diximus modo abuterentur. Optimum igitur fuit, ut Liberius, dum cum Photinianis ageret, vocem consubstantialis in eorum damnationem non introduceret, et, dum cum Arianis ageret, vocem consubstantialis, nec vocem solam sed etiam et imprimis rem ea voce expressam defenderet. Quod utrumque, semper secundum Sozomenum, praestitit. Ut enim iam supra diximus, Ariani non, sicut multi ex Semiarianis, vocem solam consubstantialis sed etiam rem ea expressam impugnabant, immo vocem solum propter rem. Quare ei, qui fidem Nicaenam salvam volebat, non ad vocem solum sed etiam ad rem attendendum erat, ad hoc autem necessarium erat, detegere, ex quanam parte Ariani rem voce consubstantialis expressam, tunc ipsum labefactare conarentur. Iam vero, ut ex iis, quae deinde subsecuta sunt, clare apparet, tunc imprimis perfectam Filii cum Patre similitudinem et maxime similitudinem secundum ipsam substantiam subruere Ariani conabantur; hac posita, consubstantiale salvum erat, hac sublata, consubstantiale sublatum erat. Quare, si Liberius non nudum nomen sed ipsam rem eo nomine expressam defendere volebat, debebat ab ipsis postulare professionem similitudinis quoad omnia

---

hanc antesignanorum haeresis Arianae retractationem admisisse, „ut cum lucro catholicae Ecclesiae vires quoque detraheret Arianis, cum eos, qui unitatem ante turbaverunt, consilii huius et audaciae poenitentes in communionem catholicam per veniam reconciliatae pacis admitteret“ (Fragm. II. n. 19: M. P. L. 10, 616). Sed nec Hilarius nec Athanasius qui bis eorum epistolam ad litteram refert, quidquam inde exprobrandum Iulio existimant, sed potius aperte probant.

[115]) Quoad rem haec distinctio sensuum cum approbatione unius et damnatione alterius, etsi non ipsi voci consubstantialis apposita, habetur in fide priore catholica Ariminensium: „Si quis Patris et Filii et Spiritus sancti unam personam [= haeresis Pauli Samosateni et Photini] aut tres substantias divisas dixerit et non perfectae Trinitatis unam deitatem profiteatur [= haeresis Ariana], anathema sit“ (M. P. L. 10,698).

et secundum ipsam substantiam, si tamen etiam nomen defendere volebat, in quo firmissimum ipsius rei praesidium erat, postulare debebat, ut illis verbis idem ac per vocem consubstantialis exprimi recognoscerent: quorum primum teste Sozomeno praestitit, alterum idem Sozomenus innuit: aptissime igitur Liberius et rem et vocem consubstantialis defendit.

47. Sed iam quaerendum est, utrum tota haec rerum expositio, quae a Sozomeno suggeritur, admitti tamquam vera possit, et imprimis, ad substantiam rei quod spectat, utrum talis rerum series in se possibilis sit et cum iis quae aliunde scimus conveniat. Iam vero Sozomenum intelligere possumus aut in sensu Liberio maxime favente, quod scilicet tantum practice, nec scripto, formulam sibi propositam voce consubstantialis carentem approbaverit, eiusdem vero vocis approbationem saltem aequivalentem a Sirmiensibus postulaverit, aut vero ita, ut formulam voce consubstantialis carentem sollemniter subscripserit nec in confessione, quam a Sirmiensibus postulavit, vocis huius mentionem ullam fecerit.

Si hoc alterum supponamus, relatio Sozomeni tot difficultatibus premitur, quot rationes adsunt Liberium ab omni omnino culpa immunem declarandi, quo praeter argumenta ex Liberii indole, ex modo quo ante et post exilium se gesserit petita, quae iam attulimus, etiam omnia ea referenda sunt, quae in favorem Liberii ex antiquis scriptoribus mox allaturi sumus. In primo autem casu, contra quemcumque favorem etiam praeter intentionem Semiarianis exhibitum, ea quae pro secundo sensu Sozomeni tuendo afferr possent difficultatem faciunt, quae tamen ex iis, quae contra valorem testimonii hoc sensu intellecti proferemus, facile solvitur; restat tunc tamen aliqua difficultas interna, quae insolubilis videri possit, quam tamen, cum etiam nostram, plenam Liberii innocentiam affirmantem sententiam premat, iuvat hic primo loco idque paulo latius cum sua solutione exponere.

48. Cum scilicet secundum Sozomenum sic intellectum, atque secundum hanc quam veram omnino esse putamus sententiam Liberius nihil omnino fecerit ad animum Constantii mutandum, quaeritur, quomodo psychologice intelligi possit, Constantium, cuius indolem bene novimus, suam de Liberio sententiam mutasse. Ipse Sozomenus, tamquam causam positivam et immediatam quae mutationem hanc animi imperatoris obtinuerit, exhibet preces episcoporum occidentalium, quas horum legati ad aures Constantii detulerint. Quod vero episcopi illi occidentales, qui Africani fuisse videntur, sicut eorum legati, tunc pro Liberio intercedere ausi fuerint, id tum eorum necessitati, cum auctoritate veri Romani pontificis contra Donatistas indigerent, tum menti iam aliquantulum in Liberium inclinatae Constantii tribuendum est.

Constantium a Liberio restituendo tunc non omnino alienum fuisse, ex responso patet, quod cum sub finem Aprilis 357 Romae esset, matronis Romanis pro Liberio intercedentibus dederat: „Revocaturum se illum, et petentibus redditurum esse, si sacerdotibus qui in ipsius erant comitatu, consentire vellet“:[116]) quae verba, etsi ab iis, quae biennio ante Mediolani protulerat, in se non differebant, tamen post intrusum iam Romae imperatoria po-

[116]) Soz. H. E. l. IV. c. 11 (M. P. G. 67, 1139).

testate Felicem episcopum, aliquam adhuc in Constantio voluntatis inclinationem prodebat, nihilominus Liberium restituendi. Implicita quidem erat adhuc condicio, et quidem eadem, quam iam ante posuerat, verum etiam haec condicio, cum episcopi in comitatu eius iam alii essent, in favorem Liberii iam aliquantulum mutata erat. Etsi enim Ariani, Valens et Ursacius imprimis, adhuc cum Constantio versarentur, influxum quem antea in imperatorem habebant, amiserant, in eorumque locum Basilius Ancyranus, qui modum tractandi Constantium et eius aulicos non minus callebat, successerat[117]), isque cum Semiarianus Arianorumque acerrimus adversarius esset, tantum apud Constantium valuit, ut tunc ipsum, cum occidentalium legati adessent, iam obtinuisset, ut epistola imperatoris ad Eudoxium Arianum data, qua ea quae ad consubstantialis et etiam homoiusios vocem impugnandam fecerat, approbabat, ab Eudoxii legato tolleretur eiusque loco altera, omnino contraria ei daretur[118]). Hic Basilius Ancyranus ea tunc apud Constantium potentia erat, ut, sicut ex facto commemorato apparet, imperatoris animum quocunque vellet, flecteret. Quare condicio a Constantio pro Liberii reditu apposita, ut scilicet episcopis suis consentiret, practice iam in eo versabatur, ut cum Basilio consentiret; quidnam ad hoc a Liberio petendum esset, a Basilio pendebat, et, prout hic plus vel minus postulandum suggerebat, ita plus vel minus difficultatis pro Liberio remanebat superandum.

Iam vero ipso facto, quod non aliquis stricte Arianus, ut Valens vel Ursacius, sed Semiarianus Basilius conditionem reditus Liberii dictabat, spes omnem difficultatem superandi multo maior erat. Namque Semiariani, ut magis moderati quam Ariani erant, immo volebant, tunc temporis maxime, esse catholici multique eorum a catholicis verbo tantum differebant, ita illo tempore, cum Arianos adeo acriter persequerentur, omnibus modis catholicorum societatem quaerebant ad eamque obtinendam ad omnia sacrificia erant parati. Hoc autem rerum statu fiebat, ut ipse Liberius pacis ineundae fieret arbiter, cum Basilius non alias pacis condiciones propositurus esset, quam quas Liberium probaturum praevidebat, certus, se potentia sua apud Constantium ut idem probaret effecturum. Verosimile autem est, condicionem unicam tunc a Liberio acceptatam eam fuisse, quod cum Sirmiensibus, postquam suam fidem in Filium Patri secundum substantiam et per omnia similem, idque idem esse atque consubstantialem professi fuissent, communionem iniret. Talis professio fidei in Ursacio et Valente, qui iam bis castra mutaverant, praesertim cum id tunc imperatori gratum esse viderent, nihil improbabile habet. Quodsi postea episcopi catholici Ariminenses nihilominus cum iis communicare recusabant,[119]) ratio potuit esse, quia illi sententiam postea iam iterum mutaverant.

Si quaeramus, quaenam causa fuerit, cur Constantius etsi Romae Felicem intrusisset, tamen nunquam catholicis omnem spem Liberium recipiendi ademerit, et hoc sensu semper aliquam inclinationem ad Liberium restituendum conservaverit, nescio utrum inter tales causas non etiam admiratio aliqua Liberii commemoranda sit, cuius magnitudinem animi Con-

---

[117]) „Basilius, Eustathius et Eleusius, qui praecipua apud ipsum auctoritate pollebant". Ibid, cap. 16, col. 1150 s.

[118]) Ibid, cap. 13 s. col. 1147—1150.

[119]) M. P. L. 10, 698.

stantius ex comparatione cum tot episcopis aulicis quaquaversus mutabilibus non poterat non apprehendere aut apprehensam non admirari; forte etiam iam inanitatem calumniarum in Liberium coniectarum, quasi se superbe contra ipsum erigeret, perspexerat, sicut quondam etiam erga Athanasium factum erat. Certe autem una eademque praecipua causa erat, quam omnes historici antiqui indicant, praecipuus quidam Romanorum erga Liberium amor ac reverentia, qui Felicem, in Liberii sedem intrusum, oderant et omnibus modis vitabant.[120]) Non quasi Constantius Romanos eorumque tumultus serio timuisset, vel veritus esset; qui enim non dubitavit Arianos protegendo totum terrarum orbem susque deque vertere, etiam horum tumultuum magnam rationem vix habuit. Attamen, etsi Constantius etiam mediis violentissimis ad fines suos uti non dubitabat, non est dubium, quin etiam ipse violentiam non propter se ipsam quaesierit ideoque, ubi idem vel plus sine violentia obtinere se posse speraret mitioribus mediis libenter usus fuerit. Iam vero, ut ipse cum Romae esset bene perspexerat, status rerum, qui post Liberii exilium ibi fuit, is erat, ut diutius durare non posset, remedium autem nullum aliud esse vidit quam reditum Liberii.. Quare quid mirum si ipse iam tunc secum statuerit viam aliquam ineundi, qua salvo suo honore Liberium, quem ad desideria sua non condescensurum sciebat, nihilominus in patriam remitteret?

Ne autem cui incredibile videatur, quod Constantius Liberium remiserit, quin Liberius ne minimum quidem cesserit, una ex parte ad modum est attendendum, quo Constantius Liberium dimisit, altera ex parte exemplum s. Hilarii commemorandum est, qui cum in exilio degeret et auctoritate sua haeresi Arianae plurimum noceret Constantinopoli, ideo a Constantio, nulla satisfactione ab ipso postulata vel accepta, in patriam remissus est.[121]) Nonne etiam Liberius, cuius auctoritas vel ratione sedis suae etiam multo maior erat, etiam magis ubicumque erat, haeresi nocere debuit?

Deinde quomodo Constantius Liberium remisit? Ita, „ut ambo (Liberius et Felix) apostolicam sedem gubernarent et simul sacerdotio fungerentur,"[122]) quod cum Constantius Romam rescripsisset, „lectis in circo his litteris, populus exclamavit, aequam esse imperatoris sententiam. Bifariam quippe divisos esse spectatores, discretis nominibus ex colorum varietate, et propterea illorum his unum, alterum aliis praeesse oportere. Hoc modo imperatoris litteras cum irrisissent, in unam vocem omnes pariter eruperunt: Unus Deus, unus Christus, unus episcopus. Ipsa enim eorum verba referenda censui. Post hanc autem populi christiani pietate ac iustitia insignem acclamationem reversus est divinus Liberius. Felix vero in alia civitate sedem fixit "[123]) Ipse populus igitur modum, quo Constantius Liberium restituit, indignum esse iudicavit, nec dubitandum, Constantium, si Liberius ad desideria eius condescendisset, modum inventurum fuisse, quo Liberius cum summa honoris significatione Romam reductus, Felix vero alio cum bona utriusque pace translatus esset.

---

[120]) Philostorgius apud Photium (M. P. G. 65, 518); Socr. H. E. L. II. c. 37 (M. P. G. 67, 322); Soz. H. E. L. IV. c. 15 (ibid 1154); Theodoretus H. E. L. II. c. 14 (M. P. G. 82, 1039); Ammianus Marcellinus, Rer. gest. l. 15 c. 7.

[121]) Sulp. Sev. H. S. l. 2 c. 55 (M. P. L. 20, 155).

[122]) Soz. H. E. l. IV. c. 15 (M. P. G. 67, 1151).

[123]) Theod. H. E. l. II. c. 14 (M. P. G. 82, 1039).

Ne ipse victus appareret, Constantius etiam alio modo videtur providisse. Sicut, cum Liberius adhuc Romae esset, portis civitatis custodes posuerat, ne quis orthodoxus ad ipsum accedere posset,[124]) ita etiam Beroeae eum ab omnibus amicis separavit, ita ut Ariani, cum nemo catholicus adesset, qui eos refellere potuisset, de Liberio spargere possent, quaecumque vellent. Atque haec videtur vera esse ratio, cur de iis quae Beroeae et etiam Sirmii gesta sunt, tantum tales testes habeamus, qui ab Arianismo non sint immunes. Nam et Sozomenus qui Sirmii gesta narrat, et ipse etiam Socrates qui ambo ex Ariano vel Semiariano fonte hauriunt, eo ipso ostendunt, catholicos testes praesto non fuisse. Quare omnino credibile est, Constantium Arianosque episcopos, immo etiam Semiarianos cum Basilio, qui profecto integrae famae non est, dum Liberio magis favere videbantur, iam tunc novae in ipsum machinae struendae intentos fuisse, idque unum tunc curasse, ut certae notitiae de iis, quae Sirmii gesta erant, ne divulgarentur, sicque cum Liberius in patriam remitteretur, rumor spargi posset, Liberium Constantio Semiarianisque consensisse.

Arianos, et ipsos etiam Semiarianos, cum vi contra Liberium nihil se proficere experientia docti scirent, iam ad fraudes, in quibus texendis adeo valebant, hac vice se convertisse Liberiumque calumniasse et ex omnibus quae scimus certum est et de Arianis quidem Sozomenus diserte refert, cum scribit, Eudoxium cum suis rumorem sparsisse, „Liberium quoque consubstantialis vocem condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri“.[125]) Et revera, quod hic Sozomenus calumniam Arianorum esse scribit id Philostorgius Arianus, „encomium haereticorum et recriminatio et vituperatio orthodoxorum“ ut Photius eum nominat, tamquam genuinam historiam recitat, „Liberium et una cum illo Hosium episcopum contra consubstantialis vocabulum et contra Athanasium subscripsisse“,[126]) cum Sozomenus diserte declaret, Liberium ipsum adhuc Sirmii degentem hanc calumniam efficaciter amovisse. Ceterum calumniis etiam tunc causa Athanasii locum dare poterat, cum Liberius exilio a Constantio solutus est, quin in favorem Athanasii ab eo quidquam obtinuerit; in quo nihil certe mirum; sicut enim Constantius Athanasium removendum statuerat, priusquam Liberium pellendum statuisset, ita in Athanasio sede sua arcendo perseverare poterat, etiam postquam Liberium redire permisit; quae tamen res facile Liberio invidiam conflare poterat, quasi causam Athanasii prodidisset, cum tamen de eius continuato exilio ita esset innocens atque invitus, sicut fuerat de incepto.

4⁰. Et quoniam ipse locus, in quo discutiendo versamur, monet, hic pauca de aliis quibusdam contra Liberium testimoniis breviter dicenda sunt, ut quae cum Arianorum contra Liberium calumniis cohaereant, iisdemque magna ex parte originem debeant.

His iisdem enim calumniis deceptus videtur esse ipse sanctus Athanasius, casumque Liberii, rumorum tunc per aera volantium fide credidisse. In historia Arianorum enim haec habet; „Porro Liberius, extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in haeresim

---

[124]) Athan. Hist. Arian. n. 38 (M. P. G. 25, 738).
[125]) Soz. l. c. 1151.
[126]) M. P. G. 65, 518.

illam odium, eiusque pro Athanasio suffragium, quando scilicet libere arbitrioque suo agere licuit. Nam quae tormentorum vi praeter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium sed vexantium sunt placita.“ [127]) Iam vero, cum historia Arianorum ante mensem Maii anni 357 scripta sit, quae tamen Sirmii gesta sunt, anno demum 358 acciderint, patet, haec verba, si quidem Athanasius ipse ea scripserit, id quod in aperto relinqui potest, ab eo operi iam completo inserta sint necesse esse; id tunc factum esse videri potest, cum Athanasius, postquam monachi illud legerant,[128]) ab iisdem recepit, ut ad Serapionem Thmueos episcopum illud mitteret.[129]) Iam vero nulla nota chronologica habetur, cur id diu post opus primo conscriptum factum esse existimemus, eo magis, quod valde improbabile est, Athanasium, opere semel perfecto et iam monachis ad legendum transmisso, amicissimum suum Serapionem diu exspectare fecisse.

Ceterum notitia ipsa eiusmodi est, ut omnino ex falso illo rumore quem Sozomenus ab Eudoxio sparsum dicit hausta esse videatur, ab Athanasioque prius scripta, quam accuratiorem de rebus Sirmiensibus notitiam comparare sibi potuerit; eius enim versio, ut aiunt, eadem est, quae apud Eudoxium et Philostorgium invenitur.

Supponitur enim hic cum Philostorgio condemnatio Athanasii Sirmii a Liberio facta, de qua Sozomenus nihil scit, neque eam in quaestionem venisse probabile est, cum Constantii, Athanasio iam diu per vim remoto in eiusque locum substituto Georgio, de Athanasio agere nihil iam interesset. Supponitur deinde cum Philostorgio, Liberium haeresim subscripsisse; fieri potuit, ut Athanasius omnem favorem etiam illis Semiarianis exhibitum, qui secundum Hilarium tantum verbis a catholicis differebant, pro rigidiore suo considerandi modo tamquam favorem ipsi haeresi praestitum considerare. Quae tamen quaestio, in circumstantiis illis quas supra secundum Sozomenum supposuimus, mere practica fuisset, neque Liberius suum in hac re iudicium iudicio Athanasii conformare tenebatur. Tandem Athanasius supponit, Liberium minis perterritum, internam libertatem amisisse et erga Sirmienses passive se habuisse, subscribendo quidquid ei subscribendum offerebatur, etiam ipsam haeresim: atqui hoc secundum Sozomenum falsum est, cum id, quod Sozomenus eum fecisse refert, ut calumniam Eudoxii dilueret, magnum potius vigorem animi infractamque constantiam prodat; nec ulla ratio est, cur in hoc facto referendo Sozomeno fidem abiudicemus. Dicendum igitur est, Athanasium, cum illa verba scriberet, nondum bene fuisse informatum nimisque faciles calumniatoribus aures dedisse.

50. In apologia contra Arianos idem Athanasius haec habet: „Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exilium sustinuerint, ex eorumque numero sit Liberius Romae episcopus, nam etsi exilii aerumnas ad finem usque non toleraverit, attamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exilii loco est commoratus... aequum sane fuerit, omnes... vim nobis illatam magis ac magis odisse ac perhorrescere“ [130]): ubi verba illa „nam etsi exilii aerumnas... commoratus“

[127]) N. 41 (M. P. G. 25, 742).
[128]) Athan. ep. ad monachos n. 3 (M. P. G. 25, 694).
[129]) Athan. ep. ad Serapionem de morte Arii n. 1 (M. P. G. 25, 686).
[130]) N. 89 (M. P. G. 25, 410).

postea inserta esse et legenti patet et ex eo certum est, quod Apologia iam anno 350 vel 351, id est diu ante Liberii exilium scripta est. Iam vero, etiamsi hunc locum ab ipso Athanasio insertum supponamus, certe verba illa „nam etsi exilii aerumnas ad finem usque non toleraverit," proxime tantum factum illud, sane certissimum enuntiant, ut scilicet Liberius ante vitae finem exilio solutus sit, nec ullo modo certum est, his verbis allusionem ad aliquem Liberii defectum contineri, tum quia id non explicite dicit, tum quia illa excusatio de metu mortis non habetur; cum utrumque, id est et claram casus eius affirmationem, et viri quem tanti faciebat excusationem, post paucas lineas, in notitia de Hosio, item postea adiecta exprimat, quem ad modum etiam in loco prius a nobis considerato, Liberium ipsum metu mortis excusat. Si quis tamen hic allusionem talem contineri putat, explicatio maxime naturalis eadem est ac pro historia Arianorum, quod illam scilicet Athanasius eo tempore introduxerit, cum nondum accuratiores de iis quae Sirmii gestae erant rebus notitias haberet.

51. Adiungamus hic quae de testimoniis Hieronymi dicenda sunt. Quod De viris illustribus de Fortunatiano Aquileiensi legitur: „in hoc habetur detestabilis, quod Liberium, Romanae urbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit et ad subscriptionem haereseos compulit"[131]), hoc omnino falsum esse iam supra diximus et ex tota historia hucusque exposita patet. Quare aut hic textus Hieronymo abiudicatur, pro qua re rationes non spernendae adsunt, aut Hieronymi esse dicitur, et tunc duo simul habemus, quae omnem ex Hieronymo difficultatem solvunt: ac primo quidem Hieronymus suum de lapsu Liberii iudicium fundavit super aliquam notitiam, in qua pergens in exilium a Fortunatiano seductus dicebatur, quod cum certe falsum sit, iudicium Hieronymi super hoc factum fundatum, pariter erroneum est; secundo, cum Hieronymus hunc locum anno 392, Chronicon vero anno fere 380 scripserit, prior ille locus sententiam Hieronymi posteriorem et definitivam repraesentat, qua erronea ostensa, ex Hieronymo nihil superest.

Sed alia est ratio, cur textus Chronicae[132]) non sit admittendus. Hic textus quasi ad verbum convenit cum praefatione libelli a duobus presbyteris Romanis, schismati Luciferi adhaerentibus, Faustino et Marcellino anno 383 conscripti;[133]) iam vero in illo libello haec verba „taedio victus exilii et in haereticam pravitatem subscribens", quae ex Chronico contra Liberium afferri solent, non leguntur, cum tamen illi presbyteri nihil omitterent, quo Liberio invidiam movere possent, quare dicendum est illa verba tunc cum ipsi scriberent, in chronico Hieronymi non fuisse. Idem evincitur ex comparatione chronici s. Hieronymi cum chronicis s. Prosperi[134]), qui pro tempore quod etiam Hieronymus in suo chronico complectebatur, s. Hieronymum unice sequitur, eiusdem etiam plerumque verbis utens. Iam vero Prosper illa verba „quia Liberius, taedio victus exilii et in haereticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intraverat", non habet, et ne quis forte putet, ideo omisisse, quia in dedecus Liberii erant, „Romam quasi victor intravit" item non habet, quod tamen in laudem est Liberii. Quare dicendum est,

[131]) N. 100 (M. P. L. 23, 699).
[132]) M. P. L. 27, 683.
[133]) N. 1 (M. P. L. 13, 81).
[134]) M. G. AA. t. IX. p. 454.

postea, cum etiam Romae legenda introduci coepit, quae paulatim Liberium in tyrannum, Constantii amicissimum eiusque potentia fretum inhumane saevientem commutavit,[135]) etiam illa verba chronico Hieronymi fuisse adiecta.

52. Quod vero libellus ille Luciferianorum Liberium „manus perfidiae dedisse" ait, hoc quidem in sensum eorum erroris, quo haereticos perfidos eos vocabant, qui Luciferi rigorismum erga Arimini lapsos non imitarentur, intelligi posse non videtur, sed potius de defectu aliquo a Liberio ante reditum commisso. Cum tamen rem ita repraesentent, quasi iam tunc, cum Constantius Romae versaretur, Liberius ipsi in aliqua re condescenderit. cum potius postquam Constantius Roma Sirmium profectus est eoque arcessito Liberio tractationes illae inceperint, patet etiam in textu libelli vestigium aliquod haberi indeterminati illius rumoris quem Ariani contra Liberium calumniose sparserant. Id quod etiam ex toto libello confirmatur, ubi illi duo sacerdotes Romani, viri mentis valde angustae, toti in eo sunt, ut ex una parte „praevaricatores" conquirant diversisque historiolis poenam divinam in ipsos latam depingant, ex altera parte „sanctos" suos, i. e Luciferianos, diversis indiciis quam grati fuerint Deo ostendere conantur. Quam aptum fuisset pro eis argumentum: Bene intelligitur, cur Liberius Ariminensibus faverit, cum ipse aliquando in eadem damnatione fuerit, — quae tamen cogitatio in toto libello nullibi occurrit; explicatio maxime naturalis est, quia duo illi presbyteri de tali re nihil certi sciebant. Notari etiam potest, eorum „versionem", de Liberio scilicet iam Beroeae victo, cum pseudoliberianis litteris et cum textu Hieronymiano de Faustiniano convenire.

53. Unicus locus Hilarii, qui aliquam difficultatem facere possit, invenitur in eius libro contra Constantium, anno 360 scripto; postquam Constantio ea quae contra Paulinum Trevirensem et contra Dionysium Mediolanensem violenter gesserat exprobravit, sic pergit: „Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc episcopum, et, o te miserum, qui nescio, utrum maiore impietate relegaveris quam remiseris."[136]) Non dicit nobis, in quonam maior illa impietas constiterit; certe prior impietas non fuit in eo quod aliquid a Liberio contra pietatem obtinuerit, sed potius in eo, quod hunc sanctum virum tam indigne tractaverit atque in eo etiam dignitatem „aeternae urbis episcopi" quasi pedibus calcaverit. Quare, cum in reditu etiam impius in Liberium fuerit, per se etiam hac vice indignam tractationem Liberii et dignitatis eius intelligere possumus, potestque in eo esse, quod Constantius Liberium episcopatum suum cum Felice dividere iusserit, quae res inaudita erat et populo certe indignissima visa est; forte insuper in eo esse potuit, quod Constantius eiusque episcopi Liberium Romam redeuntem, calumniis laceraverint, sicut iam ante exilium eius fecerant. Addo, etiam naturalius videri, hunc potius sensum verbis Hilarii esse expressum, quam alium, qui culpam aliquam Liberii supponat; naturalius est enim „impietatem" illam utraque vice eodem modo tamquam attributum conatuum Constantii, non vero prima vice sic, secunda de effectu conatus atque de actione a Liberio posita intelligere: magis scilicet impie egit Constantius eo quod in relegando Liberio aperta vi, in remittendo fraudibus et calumniis usus est, eiusque bonum nomen laceraverit.

---

[135]) L. P. (Ed. Duchesne) I. 207 ss., Vita s. Eusebii (Acta SS. Aug. III. 166).
[136]) N. 11 (M. P. L. 10, 589).

54. Hucusque imprimis eam partem traditionis historicae consideravimus, quae Liberio narrationique Sozomeni primo illo sensu intellectae adversari videri possit, ubi de critica quorundam fontium ea quae necessaria videbantur, breviter iam diximus Nullam difficultatem internam, imprimis psychologicam, in eo esse ostendimus, quod Constantius Liberium nulla labe maculatum Romam redire permiserit, sicuti postea Hilarium acerrimum Nicaeni defensorem nulla condicione apposita remisit, praesertim si etiam modi quo Liberium remiserit debita ratio habeatur. Sed quid si Sozomenus altero illo sensu intelligitur, ut Liberius formulam voce consubstantialis carentem sollemniter subscripserit, nec a Sirmiensibus consensum in ipsam etiam vocem, saltem ut formulae „similis quoad substantiam et quoad omnia" aequivalentem postulaverit? Plurima sane sunt, quae tunc Sozomeno fidem omnino negari postulent. Notum est Sozomenum in sua historia multa ex Philostorgio Ariano desumpta habere, atque in hoc ipso loco quo ei, pro suo proposito, omissa a Socrate supplendi, quae Sirmii acta erant, Socrates autem omiserat, accuratius referenda erant, ab eodem Philostorgio, catholicorum omnium conviciatore, haereticorum laudatore ut eum iam nominavit Photius, aperte dependet; quem tamen Sozomenus ita sequitur, ut etiam pseudoliberianarum epistolarum, imprimis epistolae „Pro deifico" rationem habeat. Ac primum quidem cum Philostorgio commune habet, quod Liberium a Constantio, post legationem aliquam episcoporum occidentalium ad eundem missam, Beroea Sirmium accersitum ambo scribunt; deinde ambo, id quod secus a nullo auctore refertur, hac occasione Sirmii conventum episcoporum ad modum synodi celebratum dicunt. Ambo deinde referunt, Constantium impulisse Liberium ad vocem consubstantialis condemnandam, ita tamen ut Philostorgius simul etiam damnationem Athanasii postulatam esse, Constantiumque utrumque a Liberio obtinuisse dicat, cum Sozomenus, de Athanasio tacens, Liberium vocem consubstantialis condemnasse non dicat. Sequitur deinde iterum Philostorgium, quatenus etsi non expresse subscripsisse, saltem aliquo modo consensisse Constantio Liberium scribit, hancque causam fuisse, cur Constantius Liberio redeundi facultatem fecerit; dissentit tamen iterum, eo quod, indicationem aliquam epistolae „Pro deifico" sequens, Liberium non secundam Sirmiensium formulam, quam chronologice impossibilem videbat, sed primam sive tertiam, si mavis, subscripsisse, vel saltem ei consensisse dicat. Ex quo sequitur, traditionalem illam Sozomeni narrationem de iis, quae Sirmii gesta sint, Arianorum fontium fide affirmari, ideoque multum deesse ut omni suspicione maior sit.

55. Verum adsunt etiam alia indicia valde gravia, quod etiam Sozomenus Philostorgio adhuc nimium fisus sit, quodque omnia illa, quae aliquem Liberii erga Semiarianos favorem continere videntur, gratis conficta sint Praeter ea, quae iam de Liberii indole, de eius ante et post suum exilium sese gerendi modo, deque interna possibilitate et probabilitate reditus incondicionati diximus, hic testimonia antiqua, Liberio faventia addenda sunt. Dum enim ea, quae contra Liberium facere videntur, aut aperte spuria sunt, aut parum fidei digna, aut etiam aeque bene aliter explicari possunt, profecto non desunt ex altera parte, quae pro plena Liberii innocentia merito invocari possint. Taceo de magna illa veneratione qua Liberium vivum

et mortuum prosecuti sunt, cum iam vix decennio post suam mortem in coemeterio Praetextati simul cum Sixto II. inter sanctos intercessores depictus inveniatur[137]) et eius cultus non ita multo post etiam ab ipsis orientalibus receptus sit.[138]) Ex quo tamen tantum indirecte arguere velim, quatenus haec communis opinio de sanctitate Liberii argumentum psychologicum, quod proprie ex eius constantia traximus, auget, cum alioquin non negandum sit, hanc opinionem sanctitatis etiam tunc invalescere potuisse, si Liberius post lapsum aliquem poenitentiam egisset; verum de tali poenitentia vel retractatione qualicumque sicut iam ostendimus nihil saltem notum est, unde etiam hoc alterum argumentum pro plena Liberii innocentia novo indicio confirmatur.

Non autem praetereundum est silentium scriptorum antiquorum de illis rebus, quas Sozomenus, nimis fideliter Philostorgii Ariani vestigia premens, Sirmii accidisse scribit. S. Hilarius, in libro de Synodis, ubi de Basilii Ancyrani contra Arianos gestis deque eius legatione Sirmiensi, ideoque de re omnino eadem loquitur, refert quidem, Basilium Constantium ab Arianis avertisse Arianosque Ursacium, Valentem et Germinium ad subscriptionem formulae alicuius, quae in omnibus catholica esset, nisi quod vocem consubstantialis taceret, induxisse, de Liberio autem ne verbum quidem dicit;[139]) quod silentium in his circumstantiis negationi aequivalere videri potest.

Nec Lucifer Calaritanus, qui animo ita fervidus erat, in operibus suis annis 360 vel 361 scriptis, de lapsu aliquo Liberii etiam minimam tantum mentionem facit. Phoebadius deinde silentio suo nobis luculentissimus testis est, ipsos Arianos nunquam aperte ad Liberii exemplum provocasse, dum nobis de Hosio diserte refert; „Non sum nescius . . . antiquissimi sacerdotis et promptae semper fidei Hosii nomen quasi quemdam in nos arietem tentari, quo contradictionis temeritas propulsetur“ :[140]) Hosium igitur Ariani obiectabant, Liberium non obiectarunt, ergo obiectare non poterant, quia nihil fecit, quod Arianis faveret.

Sic etiam Epiphanius, in opere suo magno anno 375 scripto, ubi Semiarianorum doctrinam et fata usque ad minima exposuit, nihil de adhaesione dicit, quam a Liberio unquam habuerint, et cum de legatione Eustathii Romana sub finem vitae Liberii agit, ubi Liberium nominat, tantum „beatae memoriae“[141]) addit. Sulpicius Severus, qui circa annum 400 scripsit, etsi de lapsu Hosii deque diversa explicatione huius famae a diversis data loquitur,[142]) de Liberii aliquo lapsu ne verbulum quidem habet. Tamen iam illo tempore Arianorum calumnias densam circa Liberii memoriam nebulam spargere coepisse, ex Rufino patet, qui circa idem tempus scribit: „Liberius, Urbis Romanae episcopus, Constantio vivente regressus est; sed hoc utrum quod adquieverit voluntati suae ad subscribendum, aut ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, pro certo compertum non

---

[137]) De Rossi, Bulletino 1883, 56 ss.
[138]) Ibid.
[139]) N. 78. 81 (M. P. L. 10 530, 534).
[140]) Contra Arianos c. 23 (M. P. L. 20, 30).
[141]) Adv. Haer. haer 53 (M. P. G. 42, 399 ss); cf. n. 23 c. 443 s.
[142]) H. S. l. 2 c. 40 (M. P. L. 20, 152).

habeo.“ [143]) Attamen adhuc quadraginta annis postea, Socrates, cui plura certe quam nobis illius temporis monumenta praesto erant, cum de reditu Liberii scriberet, [144]) nullam eius subscriptionem vel approbationem Semiarianis datam commemorat, quod eo maioris ponderis est, quod pluries, ea quae de Semiarianorum rebus scribit, ex Sabino Semiariano se hausisse confitetur; quare si Socrates hic nihil de tali condescendentia Liberii habet, signum est, neque Sabinum quidquam de hac re scivisse, quae tamen, cum maxime ad rem suam faceret, Sabinum non fugisset. Argumentum etiam positivum et directum de Liberii invicta semper constantia, ut de inscriptione eius sepulcrali taceam, apud tertium eius successorem Anastasium, invenitur, qui circa annum 400 eum inter eos enumerat, „quorum potuerit in arbitrio residere cruci potius affigi, quam Deum Christum, quod Ariana cogebat haeresis, blasphemarent.“ [145]) Quae verba, sicut etiam inscriptio illa sepulchralis, quae Liberii „immaculatam fidem“ tam energice inculcat, iam quasi protestationem aequalium contra calumnias Liberio inflictas continere omnino videntur.

Tandem factum notissimum est, ab omnibus antiquis confirmatum, Liberium populo Romano acceptissimum fuisse, ab eo diligendo et sequendo nec promissionibus nec minis unquam abduci potuisse, eumque redeuntem ingenti laetitiae et venerationis testificatione excepisse [146]). Atqui, ut verbis Sozomeni utar, „Liberium, utpote virum undequaque egregium, et qui pro religione imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat;“ ergo Liberius, si fidem Nicaenam violasset, ipsam rationem propter quam populus eum adeo diligebat destruxisset, nec iam sine moerore animi rediens exceptus esset.

Conclusio.

56. Ex iis quae contra Liberium proferri possunt testimoniis, omnia quae vere aliquam considerationem merentur hic fideliter attulimus et examinavimus. Non pauca eaque non levia ut spuria eliminavimus, aliorum defectum necessariae scientiae ostendimus causasque errorum inquisivimus. Sozomenum, quem fere sequi solent, et Arianis fontibus usum esse et aliorum silentio, quod positivo testimonio aequivaleat, immo et positivis indiciis gravissimis erroris argui demonstravimus. Quomodo Liberius, dato etiam Constantii animo ab ipso simpliciter averso, tamen Romam redire potuerit, quin quidquam ex iis quae postulabat Constantius fecerit, quantum satis fuit explicavimus. Hac autem possibilitate demonstrata, argumentorumque Liberio non faventium debilitate ostensa, ea diligenter indicavimus, quae pro Liberio ab omni suspicione absolvendo faciunt. Quo pertinent primum ea, quae ex auctorum Liberio aequalium antiquorumque historicorum silentio, ex Anastasii Romani Pontificis inscriptionisque sepulchralis positivo testimonio atque ex populi Romani erga Liberium etiam redeuntem amore petuntur, deinde ea quae Liberii ante et post exilium agendi modum, eiusque indolem sinceram, humilem, asceticam et constantem, eiusque animum terrenarum rerum contemptui aeternarum vero perpetuae meditationi intentum illustrant.

---

143) H. E. l. 1 n. 27 (M. P. L. 21, 498).
144) H. E. l. 2 c 37 (M. P. G. 67, 322).
145) Pitra, Anal. noviss , 462.
146) Cf. nota 120.

Quae si omnia mathematicam de eius innocentia certitudinem gignere non valent, immo neque eam certitudinem attingunt, quae in pluribus aliis rebus historicis de facto habetur, id imprimis inde provenire monuimus, quod non de eo quod fuit, sed de eo quod non fuit probando, id est de aliquo homine a crimine ipsi obiecto purgando atque de calumnia studi se propagata refellenda agitur, id quod quotidiana experientia, etiamsi de viro innocentissimo agitur, ostendit esse difficillimum, cum in nostro casu omnes illae difficultates accedant, quae inde proveniunt, quod non de facto contemporaneo sed ante plurima saecula gesto agatur, de quo pauci vel nulli testes sunt. Quae omnia dum mente revolvimus, maxime si principium illud iuridicum de non condemnando sed absolvendo eo, cuius culpa non sufficienter probetur ante oculos habeamus, Liberius non potest nisi innocens declarari.

57. Dogmatica autem quaestio etiam minus difficultatis habet. Nihil, quod vituperio dignum sit, fecit Liberius, ergo nihil ei obici potest, id quod etiam tunc valet, si quis probationem innocentiae allatam certam non esse existimet, modo probabilem esse concedat; meris enim suspicionibus dogma de infallibilitate Romani pontificis sane labefactari nequit, tam parum quam quodlibet aliud dogma. Verum etiamsi quis Liberium formulam a Sozomeno commemoratam acceptasse immo et subscripsisse putet, in circumstantiis a nobis supra expositis id facere omnino potuisset[147]), cum in illa formula non negetur consubstantialitas et verbum consubstantialis non ad favendum Arianis sed ad non favendum Photinianis fuisset omissum; ita tamen, ut tunc secundum eundem Sozomenum Liberius rem totam, quae defendenda erat, in professione fidei a Sirmiensibus postulata et obtenta defendisset. Ceterum narrationem Sozomeni saltem si in sensu Liberio minus favente accipiatur, non esse vere probabilem demonstravimus. In nullo autem casu de subscriptione formulae Sirmiensi Arianae, secundae scilicet, multo minus alicui „Mediolanensi“[148]) data cum fontes id absolute excludant, sicut narrata rerum series ostendit, sermo esse potest. Quod Athanasius Liberium quem lapsum crediderat, falsis rumoribus inductus, vi metuque mortis inferendae, quae libertatem eius abstulerit, excusare conatur, id quidem ad Liberium a definitione falsa, utpote non libera, excusandum omnino satis esset, ad eamque explicationem recurrendum esset si Liberius e. g. secundam formulam subscripsisset; ceterum vero Liberius nec subscripsit Sirmii quidquam nec ita animo defecit, ut quidquam tunc quod non vellet, ageret.

Dr. *P. Sinthern*

Supplementum.

Haec iam typographo tradita erant, cum in articulum a clarissimo Duchesne[149]) de eodem argumento nuper editum incidi, cuius ob tanti viri auctori-

[147]) Attendatur imprimis quomodo Hilarius, qui eo ipso tempore inter Orientales vivebat, formulam Sirmiensem tertiam, ex prima Sirmiensi et Antiochena compositam diiudicaverit. Qui etsi silentio de voce consubstantialis vehementer repugnaverit (de Synodis n. 83—92 [M. P. L. 10, 535—546], tamen et necessitatem varias vocis consubstantialis sensus distinguendi (ibid 67—71, c. 525—527), et plures formulas ad novos errores debellandos statuendi agnovit, ut. n. 43 ostendimus, et utramque formulam tamquam catholicam suscepit (ibidem).

[148]) Cf. nota 2.

[149]) Mélanges d'Archéologie et d'Histoire, XXVIII., 31—78.

tatem rationem non habere non potui. Nullam rationem habeo, ex iis quae scripsi etiam verbulum mutandi, praesertim cum ab omnibus, quae minus certa essent adhibendis, abstinendum decrevi; tantum nonnulla, quae responsum aliquod ad difficultatem a Duchesne motam continent, sublineanda curavi. Multa, quae ibi habet, sunt in iis quae supra posui iam praeoccupata et ex parte refutata. Quae praeterea dicenda videntur, paucis absolvi possunt. Imprimis mirandum, quod, cum vir egregius ibi insolito modo in „apologistas" et „causarum actores" invehatur,[150]) tamen ipse, advocatorum more statim ab initio legentium animos historiola aliqua praeoccupare conetur, quae eo tendit, ut omnes illos, quibus de culpa Liberii non est persuasum, quorum nonnullos nominat, tamquam „apologistas" et „advocatos" traducat.[151]) Id quod omnino iniustum esse neminem fallit, qui viros illos non ex falsa aliqua pietate sed ex veritatis et iustitiae amore, propter difficultatem probationis Liberium condemnari non posse iudicare animadvertat; cum praesertim omnes cum ipso Duchesne ultro fateantur, dogmaticam difficultatem nullam fore, sive quis Liberii personam absolvat sive condemnet.

Argumenta, quibus Duchesne imprimis nititur, sunt textus Hieronymi, Athanasii, Faustini et Marcellini, utpote aequalium. Quodsi hi testes oculati fuissent, eos omni exceptione maiores esse clarissimo auctori quivis concederet; cum tamen tales non sint, nec quisquam eorum tunc temporis Beroeae aut Sirmii fuerit, ob rationes superius adductas usque ad probationem de contrario hos omnes non bene fuisse informatos et nimis faciles calumniatoribus aures dedisse iure statui potest.

Admittit pseudoliberianas epistolas dum ostendere conatur, Liberium in iis oppositionem inter priorem et posteriorem suum agendi modum velasse atque attenuasse. Cum idem auctor credibilitatem earum rerum quae narrantur continuo eo argumento urgeat, quod narratores suis aequalibus improbabilia vendere pro veris non potuissent: liceat idem de his epistolis dicere, et negare, Liberium res quae in luce meridiana publicitatis pro Athanasio gesserat, talibus litteris eousque transfigurare potuisse. Aufertur deinde prima epistola iis quae de chronologia in ipsa contenta diximus; quod vero Liberius presbyterium Romanum litteris de iis quae contra Athanasium gessisset, certius fecerit, id est contra sensum obvium, quo testis intelligitur aliquis de iis quae ipse viderit. Notam illam, „quid in his litteris non sanctitatis" ironiam esse non supponendum est, sed probandum, cum nequaquam ita naturale sit et totus contextus potius contrarium evincat.

Testimonia favorabilia successorum Liberii non possunt eo declinari, quod Duchesne dicat, successores praedecessorem vituperare non potuisse: tacere enim potuerunt, salva veritate, non autem, si Liberius revera cecidisset, salva veritate sic de Liberio loqui, sicut Anastasius de eo locutus est.

Omitto minora. Quod rem ipsam spectat, veri simile esse existimo Liberium, cum nihil iam in favorem Athanasii facere se posse videret, ab inutilibus apud Constantium de eo restituendo conatibus destitisse, quin quis-

---

[150]) Cf. p. 31 s. 44 nota, 63, 58.
[151]) p. 31 s.

quam ei hoc vitio vertere possit. Fieri etiam potuit, ut Liberius, secundum primum modum Sozomenum interpretandi, cum Basilio Ancyrano eiusque amicis non solum in rebus civilibus communicaverit, verum etiam ea quae contra Photinum bene gesserant et sic implicite etiam formulas illas quarum auctoritate in hoc negotio usi erant quacumque tandem ratione sibi non displicere ostenderit. Psychologicam illam difficultatem, quod Constantius Liberium infractum remiserit, exemplo Hilarii adducto et modo quo Constantius Liberium remiserit exposito, omnino sufficienter solvimus. Impulsus autem ad restitutionen Liberii exsequendam Constantio tum a tristi statu religioso Urbis Romae venit, quem Duchesne ultra modum attenuat, tum a legatione Africanorum episcoporum Liberii restitutionem postulantium, et, teste Sozomeno, usque ad finem huius negotii Sirmii permanentium, denique ab opera efficacissima quam in hac re Basilius cum suis praestitit.

Obtinetur sic series rerum gestarum, quae et in se nihil impossibilitatis habet, et multis indiciis immo etiam positivi sargumentis confirmatur et nulli documento plene authentico contradicit; dum series a Duchesne proposita documentis quae tandem aliquando dubii valoris et obiectum omnium controversiarum sunt, innititur, in se nimis artificiosa, imprimis quoad modum Liberii erga aequales suos se gerendi maxime improbabilis ne dicam impossibilis est, et tandem non levibus difficultatibus premitur. Huc pertinet quasi tota expositio quam cum suis rationibus supra dedimus, tum difficultas illa, quam Duchesne optime sensit, tempus indicandi, quo Hilarius iudicium tam infensum contra Liberium formulamque Sirmiensem scripserit;[152]) gratis omnino ea quae de Liberio agunt operi primo ab Hilario ante eius cum Basilio amicitiam addita esse contendit nec Hilario dignus est modus ille agendi politicus et saecularis quem ei ad suam hypothesim salvandam adscribere cogitur.

Ceterum, etiam cum periculo, ne ideo a viro egregio „apologistis" adnumerer, cum viro quodam magnae in rebus historicis auctoritatis, dogmaticam respiciendo, adnotare non dubito: „Quod vero homousios spectat, dici potest, Liberium illud nunquam condemnasse. Quod momentum aliquod temporis ab eo tamquam condicione sine qua non suae communionis expresse exigendo destiterit, id non probat, illud unquam non fuisse obiectum eius fidei atque eius praedicationis ecclesiasticae". Sic ille, qui ceterum aliam a nostra defendit sententiam — clarissimus Ludovicus Duchesne.[153])

EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

P. Pierling, **La Russie et le Saint-Siège.** Études Diplomatiques. IV. Tomus. (VII + 464) Paris, Plon-Nourrit et C., 1907.

Quantum Romani Pontifices ad unionem Orientis et Occidentis perficiendam adlaboraverint (celeberrimum illud Benedicti XIV), scriptor bene meritus praeclare ostendit. Hoc. 4. tomo a tempore, quo Alexius Mihajlovič (1645—1676) regnavit, usque ad Petri II. (1727—1730) aetatem historia tractatur. Opus a Pierling in quattuor libros dividitur.

---

[152]) p. 61 ss.
[153]) p. 75.

Primus liber de »Proselytismo et diplomatia« inscribitur. Agitur in eo de conatibus unionis adducendae sub caesaro Alexio Mihajlovič factis, et quidem in I. capite de P. G. Križanić, nobili Croata, de quo ad finem pauca commemorantur; in II. cp. de Menzies, legato Russico, Romam misso, sermo est. Menzies, nobilis Scotus, propter religionem profugus, in Russia alteram patriam invenit. Sincere et profunde Romano pontifici ac caesari suo deditus, id unum agebat, ut Russia cum Roma uniretur. Mense Augusto a. 1673 Romam venit, potissimum ideo missus, ut ope Clementis X. ligam principum christianorum contra Turcas obtineret. Nullum non movit lapidem; sed cum curia Romana, auctore secretario, cardinali Altieri, titulum caesaris concedere nollet, legatio fine suo frustrata est. — Altero libro *P.* de interventione Austriae sub Leopoldo I. facta tractat. Sedente Romae Innocentio XI., Moscoviae vero regnum Sophia (1682—89! †1709), filia Alexii, pro fratribus Ivano (1689—1696) et Petro Magno (1689—1725) administrante legati Zierowsky et Blumberg Vienna Moscoviam in rebus fidei et ad foedus contra Islamum conciliandum missi sunt. Golicyn, qui loco Sophiae rem publicam gerebat, non litteris sed viva voce concessit, ut duo Iesuitae in suburbanis Moscoviae, quae Sloboda dicunt, et ubi exteri habitabant, curam animarum assumerent. Hinc ab a. 1684, ad 12. Octob. 1689, quo tempore Sophia eiusque minister Golicyn a regimine amoti sunt, duo Iesuitae, quorum unus P. Schmidt ipsi legationi iam associatus erat, sine intermissione Moscoviae vel potius Slobodae residebant. Quae missio sustentabatur ab ipso Leopoldo imperatore et ipso petente, provinciae Bohemiae a P. generali Noyelle, quamvis Lithuaniae provincia reclamaret, demandata est. —

Liber III. et dimidia pars libri IV. agit de Petro Magno. Erat is maximus ex dynastia Romanov, ingenio praeditus insigni, nec minore firmitate voluntatis, quasi natus rex. Quae eius de unione facienda vera intentio fuerit, sat disputatum est. Dubium non est, quin Petrus, sicut ante cruentam victoriam apud Poltavam (1709) de Carolo XII. Suecorum rege deportatam unioni faverit, postea, securitate regni obtenta eam prius silentio arcano, dein apertis inimicitiis contra Romam coeptis, de industria impedierit. Quae paucis lineamentis describemus. Primus legatus, a Petro Romam missus, fuit B. Heremetev, vir ex prima nobilitate et officiis praecipuis defunctus. Admissus ab Innocentio XII., mori et usui ita se submisit, ut et genu ter flecteret et crucem in solea pontificis acu depictam oscularetur. Particula vero s. crucis dono a papa accepta, id quod olim Gregorius XIII. per Possevinum cum Ivano Terribili expertus erat, homo militaris signis grati animi abundavit. Immo Iesuitas frequentabat atque cum Tyrso Gonzalez, generali ordinis, saepe et multum de schismate tractavit. Sed ad conversionem non pervenit; aliter Alexis Kurbatov, eiusdem legationis quasi maiordomus. Is Romae abiuravit, utique secrete, ac postea in patria negotia ordinavit. Sub Petro Magno iterum Austria optime de catholica religione promeruit, Legatus Leopoldi I., Ignatius Christophorus Guarient, vir aeque pius ac gerendorum negotiorum peritus, in comitatu suo duos Iesuitas, prov. Boh., Olomucensis dioecesis, Ioa. Milan et Ioa. Berulam Moscoviam adduxit; hi Slobodam restituti sunt, id quod primarius fuerat finis legationis, idque antequam Petrus ex itinere Europaeo rediret. Postea caesar Vienna reversus hanc restitutionem approbavit. Quorum adventu numerus catholicorum non solum Moscoviae sed etiam Voronežii et Azovii, inurbibus maritimis, auctus est. Sacellum ope Guarientii amplificatum, quattuor altaribus ornatum et ita splendidis ornamentis et vasis aureis argenteisque ditatum est, ut mysteria sacra non solum digne sed cum splendore etiam celebrari potuerint. Ipse Guarient inter alia etiam pretiosam imaginem Deiparae donavit. Iuxta sacellum in ipsis aedibus missionariorum schola est aperta. Docuit P. Berula et in discipulis erant, e. g. Apraxin, Lopuhin, Golovin. Caesar, cum esset ipse refor-

mator, iis, qui scholam impetebant, respondebat: »Non debemus supprimere, quod bene coeptum est.« — Romae Clemens XI. regnabat, de illustri familia Albani, labori et scientiae deditus; is praedilectionem quandam pro Slavis septentrionis habuit, quem animum etiam cardinalis Fabricius Paulucci, secretarius eius per 20 annos, prae se tulit. Qui, quamvis non semel nuntii Varšoviensis et Viennensis a fraudibus Petri monerent et Ludovicus XIV. »de artibus magni ducis Moscoviae« scriberet, tamen considerantes tot animas, quarum salus agebatur, paratum semper animum caesari, etiam post necem s. Josaphat Kuncevicii, si certas impleret condiciones, ostendebant. Legationes sat multae Romam inter et Moscoviam missae sunt, ex quibus P. Levesi, palatinus de Culm, P. Konrad Broggio et Kurakin eminent. Iesuitae gaudebant sat ampla libertate. Ab a. 1717 Moscoviae tres residebant: Milan, Bayer, Hitrecius. Toto regno circumire iis licebat et centra catholicorum visitare. Sed res politicae caesarum ad ukaz fatalem de 17. Aprili 1719 edendum, quo Iesuitae expulsi sunt, moverunt; diplomatia Austriam inter et Russiam causa externa fuit; interna vero eius absolutismus.

Libro IV. imprimis de studiis Jansenistarum tractatur. Ex quo tempore Petrus Parisiis fuit, eorum praecipua cura fuit, ut in Russia patriarchatum Jansenisticum erigerent. Tutelam sectae huius in se suscepit mulier nobilissimo sanguine orta, Dolgoruki. A Sorbonna Parisiensi Moscoviam abbas Jubé missus est, qui totam vitam operi occulto impendit. Aiduvabant eum dux de Liria, legatus Hispa nus eiusque capellanus P. Ribera, opem utilem libris scribendis praestans. Sed non potuerunt studia eorum celari magistratus publicos, et motus atque agitatio Jansenistica sub Petro II poenis cruentis suffocata sunt. Hoc caput tristissimum historiae Russicae cl. scriptor copiose illustrat.

Sed a fine operis eximii iterum ad principia revertamur, ut memoriam viri de unione bene meriti posteris servemus. Ortus ex progenie nobili Croatica, licet paupere, G. Križanič Romae in collegio s. Athanasii litteris etiam theologicis imbutus est. Ex Possevini commentariis de Russia scriptis ideam hausit unionis adducendae, cui postmodum se totum dedit. Anno 1641 ad Propagandam de causis schismatis in Russia orti scripsit; praecipuam causam ignorantiam esse affirmat; qua de re Russos docendos esse, non quidem per missionarios, sed quasi per litteratos et doctos viros, quibus dein missionarii labor adiungendus esset. Ordinatus Romae, primo missionarium Valachorum egit, dein Varazdini parochus destinatus est. Sed unio Russica eum quietum non reliquit, petiit igitur missionem Moscoviensem, et Smolensk ad episcopum Parčevskium missus est. Sed ab eo ortis dissensionibus discessit ad comitem Galynski. Anno 1647 prima vice Moscoviam cum legatione Polonica venit; parum profecit, cum parum auctoritate polleret, nisi quod res Russicas bene cognovit. Dein Romam cum libro, quem »Kirillova kniha« dicunt et qui apologiam orthodoxiae continet, profectus, ibi pensione donatus, scriptorem egit. Sed vir nimis acer et industrius erat, quam ut Romae scribere et tempus expectare vellet; suo igitur nomine, sed ignotus Moscoviam repetiit. Ibi munus bibliothecarii, quod flagitaverat non obtinuit, sed iussus est conscribere grammaticam Slavicam. At de improviso fulmen eum icit, »ukaz«, quo Tobolsk in Sibiriam cum munere quodam amandatur. Exilium quinquenne virum strenuum non animo sed corpore fere fregit; scientia et artibus auctus, morbo gravi superato, anno 1676, mortuo caesare Alexio, Moscoviam revocatus est. Sed cum se observari animadverteret, Vilnam secessit, ibique ordini s. Dominici nomen dedit. Verum indoles eius nimis fortis et audax atque aetas adeo provecta disciplinae religiosae incapaces erant. Propter Romanum iter petitum atque a Superioribus non obtentum eo momento ordinem reliquit, quo nuntius Waršoviensis eum Moscoviam mittere volebat. Appellaverat Romam; sed responso non exspectato morae im-

patiens iter suo nomine aggreditur. Vienna, a Turcis obsessa (1683), subsistere cogitur. Ibi Polonis militibus inserviens, peregrinus Križanič honesta morte defunctus est. Sic Croata ardens animo et ingeniosus natura, Romam inter ac Moscoviam quasi inter utrumque vitae suae polum, fatis cessit, neque hic neque ibi pro merito agnitus.

Restat, ut huic scriptori pro opere tam praeclaro quam necessario gratias agamus, eiusque animum ad prosequendum laborem confirmemus. Cum haec »studia diplomatica« ex actibus diplomatiae, scriptis nuntiorum et legatorum principum seu regum potissimum confecta sint, quibus opera critica e. g. Bělokurov, Čarykov accedunt, opus est classicum et perpetuo valore duraturum. Stylus non gravis nec difficilis sed iucundus potius et vita plenus est, delectat lectorem et secum rapit. *O. Žídek.*

P *Aurelius Palmieri* O. S. A. „**La chiesa russa, le sue odierne condizioni e il suo riformismo dottrinale**“ (De ecclesia Russica, de eius statu praesenti et illis, quae eius doctrinae reformandae causa moliuntur). Florentiae, an. 1908 pag. 759 in 8⁰.

Scriptor rerum ecclesiasticarum Orientis, praesertim Russiae, peritissimus omnibusque theologis, qui unioni ecclesiarum student, notus, hoc in opere, quod modo editum est, summam studiorum suorum, quae de ecclesia Russica cumulavit, exponit, eo maxime consilio, ut viri eruditi magis magisque in studia, quae ecclesiam Russicam spectant, incumbant et ita desideratae unionis causam pro viribus promoveant.

In prooemio (I—XV) scriptor duabus rebus maxime insistit: ut theologi catholici sine ullo studio partium, solo amore et benevolentia erga orthodoxos impulsi, doctrinam eorum fideliter exponant et vicissim veritatem catholicam omni cum caritate ostendere illis conentur; deinde, ut ecclesiarum orthodoxarum doctrinam et disciplinam ex ipsis earum fontibus cognoscere studeant neve calumniatoribus earum facile aures praebeant. Ipse scriptor, ut de statu praesenti ecclesiae Russicae securius iudicare posset, totam tractationem suam ex documentis Russorum, quae statum ecclesiae Russicae per spatium annorum 1905—1906 repraesentant, composuit et ita non se, sed potius Russos ipsos audiendi copiam facit.

Totus liber IX capitibus constat, quorum 8 praesenti statui Russicae ecclesiae describendo reservantur, in ultimo, quae eventura sint, conicitur.

Caput I. de concilio nationali ad ecclesiam Russicam reformandam convocando monumenta complectitur (pp. 1—58). Urgens necessitas misero illi statui, in quo nunc societas christiana in Russia versatur, succurrendi clericos et laicos incitavit, ut malum illud ipsius ecclesiae reformatione radicitus evelleretur. Propositum hoc nil melius peragi posse videbatur nisi concilio ecclesiastico convocato, cui rei gubernium annuens collegio cuidam curam de rebus in concilio agendis deliberandi commisit (pp. 1—12). Prima quaestio ei solvenda erat, qui ad concilium constituendum convocandi sint: utrum soli episcopi an simul et clerici inferiores (presbyteri, diaconi) an etiam laici? Postquam vehementer in utramque partem disputatum est ab omnibus episcopis a clero et laicis sive ipsis sive per periodica et ephemerides, aditus clericis et laicis ad futurum concilium est patefactus (pp. 12—45). Haud minore aestu de numero membrorum et de modo, quo eligendi essent, disceptatum est (pp. 45—49). Iudicium academiarum ecclesiasticarum aliorumque maxima ex parte clero inferiori favet eiusque in concilio praesentiam necessariam esse statuit (49—53). Itaque duas partes inter se luctantes in ecclesia Russica videmus: episcopos (qui omnes monachi sunt) ex una, clerum inferiorem cum laicis ex alia parte, seu aristocraticam hierarchiam cum clero democratico, populo unito. Unde vix sperari potest concilium ad exitum felicem perventurum. Mutua

fiducia et caritas inter utramque partem desunt neque auctoritas suprema invenitur, quae omnes lites dirimere servitutem legis, qua ecclesia premitur, auferre possit (pp. 53—58).

Capite secundo de patriarchatu Russico restituendo agitur (pp. 59—104). Parte prima *P.* historiam patriarchatus Russici, eius originem, indolem et momentum politicum exponit (pp. 59—65). Necessitas caput supremi habendi Russos de patriarchatu restituendo cogitare impellit. Quis tamen constituendus sit ecclesiae caput: utrum verus patriarcha, an potius episcopus, inter pares primus, qui synodo ecclesiasticae praesideat, disputatur. Multi patriarchatus restitutionem tuentur, sed maior pars praesertim clerus inferior et laici hanc rem videntur aversari. Hi ecclesiam, quam ad modum laicae societatis institui volunt, nihil emolumenti ex patriarchatu restituto capturam esse putant. Ceterum nimia notionum de potestate ecclesiastica obscuratio neque theologis neque laicis Russis, ut de hac re quiete iudicent, permittit (pp. 65—79). Dein describitur modus eligendi patriarcham eiusque privilegia, quibus ipse in Russia antiqua donatus erat, atque de hisce in collegio, a quo res praeparantur, disputatio. Praevalet opinio patriarcham a clero simul et populo esse eligendum. Quod tamen privilegia eius attinet, pauci sunt qui veram auctoritatem patriarchalem ei tribuere velint, sed potius eam dumtaxat, quam Antonius metropolita Petropolitanus in illius collegii consilio proposuit, eumque episcopum, synodi praesidem, cum iuribus huic congruentibus et primum ecclesiae Russicae hierarcham privilegiis specialibus eisque personalibus ornatum esse volunt. Haec definitio a maiore parte, paucis adversantibus, a collegio accepta est (pp. 79—102). Licet patriarchatus institutio bono ecclesiae Russicae parum profutura esse videatur, licet collegium, a quo concilium praeparatur, modo servorum legis procedens, nulla fiducia neque a clero neque a populo excipiatur, tamen P. Palmieri censet nos haec omnia salutare debere. Ostendit enim ecclesia Russica se tandem aliquando liberam esse velle, e somno lethargico surgere, vincula civilia, quibus constricta est, rumpere et, quod gravius est, necessitatem capitis supremi spiritualis (non laici!) agnoscit. (pp. 102—104).

Capite 3⁰ (105—160) hic scriptor historiam monachismi Russici exhibet et episcopatus indolem depingit. Monachismus Russicus origine Byzantinus usque ad tempora Petri I. floruit, dein vi protestanticae rationis, qua hic rex in gubernanda ecclesia utebatur, paulatim decrescere coepit et auctoritate sua penitus sublata, morum sanctitate privatus nostris diebus in statu plane miserabili versatur. Conatus gubernii eum ad pristinum statum evehendi, ut auctoritatem apud populum recuperaret, in cassum redierunt. Paucissimi inter monachos sunt, qui adhuc vitae asceticae praecepta servent. Non solum laicorum verum etiam cleri ephemerides in monachos acriter invehuntur, pauci eos defendere audent. (pp. 105—121). Episcopi, qui omnes ex monachis eliguntur, plane ad ecclesiam regendam inepti iudicantur. A populo omnino separati, eorum, quae eius saluti necessaria sunt minime gnari, frequentissime ad nutum potestatis laicae ex alia in aliam dioecesim migrantes, fervoris apostolici expertes, non sunt nisi civiles magistratus ecclesiae praepositi, nequaquam vero fidelium pastores spirituales. Populus eis nihil credit (pp. 121—129). Ut hoc malum tollatur necesse est, episcopatus amplius non sit monachorum privilegium, sed pariter ad eum aditus clero saeculari concedatur; immo quidam censent neque statum coniugalem de dignitate episcopi quicquam derogare. Eligatur episcopus a clero simul et populo eiusque iura circumscribantur. Paucissimi sunt, qui has opiniones, quas rerum huius mundi studium sapere apparet, impugnant (pp. 129—138). Non parvo obstaculo ad ecclesiam Russicam bene regendam illud quoque est, quod nimiae vastitatis dioeceses ab admodum paucis episcopis reguntur. Episcopi ad hoc invitati ut opiniones suas de hac quaesti-

one exprimerent, multa proposuere; quorum sententias *P.* exponit. Pariter in collegio res praeparante disceptatum est de suffraganeis episcoporum et de sedibus metropolitanis instituendis. Denique collegium statuit, episcopum a membris hierarchiae creandum esse ita ut etiam clerus inferior et laici in partem rei veniant; creatos auctoritas civilis confirmandi ius habet. Episcoporum iura amplificanda sunt, dioecesium numerus augendus est. (pp. 138—157). Hac in re maxime apparuit episcopatus ecclesiae Russicae inopia ad res ecclesiae iuvandas. Remedia, qua ipsi proponunt prorsus materialia sunt rationibus humanis et politicis suffulta. Nemo de ipso spiritu religioso vivificando curam habet, nemo relationes ecclesiae ad societatem examinat, neque cleri condiciones meliores reddere conatur. Episcopi Russi omnem spem suam in potestate civili et legibus ac praeceptis reponunt. Clerus inferior (in Russia »clerus albus« nuncupatur; e contra monachi et episcopi nomine »cleri nigri« appellantur.) in his rebus multo peritiorem et libertatis studiosiorem se praebet. Proh dolor tamen desunt inter sacerdotes saeculares homines docti et theologicarum disciplinarum cultores. Sine dubio et inter episcopos inveniuntur qui omni reverentia digni sunt, sed rarissimi sunt ei, qui vero apostolico spiritu moventur. Magno impedimento sunt inimicitiae illae domesticae, quae sunt inter »clerum nigrum« et »album«; nisi hae minuantur, triste schisma oriri potest. Hinc quoque capitis supremi praesentia, cuius auctoritas omnibus dubiis finem imponat, desideranda est. Tamen utcumque res se habent, spes affulget sacerdotes Russos tandem a iugo civili liberatos omnes vires sua intenturos esse, ut ad unicam ecclesiam Christi fideles adducant et tristia huius temporis impietatis incrementa incipiant impugnare. (157—160).

In capite quarto agitur de clero Russo paroeciis praeposito et de paroeciae Russicae restitutione (pp. 161—226). Exponitur cleri secularis rationarium (pp. 161—163), dein de ipsa paroeciae origine, historia, constitutione agitur. Antiquitus paroecia Russa magna autonomia erat praedita, ita ut laici sacerdotes crearent eisque omnia ad vitam necessaria ministrarent. Procedente tamen tempore maxime post novatum a Petro I. rerum ordinem, paroecia paulatim omni autonomia spoliata est; quam ob rem vincula spiritualia inter laicos et parochum penitus sunt dirupta et hic nihil nisi officialis evasit (pp. 164—169). A medio saeculo anteacto quaedam tentamina facta sunt, ut autonomia paroeciis restitueretur (pp. 172—174). Modo haec quaestio valde agitatur. Episcopi, a synodo invitati, iudicia sua de causis neglectae vitae spiritualis atque de modis denuo paroecias autonomia congruenti donandi exposuerunt. (pp. 174—202). Omnes una voce fatentur studium religionis in paroeciis admodum remissum esse, tamen, sicut in re modo relata subsidia mere materialia proponuntur; paucissimis exceptis, nemo de fidei et morum fidelium incrementis eorumque in spiritu evangelico renovatione curat. (pp. 202—203). Collegium res concilii preparans quaesivit, quid de paroecia reformanda determinandum esset. Post longas deliberationes paroecia sic definita est: institutum ecclesiasticum sub iurisdictione episcopi positum, quod aptum est ad desideria spiritualia fidelium explenda; eius administratio ad auctoritatem ecclesiasticam spectat. Bona paroeciae a fidelibus et clero administrantur, qui sub iurisdictione episcopi dioeceseos positi sunt. Talis definitio, ut *P.* recte notat, adeo vaga est, ut ne principialia quidem dubia de autonomia parochiali removere possit; neque collegium ipsum communi sententia eam statuit (203—211). Praeterea a futuro concilio deliberandum est de scholis ecclesiasticis in paroeciis constitutis, in quibus prima educationis et fidei rudimenta rusticorum filiis traduntur. Quae scholae propter cleri negligentiam et studii apostolici defectum in miserrimo statu languescunt. (pp. 211—221). Demum idem collegium rem utilem esse iudicavit, ut officium diaconissarum resuscitaretur. (pp. 221—226).

Caput quintum duplici parte constat: in prima parte cleri Russici educatio moralis in secunda conditio eius materialis exponuntur (pp. 227—291). In Russia antiqua clerus maxima ignorantia laborabat, sacerdotes magna ex parte vix libros liturgicos legere sciebant et cuivis progressui artium vel litterarum tanquam haeresi adversabantur. Petrus I., ut hanc ignorantiam debellaret, vi sacerdotes disciplinis theologicis imbui voluit et in seminariis a se fundatis disciplinam militarem introduxit. Facile intelligitur talem educationem fructus pessimos attulisse. In seminariis Russicis discipuli ne extremis quidem labiis scientiam vitae spiritualis tangunt, neque sacerdotii christiani excelsitatem capientes, munus non suum amplexi, rerum humanarum species in mente insidentes sequuntur et saepenumero tantum lucri causa munus sacerdotii suscipiunt. Eorum magistri non sunt patres, sed civiles magistratus, qui eos instituto militari regunt, non virtutis gratia allectos, sed timore poenarum perculsos vix in officio retinent. Disciplina tetrica alumni premuntur, intellectus eorum affligitur, voluntas depravatur, eo praecipue consilio, ut in seminariis ecclesiasticis non apostoli Christi, sed servi potestati civili devoti efficiantur. Nil mirum si alumni seminariorum in superiores suos odio feruntur ac data occasione hoc illis variis modis ostendunt. Vixdum anno 1905 libertatis flatus Russiam pervasit inaudita et taetra facinora inter seminariorum muros perpetrari coepta sunt usque ad turpissima sacrilegia in odium religionis facta et usque ad rectorum necem. Alumni e seminariis fugiunt et ad societates socialistarum aliasque, quae nunc Russiam lacerant, accedunt et longe lateque atheismum propagant. Clerus hunc statum miserrimum deplorat, societas laica seminaristas abominatur. Omnibus manifestum est res radicitus esse quam primum revellendas, sed multum disputatur de remediis aptis. Quidam vitium seminariorum in falsa methodo educationis, quidam in defectu spiritus ecclesiastici, alii contra in »clericalismo« ponunt. Non desunt, qui seminaria Russica ad modum seminariorum catholicorum instituenda proponunt. Laici et illi clerici, qui ipsis se adiungunt, quodammodo penitus, quidquid sacrum et asceticum est, a seminariis in scholas laicas transformatis auferre cupiunt. Quapropter *P.* statum seminariorum desperatum esse existimat. Malum, quo illa laborant non tam in falsis educationis methodis latet, quam in perfecta a spiritu apostolico defectione. Omnis conatus res sanandi in cassum redibit, quam diu seminaria idolo potestatis civilis servitutem praestare pergent. (pp 227—248).

Parte secunda condicio materialis cleri Russici tractatur. Byzantinum est in antiquam Russiam advectum, quod sacerdos non minister apostolicus Christique vicarius, sed operarius ad administrationem rituum ecclesiae constitutus habetur. Unde omnium malorum origo: clerus ut corpus quoddam peculiare ab aliis segregatur. A primordiis ecclesiae Russicae clerus inferior in servitute hierarchiae, laicorum, potestatis civilis constitutus usque ad nostra tempora in hoc statu versatur. Petro I. et maxime Catharina II. imperantibus cum bona ecclesiastica profana facta sunt, clerus in condicione pessima fuit. Postea tamen rerum publicarum curatores constanter conditionem vitae cleri meliorem reddere studebant. Describuntur cleri reditus, victus cultusque subsidia, distributio beneficiorum, fidelium oblationes, status civilis stipendia, iura stolae etc. . . . (pp. 248 - 285). Generatim in Russia clerus inferior in pagis et oppidulis in summa paupertate vitam degit, cum episcopi et monachi magnas divitias possideant, quae ad eos corrumpendos haud parum conferant. Angustiis pressus clerus praeter cetera cogitur totis viribus de vita sustentanda curam adhibere, quo in negotio totum tempus totumque ingenium consumit et ita ministerio apostolico vacare, etiamsi vellet, non potest. Adde statum coniugalem cleri Russici, quo domesticae sollicitudines et curae augentur (pp. 285—291).

Capite sexto *P.* de cleri Russici conditione sociali et de eius moribus anquirit. (pp. 293—396). Filia ecclesiae Byzantinae ecclesia Russica potestati civili totam se subiecit. Principes et reges Russiae tenaciter proposita caesaro-papistica sequntur et sortem cleri et ecclesiae arbitrio suo obnoxiam faciunt. Rarissimi sunt episcopi, qui contra despoticam potestatem civilem exardescunt, a qua confestim tolluntur. Ultima libertatis vestigia Petrus I. abstulit et ecclesiam in instrumentum potestatis civilis perfecte mutavit. Haec omnia ipsi orthodoxorum historici et scriptores candide fatentur (pp. 293—307). Potestas civilis sacerdotibus munera censorum et delatorum committit et alia complura officia, quae a ministerio apostolico aliena sunt imponit (pp. 307 - 316). Episcopi potestati civili in rebus omnibus annuentes, superbia, summarum rerum inanium studio inflati, sacerdotes male tractant, ita, ut iis non sint patres sed domini crudeles, a quibus puniri tantum ac premi solent (pp. 316—324); nobiles eruditi, maxime post Petrum I., pariter sacerdotes despiciunt ut plebeios, rudes, progressui inimicos (pp. 324—332). Etiam classes inferiores et rustici, qui antea clero freti erant, nunc ab illo se avertere incipiunt, clare videntes legationem cleri non esse ad sanctitatem alendam, sed loca sua occupare rationibus materialibus ductum (pp. 332 336). Proinde in civili perturbatione Russica huius temporis auctoritas cleri nihil valet, praesertim cum episcopi partis regentis causam agant, clerus vero »albus« popularibus eorumque rationi faveat. Nonnulli ex eis aperte doctrinas liberales immo socialisticas profitentur. Hierarchia simul cum gubernio contra clerum pugnant, sacerdotes a divinis suspendunt, in carceres iniciunt et omnibus modis eorum »exitiosa« studia impugnant. Paucissimi sacerdotes resistunt, maior eorum pars omni ex parte vexata, angoribus confecta manus victas dat et regiminis horridi causam defendit (pp. 336—343). Duo vitia, quae antiquitus praecipue clero Russico dedecori erant, ignorantia et ebrietas nostris temporibus non cessarunt, sed, proh dolor serpere nondum desinunt (pp. 343—350). Mirum non est populum, licet sitim fidei habeat et spiritus religiosi divitias possideat, a pastoribus derelictum superstitionibus laborare, officia ecclesiastica mechanice praestare, de conscientiae examine nihil vel parum curare et horribili illo ebrietatis vitio, quo tota Russia conficitur, esse deditum (pp. 350 - 354). Verbi divini praedicatio decretis vere Draconicis censurae ecclesiasticae fere penitus exstincta est. Fideles cum praedicatorem cathedram ascendere vident ex ecclesia fugiunt, scientes ipsum nihil boni proferre posse, nisi tritas illas sententias pietatis communis, quas omnes iam ab incunabulis audire solent (pp. 354—362). Magna lis etiam de liturgia agitatur. Quidam officium divinum Russica lingua celebrare volunt, alii usum linguae palaoeslavicae defendunt. Item multi desiderant, ut officia liturgica debito decore celebrentur, neque musica profana violentur (pp. 362 - 370). Sed modo singulari a clero inferiore agitatur quaestio de matrimonio sacerdotibus viduis concedendo. Nonnulli acriter has secundas nuptias impugnant, sed maior pars videtur rem probare. *P.* futurum concilium Russicum hoc permissurum esse putat et ita fore, ut sacerdotium Russicum nonnihil admoveatur ad condicionem profanam, qua certe eius spiritus apostolicus non augebitur. (pp. 370 - 386.) Praesens societas Russica ecclesiae suae id crimini vertit, quod ipsa nimis studiis asceticis imbuta societatem saecularem in magnum monasterium transformare voluit, culturam profanam atque omnia vitae humanae solatia et oblectamenta condemnavit et hoc modo societati se inimicam praebuit. Si igitur ecclesia eiusque ministri ad societatem humanam propius accedere volunt, necesse est nugas asceticas deserant. Modi, quibus id fieri possit, hi enumerantur: vestitus saecularis sacerdotum, ieiuniorum et festorum remissio, facultas clericorum fabulas spectandi et generatim vita minus ascetica. Haud pauci sacerdotes talibus desideriis libenter aures praebent eorumque opportunitatem defendendam suscipiunt. (pp. 386—396).

In capite VII. sectae ecclesiae Russicae eiusque missiones describuntur (pp. 397—540). Correctio librorum liturgicorum saeculo XVII. in Russia facta causa fuit sectae vetero-ritualistarum, quae non obstantibus legibus severissimis contra eam latis usque ad praesentem diem floret (pp. 397—410). Libertas conscientiae anno 1905 promulgata vetero-ritualistas a vexationibus curatorum rei publicae liberavit, et illa eorum pars, quae sacerdotium admittit, firmiter in Russia se fixit (pp. 411—425). A saeculo XVII. haereses variae et mysticae et rationalisticae pullulare coeperunt, eorum numerus nunc fere in infinitum accrevit (pp. 425—435). Ut vetero-ritualistae in sinum ecclesiae reverterentur non solum vis civilis verum etiam admonitiones missionariorum adhibitae sunt, exiguo tamen plane effectu. Licet theologi Russici doctrinas vetero-ritualistarum argumentis doctrinae confutent, missionarii vero zelo apostolico privati (adde, quod maior eorum pars sunt laici), custodiarum publicarum vi abutentes, ut hoc modo argumenta sua corroborent, conatus suos frustra adhibent. Multi vetero-ritualistae tantummodo timore et metu impulsi in ecclesiam redierant, sed libertate conscientiae data denuo ad schisma se praebent proclives, neque conversionem amplius curant. (pp. 435—442). Ut melius conversioni vetero-ritualistarum consulatur peculiares ephemerides et libelli eduntur, sed contra illos vetero-ritualistae sua scripta divulgant, in quibus ecclesiam Russicam praecipue servitutis, quam gubernio praestat, accusant (pp. 443 450). Alia ratio ad vetero-ritualistas alliciendos, quae vocatur »edinověrie« (i. e. unitas in fide) in eo consistit, quod ecclesia Russica se conservaturam esse ritus vetero-ritualistarum promittit, dummodo ipsi oboedientes se praestent et dogmata fidei admittant (sicut ecclesia Romana de Orientis ecclesiis agit). Quidam vetero-ritualistae hac ratione conciliati sunt, tamen recte dubitatur de eorum sinceritate (pp. 451—460). Alius et vetus ecclesiae Russicae inimicus sunt islamitae, tartari, infideles pagani, qui versus flumen Volga habitant (centrum eorum est urbs Kazań). Iam a saeculo XVI. Russi eos convertere tentabant, neque sine successu, tamen solo transitu contenti neophytos sana doctrina instruere negligebant. Insuper tempore procedente (a saeculo XVIII) eos vi ac dolo et fraude ad Christi religionem adducere non dubitabant. Qui, sicut vetero-ritualistae, libertate conscientiae pronuntiata, turmatim ad muhamedanismum redeunt (pp. 460—477). Ad Tartaros convertendos publicae scholae peculiares instituuntur, ubi missionarii ad apostolatum contra Islam se praeparent (pp. 477—484), societates piae componuntur, libri liturgici, dogmatici, ascetici in idioma Tartaricum vertuntur et, ut ea, quae etiam docte opponi solent ab islamismi defensoribus (mullah) in operibus apologeticis contra Christi religionem scriptis, confutentur, specialia studia religionis muhamedanae in academia ecclesiastica Kazanensi coluntur. Sed quamvis subsidiorum nulli generi parcatur, spiritu apostolico deficiente, ad Tataros convertendos parum prosunt (pp. 484—503). Etiam in Caucaso illis populis, qui a Turcis et Persis oppressi islamismum amplexi sunt, a saeculo XVIII. Russi missionarios mittere coeperunt (pp. 503—507). Hi, dum collegium concilium praeparantium de rationibus ad muhamedanos (de scholis, de libris edendis, de studiis litterarum etc. . .) convertendos aptis disserit, religionem christianam renuntiant (pp. 503-510). Postremo describuntur missiones Russicae in Sibiria, in America, in China, in Corea, in Urmia, in Japonia. Ubique propter zeli apostolici defectum et pestiferam magistratuum curam Russicam, missiones plane miserabiles fructus producunt vitamque vix ullam exhibent. Solum in Japonia archiepiscopi Nicolai Kasatkin viri zelo apostolico praediti meritis missio Russica floret Causas successus huius missionis *P.* duas indicat: quod curatorum rei publicae Russicae auctoritati non est obnoxia et quod clerus Japonicus, bonus est; excepto enim archiepiscopo, omnes alii missionarii sunt Japo-

nenses, itaque si quid boni huic missioni tribuendum est, id non cleri Russici, sed Japonensium ipsorum est, qui ostenderunt semen evangelicum supra bonam terram cecidisse. Maxime quoque missionibus Russicis obest, quod potius politicas rationes, russificationem conversorum, quam salutem animarum spectant (pp. 510—531). Nihil aliud intendit »Societas Russica Palaestinensis«, quae ad peregrinos Russorum iuvandos anno 1882 instituta est. Nil mirum igitur si ipsi Graeci orthodoxi ei livent, et de angustiis in quibus nunc versatur, sincere gaudent (pp. 531—540).

In capite octavo agitur de scholis ecclesiasticis et de theologicarum disciplinarum statu (pp. 541—680). Rei publicae curatores, ut illis sacerdotum filiabus, quarum patres prae paupertate educationem liberalem et sui generis nobilitate dignam procurare nequeunt, subveniat, scholas puellarum ecclesiasticas ab anno 1843 instituerunt. Quibus in scholis puellae illae ita educari debebant, ut ex filiabus sacerdotum bonae coniuges clericis praepararentur, quae illos in ministerio apostolico adiuvarent. Sed haec institutio exitum adeo infelicem habuit, ut clerus ipse scholas illas vel penitus aboleri vel radicitus transformari cupiat (pp. 541—548). Seminaria clericorum non minus ac scholae puellarum reformatione indigent. A temporibus Petri I. usque ad annum 1884 continuo mutabantur, quod tamen ad eas perficiendas non valuit. De morum perfectione, quae in seminariis excolitur, iam cognovimus; quod vero scientiam attinet res est admodum impedita. Magistri sunt omnes laici, qui studia profana alunt, theologicas autem disciplinas negligunt. Hae tali methodo docentur, ut potius taedium et negligentiam, quam amorem excitare in discipulis queant. Alumni sacerdotium habent pro munere mere humano, ex quo lucrum percipere cupiunt. Prof. Zavitnevič in consilio non dubitavit confiteri scholam ecclesiasticam omnino esse inutilem; neque enim sacerdotes, neque homines cultos alere potest. Commentarii publici laicorum et cleri illam carcerem spiritus vocant (pp. 548—561). Quomodo seminaria in melius mutanda sunt? Inter opinionum cumulos, quae de hac re propositae sunt, scriptor hic tres praecipuas rationes animadvertit: prima est eorum, qui iudicant seminaria ut organa prorsus mortua abolenda esse, secunda eorum, qui sufficere putant paucas mutationes, tertia denique eorum, qui licet seminaria retineri velint, tamen agnoscunt ea omnino funditus esse reformanda. In universum episcopatus ut seminaria catholicis similia instituantur suadet, laici et magna pars cleri »liberalis« seminaria ratione ecclesiastica privare cupiunt. Collegium res concilii praeparantium hac quaestione studiose occupatur et iam quaedam in seminariorum moderatione mutanda decrevit (pp. 561—574). Ecclesia Russica quattuor universitates ecclesiasticas, quae academiae ecclesiasticae vocantur possidet (Petropoli, Moscoviae, Kioviae et Kazanii), quae pariter ac seminaria tempore procedente vario modo mutabantur, usque ad ultimam temperationem anno 1884 factam (pp. 574—589). Etiam de his quaestiones agitantur, quia similiter variis malis laborant. Duo veluti opinionum torrentes cernuntur: sunt, qui academias in instituta ecclesiastica, ubi orthodoxiae dogmata intacta et incorrupta serventur, transformari velint; alii, quibus etiam ipsi studiosi socios se adiungunt, libertatem perfectam et plenam, qualis in protestantium universitatibus viget in critica theologicarum disciplinarum tractatione propugnant (pp. 589—606). Magnum malum, de quo viri eruditi et saeculares et ecclesiastici una voce conqueruntur, est censura, quae modo omnino alieno atque inepto procedens progressui doctrinae haud parum nocet. Censores ecclesiastici inter omnes praestant et famam vexantium theologos acquisiverunt. Saepenumero tales libri eorum censurae committuntur ipsique edi eos prohibent, de quorum argumento nullo modo iudicare possunt. Anno 1905 levis aura spei obiecta est fore, ut cesset, sed anno consecuto rerum pristinarum studium eam confirmavit. Collegium res concilii praeparantium de emendanda censura ecclesiastica

agens, necessarium existimavit, institutum aliquod simile congregationi Indicis ecclesiae Romanae; in quod quidam acriter invecti sunt (pp. 606—612). — Periodica scripta ecclesiastica in Russia satis diffusa sunt. Pars sunt commentarii academiarum ecclesiasticarum, quibus tantum disciplinae theologicae et philosophicae tractantur; alia pro laicis eduntur, alia denique pro populo rudi et rusticis destinata sunt; inter quae magnam famam habent libelli et folia, quae a monachis »laurae« S. Sergii prope Moscoviam et a monachis monasterii Počaeviensis eduntur. Horum (Počaeviensium) est impedire, quominus religio catholica in Russia meridionali et occidentali propagetur. Calumniae, quae ipsis de fide catholica vulgantur, omnino incredibiles sunt Ab anno 1905 quaedam nova scripta periodica edi coepta sunt, quae praecipue ecclesiae Russicae defectus tollendos tractabant simulque sententias fere rationalisticas proferebant; inter quae eius, quod »Věk« (Saeculum) inscribebatur, magna fama erat; quod edi auctoritate civili vetitum est. (pp. 613—632). — Inter disciplinas sacras theologia dogmatica ultimum tenet locum. Russi philosophicae rerum contemplationi non indulgent, licet saeculis XVII.—XVIII. theologia scholastica apud eos in usu fuerit. (pp. 632—636.) In re morali communibus rationibus asceticis evolvendis contenti, studium cordis humani negligunt (pp. 636—638). Parum etiam theologia pastoralis (p. 638) et apologetica (pp. 638—639) coluntur, licet in hac quidam progressus conspiciatur atque opera quaedam notatu digna eo pertineant. Studia patristica admodum florent, ita ut scientiam patristicam Germaniae aemulari possint (pp. 639—644). Nec deest copia theologiae polemicae praecipue in ecclesiam catholicam conversae. In hac re multum peccant theologi Russici, quod tela sua a protestantibus incaute mutuantur dummodo eis catholicismum offendant. Nostris tamen diebus theologi Russici placidiore animo et mitius doctrinas catholicas respicere videntur (pp. 644—645). Ab anno 1900 prima encyclopaedia theologiae in lucem edi coepit. (646—647). Ultimis temporibus exegesis biblica maximos fecit progressus. Inter exegetas Russicos sunt peritissimi huius disciplinae (pp. 647—651). Idem dicendum est de historia ecclesiastica, maxime vero de historia ecclesiae Russicae et ecclesiarum orthodoxarum Orientis (pp. 652 - 659). Non infimum locum tenet etiam hagiographia magnaque cum scientia colitur (pp. 659—662). Opera ad ius canonicum pertinentia abundant. Canones ecclesiastici in pugna cum ecclesia catholica maximi momenti sunt (662—665). Quod vero disciplinam liturgicam attinet, omnibus, qui ei operam dant, lingua Russica videtur esse necessaria. Inter liturgistas Russicos praecipue eminet A. Dmitrievskij, qui merito »Goar Russorum« nuncupatur (pp. 665—669). Multum ad doctrinam sacram excolendam conferunt labores societatis Palaestinensis (pp. 669—671). Unde clare apparet quanta utilitas theologis catholicis ex studio doctrinae theologicae Russicae proveniat. Quod ad desiderandam unionem parum processum est, magna ex parte, ignorantiae theologicarum disciplinarum Russorum, qua catholici laborant, est tribuendum. Quapropter summa laetitia excipit hic scriptor »Slavorum litteras theologicas«, ubi omnibus modis ad id tenditur, ut scientia sacra Russorum a theologis catholicis cognoscatur. Etiam Russi animis benevolis hos conatus exceperunt. In Italia unioni ecclesiarum studet »Bessarione«, opus a Mgr. Marini susceptum. Bibliotheca Vaticana nunc numerosissima opera Russica possidet, quae non parum eruditos adiuvant, qui in illa laborant (pp. 671—680).

In ultimo capite scriptor de futuris ecclesiae Russicae eventibus ac simul de relatione eius ad ecclesiam catholicam exponit (pp. 681—754). Die 25. Aprilis anno 1907 Nicolaus II. imperator concilium nationale Russorum edixit. Concilium Moscoviam convocabitur, intererunt episcopi, clerici, laici, sed clerici et laici tantum in consilium adhibebuntur, res iudicare episcoporum erit. Nulli eorum, qui sincere eccle-

siam Russicam melius componi volunt hoc edictum placet. Futurum concilium, proxime sub potestate Synodi constitutum quod idem est ac sub potestate magistratus, concilium nationale vocari nequit, sed potius conventus hierarchiae ecclesiasticae et magistratuum laicorum dicendum est. Interim concilium convocandum ad Kalendas Graecas prolatatur. (pp. 681—688). Clerus saecularis, qui rerum reformationem continuo promovet, videt se penitus neglectum esse et potestati episcoporum, quos odit, traditum. Episcopi ne privilegia sua amittant partem vetustatis tenacem contra studia »liberalia« cleri et laicorum adiuvant. Hinc schisma latens hierarchiam et clerum saecularem separat. Omnes vident episcopatum ecclesiae Russicae moraliter esse corruptum, neque ad regimen ecclesiae aptum. Quidam iam apertis verbis declarant episcopos in culpa fore, si schisma ecclesiam Russicam laceraturum oriatur (pp. 688—692). Multorum laicorum tota spes in clero saeculari est, at inanis. Magna pars cleri ignorantia, avaritia, ebrietate laborat, spiritu apostolico est penitus destituta, a potestate civili in servitutem redacta. Minor pars cleri, cuius numerus est admodum exiguus, licet rebus ecclesiasticis in melius componendis operam navet, tamen penitus studiis rerum huius mundi imbuta est. Potius enim proprias res condicionesque oeconomicas meliores reddere student, quam spiritum ecclesiasticum renovare. Multi eorum tesseras socialistarum et communis salutis inimicorum amplectuntur, monachos et episcopos, ut laicis placeant, diffamare conantur et generatim omnem lapidem movent, ut se »homines progressus« ostendant et ad modum ministrorum protestantium se laicis similes reddant. Hunc certe esse errorem gravissimum. »Laicizatio« quae dicitur vitam apostolicam clero non restituet, sed contra, eam omnino tollet. Adde, quod clerus Russicus, statum matrimonialem amplectens, nescit commoda sua remittere. Nemo catholicus statum matrimonialem cleri condemnare audet, quippe qui ab ecclesia permittatur, tamen luce meridiana clarius est solum caelibatum apostolicam vitam sacerdotii catholici nutrire (pp. 692—699). Malum gravissimum ecclesiae Russicae est eius »acephalia«. Ipsa Christum solum caput suum agnoscit et laicus ei praeest. In futuro concilio quis eius canones approbabit? Certe non rex, quia secundum canonistas Russicos, est filius oboediens ecclesiae, neque synodus, quia omnes episcopi et canonistae fatentur synodum non esse rem iure ecclesiastico legitimam. Si insuper lites in concilio inter episcopos ex una parte, clerum inferiorem et laicos ex altera orientur, quis eas dirimet? Ecclesia orthodoxa episcopos etiam in concilium convocatos infallibiles non existimat. Undenam veniet vox illa, quae omnem varietatem ac dissensionem componat dissidentesque ad silentium compellat (pp. 699—704)? Non desunt in Russia, qui ut unio cum Roma ineatur, acclamant, tamen rarissimi sunt. Quidam utilitatem unionis agnoscunt, sed vel censent eam esse sublimem »utopiam,« vel difficultatibus quae superari non possint obnoxiam. Populus solum unionem cum Deo desiderans de hac re non cogitat. —

Unica via unionis ea est, ut ecclesiae Russicae, in unitatem dogmaticam atque in oboedientiam Romani Pontificis reversae, autonomia regiminis, omnibus orientalium ecclesiarum privilegiis servatis, concedatur (pp. 705—713). Promulgatum edictum libertatis conscientiae statim reditum fere 300.000 Russorum attulit, quos antea ecclesiae Romanae unitos, gubernium Russicum anno 1875 (in dioecesi Chelmensi) vi ad orthodoxiam perduxerat. Talem progressum religionis catholicae aegre ferentes commentarii ecclesiastici Russorum fingere solent praedicationem religionis catholicae Polonorum politicam agitationem esse multasque fabulas et calumnias contra clerum catholicum spargere non dubitant accusantes Polonos sacerdotes, quod vi et dolo orthodoxos ad religionem catholicam trahant (pp. 713—722). Iam quaeritur, qui missionarii pro ecclesiarum unione insudare possint? Scriptor

hic censet neque Polonos neque Ruthenos ad hanc rem aptos esse. (pp. 722 - 740). Necesse est, alii missionarii extranei et ordines religiosi Polonorum et Ruthenorum ad hoc opus manus admoveant. Sed a duobus laqueis caveant. Primum se abstineant a quacumque »reclame« suorum sudorum apostolicorum, scientes se ut mera Domini instrumenta agere Illique soli omnem gloriam tribuere debere. Pariter ab omni labe studii rerum propriae gentis liberi sint oportet. Inter ordines religiosos omnibus aptiores ad hanc provinciam suscipiendam videntur patres Societatis Iesu, quorum labores apostolici in Polonia et Russia praestiti omnibus sunt noti. Etiam nostris temporibus ipsi efficaciter unioni restituendae operam dant. Commentarii »Slavorum Litterae theologicae« et Conventus Velehradensis de unione ecclesiarum anno 1907, 25—27 Iulii, convocatus, illis ut actoribus auctoribusque debentur (pp. 740—746). Byzanthina, qua Russi imbuti sunt, ratio eos ad praesentem ruinam politicam et moralem adduxit. Ferreum illud regimen quod praeter vim materialem aliam non agnoscit nihil nisi mala immensa Russiae procreavit. Certe futura sors Slavorum intime cum Russia est connexa, tamen prima condicio, ut Slavi erga Russos fiduciam habeant, est abolitio atrocis dominationis et plena conscientiae libertas. Tantum res publica libertate temperata Russiam a pleno exitio servare potest. »Catholicismus,« inquit *P.* »nihil aliud nisi libertatem, ut vivat, respiret et ubertatis suae exhibendae copiam habeat, petit, ut hoc facto ostendere possit arma terrena non esse victoriarum suarum instrumenta. Catholicismus mortem populorum non vult, sed eorum resurrectionem, felicitatem atque in Christo progressum« (p. 750). Unio omnibus Christi fidelibus nostris temporibus est necessaria, ut inimicos Salvatoris Nostri undequaque nascentes efficaciter debellare possint. (pp. 746—751.) Proinde sanctae causae unionis alacriter manus admoveamus. Ingentes difficultates nobis occurrunt, sed prae illis animum demittere sacrilegium est. Primum quidem maxima cum caritate et suavitate, omnibus praeiudicatis opinionibus abiectis, orthodoxos pro fratribus nostris habere debemus. Deinde ne quaeramus praemium laborum nostrorum, si eos videbimus steriles esse. Plane sufficit nobis conscientia pura, nos pro re sanctissima militare et officia nostra erga fratres errantes exsequi conari, providentiae Dei committentes, ut labores nostros statuto tempore ad felicem successum perducat.

Vel ex hac simplici argumenti expositione facile cognoscitur huius libri maximum momentum; nam sive materiae abundantiam, sive fontium auctoritatem, sive quod quidem praecipue attendendum est notionum iudiciorumque concinnitatem spectas, opus P. Palmieri omnia alia catholicorum scriptorum huius generis opera de statu ecclesiae Russicae conscripta, longe superat. Fontes, ex quibus *P.* quae narrat hausit omnes sive ephemerides, sive commentarii, sive volumina optimorum auctorum, a Russis scriptoribus eisque orthodoxis conscripti sunt, qui mala ecclesiae suae nocentia videntes, et hoc maximi eorum laudi est, detegere non dubitant, quo citius sanentur. Itaque, ut iam supra diximus, non scriptorem (excepto ultimo capite), sed ipsos Russos statum ecclesiae suae exhibentes cognovimus. Non solum illis, qui unioni ecclesiarum operam dant, sed Russice nesciunt, opus hoc plane necessarium esse iudicamus, verum etiam omnibus, qui historiae ecclesiasticae student. In illo enim invenient, breves quidem, tamen utilissimas de historia ecclesiae Russicae memorias; quae huc usque vel omnino ignotae sunt, vel minus accurate traduntur et falsis iudiciis innituntur. Quin etiam Russis ipsis ut hunc librum legant suademus, in quo quasi in quodam speculo statum ecclesiae suae mira compositione expressum videbunt.

Ne in tali ac tanto opere quicquam minus commode dictum remaneat, quaedam pauca quae scriptorem effugisse videntur notamus. In cap. VIII. in parte theologiae dogmaticae destinata oportebat de

asseclis Homjakovii mentionem fieri: de Antonio archiep. Volynensi et Sergio archiep. Finlandico. Illi in omnibus operibus suis, hic in libro »Православное ученіе о спасеніи«. С. Петербургъ 1903 года, totum discrimen inter catholicismum et doctrinam orthodoxam in eo ponunt, quod haec sit religio ascetica et in hac sola perfectio christiana recte intelligatur. Uterque multos eiusdem rationis aemulos nactus est. Item in theologia pastorali mentio facienda erat operis patris Sollertinskij »Пастырство Христа Спасителя«. С. Петервургъ 1896 года, nec omittendus liber p. Sokolskij, nuper editus, »Евангельскій идеалъ христіанскаго пастыря« 1905 г., qui verum progressum in theologia pastorali ostendit. Inter opera moralia liber p. E. Popov eminet, in quo scriptor conatur rem moralem catholica methodo tractare »Общенародныя чтенія по православно-нравственному богословію« 1901 года. In cap. VII. *P.* videtur plus aequo statisticae indulsisse, cum contra monachismus Russicus (cap. III.) copiosius tractandus fuerit. Caute tractanda est quaestio de lingua Russica in ecclesias catholicas Latinas introducenda, quia facillime ansam potestati civili praebere potest, ut schisma inter catholicos excitetur (pp. 726—727). Vota facimus, ut quam primum opus hoc in Russicum, Gallicum, Germanicum, Anglicum vertatur. Dr. *Leonini.*

Dictionnaire de Théologie catholique. Vol. I. II. Publié sous la direction de A. Vagant. Paris 1899—1900.

Lexicon hoc crebris et accuratis de rebus ecclesiae orientalis capitibus excellit, quae breviter ita referemus, ut et de indole operis et de aliis articulis iudicium facile feras.

L. Petit, Abjuration pour entrer dans l' Église orthodoxe, grecque et russe. c. 76—90.

I. Haeretici iam exstincti, Ariani, Macedoniani aliique, scripto doctrinas suas erroneas retrahebant; ter de mysterio ss. Trinitatis fides postulabatur; confirmatio et eucharistia tandem conferebatur. (cfr. Goar, Euchologion sive Rituale Graecorum, Migne P. G. t. C. col. 1317). — Eunomiani, Montanistae aliique ad baptismum iterandum obligabantur. Cur? Formula fortasse invalida utebantur. Idem de Manichaeis valet qui prius ad catechumenatum adscribebantur. Goar, P. G. t. C. col. 1321. — II. Apud Iudaeos primum de libertate conversionis quaerebatur, excluso motivo metus vel spei. Ut renuntiaret exigebatur, 1. Iudaicis ceremoniis ut circumcisioni etc. 2. Iudaicis scholis ut Sadducaeis. Dein fides in mysteria christiana declaranda erat. Factus ita catechumenus ad diem baptismi renuntiatione iterata a sacerdote instruebatur et baptizabatur. (Euchologium Magnum, Venetiis, 1851 p. 672 sq. A. v. Maltzew, Die Sacramente der orthodox-kathol. Kirche des Morgenlandes, Berlin 1898 p. 90—127). — III. Muhamedani suo Muhamedo, Ali eiusque posteris maledicere debebant, item doctrinis suis. Ecclesia vero Russica breviorem et minus difficilem adhibebat formulam. (cfr. P. G. CXXXIX. col. 287—1088; Maltzew op. cit. 90—126). IV. Quod abiurationem Paganismi spectat, formulae nondum sunt editae. Goar duas orationes exhibet. Adhibebantur de cetero formulae pro catechumenis compositae (cf. Euchologium Magnum Romae 1873, p. 477). — V. Similiter de Apostatis. — VI. A Catholicis omnibus doctrinis oppositis „ignominiosis et absurdis Latinorum“ e. g. de processione Spiritus sancti renuntiandum est; etiam τὸ Filioque anathematizare, nullitatem concilii Florentini declarare, Nicaenum symbolum recitare, confirmationen accipere eos oportet. Baptismus vero modo non amplius iteratur, nisi quis ipse velit. (Cf. Gédéon, Constitutiones canoniques, t. I., p. 252—254; Matha, Catalogue historique des patriarches de Constantinople, 1884, p. 182; G. Théotocas, Legislation du patriarcat oecumenique, 1897, p. 368—370). — Apud Russos media aetate suam quisque episcopus sequebatur sententiam: hic rebaptizabat ille non item, sed solum unctionem cum chrismate impertiebat. Anno 1620 concilium Moscoviense rebaptizationem quidem decrevit, sed brevi post a. 1667 iterum constitutio revocata est. Modo in usu non est (Cf. A. v. Maltzew, Antwort auf die Schrift des hoch. Herrn Domcap

Röhm, 1896, p. 65). Iuxta rituale a. 1895 sic proceditur: Confessione peccatorum iam prius peracta, ipso die conversionis recipiendus ad portam ecclesiae ducitur. Hic errores fidei Romanae, processionem Spiritus s., primatum, infallibilitatem Rom. Pontificis etc. eiurare eum oportet. Dein proponitur confessio fidei, quae symbolum et doctrinas inter Latinos et Orthodoxos controversas continet. Hac persoluta, neophytus in ecclesiam iam admittitur ibique se in nova confessione ad mortem perseveraturum esse iurat. Denique eum sacerdos a peccatis sollemniter absolvit, eucharistiam ipsi porrigit et si nondum est confirmatus, etiam hoc sacramentum ei administrat (Cf. Maltzew, Die Sacramente etc. p. 146—164). — VII. Quod ad Armenorum receptionem attinet apud Russos ritus idem servatur; ecclesia Const. nullum ritum, publica auctoritate sancitum, habet. Id inde ortum est, quod Armeni multum tentati, tamen difficulter et raro convertebantur (Cf. Grégoire de Chios, De l' union des Arméniens avec l' Église orientale orthodoxe, Const. 1871). — VIII. In defectione Protestantium ritus fere quoad rem idem est quo Latini transeunt (Cf. A. Pichler, Geschichte des Protestantismus in der orientalischen Kirche im 17. Jahrhundert, 1862; F. Kattenbusch, Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde, 1892, p. 141—146). — IX. In principibus vel reginis facilior ritus adhibetur. — X. Quomodo episcopus Nestorianus cum toto grege 25. Martii 1898 ad orthodoxiam admissi fuerint, exponitur. — XI. Denique de ritu, quo viri ecclesiasticis dignitatibus insigniti, assumuntur, agitur. Rituale usitatum ab omnibus non exstat. Difficultas maxime in valore ordinationum a Latinis collatarum agnoscendo versatur. Synodus Constant. a. 1880 omnes independentes ecclesias ad sententiam hac de re ostendendam invitavit. Eventus omnes fere ecclesias de valore ordinationum consentire docuit. Sed nondum res ubique ad effectum deducta est.

P. Michel, Absolution chez les grecs. C. 200—205.

Agitur hic 1. de variis formulis (forma Sacramenti) Graecorum; 2. de fide, quam de potestate remittendi peccata sacramentaliter gerunt.

1. De formulis in Euchologiis admissis, ab unitis aeque atque non unitis adhibitis. — Euchologion to Mega, saepius a Propaganda editum (a. 1873, p. 206) ita habet: Confessione peracta tres orationes recitantur. In 2. et 3. earum misericordiae Dei erga Petrum, David, peccatricem, publicanum, prodigum mentio fit. Sacerdos dein dicit: „Deus etiam tibi per me ignoscat in hoc et in altero mundo; faciat te apparere a condemnatione exemptum coram suo formidabili tribunali. Sine sollicitudine de peccatis, quae es confessus, vade in pace.“ — Hic ordo precationum in quibusdam euchologiis (v. g Ms. bibliothecae Barberinae, apud Goar, Euchologion sive Rituale Graecorum, 1730, p. 541) est inversus. Formula Ioanni Ieiunatori, patriarchae Const., a. 586 creato, attributa maxime in usu est; ibi prima oratio omissa est. (Vide Morin, De poenitentia, 1682. Appendices, p. 77). — Complures aliae formulae praeterea in Mss. leguntur. — De harum valore *M.* non est copiosus. Provocat ad concilium Lugdunense et Florentinum, ubi de ipsarum valore quaestio ne coepta quidem est. Instructiones vero Clementis VIII. et Benedicti XIV. non spectant nisi Italo-Graecos. — 2. Apud Graecos unitos tres potissimum adhibentur formulae; quarum secunda et tertia Latinis valde similis est. — 3. Modificationes quaedam in formulis supra positis intextae, describuntur. Inprimis Papp-Szilagyi, episcopus Magno-Varadinensis, unitus, in „Enchiridio iuris eccl. Orient.“ (1880, p. 235) formulam profert, quae valde similis est ultimae, in Enchiridio a Propaganda edito contentae. Quaeritur, quando introducta fuerit, num ante unionem Brestiensem (1595) factam? — II. Agitur de vi, quam Graeci potestati sacramentaliter remittendi peccata, tribuunt. Non obstare formam deprecatoriam constat, praesertim cum explicite mentio potestatis Apostolis traditae (e. g. „Quorum remiseritis peccata . .“) fiat. Protestantes utique hanc fidem infringere studebant. Contra quos scripsit imprimis Ieremias, patriarcha Const.: „Acta Ieremiae contra Lutheranos.“ Cf. Kimmel. Monumenta fidei Eccl. Orient. 1850 t. I., p. 190; p. 404 sq. —

N. Tolstoj, De absolutione in eccl. Russica. Nulla cum Latinis essentialis differentia exstat; formula enim verba continet: „ego te absolvo . . .“ Cf. Maltzew, Die Sacramente, p. 219. —

P. Michel, Abstinence chez les grecs unis et non unis. C. 262—266. Duplex distinguitur sicut apud nos abstinentia, altera quae est a determinato quodam cibo, altera quae permittit unam tantummodo plenam refectionem per diem determinato sumendam tempore, quas xerophagiam et monophagiam vocant. Xerophagia iterum duplex est: mitior et severior. Sed et severior variis modis immutata est. Iuxta s. Epiphanium solum panis et sal et aqua permittuntur (Expositio fidei, c. XXII., P. G. t. 42 col. 828). Constitutiones apostolicae insuper etiam legumina et fructus concedunt (l. V., c. XVIII., P. G., t. I., col. 889). Cibi prohibiti sunt: carnes, pisces, ova, lac, butyrum, caseus. Dies huius strictioris abstinentiae hi sunt: 1. Fer. IV. et VI. singulis hebdomadibus. 2. Omnes dies magni ieiunii. 3. Vigiliae Nativitatis et Epiphaniae. Xerophagia cessat, si eis diebus festum celebratur. Insuper mitior quidam modus abstinentiae est, quo solum carnes, lacticinia, ova excluduntur, pisces autem nonnunquam permittuntur. —

E. Marin, Acémètes: II. Rôle des Acémètes dans l' histoire doctrinale et littéraire de l' Église Grecque. col. 306—308

Acoemeti, acoemetae, graece ἀκοίμητοι (α - κοιμᾶν, non dormire) ascetae Orientales vocantur, qui vigiliis severis excellunt. Fundati a s. Alexandro, pugnabant contra Nestorium et Eutychen, semper fidem veram professi. —

Acominatos Nicetas, 306—8, famosus controversista Byzantinus, saepe Choniates, a patrio oppido Chones appellatus. Edidit „Thesaurum orthodoxiae“ vastum opus, 27 libros continens.

Acropolita Constantinus, col. 319, filius Georgii Acropolitae, scriptor ecclesiasticus contra Latinos; hagiographus.

Acropolita Georgius, col. 319—20, natus Constantinopoli 1217, † 1282. Scripsit de „processione Spiritus sancti“ et Annales (χρονικὴ συγγραφή). —

L. Jérôme, Hadrianus II., col. 452—57.

Hadrianus episcopus Romanus invitus est creatus 13. Nov. a. 867. Industrius et strenuus, sed minus felix erat. Pontificatum quinque tantum annos gessit. Duae res infaustae acciderunt: in occidente altera, dissidium nempe cum Lotharo, propter divortium eius cum Theutberga, altera in oriente, schisma triste a Photio inductum. Photius, sede Const. usurpata Ignatium, legitimum patriarcham convocato concilio a. 867, removit. Sed seditione in regia facta, Michaeli III. Basilius Macedo imperator substitutus est. Tum Photius honore privatus 23. Nov. 867 in quoddam monasterium missus est. Agi etiam de obtinenda in fide et disciplina cum Roma concordia coeptum est et legati ad Hadrianum II. delegati sunt. Hoc consilio concilium Const. VIII. oecumenicum (ibid. IV.) convocatum est, ad quod ab Hadriano Donatus, episcopus Ostiensis, Stephanus, episcopus a (?) Nepi, diaconus Marinus ut legati missi sunt. Hoc concilium 5. Octob. 869 in s. Sophiae ecclesia coeptum ibique 28. Febr. 870 finitum est, habitis sessionibus decem. Photius in ipso damnatus et encyclica ad omnes fideles composita est. Sed legati non subscripserunt, donec Româ approbationem referrent. Sed tardius redierunt, in via non satis muniti. Schisma dilatum est, non sanatum. Occasionem proximam res Bulgarica dedit. Bulgari ab initio patriarchatui Constantinop. addicti, sub Nicolao I. ad Romam accesserunt. Inde ipsis missionarii et episcopi missi sunt. Postea Michael rex Bulgarorum, cum aegre ferret, quod sedes Metropolitana in regno suo sibi esset denegata, aures Graecis praebuit eosque interrogavit, utrum Bulgari ad patriarchatum Romanum an ad Constant. pertinerent. Graeci, frustra mgatis Romanis resistentibus, Bulgaros sibi vindicaverunt. Ipse Ignatius. leetropolitam illis consecravit. Hadrianus II. 10. Nov. 871 sat acerbe ad Basilium et Ignatium hac de re scripsit. Omnes conatus ac minae incassum redierunt (Jaffé-Wattenbach, Regesta Pontificum Romanorum t. I. 1885 n. 2892 sqsq. n. 2908 sqsq. — Vita Hadriani II. in Libro Pontificali, a Duchesne edito, 1873, p. 173—190).

R. Souarn, L' Adultère et le lien du mariage, d' après l' Écriture sainte. col. 468—75.

I. In religione primitiva *m.* fuit simpliciter indissolubile, etiam in casu adulterii. Id deducitur ex Gen. II., 18—25 ubi describitur, quomodo Eva ex costa Adami sit formata. Certe huic loco sensus moralis subest. Hoc etiam Adam intellexit, dicens: „Hoc nunc os ex ossibus meis . ." Cf. Conc. Trid. sess. XXIV. Ita ipse Christus Dominus apud Matth. XIX., 5.

II. Iudaei difficile severitati legis primitivae se accommodabant. Quare Moyses illis libellum repudii permisit (Deut. XXIV., 1). Divortium non erat praeceptum sed tantum licitum. Illa exceptio a lege primitiva non fuit nisi derogatio ad tempus. In exceptione illa non agebatur de adulterio, quod lapidatione puniebatur. Haud scio an morbus contagiosus, vel peccatum carnis vel simile aliquid illo „érevat dâbâr" significetur.

III. In religione Christiana Graeci et Protestantes divortium commisso adulterio permittunt, Latini vero negant. Loci, unde argumenta sumuntur sunt duplicis ordinis: 1. ubi nihil de adulterio excipitur: Marc. X., 11; Luc. XVI., 18; Cor. VII., 10. 11. 39; Rom. VII., 2. 3; 2. loci, in quibus adulterii mentio fit: Matth. V., 32; Matth. XIX., 9; qui loci, sunt aeque certi atque illi. Nam et Theophilus de Antiochia (P. G. t. VI., col. 114) et Origenes in suo commentario super Matthaeum (P. G. t. XIII., col. 1245) et Tertullianus (P. G. t. II., col. 473) eos afferunt. — Item maior pars codicum interpolatos eos non esse probat; secundum plures Ms Ms lectio: „μὴ ἐπὶ πορνείᾳ" potius approbanda est. — Iam quaeritur de sensu verbi fornicatio, πορνεία. Interpretationes a Doellinger, Patrizzi, Dreher propositae reiciuntur. — 3. Quaeritur, utrum a Christo Domino sola separatio an etiam solutio vinculi permittatur? Verba Matth. V., 32 non habent difficultatem: Omnis peccat, qui dimisit uxorem suam quia facit eam moechari i. e. ponit eam in periculo peccandi, excepta fornicationis causa i. e. tunc non peccat, non facit eam moechari. C. XIX. v. 9 si illud „nisi ob fornicationem" esset positum ad alterum membrum „et aliam duxerit", sensus Graecorum et Protestantium esset contentus; sed cum post primum membrum „quicumque dimiserit uxorem suam" sit positum, id et ad secundum membrum pertinere, affirmari non potest. Christus Dominus cum id facile postponere potuit neque postposuit, certa ratione ductus est. Quicumque igitur uxorem dimiserit et aliam duxerit, moechatur, committit adulterium et uxorem dimissam periculo exponit; quodsi eam ob fornicationem dimiserit, non est culpandus ob periculum adulterii, in quod alter coniux adducitur. Priore loco V., 31—32 agitur solum de re opposita libello repudii, quem Christus D. non admittit. Altero loco Pharisaei interrogant, sitne licitum dimittere quacumque de causa, id quod quaedam schola docebat. Iesus profert testimonium unionis, quam primitus Deus instituit, (XIX., 6) nullam faciens mentionem de adulterio. Tunc Iudaei, intelligentes, eum plenam statuere indissolubilitatem, de libello repudii quaerebant. Ad haec Christus non revocat quae de libello abrogato dixerat, sed confirmat, cum rationem permissi divortii in duritie cordis eorum positam esse dicit. — Loci porro analogi maxime s. Pauli verba: „non ego sed Dominus" (Cor. VII., 10) indissolubilitatem perfectam docent. —

Souarn, III. L' Adultère et le lien du mariage d' après les Pères de l' Église (p. 475—84). —

Ut doctrina Patrum intelligatur, animadvertenda tria praemittuntur. 1. Lex civilis (apud Orientales) in casu divortii novum matrimonium permittebat. Hinc nonnunquam Patres tale matrimonium conforme legi civili iudicant, non tamen ipsum legi ecclesiasticae convenire affirmant. 2. Saepius etiam iidem termini adhibentur ad designandam separationem a toro et mensa atque ad exprimendum vinculum esse solutum. Quare demonstrandum est, alterum matrimonium vivo coniuge priore initum esse. — 3. Vox adulterii tempore Patrum nondum sensu constanter eodem sicut apud nos adhibebatur. In lege Romana de sola uxore, quae cum viro non suo peccavit, adhibebatur. Etiam idololatriam secundum s. scripturam significabat. Quapropter sensus qui subest, difficulter nonnunquam eruitur.

I. PP. Graeci: Hermas separationem a toro, non divortium verum enuntiat; Ἀπολυσάτω αὐτὴν καὶ ὁ ἀνὴρ ἐφ' ἑαυτῷ μενέτω ἐὰν δὲ ἀπολύσας τὴν γυναῖκα ἑτέραν γαμήσῃ, καὶ αὐτὸς μοιχᾶται. Mandat. IV., (I.) 4. 5. Funke, Opera PP. apostol. 1887, t. I., p. 394. — S. Iustinus in 1. apologia indissolubilitatem simpliciter sine omni exceptione statuit (P. G. t. VI. col. 349). In altera versus a. 155 exarata legitur: μένουσα ἐν τῇ συζυγίᾳ, καὶ ὁμοδίαιτος καὶ ὁμόκοιτος γινομένη. Sed s. martyr non de novo matrimonio inito sed de sola separatione a toro loquitur (P. G. t. VI., col. 444—445). — Eadem est doctrina s. Clementis Alex.: ὁ δὲ ἀπολελυμένην λαμβάνων γυναῖκα μοιχᾶται (Strom. l. II., c. 23, P. G. t. VIII., col. 1096). — Origenes quosdam episcopos in hoc casu secundum matrimonium permittere, scribit, sed id statim improbat allegans verba apostoli: Mulier alligata est, quanto tempore vir eius vivit. Canones apostolici (altera dimidia parte IV. saec.) privationem communionis statuunt (Can. 48, Pitra, Iuris eccl. Graecorum historia et monumenta, 1864, t. I., p. 24). — S. Gregorius Nazianzenus loquitur de separatione tantum, non de pleno divortio. Nullibi separato coniugi alterum matrimonium permittit. (Cf. Orat. 31, P. G. t. 36, col. 289. 292). — Neque doctrina s. Io. Chrysostomi accuratius inspecta, divortio favet. — II. PP. Latini clare indissolubilitatem docent. — *III.* Loci quidam dubii proponuntur. S. Basilius consuetudinem legi Christi opponit. Quae est illa consuetudo, de qua s. doctor loquitur? Nonnulli leges civiles putant esse indicatas. Ipse s. doctor separatis licere novum matrimonium inire negat. (Moralia, reg. 73, P. G. t. 31 col. 849). — Locus quidam s. Epiphanii est sat obscurus: Haeres. 49, P. G. t. 41, col. 1024—25. Aliis modis eum explicandi omissis, ultimum a Condamin et Portalié propositum, afferimus. Si ante vocem χωρισμοῦ virgulam omissam esse ponatur, verba evadunt clara et doctrinae catholicae conformia. *O. Žídek.*

Revue Internationale de Théologie (Janvier-Mars 1907, No 57).

Prof. Dr. Michaud. Sophismes ultramontains. P. 54—74.

Michaud hoc labore, quae episcopi Galliae contra tristem legem in ecclesiam a gubernio nuper inflictam erudite opposuerunt, eludere conatur obiciens eis artem sophisticam et defectum exegesis et critices. Quae ad scientiam theologicam spectant, numeris 2. et. 29 continentur. Primo loco sermo est de notis Salvatoris redivivi ad Petrum verbis, quibus ipsi uni cura pascendorum agnorum atque ovium traditur (Ioa. 21., 15 sq.). Obicitur a Michaud pascere non esse regere; agnos ovesque inter se non distingui nisi aetate. In Graeco legitur: βόσκειν et ποιμαίνειν, quae ut synonyma adhibentur. His verbis non solum officium docendi sed etiam regendi, veram iurisdictionem committi inde probatur 1. Iam apud profanos v. g. Homerum, Hesychium reges ποιμένες λαῶν dicuntur. 2. Usus loquendi s. scripturae concordat: Isaias 44, 28; 2 Reg. 5., 2; 7., 7; Ezech. 37, 24; Ps. 22, 1; Mich. 5, 2 (collato Matth. 2, 6). Quae uberius explicata invenies apud Palmieri, De Romano Pontifice Parte I. cp. 1, Thesis III. — Agni ab ovibus non tantum aetate distinguuntur, sed munere potissimum, cum oves matres sint agnorum; agnis ovibusque Dominus Petro omnes status ecclesiae subicere voluit.

Alter locus classicus »et portae inferi non praevalebunt adversus eam« (Matth. 16., 16—19) eadem absolvitur facilitate. »Adversus eam« non »Petri« sed »Christi ecclesiam« esse; seu »adversus eam, scil. petram, quae est Christus, Filius Dei vivi«.

»Adversus eam« grammatice refertur ad antecedens incisum: »Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam«. Petram intelligit Christus Petrum tanquam fundamentum ecclesiae Christi, ideoque sicut ipsam ecclesiam etiam fundamentum nunquam stabilitate et firmitate perpetua destitutum iri promittit. Probatur: Simon accipit a Christo nomen Petrus, (chaldaice et syriace Kepha—Petrus et Petra) quo exprimitur remuneratio pro confessione divinitatis illius. Porro si ad Petrum sequens incisum »et super hanc petram (scil. te) aedificabo ecclesiam meam«, non refertur, et nomen et remuneratio absque realitate evanescunt. Nam sensus hic esset: »Tu Simon es Petrus, at

non super te, sed super me aedificabo ecclesiam«. Inane est nomen, nulla remuneratio. — Cur etiam »aedificabo« et non potius »aedifico« Christus dixit, si petram ecclesiae exclusive se ipsum intellexit? Iam enim coepit opus. — Copiose Palmieri, l. cit. th. I — De cetero unum specimen ex 30; numero 19 pag. 63 sq. legis haec fere: Catholicis, quamvis sint cives, libertatem cultus concedere non licet; est enim eorum caput (Papa) et religio summum rei publicae periculum. Quis serio dictum esse cogitat, si numero 31, pag. 73 legit: »Voilà à quelles aberrations on en arrive quand on est infatué jusqu' à se croire une nouvelle incarnation du Christ« (agitur de Rom. Pontifice).

P. 33-53. Prof. Dr. E. Michaud scribit de notis ecclesiae.

Quid intelligit ipse nomine ecclesiae? »Ecclesia est societas discipulorum Christi (p. 37)«. Sensum definitionis fusius describit: Ecclesia est societas fidelium fide et baptismo Christo incorparatorum; societas iussa servare integre, sine additione ac subtractione et transmittere mundo depositum doctrinarum, praeceptorum, mediorum, institutorum ad salutem a Christo, unico suo capite, unico pontifice traditorum, societas cui ministrans seu cuius famuli sunt hierarchia episcoporum et presbyterorum, ab ipsa legitime electa ac secundum traditiones apostolicas consecrata (ib.).«

Quomodo probat ipse hanc definitionem? Manifesto res est in eo, ut primatum Rom. Pont. intrusum ac falsum esse demonstret. Quae tamen ad hunc scopum proponit, perpauca sunt neque difficulter refutantur. Ex argumentis, quae ex pluribus textibus s. scripturae Romano-catholici formant, solum unum (»Tu es Petrus«) obiter tangit. »Christus«, ita p. 36 »Petro non dicit: »Tu es petra, sed tu es Petrus[1]) sub linea legitur: Christum hoc verbum pronuntiasse, nondum constat. Loco συ πος (πέτρος), probabilissime legendum est συ εἶπος, (tu dixisti) i. e. tu es is, qui modo meam divinitatem confessus est qui ut multi eam confiteantur faciet, tu es peccator homo«. Remittimus ad ea, quae dicta sunt in his foliis (Slav. litt. I., 216), Čas. kat. duch. 1905, 784. Palmieri de Rom. Pontfc. I., cp. 1, Th. 1 (p. 302) dicit: »Christus Chaldaice vel Syriace locutus est; porro unum est in hac lingua vocabulum כפא quod Petro et Petrae respondet: eodem ergo vocabulo usus est Christus tu es Kepha et super hanc Kepha: quare et Syrus intepres Matthaei eadem voce usus est . . . « Hinc »cessat omnis ratio grammatica, cur dubitetur de identitate subiecti« et de vera suppositione textus Graeci, si, quod nobis non constat, in omnibus Mss. corruptus sit. Quod Michaudi interpretationem attinet, nobis non solum non probatur, sed ne ipsa quidem satis clara in se apparet; neque ratio praemii, a Christo pro confessione divinitatis Petro reddita, neque alterum incisum »et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam«, speciatim voces »hanc« et »aedificabo« non aedifico, i. e. neque totus textus et contextus a Michaud allatae interpretationi congruunt.

Sufficiat unum addere exemplum, quo probetur, qua facilitate auctor gravissimas sententias demonstret. »Ergo«, inquit p. 37 »hoc tempore ecclesia manifesto adhuc fuit republicana, composita non solum ex tota hierarchia sed etiam ex omnibus fidelibus«. Quaerimus utique solidum argumentum. Sed auctor huic conclusioni praemittit unicum testimonium 4i saeculi, Optati de Mil. (De Schismate Donat. II, 14): »Certa membra sua habet ecclesia episcopos, presbyteros, diaconos, ministros et turbam fidelium : . . .« Sed manifesto Optatus non eandem rationem compositionis quoad episcopos et turbam affirmat, sed distinguit inter componentes; neque quidquam asserit de subiecto auctoritatis, utrum sit turba nec ne; sed Michaud haec omnia affirmat, absque probatione ulla.

Quibus generatim praemissis, paucis singula capita perlustremus.

I. Agitur de necessitate definiendi ecclesiam. Neque papa solus neque turba sine hierarchia est ecclesia. Quare quod de papa aliquo praedicatur (sanctitas seu vitia), non ecclesiae adscribendum est.

II. Vera definito (supra allata) ecclesiae proponitur. Desideratur solida clara argumentatio atque ordo quidam et dispositio. S. Petrus (I, 5) scribit ad seniores consenior etc.; ergo non fuit caput ecclesiae? Manifesto non probat. Hierarchiam non esse caput ecclesiae, sedem auctoritatis esse populum, ecclesiam non dependere ab hierarchia sed hanc ab ecclesia, demonstrare auctor conatur. Non inveni, quae refutarem, praesertim cum fundamentum, quo sentententiae nitantur, nullibi appareat. $5^1/_2$ paginis tractatus totius ecclesiae absolvitur.

III. Ecclesia christiana est una et universalis.

»(Ecclesia) debet esse una in professione omnium elementorum divinorum, quae Christus ipsi donavit (p. 41)«. Sed quis elementa ista designat? »Scriptura et traditio universalis (p. 42)«. Sed quis de scripturae genuino sensu et universalitate traditionis iudicat? Unitatem eccl. in auctoritate consistere primatus, praeterea in unitate doctrinae et rituum, magis sub nota universalitatis oppugnatur. — »Ecclesia sit universalis necesse est, eo sensu, quod integrum depositum Christi doctrinae profiteatur et quidem non uno saeculo tantum sed semper, non solum in una provincia sed ubicumque habitat (p. 42)«. Eccl. Romana non est universalis. Testimonium Irenaei non debet intelligi de auctoritate huius ecclesiae Romanae, sed de dominio urbis Romae (p. 43). Sed s. Irenaeus loquitur de doctrina, non de influxu politico Romanae ecclesiae, ad quam doctrinam omnes ecclesiae debent conformari ut ad regulam veritatis. Palmieri, l. c., p. 613. Sicut non Occidens solus, ita neque Oriens solus ecclesia Christi universalis est.

Cum Guettée, »Papauté schismatique« consentit, eum saepius sequitur. V. g. p. 43. Cedere Romano episcopo principatum in ecclesia, ex 6. canone Nicaeno sequebatur. Is porro, quae fuerunt adiuncta in quibus Occidens versabatur, eius interpres existimari debuit. Quo factum est, ut haec regula ecclesiastica in usum transierit: ipse semper ad Concilia, quae in Oriente celebrabantur, invitari debuit ac sine eius consensu nihil decidere licuit. Quae regula iusta fuit: Nam Oriens per se solus non magis, quam Occidens universalem ecclesiam exhibet et episcopus Romanus plane Occidentem repraesentabat tempore, quo regiones a barbaris devastabantur . . . (p. 104)«.

Si *M.* eam fuisse mentem patrum Concilii non probat, explicatio canonis est arbitraria. Palmieri, l. c. p. 618 dicit: »Alterum (assensum Romi Pont. et confirmationem postea requisita esse) locum habuit in Conc. Nicaeno I.; licet enim eius acta desint, habemus tamen testes Patres Concilii Romani sub Felice III. an. 484 iuxta Baronium, aientes: »quam vocem (Tu es Petrus etc.) sequentes trecenti decem et octo sancti Patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae detulerunt«. Neque apparet, quo iure Concilium Nicaenum simplici episcopo Romano, repraesentanti devastatum Occidentem sponte primum locum in ecclesia universa concesserit. Prosequitur auctor tractatum de universalitate ecclesiae Christi, solvendo obiectionem Orientis bene notam, Romanum Pontificem Occidentem ad haeresim et schisma pertraxisse indeque accidisse, ut solus Oriens sit vera ecclesia Christi universalis.

IV. De visibilitate ecclesiae non obstantibus haeresi Romana et haeresi protestantium.

Quia visibiliter ab Albigensibus, Gallicanis, vetero-catholicis aliisque Romae resistebatur, factum est, ut ecclesia Christi vera neque in Occidente perierit. Petitur principium; probanda est prius haeresis et schisma R. Pont, postea inquirenda est universalitas ecclesiae. Solum unam sentententiam ad mentem auctoris melius intelligendam proferam: »Alia res est dicere, in ecclesia cathol. occidentali, vel in eccl. Anglicana, vel in eccl. protestantium vel in ipsa eccl. Romana esse vere catholicos orthodoxos. Hoc est exactum, hoc demonstrari et videri potest (p. 50)«.

O. Žídek.

Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Kam. Dočkal,
Zagrabiae.

Annus IV. (1908) Pragae Bohemorum. Nr. 3.

BOHEMICA.

Dr. *Jos. Kratochvil,* **Záhada Boha ve filosofii antické.** (Quaestio de Deo in philosophia antiqua.) Pr. 1908 (188 p.).

Liber hic scriptus est eis, qui de hac re, certe gravissima, aliquid cognoscere volunt, nec de auctoris rationibus quaerunt. Argumenta enim, ut summum, tantum indicantur. Genus scribendi nonnumquam difficile est, cum non solum id, quod agitur, sed etiam variae relationes ad alias res proprie eo non pertinentes, simul cum ea exprimantur.

In tractando philosophiam antiquam de Deo quaerentem non videtur negligenda fuisse philosophia Indica (cf. e. g. C. Schlüter, Aristoteles Metaphysik und die Sankhyalehre des Kapila). — In fontibus enumeratis desideravimus maxime ea, quae Bohemice de Platone exposita sunt in programmatibus gymnasii Kolinensis, item opus catholicum (2 vol.) de philosophia Platonis a Michelis conscriptum. — Quae p. 16. et 90. exponuntur, de his iam in Sl. l. th. a. II. p. 14 iudicatum est. — Inter menda indicata omissum est p. 17 odporučuje l. odporuje. *Fr. Žáček.*

František Snopek. **Konstantin-Cyrill a Methoděj, slovanští apoštolové.** (Constantinus, qui et Cyrillus vocatur, et Methodius, Slavorum apostoli). Pro tuenda historica veritate, quibus cordi est, scripsit F. S. Olomucii 1908 Bibliopolae Ed. Hölzelio (G. Maruška) commissum.

Cum nuper auctore Alexandro Brücknero, in universitate Berolinensi Slavicae philologiae professore, theses quaestionem Cyrillo-Methodianam adtingentes editae sint, quibus obscura quaedam vitae et conversationis sanctorum fratrum Thessalonicensium momenta ad instar nodi Gordii inscinduntur, eorumque et probitas et mens boni conscia negantur rationibus ex aëre haustis, Franciscus Snopek sobrii iudicii partes adsumens quae in lucem veritatis proferenda censuit, libello hoc edisserit. In disceptationem veniunt legendae Pannonicae dictae seu vitae sanctorum Constantini et Methodii idiomate palaeoslavico scriptae nec non legenda Italica de vita sancti Constantini cum Translatione

sancti Clementis, quarum unam Brücknerus a sancto Methodio scriptam ceterasque eodem hierarcha inspirante a discipulis eius litteris mandatam esse adserit, cuius adstructionis commento innixus tenorem legendarum peracute recenset et velut si ex intentione sancti Methodii sit, ea quae in auctoribus legendarum reprehendi possunt, Methodio eiusque fratri imponens eos Photii asseclas et instigatores appellat, versipelles doli structores, qui ut ambitum regni Moravici dicioni Romanae sedis auferrent, devotionem erga summum pontificem simulaverint eiusque beneficio magna consecuti invidiam pro munere dederint, usque dum Methodius simulatoris specie deposita fidem Romanam anathematizaverit. Criminationes iniquas refutaturus auctor libelli ad studia sua longaeva vitam et opera sanctorum Constantini et Methodii concernentia provocat, quibus ex indagato tenore legendarum sententia alia de earum origine eaque opinione Brückneri multo probabilior evenisse ostenditur. Cum legendarum conscriptio nullo modo discipulis sancti Methodii in Moravia degentibus addici possit, nedum ipsi Methodio, quippe quae tempore postoriore in Bulgaria respectu habito ad obiectiones partium Slavicae liturgiae ibi adversantium conceptae sint, obliquus scriptorum character ad Methodium eiusque fratrem redundare nequit. Quam sententiam *S.* nonnullis argumentis novis subfulcire satagit, sanctorum fratrum et fidem orthodoxam et sinceram mentem monumentis epistolaribus, quae a Brücknero postergari videntur, comprobans.

Etsi Brückneri expositio ad maturiorem, quam credi potest, legendarum originem reflexa a tramite veritatis aberrat, dubitandum tamen non est, quin acris ingenii eiusdem scrutatoris adinventiones, quantum quidem alios quaestionis Cyrillo-Methodianae connexus respiciunt, cursum investigandae rei veritatis novum dirigant. Quod operis meritum et auctor libelli agnoscendo laudat variationemque opinionum usque nunc stabilitarum in prospectu ponit. Imprimis de valore legendarum, quas diximus, nec non vitae sancti Clementis, episcopi Bulgarorum, iudicium aequum inquisitione critica interposita faciendum est, deinde in litterarum genuinarum, quae supersunt, interpretatione diligentia et mens aequitatis tenax adhibendae. Historia christianitatis inter Slavos, praecipue Moravos et Bulgaros propagatae difficultates sciscitanti non minimas obfert; quodsi cui per vim et tanquam uno ictu saxa viam obstruentia percutere animus fuerit, spe sua facile decipietur.

Libellus, quem Franciscus Snopek iuxta illud: suaviter in modo, fortiter in re concinniter exaraverat, in XIV capita pro diversitate materiae digestus, reverendissimo archiepiscopo Olomucensi nunc clare munia sua obeunti est dedicatus. *F. V.*

Časopis katolického duchovenstva 1906.

Dr. *J. L. Sýkora:* Kdy bylo sepsáno evangelium sv. Marka. (Quonam tempore evangelium s. Marci scriptum sit).

Quidam rationalistae statuunt evangelium s. Marci scriptum esse saec. I., post a. 70, quia in 13, 24 non invenitur particula εὐθέως sicut apud Matth. 24, 29. Alii exegetae tenent ev. Mr. iam ante a 70 exstitisse, quod confirmant eo, quod de Hierosolymorum exitio nulla fit mentio. Sunt, qui ponant ev. Mr. inter a. 67—70, nixi illis Irenaei verbis: »μετὰ τὴν τούτων ἔξοδον« et Papiae testimonio. Ἔξοδος autem non est intelli-

genda mors apostolorum, sed exitus e Palaestina, testibus Clemente Al. et Eusebio. Alii asserunt ev. Mr. coeptum fuisse post a. 60 (quum Petrus I.am ep. misit, qua explicaretur πανταχοῦ Mr. 16, 20), editum immediate post mortem Petri a. 77. Cui opinioni obstant haec: iam ante a. 55 evangelium ubique praedicabatur, traditum est scripsisse Mr. ante Lucam (ante 61—65), Clemens Al. scribit, Petrum Romae palam praedicasse et Mr. a caesareanis equitibus rogatum esse, ut praedicata scriberet. Quare multi, clarissimum Belser secuti, statuunt a. 42—50. Haec opinio non solum nullo momento graviore nititur, sed etiam multis difficultatibus laborat, imprimis quod Petrus ad praedicandum nullo interprete indigebat, a. 44—52 Mr. concomitabatur Paulum et Barnabam, commoratus est Hierosolymis, Antiochiae. Restat ut adscribatur a. 50—60, quod tenet et Cornely. Cum autem Christiani cum Iudaeis 50—54 Roma expulsi essent et Marcus circ. a. 56 - 62 ecclesiae Alexandrinae praefuisse videatur, scripsit evangelium a. 54 - 55. Quocum convenit optime Mr. 16, 20 et id quod supponit lectores ethnicochristianos.

Časopis katolického duchovenstva 1907.

A. Špaldák, O ceně theorie antidarwinistické (De valore theoriae antidarwinianae. P. 64—69.

Š. quaestionem hic tangit ab apologetis maxime considerandam. Ut Leo XIII. monuit »altius ascendendum« esse docet »et dandam sollerter operam naturis rerum corporearum agnoscendis . . . investigandisque principiis, unde ordo illarum et unitas in varietate et mutua affinitas in diversitate proficiscantur« (Aeterni Patris) Fatetur quidem hypothesim, qua haec formarum varietas in unitate cum Darwinistis a caeca naturae vi repetitur, reici posse, etiamsi alia nihil explicaretur; verum, si efficacia argumentorum nostrorum empirica consideretur, negari non potest, summopere esse desiderandum, ut conatus fiant, ideam formis communem inveniendi ac »labyrinthum formarum ea penetrandi«. Exponitur theoriam idealem philosophice postulari, cum universales notiones esse opus nostrae rationis pro lubitu separantis et coniungentis concedi nequeat, sed realem ideam supponi singulis individuis quodammodo praeexistentem, cuius participes fiamus in nostra cognitione, illustrata luce divina (Thom. Aq., Q. disp., De sp. cr. a. 10, ad 8). Afferuntur deinde testimonia investigatorum rerum naturae, qui pulcherrimis verbis ideam subesse illis formis expresse affirmant (Braun, Eschricht, Treviranus, Agassiz, Baer). Tum de conatibus ideam illam inveniendi, secundum quam omnis formarum organicarum diversitas explicetur, agitur. Rem a Wigand (Der Darwinismus II., 113. 226) sine iusta ratione esse desperatam ait; Trendelenburg (Log. Untersuch. II., 494) certe negligentiam eandem exprobrat illis, qui in libro naturae legere nesciunt, quam illis, qui carmen legentes non comprehendunt.

Š. clavem huius libri naturae existimat esse in ideali explicatione hexaëmeri, quam, nisi quis Scripturam sacram esse mythum aut subiectivas sententias humanas tradere putet, agnosci debere iudicat. Etiam alios locos Scripturae huc pertinere (1 Cor. 15, 43; de vitae renovatione ut fundamentali lege omnis vitae organicae) traditione quoque comprobatur.

Denique magnopere commendatur theologis, ne exegesim libri naturae negligant.

Jos. Vajs, Nové myšlenky v otázce Cyrillo-Methodějské (Nova quaedam de ss. Cyrillo et Methodio). Contra A. Brückner, qui modo a vera doctrina alieno, cum ira et studio manifesto in Archiv f. slavische Philologie (et alibi) hos sanctos insolenter tractavit, *Vajs* pauca quaedam obloqui modeste sibi videtur. Inter alia monet certitudinem illam »summam«, qua *Br.* negat regem, coram quo Methodius cum episcopis disputarit, alium esse posse nisi Ludovicum regem

Germanorum, rationum fundamentis solidis non niti. Rationem illa verba, quae cum eius sententia discrepant, corrupta esse affirmandi a doctrina certe alienam esse neque *Br.* contigisse ut quemadmodum sibi videatur, omnes difficultates explicatione sua sustulerit; explicandum restare, quomodo rex Germaniae invisum suis episcopis inimicum sine mora dimittere eiusque precibus sese commendare potuerit.

Paucis refert etiam de opinionibus Iv. Frank, qui saltem Methodium potius minus operi suo tribuisse quam studiosius id persecutum esse notat; neque enim Constantinus moriens eum hac de re admonuisset. Quod legitur in Vita Constantini fratres apostolos post tres annos discipulis institutis Moravia discessisse, optime explicari, si eos Constantinopolim revertisse ponatur; unde Romam reliquias s. Clementis tulisse, missos fortasse a factione Romae amica, quae tunc superior evasisset.

A. Špaldák, Poměr mezi vírou a vědou dle různých moderních filosofů křesťanských. (Quam inter fidem et scientiam varii philosophi ponant rationem). P. 1—8. Tres sententiae hic exponuntur de relatione fidei ad doctrinam. A. Vvedenskij (Voprosy fil. et psiḫ. kn. 20 et 21) etiam id, quod rationi adversatur, credi posse existimat; P. Kalenov (Vopr. fil et psiḫ. kn. 18) diversa postulata rationis agnoscit; hinc et rationem et fidem sua via procedere debere. Contra has et similes sententias V. Cathrein (Glauben u. Wissen, Freiburg 1903), ut recentioris scholasticae phlilosophiae interpres, numquam fidem rationi repugnare, fidem ab alia certa cognitione non differre, nisi quod externa auctoritate contineatur, defendit. Errorem contrarium *Š.* Humeii et Kantii philosophia contineri docet. Kantium, formalem et realem cogitationis rationem ipsa quaestione de »syntheticis iudiciis a priori« permiscentem, e Platonis Parmenide (p. 142, B, C), Humium e Platonis Sophista (p. 253, A) refellit. His expositis duo illa, quae Kalenovio aliisque contraria rationi videntur esse, libertatem voluntatis et miracula nulli logicae legi adversari defendit; ubi Wigandium in exponenda lege de constantia energiae seu mechanica aequivalentia causae et effectus sequitur. — Denique concedit aliquid veri subesse errori de repugnantia inter fidem et doctrinam: repugnantiam inter fidem et mentem non correctam. Notiones enim nostras quasi quodam indumento indigere, quod phantasia suppeditet; visa autem non esse nisi imagines huius mundi physici, alio non pertinentes (Cf. D. Scotus, Sup. univers. Porphyr. q. 29; Thom. Aq., C. gent., l. 2, c. 35).

Jos. Samsour, Příčiny rozkolu mezi církví východní a západní (De causis schismatis inter ecclesiam orientalem et occidentalem) p. 81—86; 237—242; 319—323; 489—498; 607—611. *S.* ex optimis fontibus (Lübeck, Seppelt, Duchesne, Grisar, Gelzer, Hergenröther etc.) hauriens, primum exponit de causis schismatis, quae diversa indole, moribus, consuetudinibus, disciplina, doctrina, etiam theologica (maxime de ss. Trinitate: p. 320—1; cf. Čas. kat. duch. 1906, 643) populorum inter se — maxime linguae diversitate — separatorum continentur; deinde de causis in administratione ecclesiae positis (de caesaropapismo, aucta potestate episcoporum Byzantinorum, de origine patriarchatus Constantinopolitani, honoris et iurisdictionis, de certamine ecclesiae pro libertate in defensione imaginum a Leone Isaurico, de Francis a Romano pontifice in auxilium vocatis) agit.

Hinc quaedam promere liceat: Postquam sedes Constantinopolitana regno a. 395 diviso et cum eo ecclesia rimas fieri passa ad alterum nominis Christiani caput, cuius apostolica origo a s. Andrea repetebatur, imperatorum studiis evecta est, Romanis episcopis frustra renitentibus, et singulorum (Facundi, Maximi, quibus propter hoc rerum pristinarum studium et Latinorum amor exprobrabatur) et multitudinis (contra Leonem III. Isauricum) resistentia, qua auctoritati publicae in ecclesiae res inserendae adversabantur, effecit, ut ad-

iuvante Romana ecclesia et orthodoxia vinceret ad tempus nec ecclesia iam tunc scinderetur. Romanorum autem pontificum cum regibus Francorum catholicorum necessitudines — qui auxilium tulerant, quod Constantinopoli sperari iam non poterat — Carolo Magno a. 800 coronato Oriente neglecto consummatas Graeci tantopere aegre tulerunt, ut Photius schismatis mox orti non causam, sed occasionem tantum praebuisse dici possit.

A. Špaldák, O principech výkladu začátku Genese dle Vlad. Solov'eva, Lenormanta a j. (Quarum rerum ab exegeta initii libri Geneseos rationem habendam esse statuant Vl. Solov'ev, Lenormant, alii) p. 345-351; 436—443; 601—607.

Scripturam sacram et e paedagogicis rationibus et ex »organicis« i. e., quia aliud non magis conveniret nostro statui quam Verbum divinum factum homo sine infirmitate nostra — nonnulla quae nos docere vult, symbolice, metaphorice, anthropomorphice exponere *Š.* praemittit. Statum supernaturalem primi hominis non potuisse qua talem aliter describi nisi symbolice. Ubi vero symbolicae interpretationis nulla inveniatur ratio, nisi forte miraculorum horror aut similis causa, non licere a proprio verborum sensu discedere.

Singularem locum principii Geneseos ac rerum, quae narrantur, cum nostris dissimilitudinem plurimis theologis — inde ab Origene — ansam dedisse ad prima capita huius libri metaphorice explicanda *Š.* notat. Nostris temporibus in Gallia maxime Lenormant et Lagrange, in Germania iam antea Görres, Michelis, Altum, Reusch, Clemens, inter protestantes Delitzsch inter Russos orthodoxos Vlad. Solov'ev, hanc viam inierunt.

Apologetas hic modus interpretandi magnopere iuvat; ex apologeticis rationibus adhibitus est a Caietano, ex iisdem nunc passim adhibetur, etsi nondum verum sit (quod dicit C. Prohászka) neminem esse, qui e. g. Evam e costa proprie dicta formatam esse teneat; tamen iis solis nondum probatur eum admittendum esse.

Accurate distinguenda sunt varia genera explicationis symbolicae, ne quid inique iudicetur. Aliud est e. g. habere serpentem pro symbolo diaboli, aliud pro symbolo naturae corporeae ad diabolum pertinentis, aliud pro bestiarum genere, quo defectus perfectionis idealis (seu daemonica vis) in natura maxime manifestetur, aliud pro vero serpente, tantum non vere loquente, ut huius eiusdem partis naturae insigni teste seu interprete.

Quibus rebus distinctis *Š.* quaerit, quibus probetur explicationem symbolicam esse admittendam. Capitis primi explicatio idealis, auctoritate s. Augustini et s. Thomae Aq. confirmata necessaria esse iudicatur, reiecta praecipue mera »theoria visionis« (cum J. Kern), et ab exceptione afferri solita (cum Pesch et Lorinser) defenditur.

Antequam inde ad alterum caput transeatur, respicitur retro et quaeritur, quo indicio usi ad hanc explicationem amplectendam pervenire potuerimus, ut alibi simili indicio reperto securius procedere possimus. Hac ratione expenditur creatio lucis et solis et alia, differens, narratio rei eiusdem in capite secundo.

De altero capite symbolice explicando pauca traditio suppeditat. Scholastici, qui (saltem posteriores) numquam Augustini sublimem expositionem capitis primi statuissent, nimis litteram respiciebant.

Argumenta ex ipsis scripturae verbis hausta sunt haec: 1. discrimen inter narrationem cap. 1. et 2, quod s. Thomas (I., q. 102, a. 4) in eo ponit, quod in altero capite res eadem aliter, supernaturali consideratione, ordine inverso exponitur (Lenormant). — Hinc 2. sequitur paradisum esse totam terram (cf. Gen. 2, 5. 19); homines per totam terram propagari (intra paradisum) debebant (Is. 45, 18; Suarez, Aversa). Arbor vitae unica fuit, arbor scientiae item; teneri sane nequit (cum Vosen, Gotti) terram solum propterea germinare spinas, quod Adamo lapso ipsi maledictum est. — Praeterea 3. e tertio

capite (maxime 3, 23) disparitas apparet inter paradisum et terram, ex qua Adam creatus est, quae non est in paradiso; alioquin enim explicandum, cur homo creatus sit extra paradisum. — 4. Paradisus manet homine eiecto; non desiisse eum Augustinus fide tenendum esse iudicavit (Cf. 2 Cor. 12, 4; Lc. 23, 43 maxime secundum traditionem; cf. Ambros. De parad. c. 1, n. 1; Athanas., De decr. syn. Nic. n. 6; traditionis testes ap. Bellarminum, De grat. pr. hom. c. 14 add. Theophil., Iustin., Athanas.) Haec res tantum ideo negata est a paucis scholasticis, quod cum litterali explicatione componi posse non videbatur. Qui paradisus hucusque perdurans, qui etiam sub civitatis imagine describitur (in Apc.) significat non locum, sed statum, in quo homo primo positus est.

Accedunt 5. res nonnullae particulares, quae aliter ac symbolice explicari posse non videntur: a) Quattuor flumina; miris ac variis modis ab adversariis vexata, Hummelaueri aliorumque arte non salvata et numero suo (typo idealis creationis) et nomine Gehon videntur prodere paradisum symbolum esse idealis perfectionis totius mundi. b) Maxime vero nuntius de Cherubim et de gladio igneo (de flamma vorante), quem ex parte etiam s. Thomas symbolice exposuit (II., II., q. 164, a. 2). Cherubim paradisi cohaerere cum figuris symbolicis locis posterioribus commemoratis, exprimentibus omnem vivam creaturam, negari non potest; angelos eos esse falsa etymologia suspicata est. Probatur Cherubim exprimere naturam, opus Dei, esse totum vivum, organicum, et loci singuli (Ez. 10, 2; 3 Reg. 6, 29) explicantur. In aditu paradisi commemorantur Cherubim ut symbolum perfectionis vitae organicae in eius totalitate, exprimens naturam in Deo viventem, legi mortis non obnoxiam, gloriosam, oppositam reali, praetereunti, legi mortis subiectae; cherubim arcent hominem lapsum aditu ad lignum vitae (cf. Glubokovskij in Hr. Ct. 1903, II., 145). — Talia symbola non potuisse poni ad aditum horti liquet (Zschokke). — e) Arbor vitae et arbor cognitionis eodem ducunt. Denominatio ab effectu non peccatum internum sed comestionem ipsam secuto, efficacia spiritualis fructuum arboris cognitionis, physiologice inexplicabilis efficacia arboris vitae in homine (non in bestiis) eiusque necessaria sed illicita commutatio cum aliquo arbore regenerationis (effectus enim naturalis vitae servandae fine caruisset, supernaturalis non erat; cf. praeterea Apc. 2, 7) et si quae aliae explicationes huius modi excogitari possunt — a sana ratione videntur abhorrere. — f) Etiam Evae formatio e costa vel saltem eius adductio metaphorice explicanda sunt; Gen. 2, 23 enim vera alioqui non essent, sicut non sunt de filio ex semine patris formato. Theoria autem visionis (Hoberg, Moigno, Musil etc.) nuda nihil explicat. — g) Animalium in paradiso praesentia a verbali paradisi conceptu aliena est (Io. Dam. F. o. 2, 11; Thom. Aq. I. q. 102, a. 2); minime vero serpentis ibi locus erat. — h) Tentationem serpentis et maledictionem plenam esse metaphorarum non solum Patres sed etiam scholastici iudicabant. Ipsum serpentem maledictum et tentantem eundem omnino esse, maledictum autem esse diabolum, non serpentem nescio cuius speciei, qui antea erectus ambulaverit vel naturam suam pro poena acceperit vel retinuerit, apparet; nec sapientia, qua aliis bestiis praestet, eius nota proprietas est (contra Gotti) aut propterea, quod »casu« (?) ut instrumentum sapientis adhibitus est, ei in comparatione cum aliis bestiis ut insigne aliquid tribui potest (contra Lamy, Patrizi).

Defensores litteralis explicationis confidunt maxime verborum proprietati, quae metaphoricam explicationem non admittant (pulchrum visu et ad vescendum suave); praeterea conformitatem traditionis melius explicari putant etc., si res ad verbum eadem quam si rei eiusdem eadem figura tradita esse dicatur. Denique nonnullas res non posse ullius rei symbola esse (Evae e costa creationem). Haec eis quoque obiciuntur, qui theoriam visionis adhibent. Haec opposita facile diluuntur (p. 441; 602—3).

Iam duplex quaestio solvenda est, 1. quaestio principii (qui sint termini symbolicae interpretationis in genere), 2. quaestio concreta, quid censendum de explicationibus symbolicis propositis. De 2. *Š.* arbitratur interpretationem pure idealem, quae serpentem animal fuisse dicit, sermonem autem eius anthropomorphistice explicat, teneri omnino posse; quodsi quis serpentem symbolum diaboli ipsius esse putet, iam non pure idealem explicationem statuendam esse, sed tantum iuxta et praeter litteralem. Certe autem, si non solum, saltem magis intentam esse significationem symbolicam. Similia de aliis partibus dicenda. — De priore quaestione, ubi sint termini symbolicae explicationis (cuius necessitatem aliquibus locis admittendam esse dubium non est) *Š.* dicit nos catholicos persuasum habere iudicium de hoc, quid sit forma revelationis,quid res revelanda, non posse ultimatim arbitrio singulorum fidelium esse commissum — id esse penes infallibile ecclesiae magisterium, quae Spiritu sancto gubernata nobis verum sensum s. scripturae definiat; nec bene argumentari eos, qui admissa partis alicuius symbolica interpretatione, totius rei revelatae, etsi iam definita sit, veritatem — peccati originalis commissionem — peti conclament.

In fine annotantur quaedam singularia ad serpentis vim symbolicam pertinentia. Serpentem non casu, sed propter naturam suam delectum esse negari non potest; locus autem eius in naturali systemate animalium (et horum in universitate mundi) est hic, ut inter perfectiores bestias (atque organismos generatim) illâ formâ maxime sit insignitus (cf. Gen. 3, 14), cui opposita distinguit vegetabilia et hominem a bestiis. Humanum enim corpus organismus physiologice perfectus (animalis) est, erectus in situm idealem axis stirpium (Basilius, De str. hom. M. 30, 57; Špaldák, Člověk a zvíře, 1907, p. 145). Itaque serpens refertur ad partem naturae corporeae ab ideali perfectione alienam, et ideo instrumentum diaboli esse potest; eiusmodi partem in natura vere adesse et scripturae et traditionis auctoritate et naturae ipsius investigatione comprobatur (p. 606—7).

Dr. *Jan Sýkora:* O vzájemném poměru synoptických evangelií (De mutua synopticorum evangeliorum relatione p, 50—60, 115—124, 225—237, 307—319, 369—374).

Iam multa saecula mentes exegetarum occupat et diverso modo explicatur ratio evangeliorum, quae synoptica vocantur (Mat., Mar., Luc.). Multa enim habent (saltem duo eorum) communia, multa diversa. Omnibus communis est descriptio eius partis vitae Christi Domini, quae munus Galileum vocatur, et in ea complures res maioris momenti. Omnes eodem modo procedunt (Matth. tamen magis logico ordine Mar. et Luc. chronologico): initio praedicationem Ioannis, dein Galilaeum Christi D. munus, in fine ultimum festum Paschatis, passionem, mortem, gloriam eius describentes. Singularis est et magna in minoribus quoque rebus convenientia, et vel in maximis differentia, etiam repugnantiae speciem exhibens. Res haec nullam nacta est in antiquitate christiana explicationem. A saeculo XVIII., cum diligenter examinari coepta esset, summa sententiarum varietas apparuit; quarum tria genera haec sunt:

Qui mutuationem auctorum posteriorum a priore tenent (Benützungshypothese, hypothèse de la dependence mutuelle) rem sic explicant: Primus evangelista scripsit suis vel aliorum recordationibus innixus, scripto eius ut fonte, varia mutans, usus est alter, et scriptis utriusque vel saltem unius ex eis tertius evangelista. Deinde pro diverso ordine, quo evangelia ponuntur conscripta, ortae sunt novae 6 opiniones, quarum notissimae sunt ea, quae a catholicis fere tenetur, (Matt., Mar., Luc.) et eae, quae Marcum primo loco ponunt. Huius asseclarum alii fontem primum ipsum canonicum Marci evangelium, alii opus quoddam antiquius (Ur-Markus, nonnulli ponunt etiam Ur-Ur-Markus) esse existimant, de cuius natura et ambitu dissentitur;

alii duos fontes statuunt: Ur-Markus, qui res, et Logia, quae orationes Christi continuerint.

S. non negat evangelia priora ad posteriora aliquo modo pertinuisse, sed opinio tractata non est probabilis, nam α) caret omni fundamento historico antiquitatis christianae; β) immo repugnat fide dignis testimoniis Papiae, Irenaei, Clementis Alex., et al.; γ) explicat quidem similitudinem, non vero differentias.

Altera est hypothesis fontium scriptorum. Ponitur enim evangelia canonica orta esse ex antiquioribus scriptis. Ubi iidem sunt fontes adhibiti, adest similitudo, ubi alii diversitas. Huc referri potest etiam Schleiermacheri opinio multos praesto fuisse fontes truncos, ex quibus evangelistae fortuito hauserint (theoria fragmentorum, Diogesenhyp.) *S.* non negat iam ante evangelia scriptas relationes fuisse, sed etiam hanc hypothesin reicit (nulla habet testimonia historiae, est prorsus arbitraria in statuendo numero, ambitu, argumento, forma scriptorum, non est verisimile, tantam iam initio fuisse codicum evangelii varietatem a multitudine fragmentorum adhibita discrepat et argumentum et completa forma evang.).

Opinione quae vocatur traditionis explicatur origo evangeliorum e catechesi apostolorum consensu stabilita, in qua pro variis propositis varia omittebantur vel addebantur [e forma Hierosolymitana (Matth.) evaserunt: Romana pro iudaeochristianis (Marc.) et Antiochena (Luc.) pro civitatibus commixtis (iud. chr. et gent. chr.)]. Hypothesis haec placet propter simplicitatem, sed non explicat omnia (certe apostoli, qui omnia oculis viderunt, non praedicabant iuxta unam normam memoriae impressam, multarum discrepantiarum non adest ratio sufficiens).

Denique *S.* suum exponit explicandi modum; a) historica Christi vita est causa, cur testes et spectatores fide digni in multis conveniant b) traditio apostolorum et discipulorum et fortasse consensus quidam de eis, quae sint novis christianis tradenda, cuius habita ratione singuli evangelistae consilia particularia sequentes evangelia conscripserunt; c) evangelia prius composita ex memoria a scriptore inspirato adhibita, non tamen descripta (ideo consensus modo cum hoc modo cum illo synoptico); d) adhibiti fontes non canonici memoria vel litteris proditi (relationes b. Mariae V., discipulorum Ioannis; genealogia Chr. D., Magnif., Benedictus). e) Indoles evangelistarum, erant enim ipsi ex se scriptores, non compilatores; f) fortasse etiam error primorum descriptorum, si qui locum quempiam describentes, non singula verba inspiciebant, et iuxta alium synopticum, quem non ignorabant, referebant. His *S.* existimat explicari et quod conveniant in multis et quod differant auctores »synoptici«. *A. O.*

POLONICA.

Lud. Finkel, **Bibliografia historyi polskiej,** (Bibliographia historiae Poloniae). Collegit et edidit prof. universit. Leopoliensis Dr. L. F. Leopoli-Cracoviae. Sumptibus »Academiae Scientiarum« (1891—1906). XLVIII et 2150 pag. lex. 8⁰.

Etsi hic liber primario spectat ad eos, qui historiae operam navant, tamen maximi quoque momenti est pro omnibus, qui rebus Ecclesiae, in Polonia gestis, occupare se volunt. Quare pauca de hoc ingenti opere subiciamus.

Totum opus numeris 28261, cum additamentis vero usque ad a. 1900, numeris 34305 absolvitur, qua in re illud attendi debet quandoque centenas positiones uni numero subordinari,

Bibliographia professoris Finkel sic dividitur: 1. Quaestiones introductoriae (archiva, bibliothecae, disciplinae affines); 2. Fontes (documenta, chronica); 3. Opera historica, dividuntur in partem quae ad historiam internam et partem quae ad politicam, pertinet; additur index personarum et locorum. Indice verum scriptorum post 1815 concluditur opus. Caput II. historiae internae colligit libros de fide et Ecclesia in genere, in spesie de Ecclesia Romana, de Ecclesia Ruthenica (de unitis et reparatos), de ecclesia Armenorum, denique de sectis et religione Iudaica. Caput IV. eiusdem partis exhibet libros ad cultum et humanitatem spectantes, quorum theologi Slavici etiam interesse debet.

Prof. Finkel admirabili diligentia et eruditione ingentem molem materiarum integre complexus est et in ordinem redegit. Insuper sapienti parsimonia plurimum spatii lucratus tot materias concinne proposuit, ut usus Bibliographiae hoc modo multum adiuvetur. Quapropter non secundum amplitudinem tomorum hoc opus aestimare possumus. Non eadem est methodus huius bibliographiae Zibrt'i; propositum illius hoc est, ut libri Polonice editi inveniri facile queant. Ratio paedagogica hoc etiam effecit, ut copiosae litterae universae Europae huc pertinentes, respicerentur.

Non est dubium, quin opus hoc laboris triginta annorum summam utilitatem sit allaturum omnibus, qui rebus Polonicis studere velint. *M.*

I. Zieliński. **Konkordancya z dzieł Ojców Św. i Pisarzy Kościoła.** (Concordantiae ex operibus SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum iuxta »Patrologiae cursum completum« edit. Migne). In Polonicum translatum et ordine alphabetico compositum a *Io. Z.* Posnaniae 1908. Typographia St. Adalberti. 8⁰. pag. 572.

Z., qui ante quattuor annos edidit lingua Polonica concordantias S. Scripturae, respectu materiarum cum selectione alphabetice ordinatas, nunc immensi laboris opus aggressus est. Persuasione ductus pretiosissimos fontes traditionis unice per modum eiusmodi »concordantiarum« ad utilitatem vitae ac muneris concionatoribus et scriptoribus asceticis et theologicis nostri temporis adduci posse, summa cum diligentia initium dedit operis, cui plures utique insudare debeant, ut tota collectio ad optatum finem aliquando deveniat.

Primus hic tomus complectitur selecta doctrinae capita ex quattuor primis tomis Patrologiae Latinae edit. Migneanae hausta, imprimis opera Tertulliani et S. Cypriani. Si animadverterimus latinitatem Tertulliani esse difficillimam, auctori versionis eius textuum debitum non recusabimus honorem gratumque animum. Rev. D. Zielinski ex consulto elegit linguam polonicam media aetate vigentem, secutusque est hac in re imprimis P. Wujek, eiusque versionem Vulgatae. Non est dubium, quin stilus et lingua archaica argumento libri plenius conveniat, et versionem gravitate quadam imbuat, at ex altera parte nonnunquam magna obscuritas textus hoc modo etiam augetur.

Unde iam venio ad ea, quae in hoc opere diligentissimo et pretiosissimo non placent. Concordantiae eiusmodi generatim solummodo

concionatoribus et ascetis inserviunt, et utiles tunc sunt, cum in uno alterove volumine selectas sententias quam plurimorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum comprehendunt. Quicumque theologicas dissertationes scribere vult, ad ipsos fontes originales redire debet; textus sine contextu, sine clara intelligentia occasionum et circumstantiarum, in quibus liber aliquis conscriptus est, dimidio valore caret. Revera non pauci textus ab auctore citati nequeunt rite intelligi, nisi recurras ad Latinum textum et contextum. Saepe quidem contextus apparet ex large haustis excerptis quorundam librorum, at statim exsurgit novum incommodum consistens in nimia extensione eiusmodi collectionis. Ipse hoc expertus esse videtur: cum enim ex Tertulliano totos fere tractatus per contracta capita desumat, ex Cypriano iam pauciora, ex aliis paucissima praebet, licet apta materia non defuerit, ut solum nominem Minucium Felicem, eiusque pulcherrimos textus De Dei Providentia. Hoc extra dubium esse videtur, auctorem non iam eadem diligentiâ III. et IV. tomum excerpsisse, qua I. et II. perlustravit.

Optima methodus pro eiusmodi concordantiis conponendis, si quis in genere eas versionibus integri textus praeferre velit, ea est, ut alphabetico ordine proponantur materiae ita, ut praemisso prooemio brevi, quod declarat circumstantias libri citati, exponatur mens illius auctoris per assertiones clare destinctas, quibus dein selectissimi textus succincte subiungantur.

Restat, ut fateamur sincere pulcherrimam versionem difficillimorum textuum auctori esse omni honori. Egregium laborem agnoscimus, pro bona voluntate et sudore grati sumus, at ipsam methodum, finem et extensionem operis nimiam non valde profutura esse pro certo fere habemus. *M.*

Struve Henryk. **Filozofia polska w ostatniem dziesięcioleciu** (1894—1904)). (Philosophia polonica ultimi decennii. 1894—1904). Varsoviae 1907. Apud »Gebethner et Wolff.« 12⁰. pag. 116.

Auctor Polonus, de philosophia polonica optime meritus, hunc libellum germanice edidit, postquam de hac re in conventu philosophico internationali Gnesniensi a. 1904 retulit. Tria capita philosophici laboris ante oculos proponit: Cracoviam, Leopolim, Varsoviam. Uniuscuiusque exponit studia et opera, eaque obiective recenset. In aestimandis philosophis catholicis, ut Rev. Pawlicki C. R. et prof. M. Straszewski, prodit quidem auctor diversam suam persuasionem religiosam sed etiam in his scientificam tranquillitatem et amorem veritatis manifestat.

Parvus hic libellus optime informat de philosophicis systematibus apud nos receptis. Theologi utique interest ea sedulo cognoscere. *M.*

Alexander Mohl, **W pogoni za prawdą**. (In aucupio veri) Series I. et II. Posnaniae 1907. Typographia St. Adalberti. 262 + 236 pag.

Innixus libello apologetico P. Gallerani S. I. — »Contravelleno religioso« 1902. *M.* exhibet seriem epistolarum, directarum ad audito-

rem universitatis, in quibus maximae quaestiones apologeticae nostri temporis dilucide et sana mente aestimantur. Absque largae eruditionis iactantia *M.* provocat ad propriam cuiusque sanum iudicium, et praeiudicatas contra fidem opiniones hoc tempore vigentes non sine vi et sagacitate efficaciter refellit. Argumenta psychologice selecta non solum iuveni academico, sed omnis generis hominibus cultis sunt adaptata. Materia, quae his primis tomis comprehenditur, magis praeparat ad fidem, quatenus, et refutatis non credendi ac religionem parvi aestimandi rationibus et statuto fine hominis, in altera vita consequendo, illustratur valor »ethicae et scientiae auctoritati nulli obnoxiae«, defenduntur miracula, Providentia divina contra pessimismum vindicatur, relatio quae fidem inter et rationem intercedit exponitur. De serie III. et IV. quae nondum veneunt, postea referemus. Interim sufficiat indicasse opus hoc magni esse momenti apologetici, praesertim, si litteraturam apologeticam in Polonia adhuc valde pauperem inspiciamus. In nova editione, ut fontes locorum allatorum indicentur, vel saltem ex eis, quae de re tractata antea scripta sunt optima quaeque opera in initio capitum, vel libri colligantur, commendamus.

M.

Archiwum Komisyi prawniczej (Collectanea ex archivo Collegii iuridici) t. I.—VIII. Ed. c. r. Academiae Scientiarum Crac. Kraków. 1905/8.

Ex primo tomo novae publicationis, ex archivo Collegii iuridici, a caesareo-regia Academia Scient. Cracoviensi susceptae, cognoscimus opus magni momenti nunc aggredi historicae et iuridicae scientiae peritos; nempe completam editionem omnium Poloniae ecclesiasticarum synodorum, a primis temporibus incipiendo. Itaque hoc modo solida fundamenta iacientur pro antiqua historia Ecclesiae in Polonia.

Editores invitant omnes, ut, quantum fieri potest, opus hoc adiuvent.

Fr. Namysłowski, **Mapa Magdaleniczna w Polsce** (Carta cultus s. M. Magdalenae in Polonia).

Carta haec demonstrat, ubinam exsistant altaria, sacella, aut ecclesiae s. Mariae Magdalenae per totam Poloniam dicata; specialia signa demonstrant suppressas ecclesias. Carta haec multum confert ad illustrandum cultum s. M. Magdalenae in Polonia, eiusque extensionem per totam provinciam. Ex Silesia et Cracovia, ubi cultus ille potissimum vigebat, ad ducatum Posnaniensem, deinde per maritimas oras aliquantum ad septentrionem se propagavit. In regionibus, ubi ritus graecus vigebat, vix ac ne vix quidem indicium illius cultus inveniri potest.

Res ipsa magni est momenti ad illustrandum influxum culturae earum nationum, a quibus cultus s. M. Magdalenae in Poloniam asportatus est. Proh! Reverendus auctor non dedit hucusque (carta ante quatuor annos edita est) amplam illustrationem ad hanc cartam, quae potius initium quoddam esse videtur alicuius magni operis de cultu sanctorum in Polonia, atque multum valeret ad illustrandam historiam ecclesiasticam atque profanam horum temporum.

Fortasse opus huiusmodi illustrare posset aliquatenus nostras opiniones Cyrillo-Methodianas, seu potius quaestionem de ritu slavico in Polonia? *K.*

Ks. Józef Kruszyński, **Wykład Ewangelii według św. Marka.** (Interpretatio evangelii sec. Marcum). Włocławek 1906. pag. 88.

Auctor innititur methodo in scholis Anglicis usitata. Initio libri exponit ipsam methodum et dein illam applicat ad Evangelium sec. Marcum. Opusculum multum iuvare potest ad promovendum practicum studium S. Scripturae in clero. *M.*

Agendy klasztoru Staro-Sandeckiego. Wydał i opracował ks. *J. Sydański* T. J. Lwów 1904. Ex archivo monasterii Vetero-Sandensi, fundati a. 1280, publicantur hic inventaria atque agendae monasterii ex a. 1560—1629.

Adduntur: chronica monasterii a pristinis temporibus usque ad a. 1815: diaria visitationis episcopalis in monasterio ex fine saeculi XVIII: codex diplomaticus monasterii ex a. 1313—1745. Denique editor communicat codicem, manu I. Długosz scriptum, cui titulus „Vita B. Cunegundis“ (fundatricis huius monasterii) quemque omnes historici periisse putabant, in archivio monasterii nuperrime inventum esse.

ks. *W. Sarna* **Biskupi Przemyscy o. ł.** cz. I. (1375—1624) Przemyśl 1903. Clarissimus auctor operum historicorum dioeceseos premisliensis (Powiat Krośnieński: Opis Powiatu Jasielskiego) describit hic tempora ante erectionem episcopatus, deinde actum ipsum erectionis, atque seriem primam antistitum Premisliensium enumerat. Episcopi Premislienses modicos proventus habentes malebant ditiores cathedras ascendere, hinc nonnulli eorum tam breve tempus Premisliensem dioecesim gubernabant, ut vix possibile auctori fuerit demonstrare, quid pro sua dioecesi boni fecerint. Auctor usus est plurimis hucusque ignotis manuscriptis codicibus, ex archivo dioecesano depromptis.

Academia Lit. Cracoviensis in VII tomo **Sprawozdań komisyi do badania historyi sztuki w Polsce** publicat studia de architectura ecclesiarum s. d. munitarum in Polonia. Inter alia etiam demonstratur in construendis ecclesiis Ruthenici ritus s. XV + XVII influxum quendam Serbo-moldavicae originis negari non posse; porro alias ecclesias prae se ferre typum pagodarum Indicarum.

Societas litteraria Torunensis in tomo X Fontium publicat documenta visitationis dioecesanae, peractae ab episcopo Culmens- a. 1667. et tomo XI documenta visitationis peractae ab episcopo Leszczyński annis 1652—3. Quantopere haec ad notitiam historiae ecclesiae in Polonia conferant, nemo est qui ignoret. *K.*

Rocznik krakowski t. X. (editio Societatis, cui nomen »Tow. Miłośników Krakowa«) continet publicationem prof. Dr. *Kopera* de Wit Stwosz, optimo Polonorum saeculi XV sculptore. Liber plurimis artis etiam ecclesiasticae exemplis imaginibus ornatus.

»**Eos**« Czasopismo filologiczne. (Commentarii societatis philologicae) XIII. 1907 Leopoli.
Dr. *Sinko* De Gregorii Nazianzeni laudibus Macchabeorum [Latine].
A. Birnbaum De templo Nazianzeno a Gregorio Theologo descripto.
St. Witkowski Rękopisy św. Grzegorza z Nazyanzu w bibliotekach hiszpańskich. De manuscriptis Gregorii Nazianzeni, quae in Hispaniae bibliothecis continentur. p. 40—61.
St. Schneider, Egzorcyzm przypisany św. Grzegorzowi z Nazyanzu, De exercismo, qui s. Gregorii Naz. esse dicitur. P. 135—149.

Duo Polonici libelli periodici ob iniuriam temporum edi desierunt: **Przegląd kościelny** (Conspectus ecclesiasticus: Posnaniae) et **Wiadomości Pasterskie** (Nuntii Pastorales redactore *R. D. Fulman*). In horum locum mox suffecta est alia ephemeris s. t. „**Przewodnik społeczny i pasterski**" (Dux socialis et pastoralis) (prodiit in Włocławek) quae, si indicem materiamque consideres, spem facit fore, ut brevi subscribentium numerus augeatur. *K.*

Przegląd kościelny 1906. Poznań.
Ks. Dr. *St. Trzeciak,* Kolonie żydowskie za czasów Chrystusa Pana (Coloniae Judaeorum aetate Christi Domini).
Ks. Dr. *St. Trzeciak,* Kler żydowski za czasów Chrystusa Pana (Clerus Iudaeorum aetate Christi Domini).
Ks. Dr. *St. Trzeciak,* Chrystus Pan a kwestya socyalna (Christus Dominus et quaestio socialis).
Ks. W. Michalski, Hozyusz i reformacya w Polsce w latach 1551—1558. (Hosius et reformatio in Polonia ab a. 1551 -1558).

Przegląd powszechny 1906—7.
Ks. Jan Urban T. J., Statystyka katolicyzmu w państwie rosyjskiem (Statistica catholicismi in imperio Rossiaco). Przegląd powszechny. 1906.
Ks. Jan Urban, T. J., Cerkiew rosyjska w ostatniej dobie. (Ecclesia rossiaca ultimis annis).
Ks. Arcybiskup *Bilczewski,* Chrystus i kościół (Christus et Ecclesia).
Fr. Klimke T. J., Reforma filozofii katolickiej? (Reforma philosophiae catholicae?).

Sprawozdania Akademii Umiejętności w Krakowie. t. XI (1906) et XII. (1907) nr. 1.
Tad. Grabowski, Z dziejów literatury aryańskiej w Polsce (Ex historia litteraturae arianae in Polonia).

Przegląd katolicki (Warszawa) 1906.
Ks Ciemniewski, Charakterystyczne rysy pseudomistycyzmu i jego wyniki. p. 177. 194. 210. 228. 245. 289. Credo Maryawitów (Mariavitarum confessio) 202—204.
Ks. Eustachy Krocin, Credo Kowalskiego, przywódcy t. zw. Maryawitów i moje wnioski p. 243—5.
Oj. Honorat, Prawda o »Maryawitach« p. 264. 278. 295. 309 325.
M. Ciemniewski, Kilka ważnych uwag, tyczących się seminaryów duchownych 481. 519. 536. 548. 602. 617. 648. 713.
I. Charszewski, Dyalog polemiczny o tolerancyi religijnej. 628. 645. 678. 696. 709 741. 774. 808.

Libri recentiores polonici.

1. *Ks. M. Nassalski,* Sposób prowadzenia misyi parafialnych i rekolekcyi (De modo instituendi missiones parochiales et exercitia spiritualia). Włocławek 1908. pag. LVI., 198.

2. *Ks.* Arcybiskup *Teodorowicz,* Katolicyzm a cywilizacya. Varsoviae 1907. p. 68.

3. *Ks.* dr. *Adam Gerstmann,* Zagadnienia katechetyczne i homiletyczne u św. Augustyna (Quaestiones catecheticae et homileticae apud S. Augustinum). Leopoli 1908. pag. 84.

4. *E. Jaroszyński,* Katolicyzm socyalny. Pars I. Ed. II. Varsoviae 1908. p. 257.

5. Pamietnik pierwszego kursu katechetycznego we Lwowie. (Memoriale primi conventus catechetici Leopoliensis) Leopoli 1908. pag. 171.

6. *Marcinkowski Fr. Ks.,* Różaniec święty (De S. Rosario). Varsoviae p. 760.

7. *Ks. Łukaszkiewicz,* Życie Pana naszego Jezusa Chrystusa, skreślone piórem Ewangelistów (Vita D. N. Jesu Christi, ex evangeliis concinnata). Varsoviae 1908. 12°. pag. 360. *M.*

RUTHENICA.

Katolyckyj Vsḫid. IV, 1907, No. 1-2, p. 1—242, supplementum p. 305—351. Cf. Slav. l. th. 1906, p. 192, 1907, p. 58—60, 244—5.

Quarto anno postquam conditus est, edi desiit K. V. causis huius rei non indicatis. No. 1. et 2. anni 1907 sunt eius fasciculi ultimi.

E commentationibus apologeticis commemoramus »de materialismi systemate« conscriptam a *V. Plašoveckyj* (p. 53—63, 189-200).

Erudite conscriptae sunt commentationes duae biblicae. *Iac. Tarnavskyj* scribit de studiis huius temporis in exegesi catholica (p. 24—34, 171—188) et tenet sententiam moderatam Christ. Pesch. *Joan Kallay* propugnat sententiam traditionis B. Virgini Mariae esse tribuendum hymnum »Magnificat« (p. 130—144).

Ex dogmaticis demonstrat *Ios. Kocylovskyj* veram doctrinam s. Thomae esse B. Virginem esse consalvatricem generis humani (p. 37—52).

Praeter commentationes stricte theologici argumenti habetur in K. V. etiam conspectus quaestionum, quae de vita ecclesiae agitantur: de tentaminibus ecclesiam Russiacam reformandi, de pugna inter duas factiones in sinu ecclesiae huius, quarum altera vult conservari auctoritatem legislativam hierarchiae altera id oppugnat, de decreto per pontificem Romanum usu linguae Russiacae in ecclesia, sed extra liturgiam (p. 88—94). Enarratur porro pugna inter Russos separatos et Latinos Polonos de Ruthenis in catholicam ecclesiam redeuntibus (p. 224—7).

J. Vančyk describit statum quaestionis de liturgia glagolitica in Croatia post decretum Pii X. editum (p. 94 6) et de usu linguae Hungaricae in ecclesiis Ruthenorum Hungariae (p. 227-230). *Vol. Lysko* exponit, quomodo factum sit, ut nominaretur episcopus Ruthenorum Americae septemtrionalis et enarrat vitam primi episcopi, Soteris Ortynskyj O. S. B. M. (p. 113-118, 230—2 cum imagine eiusdem).

In parte bibliographica recensentur multi libri; inter alios: Ilar. Svjencickyj, »Opys rukopysiv Narodnoho Domu« — Descriptio manuscriptorum Domus nationalis, I. pars, Leopol., 1906, Ruthenice (p. 108—9). Teod, Rzymski, »Potrzeba i środki wykształcenia socyalnego« etc. De necessitate et modis acquirendi cultus socialis, Poznan', 1906 Polonica (p. 238—9).

Supplementum K. V. sunt homiliae XX s. Ioannis Chrysostomi in Matthaeum (ed. Migne) in Ruthenicum conversae cum introductione litteraria de vita et operibus atque imagine eiusdem (XLI + 351).

Onuphrius Voljanskij.

RUSSICA.

Православная богословская энциклопедія (Pravoslavnaja bogoslovskaja enciklopedija) Orthodoxa theologica encyclopaedia tom. VII: Іоанн-Скиѳопольскій-Календарь: Petropoli 1906, col. VII + 913 + XVIII; tomus VIII., Календарь библейско-еврейскій и юдейскій — Карменовъ, typ. Rossija, Petropoli, 1907, p. V. + col. 866.

Hanc utilissimam articulorum et dissertationum syllogen, quam Prof. A. Lopuhin in lucem edere coepit anno 1900, feliciter nunc prosequitur doctissimus N. Glubokovskij, professor Sacrarum Scripturarum in Academia ecclesiastica Petropolitana. Hanc autem mutationem redactoris in bonum ac progressum Encyclopaediae cessisse, cuilibet patebit, qui priores tomos cum posterioribus comparaverit. Maior enim datur in his delectus scriptorum, ditior est bibliographia, locupletiores dissertationes, fusiores tractationes. Dolendum tamen minoris molis esse volumina, quae nunc eduntur, quo fit, ut longius nobis expectandum sit, si Deus concesserit uti vita, antequam finem totius operis videamus. In tomis septimo et octavo plures nobis occurrunt articuli memoratu digni, quorum potiores hic recensemus.

Septimus tomus faciem praesefert lexici biographici, tot scatet notitiis clarissimorum vel sanctitate vel doctrina virorum. Continet enim 62 vitas virorum celebrium nomine Ioseph, 15 nomine Ioasaph, 6 nomine Ioas, 11 nomine Ioab, 22 nomine Ionas, 46 nomine Ioseph, 11 nomine Iudas. Maior igitur pars voluminis in his biographiis concinnandis consumitur. Quaedam de praecipuis articulis hic notamus.

De vita operibusque S. Iohannis Damasceni disseruit *A. Bronzov*, vir theologiae moralis historiae peritissimus. Minutum scriptorum Damasceni cl. auctor elenchum compilat, brevitatis causa omittens analysin pleniorem sententiarum illustrissimis Doctoris, quae praesertim in eis quae ad processionem Spiritus Sancti pertinent, explicationem aliquam in encyclopaedia orthodoxa mereri nobis videntur. De vita Iohannis episcopi Gothorum (VIII saeculi) agit *P. Běloděd*. Is videtur ignorare quae de hoc viro edidit ex codicibus Georgianis. *M. Žjanašvili*, Извѣстія грузинскыхъ лѣтописей, Tiflis, 1899, p. 11. Laudandae biographiae Iohannis Hierosolymitani (saeculi VIII = *B. Melioranskij*), Iohannis exarchae Bulgarorum (IX—X saeculi = *A. Sobolevskij*); Iohannis ex monasterio Ryliensi in Bulgaria (IX saeculi = *V. Věružskij*); Iohannis, Euthymii et Georgii, monachorum ex Iberia, qui monachismum Georgianum in monte Athos fundarunt ad eiusque prosperitatem laborarunt. Auctor huius articuli, princeps *I. Džavahov*, clarissimus investigator historiae

politicae ac socialis Georgiae, fontes Graecos suarum notitiarum non meminit, ac silentio praeterit quae de Georgio Mtazmindeli *A. Cahanov*, tradit in sua Historia literaturae Georgianae. In biographia Iohannis Eugenici *(I. Sokolov)* plura desiderantur. Quaedam de eo nobis tradidit Sylvester Syropulos in Historia Concilii Florentini. Opellam eius: *Λόγος ἀντιρρητικὸς τοῦ βλασφήμου καὶ ψευδοῦς ὅρου τοῦ ἐν Φλωρεντίᾳ συνόδου*, memorare debuisset auctor insertam fuisse *Τόμῳ χαρᾶς* (p. 206—273) a Dositheo Hierosolymitano, aliamque editionem citant historici litteraturae neograecae (Iassy, 1694). *Bianu* et *Hodos*, Bibliografia romanesca veche, Bucharest, 1903, t. I, p. 338. Nil iniqui petimus cum de theologis orthodoxis uberiores atque accuratiores notitias in Encyclopaedia orthodoxa legere avemus. In vita Iohannis Caryophylli, Dr. *Sokolov* anno 1695 affirmat editum fuisse a Patriarcha Dositheo opus *Ἐγχειρίδιον κατὰ Ἰωάννου Καρυοφύλλου*. Bibliographi Graeci referunt annum 1694. Bianu, p. 337. In notis bibliographicis saltem nominari debebant *Ἰωάννου τοῦ Καρυοφύλλου Ἐφημερίδες*, in *Δελτίον τῆς ἱστορικῆς καὶ ἐθνολογικῆς ἑταιρείας*, Athenis, 1890, t. III, p. 275—315. Cf. quae scripsimus in Dictionnaire de Théologie catholique, t. II, Parisiis, 1905 col. 1812—1813. Romanorum Pontificum vitas qui Iohannis nomen usurparunt (Iohannis I—XXIII) scripsit *S. Troickij* qui Iohannem XI asserit filium fuisse Sergii III et Maroziae (col. 66), quod saltem ut dubium proponendum erat; cf. *Knöpfler*, Lehrbuch der Kirchengeschichte, Friburgi, 1898. p. 292. Praeclare de Iohanne Cassiano disseruit archimandrita Theodorus *Pozděevskij* (col. 71 - 85) qui anno 1902 Kazanii edidit thesim de doctrinis asceticis Cassiani. I. *Palmov* vitam conscripsit Iohannis Nepomuceni (col. 85—87), quem fabulosum virum dicit. Hic Iohannes „persona mythologica“ est (лицо миѳическое) p. 86. Adiungit Iesuitas ipsum effinxisse ut populum Bohemicum a cultu Iohannis Hus abstraherent! Iohannem Nepomucenum, quem martyrem sigilli sacramentalis catholici venerantur non alium fuisse tenet ac Ioannes de Pomuk, vicarium generalem Pragensem († 1393). Meum non est audaces assertiones Russici scriptoris ad trutinam revocare. Satis mihi meminisse quae diserte et erudite de hac controversia scripsit P. Theodor Schmude S. I. Studien über den hl. Iohannes von Nepomuk, Zeitschrift für katholische Theologie, VII, 1883, p. 52—123 et quae in Sl. Litt. th. III, 97—100 recentissime exposita sunt. De Iohanne III Vasilevič (1440—1505) et Iohanne IV, cognomento Terribili (1530—1584) fuse disserit *A. V. Popov* (col. 116—132). Protoierevs *Th. Titov* biographias conscripsit Iohannis Višenskij († 1630) et Iohannis Pociei († 1666) quin in notis bibliographicis mentionem iniciat operum Illmi. Eduardi *Likowski*. Optima est dissertatio biographica et litteraria Iohannis *Pokrovskij*, in qua res gestae scriptaque theologica et canonica Iohannis Sokolovii, episcopi urbis Smolensk († 1869) recensentur (col. 141—156). *V. Rybinskij*, exegeticarum investigationum peritissimus, de libro Iob, disseruit, ipsius originem, tempus compositionis, habitum historium diiudicans. (col. 200—213).

Eiusdem est etiam notitia exegetica de libro Ionae (257—264). L. Dr. *I. Sokolov* de insulis Ioniis (Ἑπτάνησος) fuse disserit (col. 292—312). Quaedam in eis desiderantur de relationibus inter Graecos et Latinos. Quae de historia religiosa harum insularum scripsit *Spiridion de Biagiis* in Ἁρμονία ignorat auctor. Nomina quorundam scriptorum qui praesertim de Corcyra egerunt, (Antonius Caucus, Mustoxydis, Rodochanakis) non memorantur. Vitam S. Iosaphat Kuncevič (1580—1623) conscripsit protoierevs *Th. Titov*. Acerbe invehitur Titov in hunc martyrem unionis qui „saevis vexationibus orthodoxorum catholicis quoque invisum se reddidit." Eius occisionem scelus quidem fuisse, ait auctor; attamen culpandos negat esse orthodoxos, qui tot vexationibus lacessiti, furori indulserunt. Quodammodo dici debet ipsum Iosaphat sibi mortem conscivisse. In nota quadam P. *Tyčinin*, dubitat de authenticitate reliquiarum huius martyris (col. 341—342).

Specialem merentur mentionem etiam notitiae de Iosepho Patriarcha (col. 342—353 = *V. Protopopov*); Iosepho Flavio (col. 356—367 = archim. *Ioseph Petrovyh*, qui anno 1903 thesim edidit de historia populi Iudaici ex scriptis Iosephi Flavii desumpta). Huic notitiae *M. Muretov* adiungit eruditam expositionem de testimonio Iosephi Flavii pro Christo (col. 367—378), ne tamen suam sententiam clare tradit. Iosephum Flavium Christianos Essenorum sectae accensuisse tenet. Mirum nobis videtur quod in brevi capite de Iosepho Bryennio Dr. *I. Sokolov* nullam iniecit mentionem praeclarae dissertationis, quam de vita scriptisque eius *Arsenius* episcopus edidit in Prav. Obozrěnie, t. II, 1879, p. 85—138; 403—450, vel dissertationis *Meyeri* in Byzantinische Zeitschrift, 1896, t. V, p. 74—111. Cf. quae scripsimus in Dictionnaire de Théologie catholique, t. II. col. 1156—1161. Fusius quam par est vitam et acta politico-ecclesiastica Iosephi II imperatoris Austriae, tractavit P. Sokolov (col. 396—423), auctor theseos De reformata per eum Ecclesia, Petropoli, 1892. Nimis videtur abundare in laudibus Iosephi II. Vitam Iosephi Volockij (1440—1515) historiamque celebris monasterii Volokamsk ab eo conditi scripsere *A. V. Popov*, et prof. *V. Žmakin* (col. 425—437). *V. Zavitnevič* de Iosepho Sěmaško, metropolita Lithuaniae († 1868), cuius nomen maximos dolores ac lacrymas Ecclesiae Ruthenicae unitae excitat, egit. Ut ceteri Russici scriptores miris laudibus extollitur in hac notitia Sěmaško, cuius artes ut unionis in Russia ruinam pararet scriptores catholici detexerunt. Episcopus *Kirion*, de Georgianis studiis apprime benemeritus, vitam concinnavit Platonis Iosseliani, qui primam Historiam Georgianae Ecclesiae exaravit. Dolendum quidem accuratiorem elenchum operum huis scriptoris ipsum non composuisse, neque locum neque annum indicasse librorum quos ab eo conscriptos nominat. Unam tantum refert editionem Historiae Ecclesiae Georgianae cum nobis constet eam bis editam esse. De Iuda Apostolo eiusque encyclica, quam authenticam contra protestantes ostendit, disseruit *D. Bogdaševskij* (col. 520—528): de regno Iudaico (531—546) protoierevs *Th. Petrovskij*; de Iudaea geographice spectata archim. Ioseph *Petrovyh* (546—554): de

sectis iudaizantium earumque hodiernis conditionibus in Russia *I. Gromoglasov* (col. 560—567). Prof. *L. Pisarev* accurate scripsit de vita operibusque S. Iustini martyris, ac Russicos diligenter recensuit auctores qui de eo egerunt. Utinam hoc exemplum sequantur ceteri scriptores qui Encyclopaediae operam navant!

Originem Kaabae apud Musulmanos sedulo enarravit *P. Žuzé,* Arabicae linguae et religionis Islamicae peritissimus lector in Academia Kazanensi (col. 597—606) deque Kabbala erudite exposuit *I. Troickij* qui pariter linguam ac litteraturam Hebraicam apprime callet. (Col. 612—624). Vitam Constantini Kavelin (1818—1885), qui claram famam ut cultor iuris ac philosophiae in Russia sibi comparavit, conscripsit *I. Ščedrov* (col. 633—640) qui theorias ipsius exponit. De Caucasi rebus ad religionem atque gentes describendas pertinentibus egerent *S. Runkevič* et *A. Ḫaḫanov* (col. 641—654), nulla diligentia adhibita, ut candide loquamur, in deligendis notitiis historicis quae ad hanc regionem pertinent. Nihil fere praefati scriptores dixerunt de origine christianae religionis in Caucaso, nihil de eius vicissitudinibus, nihil de missionibus atque administratione ecclesiastica. Ḫaḫanov quattuor vel quinque tantum opera citat minimi pretii, seseque abstinet a memorandis praeclaris scriptis *Iosselian, Iordani, Žjanašvili, Takaišvili, Kirion* etc. *I. Troickij* complura eaque nova de Hebraica quam vocant Kahal collegit, quae ab Encyclopaedia theologica videri possunt aliena. Sinceras merentur laudes *I. Pokrovskij* et *P. Voznesenskij* pro optimis commentationibus historicis ad eparchiam et antiquam Academiam Kazanensem spectantibus (col. 683—820). Nihil quidem in hisce, quod maximam diligentiam auctorum in memoriis colligendis non manifestet. Pokrovskij praesertim graphice depingit huius temporis conditiones huius eparchiae, quae caput est missionum Russicarum inter infideles. De monasteriorum Kazanensium historia, ecclesiis, episcopis, scholis, seminariis etc. omnimodis adhibitis fontibus, disserit. Speramus fore ut eius insistat vestigiis qui in aliquo ex proximis voluminibus de urbe Kiovia aget.

Paucis in casuistica explicanda versatur *A. Bronzov,* qui improbandus est in eo, quod acerbioribus interdum verbis atque ironicis viros afficiat qui maxima pollent veneratione in Ecclesia Catholica, ut verbigratia S. Alphonsus de Ligorio. Hunc vocat всецѣлый iезуитъ. Nimii etiam penditur auctoritas Hoensbroechii, cuius libri acerrimum redolent odium in Ecclesiam Catholicam. Fatemur quidem atque improbamus excessus, ac pravas interdum theorias casuisticas: oportet tamen meminisse quantum ad progressum theoreticum et practicum moralis christianae contulerint theologi morales in Occidente. Idem scriptor de Caio Romano (II aut III saeculo) erudite disserit. Miserrimam commentatiunculam de Calabria conscripsit Gregorius *Proḫorov* (col. 855—861). Sufficiat animadvertere *P.* ignorare opera maximi momenti quae de Calabria scripserunt *Rodota, Morisani, Minasi, Baltifol* etc. Eo magis censoria virgula notandus est, quia paucis abhinc annis in Виз. Временникъ totam bibliographiam quae ad Calabriam Byzantinam spectat sedulo collegi. Etiam Russorum, qui de hac re scripserunt nomina tacet auctor, verbigratia *Vasil'ev*, t. X (1903), p. 281—303.

Ultimo de Kalendario deque eius reformatione in Russia erudite scribit *B. Javorskij,* cuius caput ditissima bibliographia maxime ex scriptis c. P. Tondini munivit Glubokovskij (col. 872 893).

Sine ira et studio diximus sententiam nostram de lacunis, quas deprehendimus in hoc volumine. Encyclopaedia, orthodoxa, ni fallor, propositum habet demonstrandi floridum sacrarum disciplinarum cultum in Russia, et simul praebendi accuratam segetem notitiarum tum Russis, tum alienigenis. Ut duplicem hunc finem consequatur oportet praesertim ea, quae ad Ecclesiam orthodoxum pertinent, tum Graecam tum Slavicas, diligenter atque erudite conscripta sint. Hoc tamen semper non evenit, non quidem ex defectu doctorum virorum, quibus abundat Russica ecclesia, sed fortassè ex necessitate edendi singulis annis unum volumen. Si lacunae, quas memoravimus, non explentur, valde timendum est ne orthodoxa encyclopaedia, tum apud Russos tum apud exteros, ut opus perfunctorie scriptum, pro vili habeatur.

In tomo VIII, Presbyter *A. Glagolev* auctor est articuli de kalendario biblicohebraico et iudaico (col. 1—8), quem ditissimis notis bibliographicis Glubokovskij exornavit. Loquitur de computatione chronologica, quâ Iudaei usi sunt, praesertim de mensibus. *B. Grudgev* collegit notitias, quae spectant vulgo dictos Калики, quo nomine antiquitus designabantur russi peregrinatores in Loca Sancta. De sacris horum hymnis et cantionibus disserit auctor (col. 12—22). Professor *I. Sokolov* vitam narrat ac res gestas quinque Patriarcharum Constantinopoleos, qui Callinici nomen habuerunt, scilicet: Callinicus I. (693—705); II. († 1702); III. († 1726); IV. († 1792); V. (1801—1806; 1808—1809). Auctor praeclare scit historiam hodiernam Ecclesiae Graecae, nec non Byzantinam. Maior interdum àccuratio adhibenda esset in citatis bibliographicis; paginas praesertim iuvaret indicare operum, quae adducuntur. Prolixior videtur biographia Callinici II. (col. 30—45), in qua doctus auctor documenta recenset ab eo promulgata quidque in eis contineatur edisserit. Vitam Callixti I., Romani Pontificis (217—222) conscripsit presbyter Nicolaus *Popov,* qui sententias tum defensorum tum adversariorum eius refert neque tamen disquirit, veraene sint accusationes, quae contra eum in opere Philosophumenon leguntur, an non. Idem scriptor vitas exposuit Callixti II. et III. (65—71), et Prof. *I. Sokolov* de duobus agit Patriarchis Byzantinis, qui eodem nomine referuntur (Callixtus I. (1350—54; 1355—63, et Callixtus II., 1397; col. 71—79). *S. Runkevič* compendium historicum digerit eparchiae Kalugensis (109—135), cuius etiam sanctos et monasteria enumerat. Maximi momenti est index materiarum, quae in periodico Калужскія епархіальныя Вѣдомости iam inde ab anno 1863 ad nostra usque tempora tractantur. De Calvino et Calvinismo fuse disserit *A. Běljaev* (140—176). Memoratu digna est comparatio, quam auctor instituit inter Calvinum et Lutherum. Ille magis comiter et moderate quam hic cum theologis catholicis disputavit. Plebeias facetias et scurrilitates, quibus Lutheri scripta referta sunt, Calvinus evitavit. Prior passionibus maxime indulgebat, alter vero principiis theologicis praecipue utebatur. Claritas ac soliditas et nexus logicus argumentorum apparent in eius operibus.

Summatim etiam Calvinianae doctrinae capita auctor enucleat. I. Morev de opere Камень вѣры metropolitae Stephani Iavorskii (col. 187—193) quod magni pretii est in historia theologiae polemicae contra protestantes, disserit. Hoc opus, quod influxum theologiae catholicae valde redolet, minutiori analysi iam subiecerat cl. auctor in thesi, quam typis vulgavit Petropoli anno 1904. *Καμιλαυκίου*, quo pilo utuntur presbyteri orthodoxi, originem, formam, usum discutit *A. Petrovskij* (205—208). Prolixior est dissertatio, quam prot. *N. Eleonskij* in studium gemmarum in Sacris Scripturis impendit (208—223). De Thoma Campanella eiusque philosophicis sententiis disserit *I. Kvačala*, qui fusiorem eius biographiam in Ephemeride Ministerii publicae Instructionis evulgavit. De Novae eparchiae Kamčatka historiam breviter narrat *S. Runkevič* (230—235). *E. Temnikovskij* loquitur de canonisatione Sanctorum (252—268) conditionesque enumerat, quibus aliquis declarari possit sanctus, et discrepantias innuit inter Ecclesiam Romanam et Graecam relate ad sanctos.

Praecipui articuli canonem in variis suis singnificationibus illustrant. De Canone veteris et Novi Testamenti loquuntur *P. Jungerov* et *D. Bogdaševskij* (274—315), et quid in hac re sentiant tum catholici, tum protestantes, tum orthodoxi, exponunt. Plures dissertatiunculas de canonibus, prout in iure canonico prostant, in lucem edidit professor *I. Berdnikov* (315—388; 398—435). Loquitur primum de canone; deinde de canonibus, quos dicunt *Κανόνες τῶν Ἁγίων Ἀποστόλων*, conciliorumque tum oecumenicorum tum provincialium ab Ecclesia orthodoxa receptorum, sanctorumque Patrum enumerat, atque explicat. Editiones orthodoxas citat. Diligentiam atque eruditionem Emi Cardin. Pitra in edendis iuris canonici Graecorum monumentis laudat, dolens tamen ipsum acerrimum fuisse papistam (крайній папистъ), et hac de causa nimis acerbe *Πηδάλιον* Graecae ecclesiae vituperasse. Transeuntes ad alia animadvertimus praeclarum historicum Lebedev scripsisse, quidquid de Latinis *Πηδάλιον* vulgaverit absurdis fabulis scatere (Исторія греко-восточной церкви подъ властію Турокъ, Petropoli 1903, p. 567—569). Post brevem tractationem de canonibus in ecclesia Latina, doctus vir sensum practicum canonum determinat, et quo pacto eis utatur ecclesia orthodoxa. Disserit deinde de canone, prout significat *τυπικὸν* monasteriorum, vel *ἐπιτιμίαν*; de voce *κανονικόν*, de vita canonica. de inquisitione aut probatione canonica (*κανονικὴ ἐξέτασις, δοκιμασία*), de epistolis canonicis, de responsionibus canonicis, de iure canonico, ac breve optimumque dat compendium historiae iuris canonici in Russia. Iudicium acerbum fert de Compendio Iuris Canonici a *N. Suvorov* exarato, quia exponat doctrinas scriptorum catholicorum et protestantium, non tamen eas refellat argumentis orthodoxis. Insuper in potioribus quaestionibus circa iurisdictionem, relationes inter Ecclesiam et regimen civile etc. sententiis protestantium aperte favet. Opinor haec non sine partium studio dicta, quia opus Suvorovii inter praeclariora eiusdem generis recensendum est. De canonibus ecclesiasticis disserit *M. Krasnožen* (388—398), de canone in liturgia *A. Petrovskij*, pro liturgia orthodoxa, et *S. Zarin* pro catholica

(435—448), et de canonibus ecclesiasticis Apostolorum *L. Pisarev.* Optimam de Kantio eiusque doctrina dissertationem conscripsit *S. Glagolev,* in qua demonstrat Kantianum systema bona cum falsis miscere atque apertis verbis existentiam Dei animaeque immortalitatem tutari (460—480). *S. Sergievskij* brevem contexit historiam cancellariae Ssmae Synodi Petropolitanae, quae instituta est decreto imperiali die 13. iunii 1722. (483—515). Quaedam de capitulis in ecclesia catholica tradit *P. Smirnov,* et in ecclesia ruthenica *A. Sitkevič.* Pr. Platon *Kulakovskij* vitam narrat V. Karadžič (1787 - 1864) reformatoris Serbicae orthographiae, et traductoris novi evangelii in patriam linguam (566—582). De Iudaeis karaimitis, qui reperiuntur in Crimaea, disserit *B. Voroncov* (582—590). Parvum et miserum articulum de Cardinalibus conscripsit *A. Popov.* (605—612.) Auctor asserit nescio qua ratione suffultus „Romanum Pontificem quasi nulla potiri auctoritate contra sacrum Collegium, ac purpuratos Patres de facto suis in manibus gerere sceptrum, quod theoretice ad Papam pertinet! Mirum praeterea videtur ei cardinales diaconos (!), licet diaconos, missam celebrare sicut presbyteros (!), quod disertissimis verbis prohibetur a canone XXIII. quarti concilii oecumenici. Hic canon loquitur de monachis apostatis! *A. Petrovskij* systema gnoseologicum exponit Michaelis Karinskii, qui primatum tenet inter criticos Kantianae philosophiae (612 622). Notitiam metropoleos Karlowicensis exaravit presbyter serbicus *D. Jakšić* quae tamen perfunctorie tractata est, praesertim in citatis bibliographicis (638—643). Clauditur volumen appendice litterae L., quae continet articulum celeberrimi prof. *A. Lebedev* de primitiva hierarchia christiana (672—686). Doctus scriptor censet, quae theologi sentiunt in hac re, scilicet hierarchiam immediate a Iesu Christo procedere, testimonio historico non confirmari. Hoc nititur probare exorsus ab episcopatu. Contendit S. Iacobum primum episcopum Ierusalem non fuisse, sed ordinatorem tantum ecclesiae Hierosolymitanae. Nullas reperiri notitias de origine episcoporum in Sacris Scripturis ac tantum hypotheses dari. De presbyteris atque diaconis loquitur deinde Lebedev, cuius sententiae quibusdam forte videbuntur audaces. De Iuda Iscariote agit Dr. *Bogdaševskij,* qui in Bog. Věstnik fuse hoc idem thema evolvit (686—692). De seminario ecclesiastico et Academia ecclesiastica in urbe Kazanio disserit *K. Harlampovič* (692—853), qui numeris omnibus absolutam, licet prolixiorem, dissertationem nobis exhibet. Agitur praesertim de historia novae periodi huius Academiae (1842—1907) deque hodierno statu et compositione fuse disseritur. Speramus, quae in ceteris voluminibus de reliquis Academiis ecclesiasticis scribentur, tam copiosam materiarum egetem tamque apte dispositam nobis prolatura esse.

Quorundam etiam scriptorum, qui adhuc inter vivos sunt, notitias biographicas exhibet Encyclopaedia. Maximae est igitur utilitatis ad diiudicandum statum praesentem litteraturae sacrae in Russia. Si quaedam minus recta in ipsa deprehenderis, hoc vitio vertendum non est clarissimo viro Dr. Glubokovskij, qui saepius articulos aliorum suis complet investigationibus. In opere enim encyclopaedico paleae simul

cum frumento reperiuntur commixtae, nosque vehementer optamus, ut paleis, combustis bonum verae doctrinae Christi fidelibus orthodoxae ecclesiae Encyclopaedia largiatur. *A. Palmieri.*

ТРУДЫ КІЕВСКОЙ ДУХОВНОЙ АКАДЕМІИ. 1906. Tom tretij.

D. Bogdaševskij, Tajnaja večerja Gospoda našego Iisusa Hrista (Cena arcana Domini Nostri Iesu Christi). Pg. 1—29.

Quaedam adnotationes, lucem textui s. evangelii, quo mysteria ultimae cenae describuntur, adferentes, ex historia, ex archaeologia atque exegesi proponuntur.

Primum de die Cenae Domini quaeritur. Si legis priores tres evangelistas, diem primum azymorum eundem esse putabis ac diem Paschatis (s. Matth. 26, 17; s. Marc. 14, 12; s. Luc. 22, 1, 7). Sed quomodo hoc fieri potuerit, non liquet, cum dies primus azymorum iuxta legem 15. Nisan fuerit, Pascha vero vespere 14. Nisan agitatum sit? Aetate apostolorum non 15. sed iam 14. Nisan dies primus azymorum celebrabatur, neque 7 sed 8 dies azymorum numerabantur. Ios. Flavius (Antiquit. II., 15, 1) et Talmud (Pesach. IX., 5) hunc usum novum exhibent. Hinc diem primum azymorum ab evangelistis eundem dici ac diem Paschatis, facile perspicitur. Mos hic inductus est inde, quod 14. Nisan omnis panis fermentatus domi consumi debuit. Quare cena Domini fer. V. cum paschate Iudaico coincidit. Sed superest s. Ioannes, qui scribit 13, 1: »Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα«. Hic ergo cena Domini ante diem paschae, non ipso die paschae celebrata esse dicitur. Alio loco rem amplius tractaturus in praesens auctor respondet: Illud »ante diem paschae« referendum est ad finem sententiae »in finem dilexit eos« non ad »sciens Iesus«. — Singulatim dein totus rerum ordo, incipiendo a miraculosa discipulorum ad pascha praeparandum missione usque ad discessum in Oliveti montem describitur, excepta una sacerdotali Christi oratione. Duae res uberius paululum explanantur, altera est ritus, quo pascha apud Iudaeos agebatur, altera est proditor, eiusque rationes tradendi Christum. Licet Iudas morbo communi politici cuiusdam nationalismi Iudaici affectus, fidem inde in Christum ut verum Messiam amiserit (docet Muretov, Iuda predatel', in Bogoslov. Věstn. 1905, kn. 1; 7–8; 9), tamen avaritia potissimum ductus est, ut Christum traderet. Nimis clare evangelia de hac re loquuntur. Adfuitne proditor, cum Dominus cenam Eucharistiae institueret? S. Lucas Christum primum Eucharistiam instituisse, dein Iudae consilium denudasse, denique ambitioni discipulorum occurrisse narrat. Hunc ordinem *B.* non existimat esse chronologicum. Iuxta s. Matth. et Marc. prius detexit proditorem et postea Eucharistiam instituit. S. Ioannes vero narrat Christum lavisse pedes et dein Iudae animum detexisse. Ex quibus concluditur, Iudam ante institutam Eucharistiam abiisse. Laudandum est studium eiusdem, quo veritates revelatas contra rationalismum et protestantismum (v. g. Harnack) defendit; praeterea notitia et usus litteraturae recentioris; denique mens, ut videtur, catholica. Conceditur omnino, ritum consecrandi in azymo, quamquam Christus Dominus id fecit, non pertinere ad essentiam verae ecclesiae Christi; quare illa distinctio »de spiritu et littera, quae occidit« et superflua est neque rem evincit, cum eodem iure negetur.

A. Dolivo-Dobrovolskij, Bekonovy pčelki (p. 29—66) (Baconii apiculae).

Conspectu quodam de scientiis profanis exponitur, quis earum nunc status sit quidve ad religiosum sensum promovendum conferant. Ne quaerat lector profundiorem vel copiosiorem notitiam; neque haec mens auctoris fuit. Potius breviter simul et clare disciplinas diversas

naturales et philosophicas perlustrat, earum progressum ac statum praesentem indicat, quomodo scientia huius aevi non luce mentem perfundat sed potius dissipet atque dolore et pudore afficiat, cum vera scientia, religioni inserviat, ingenioso stilo depingit.

Physica nostra de essentiis rerum claritatem non affert, eas non dilucidat. Vis, electricitas, lux, quis est, quid sint, sciat? Numquid quae obscura sunt, nova obscuritate clariora fient? Physicae universim obiectum sunt phaenomena tantum, non essentiae rerum. — Spencer, Scheffer, Worms, Nietzsche, Bouglé, Wundt, Sigwart (pro psychologia), Sergi, Lô-Lanteque, Haeckel, Harvard, Lange (pro biologia) vivide, clare, breviter adumbrantur, ac partim refutantur, e. g. biologi nonnulli, qui obligationem moralem (»est, ergo esse debet«) vel ideam pulchri (ex utili: Kurmel, Grivo) sine spirituali anima declarare nituntur. »Summa scientiae« strenuum adversarium in chimia nacta est (Lilienfeld aliique); item mechanica in scientia, quae energica dicitur. — Neque disciplinae naturales leges esse absolute necessarias, unquam demonstraverunt. neque »statistica« sociologorum libertatem humanam excludit, cum in legibus moralibus fundetur. — Si hypothesis hypothesi cedit, num mens humana propius ad veritatem accedit? Nullo modo. Nam hypothesis una et altera falsa esse potest. Quid ergo tot in scientiis hypotheses? Cum pura a posteriore deductio fieri nequeat, cum insuper hypothesis via ad veritatem detegendam esse possit, utiles ac necessariae sunt. Sed magnopere attendendum est, non ontologicum sed methodologicum valorem iis competere. Nonnunquam hypothesis aliqua partim vera, partim falsa est. Ita e. g. Haeckelii systema sane deridetur, tamen quidam evolutionismus admitti potest. Denique ut scientiae magis vitae prosint, medicinas vulneribus aevi nostri afferant, legibus vitae studeant, quod iam Leibniz, Cartesius, Lotze postulaverunt, id valde optandum, immo omnino necesse est. — Moderatus usus scientiae, quomodo artibus inserviat, quis ignoret? Quomodo doctrina ideas musicae, poësi, aliisque musis suppeditet, notum sane est. Neque contra religionem militat scientia vera. Non timet eam apologetica; quae nunc directe solvi neqeunt, paululum prolapso tempore, forte solventur. Praeclare Gratry ex astronomia Deum eiusque immensitatem ob oculos ponit.

A. Dmitrievskij, Russkie athonskie monaħi-kellioty i iħ prositel'nyja o milostyně pis'ma, razsylaemyja po Rossii (De monachis Russicis, in cellulis montis Athonis habitantibus eorumque epistolis mendicantibus per Russiam missis) p. 67—108.

Plures monachi quos »kellioty«, cellularum habitatores nuncupant, exercitum Russicum, sponte inservientes aegrotis militibus durante bello Orientali comitati sunt, si ipsis credere vis. Finito bello epistolis per totam Russiam sparsis de vulneribus acceptis et de egestate sua lamentati largam stipem a simplici plebe elicuerunt. Quare auctor de genere horum hominum, eorum vita, consiliis, mente in coetu Kioviensi religioso, qui eruditioni latius propagandae inservit, 9. Oct. 1905 sermonem habuit. Pauca notare sufficiet. In Athone 20 monasteria per totum montem diffusa, ex omnibus nationibus frequentata exstant. Quae duplicis generis sunt; vel stricte monasticae disciplinae, quos coenobitas dicunt, vel liberioris disciplinae, qui »idioritmy« vocantur. Ex utroque ordine senes, bene meriti de monasterio, residuum dierum, limen monasterii transgressi, in cellula una vel etiam pluribus singillatim quisque degunt. Victus melior, labor pro viribus et voluntate, hortulus proprius, famuli ex monasterio, observantia regulae monasticae levis. Quare »kellioty« a cella vocantur. Ab his illae epistolae prodierunt. Eorum egestatem saepissime fictam esse, iam ex hucusque dictis facile concluditur. —

A. Ja. Roždestvenskij, Analis XXXIX. členov věry anglikanskoj cerkvi. (p. 217—245). Pars altera.

Articulus X. »De libero arbitrio.

Ea est hominis post lapsum Adae condicio, ut sese naturalibus suis viribus et bonis operibus ad fidem et invocationem Dei convertere ac praeparare non possit: quare absque gratia Dei, quae per Christum est, nos praeveniente, ut velimus, et cooperante dum volumus, ad pietatis opera facienda, quae Deo grata sint et accepta, nihil valemus«.

Articulus hic X. anno 1552/3 a verbis coepit: »absque gratia« et fere cum loco illo s. Augustini congruebat: »Sine illo operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bonae pietatis opera nihil valemus«. August. De gratia et lib. arb., c. XVII. cf. Browne p. 253 n. 2; Hardwick p. 397—8. Pars antecedens a. 1562 a Parkero addita, deprompta est ex Conf. Wittemb., De peccato: »Quod autem nonnulli affirmant, homini post lapsum tantam animi integritatem relictam, ut possit sese naturalibus suis viribus et bonis operibus ad fidem et invocationem Dei convertere ac praeparare, haud obscure pugnat cum apostolica doctrina et cum vero Ecclesiae catholicae consensu« (Corpus et syntagma, P. II. p. 103). Quae pars eo consilio addita est, ut hunc articulum cum praecedente coniungat et protestanticum colorem, quem prae se ferebat, minuat. Ex eodem fine conciliandi partes extremas sibi adversantes articulus X. de gratia a Parkero a. 1552/3 omissus est. — Quod analysim attinet, primo notandum est, inscriptionem non plene iis quae articulo continentur respondere. Articulus enim non tam de libertate quam de necessitate gratiae ad salutem loquitur, qua in re catholici et protestantes consenserunt. Potissimum discrimen inter illos fuit in relatione gratiae ad facultates naturales; et quoad hoc articulus ambiguitate utitur. — »Ea est hominis — non possit (I. pars)«: Articulus verbo »praeparare« doctrinam catholicam hoc de capite reicit. Conc. Trid. libertatem admittens, non de motibus liberi arbitrii absque gratia sed sub gratia loquitur. Opera porro sine gratia peracta non eo ipso iam peccata sensu proprio appellat (Cons Trid. sess. VI. can. IV., V., IX. Ibid. can. I., III., VII.) Art. in lapso homine libertatem silentio tegit et possibilitatem conversionis hominis ad Deum quae solis viribus naturalibus absque gratia fiat, negat; de hoc ultimo Cons. Trid. tacet. Cum tamen articulus non omne bonum naturalibus facultatibus hominis deneget et exinde ipsum Deo appropinquare posse admittat, ambigue loquitur. Aliquas porro partes libertati etiam ipse articulus, dum de gratia cooperante mentio inicitur, tribuere videtur. Conc. Trident. sess. VI. cp. V. can. IV., IX. in opere iustificationis homini non meram passivitatem sed etiam activitatem tribuit: »libere assentiendo et cooperando«. Sed protestantibus cooperatio est influxus, cui tantum passio respondet. Processus renovationis tantummodo per virtutem Spiritus sancti exclusa omni libertate perficitur. »Lutherus affirmat, hominem in conversione sua pure passive se habere, id est, plane nihil agere, sed tantum pati id, quod Deus in ipso agit (Form. Conc. P. II. art. II. § 89).« »Et in posterum tantum boni et tamdiu bonum operatur, quantum et quamdiu Spiritus Dei impellit (ibid. § 63)«. Reformatores seu Calvini asseclae non quidem omnem cooperationem seu activitatem negant virium naturalium hominis sub influxu gratiae, sed libertatem, cum gratia sit irresistibilis, necessario destruunt viamque ad absolutam praedeterminationem parant (cf. Confessio et expos. fidei Christianae [vide Corpus et syntagma confess. ed. Genevae 1654 p. 13] cp. IX.). Articulus supra positus terminum »cooperare« continet, sed non ad libertatem naturalem seu elevatam applicat, verum ad gratiam, quo in casu non apparet: 1. quid illud »cooperare« spectet; 2. utrum influxus gratiae antecedentis et comitantis necessarius sit ad possibilitatem operum bonorum generatim vel ad eorum acceptabilitatem apud Deum (»quae grata sint et accepta«). In textu Anglicano articulorum anni 1571 termino »cooperante« respondet »operante nobiscum«; articuli vero anni 1553, 1563 et Parkeri compositio a. 1571 »operante in nobis« dicunt, quorum alterum pro-

testanticum, primum catholicum sensum exhibet. Articuli Irlandici a. 1615 et collectio theologorum puritanorum »working with us« (ex a. 1643) reliquerunt.

Articulus XI. »De hominis iustificatione.

Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri Iesu Christi, per fidem, non propter opera et merita nostra, iusti coram Deo reputamur: quare sola fide nos iustificari, doctrina est saluberrima ac consolationis plenissima, ut in Homilia de iustificatione hominis fusius explicatur«.

Articulus hic constat duabus partibus, desumptis ex diversis fontibus primo a. 1562 a Parkero coniunctis. Qui fontes sunt Conf. Wittemb., De iustificatione: »Homo enim fit Deo acceptus et reputatur coram eo iustus propter solum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem (Corpus et syntagma confess. p. 104). Alter vero est Confess. August. art. IV.: »Item docent, quod homines non possint iustificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satis fecit. Hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso«. Discrimen inter artic., de quo loquimur atque Conf. Wittemb. in eo est, quod prior de modo, quo »iusti« coram Deo evadamus, loquitur, alter insuper, quomodo »accepti« fiamus. A Confir. August. differt, quod non »fiduciae« iustificationem attribuit. — Altera pars articuli cum XI. ex 42 anni 1553 similitudinem exhibet et simul cum articulo hac de re a praelatis cath. et protest. in conventu Ratisbonensi confecto. Art. a. 1541 habet: »per fidem vivam et efficacem« art. vero a. 1553: ex sola fide I. Christi — eo sensu, quo explicatur in homilia de iustificatione. Art. hic habet »sola fide« et tanquam ratio et fundamentum huius rei non ponitur consensus cum doctrina s. scripturae vel ratione (art. a. 1541) sed tantummodo momentum practicum i. e. quod sit doctrina »saluberrima et consolationis plenissima«. — Argumentum articuli loquitur solum de iuridica parte (de iustificatione) ipsius processus, non de sanctificatione et rectificatione. Sed etiam quoad iuridicam partem nimis indeterminata proferuntur, ut nemo de eius sensu catholico vel protestantico decidere possit. De iustificatione nempe generatim tantum agitur omissis differentiis, quae sunt inter cath. et Luth. ex una parte, et reformatos ex altera parte, et quae ex admissa vel negata libertate oriuntur. »Propter meritum Christi«, ita art. noster, »per fidem . . . non propter opera et merita nostra«. Sed etiam catholici merita solum vi gratiae Dei et meritorum Christi admittunt (Conc. Trid. Sess. VI. cp. XVI. et can. XXXII.). Si sub »iusti reputamur« solum primum momentum iustificationis, scil. iuridicum intelligitur, quo quis »censetur, reputatur et pronuntiatur a iudice iustus«, neque indicatur, utrum ipse an alter pro ipso postulatis iustitiae satisfecerit, in hoc casu non est oppositio fidei ad opera bona, quae referuntur ad alterum momentum processus. Conc. Trid. vocem »reputare« non reicit, sed existimat eam insufficientem ad exprimendum totum processum iustificationis. Quo sensu in articulo dicatur »reputare iustum«, utrum sensu catholico an Lutherano, id ex inciso addito »per fidem« erui debet. Sed ibi non exprimitur, utrum fides formata, viva et efficax, an informis (fiducia) supponatur. Illud »sola fide iustificari« huius articuli tripliciter potest sumi: »tantum propter meritum Christi a) per fidem efficacem acceptum, apprehensum, amplexum (catholici); b) per fidem, cum credunt etc. (informem) acceptum, apprehensum, amplexum (Lutherani); c) per fidem efficacem receptum, comprehensum, allatum (Calviniani) — iusti coram Deo reputamur«. Conc. Trid. eos anathematizat, qui contenti »sola fide« opera bona excludunt (Sess. VI., can. IX.). — Artic. denique catholico sensu vix explicari potest. Protestantismum enim fontium suorum externe et interne retinet. Quare puritani theo-

logi a. 1646 eum omnino suis consentire doctrinis declaraverunt et solum modum iustificationis coram Deo non satis exprimi putaverunt.

Articulus XII. »De bonis operibus.

»Bona opera, quae sunt fructus fidei et iustificatos sequuntur, quanquam peccata nostra expiare et divini iudicii severitatem ferre non possunt, Deo tamen grata sunt et accepta in Christo, atque ex vera et viva fide necessario profluunt, ut plane ex illis aeque fides viva cognosci possit, atque arbor ex fructu indicari.«

Articulus hic a. 1562 in confessionem eccl. Anglicanae assumptus est, neque sunt articuli antiquiores, quibuscum conferri possit. Cur ille tam sero compositus sit, cum ex momento practico tum ex peculiari dissensione ea de re inter ipsos Lutheranos vigente, potissimum explicatur. Scriptores Anglici fontem huius articuli in Confess. Wittemb. (Corpus et syntagma confess. p. 106) vident: »Non est autem sentiendum, quod iis bonis operibus, quae nos fecimus, in iudicio Dei, ubi agitur de expiatione peccatorum, et placatione divinae irae, ac merito aeternae salutis, confidendum sit. Omnia enim bona opera, quae nos facimus, sunt imperfecta, nec possunt severitatem divini iudicii ferre.« Sed non obstante quadam externa utriusque articuli convenientia, essentiales tamen reperiuntur differentiae:

1. Cum Witt. Conf. de omnibus bonis operibus hominum loquatur, Anglicana de iis solum, quae fructus fidei sunt et iustificationem sequuntur, mentionem facit. 2. Conf Witt. valorem bonorum operum et quoad iustificationem et quoad »meritum aeternae salutis« reicit; Anglic. prius illud solum explicite negat. 3. Prior Conf. bona opera reicit ut imperfecta, unde severitatem divini iudicii ferre non possunt. Sed art. Angl. opera bona »grata et accepta in Christo« vocat, ac »ferre severitatem Divini iudicii non posse« eo sensu sumi potest, acsi peccata delere et iram Dei avertere non possint. 4 Conf. Witt. relationem bonorum operum ad fidem non exprimit, id quod in art. Angl. invenies. — Si spectamus ea, quae art. continet, videmus eum non docere, omnia opera bona fructus fidei esse ac sequi iustificatum.

Sed non loquitur articulus de aliis operibus bonis. »Fructus fidei« et sensu bono sumi potest et sensu protestantico: ut necessarii effectus fidei bona opera sint. Conf. et expos. christ fidei cap. XVI: »Opera necessario ex fide progignuntur.« —

N. K. Makkavejskij, Problema vospitanija po Spenceru (Str. 461 - 495). Cf. Trudy, August. Sept 1906.

Spencer ipse, se non plenum tractatum de educatione scribere velle, in opere de hoc argumento composito fatetur; re vera solum ad quaestiones principales paedagogicas responsum accipies.

Prima quaestio principalis est de fine educationis. Hunc auctor in eo ponit, ut hominem pro vita praeparet, disponat vel formet. Sed eiusmodi finis nimis est latus et indeterminatus. Ducimur ad quaestionem alteram: Ad qualem vitam? Ad id reponit Sp: vitam ut plenam vivat. Sed quae est illa vita plena? Ubi est norma eius et criterium? Ideo Sp. id, quod vita humana continet, analysi subicit et sequentes classes statuit activitatis, quibus vita plena constituatur: 1. illa genera activitatis, quae immediate sui conservationi serviunt. 2. quae necessitatibus huius vitae provident et mediate sui conservationi serviunt. 3. Quae in educandis et instruendis posteris versantur. 4. Quae relationes sociales et politicas constituunt. 5. Quibus denique homines otium implent et quae animum delectant. — Secundo loco Sp. de mediis ad finem obtinendum agit. In scientia debita, in doctrina et disciplina intellectuali singulis activitatis classibus respondenti potissimum medium ponit. Primae classi, sui scil. conservationi, optime fere ab ipsa iam natura provisum est. Tota hac in re educatio hoc fere absolvitur, ut vigor et usus virium naturalium acquiratur. Quoad alias classes Sp. varios defectus enumerat, quibus scholae recentiores

laborant, cum omittant partim disciplinas futurae vitae utilissimas, partim eas non accommodate ad finem tradant. Tertio loco Sp. methodum designat, qua finis in praxi obtineatur. Hinc de educatione sub triplici agit respectu: quatenus est rationalis, moralis, physica. Quoad rationem excolendam has statuit regulas. Debet educatio procedere: 1. a simplici ad complexum et ab homogeno ad heterogenum 2. ab indeterminato ad determinatum 3. a concreto ad abstractum 4. modo conformi, quo se in toto genere humano evolvit vita intellectualis 5. ab experientia exteriore ad rationem 6. propria cuiusque industria et conatu in scientia acquirenda 7. methodo discipulis grata et accepta. (Continuabitur.)

S. T. Golubev, Objasnitel'nye paragrafy po istorii zapadno-russkoj cerkvi. p.

D. Krylovskij, a. 1904 edidit: »Lvovskoe stavropigialnoe bratstvo« (Fraternitus Leonina s. Synodo immediate subdita). Ultimo capite huic operi catalogus additus est »librorum sacrorum (scil. ecclesiasticorum) Slavicorum« impressorum in typographia huius societatis ab origine eius usque ad a. 1722 incl. Professor *Titov* perlustrans archivum Kieviense (typographskij archiv Kievo-Pečerskoj Lavry) et archivum Moscoviense (archiv Moskovskoj Sinodalnoj Tipographii) 18 editiones a Krylovskio omissas, a societate, quam diximus, typis impressas invenit. —

E lucubrationibus III[i]. tomi commemoramus etiam has: *V. Z. Zavitnevič* crisi subicit laborem Berdnikovii: »Quomodo futura synodus sit constituenda (p. 136—186).« — *P. M. Krasin* de educatione in seminariis tractat (p. 186—209). — *N. I. Petrov* de academia Kioviensi sub imperatrice Ekaterina II. (a. 1762—1796) disserit (p. 245—298). *V. N. Malinin* de indole et operibus Th. M. Dostoevskii (p. 545—578).

O. Židek.

S. Glagolev: **Materija i duh. — De materia et spiritu.** 1906 pag. 181.

(Introductio). Spiritualismo, cuius culmen est religio christiana, opponitur iam ab antiquissimis temporibus doctrina in omnibus mundi partibus existens, quae statuit morte finiri omnia et prudentem eum esse, qui utatur hoc mundo neque curet de altero.

Fundamentum philosophicum materialismi est dependentia omnium mentis functionum a corpore. *G.* igitur proponit sibi inquirere, cuinam sententiae faveat praesens status scientiae, et quales existimari possint futurae relationes inter corpus et animam.

(Pars I. De materia). Quattuor capitibus explicantur diversae opiniones de principio materiali; characteristicas *G.* dicit esse theorias tres, quas proposuerunt Hirn, Ostwald, Lebon. Hinc transit ad sententias de spatio et tempore, excludens subiectivismum Kantii et ultimo explicat possibilitatem quartae dimensionis. Concludit nos huc usque admodum pauca scire de primis physicis principiis rerum. Maior pars auctorum quidem convenit de duobus, de materia et energia, in aliis autem magna est discrepantia.

G. ipse alienus est a realismo Aristotelis. Corpora putat esse vacuam superficiem, limitem energiarum. Placet ei theoria quartae dimensionis, utpote quae det novam explicationem naturae caloris, lucis etc. Energiae secus ac corpora possunt esse complures simul: suntque vere plures, et theoria de unica energia excluditur ut falsa. Immo diversae sunt energiae, quae excitant in nobis diversas sensationes (lucis, sonitus), non sola vibratio vel motus localis. Logico nexu pariter negatur

conversio unius energiae in alteram. Cognitionem mundi nostram fatetur esse quidem mancam, sed tamen nos cognoscere aliquid reale et modo nostris necessitatibus sufficienti. Ceterum est spes hunc naturalem defectum nostrorum sensuum aliquando diminutum iri.

(II. pars. De anima). Primum caput inscribitur De relatione inter animam et corpus. *G.* 1. refutat duas materialisticas opiniones: animam esse functionem materiae et atomos omnes habere principium psychicum, e quorum combinatione resultet anima humana. De hac re agit simili modo ac nostri auctores. 2. Strictum illum nexum inter animam et corpus etiam huius temporis scriptores explicant nexu, qui intercedit inter agentem et instrumentum. Cerebrum est quidam intermediator inter motum localem et sensationem. Concludit hoc caput animadversione, quam bene explicetur haec relatio, si ponamus corpus esse limitem actionis diversarum energiarum.

Caput secundum est de origine vitae. Fuse et cum magna eruditione sicut etiam aliis locis *G.* probat omne vivum esse a vivo. Praeprimis placent illae paginae, ubi ostendit, quam inaniter celebrata sint famosa „radiobia“ I. Burke.

Capite tertio „Duo genera viventium“ *G.* specificam distinctionem inter animalia et plantas reponit in facultate movendi se et sentiendi. Inter animalia a brutis distinguitur homo. Discrimen potissimum est duplex. Deest brutis loquela. Radix, cur bruta sint aloga, est, quia anima eorum non potest se reflectere supra se ipsam suosque actus. Verba enim exprimunt logicas relationes inter ipsos conceptus. Animal autem non cognoscit suam cognitionem et sic non habet, quid dicat. Alterum discrimen est in eo positum, quod solus homo cognoscit invisibilem legem moralem eique subiectus est et in religione, quam habet solus homo.

Quarto capite agitur de proprietatibus animae humanae. Anima est sensitiva, ratiocinativa, appetitiva et libera. Libertatem describit *G.* similiter ac nostrae scholae. Pulchre eam probat e sensu communi, quo sentimus rationem esse a nobis reddendam. Quilibet homo est una, realis et indivisa persona, in se quasi inclusa, sed tamen habens vim etiam in alterum, quae vis apparet praeter alia in suggestione. Concluditur pulchris verbis de christiano conceptu libertatis personae, quae acquiri potest plena evolutione individui, perfectione cognitionis et voluntatis, ut homo sit independens. Huic autem convenire debet evolutio moralis, quae respicit nostras obligationes erga proximos. Talem libertatem, quae sola felicitatem potest mundo afferre, fovet religio christiana secundum verba illa: Ubi spiritus Domini, ibi libertas.

Quinto et sexto capite victoria spiritus de materia tractatur. Omnia paulatim cedunt dominio spiritus. Ostenditur hoc tota historia mundi ab aetate azoa usque ad prima vestigia vitae, quae semper invalescebat usque ad hominem. Tota natura exhibet quandam praeparationem ad excipiendum primum hominem — quod signum est materiam ad hoc dirigi, ut sit subiecta spiritui. Haec dant *G.* ansam ad coniecturas — ut ita dicam mysticas — de futuris eventibus hominum. Progressus humani generis erit perpetuus. Deus ipse eum dirigit. Tempus, quo tota cultura possit deleri, non veniet.

Is progressus non finitur in sepulchro. Anima est immortalis — breviter id ostenditur hic ex intimo sensu communi utpote optimo argumento. Veniet in hoc progressu continuo tempus, quo natura purgabitur ab omni vi noxia et tota serviet hominibus, id quod legimus iam multis sanctis evenisse.

Terminus huius progressus et plena victoria erit in resurrectione mortuorum. Dr. *J. Pořický.*

Православный Собесѣдникъ (Pravoslavnyj Sobesědnik) 190.

Jungerov, P., Proisḫoždenie Psaltiri. (De origine Psalterii.) II. 177—194. Nomina in initio multorum Psalmorum inscripta ostendunt nobis indubie etiam eorum auctores. Ex Psalmis sine talibus inscriptionibus habent Ps. 10, 32, 70, 90, 94, 95 et ex parte 104, 105 Davidem, Ps. 131 Salomonem auctorem. In aliis Psalmis non possumus quidem hodie nomen auctoris eruere, sed ex argumento sunt certis epochis adscribendi: Ps. 65, 66, 91 tempori Ezechielis, 92, 96—99 aetati Manassis et Josiae, 101, 104, 105 Babylonico exilio, quo finito conscripti sunt Ps. 106, 110—120, 122, 124—125, 127-129, 133—136, 145-150.

Singuli Psalmi principio non colligebantur in unum librum, sed in varias collectiones ad liturgicum, religiosum, historicum vel alium finem confectas, quas omnes Esdras collegit et ad exemplar Pentateuchi Moysis in quinque partes divisit canonique V. T. adiunxit.

Episkop *Aleksij*, Vizantijskie cerkovnye mistiki 14—20 věka (Mystici in ecclesia Byzantina saec. XIV.) I. 98-108, 224—240, 409—428, II. 120—141. Inter mysticos orientalis ecclesiae ab a. 1330—1350 praecipue eminant Gregorius Palama et Nicolaus Kavasila in monasterio montis Athonis et Gregorius Sinaiticus in monte Sinai, quorum vita et doctrina descripta ostendit, quae ideae religiosae, morales, doctrinales apud eorum coaevos iu orientalibus monasteriis viguerint.

Jungerov, P., Proisḫoždenie knigi Pritčej. (De origine libri Proverbiorum) III. 161—174. Praeter alia etiam argumentum libri indicat Salomonem eorum auctorem; nam multa proverbia ibidem prolata deprompta esse videntur ex ipsius experientia, prout possumus iudicare e vita eius in Sacra Scriptura descripta. Nullae inveniiuntur graves causae, ex quibus a nonnullis scriptoribus pars 22, 17—24, 22 Salomoni abiudicatur. Versum 24, 23, in cuius verbis גם אלה לחכמים critici alios auctores proverbiorum legere volunt, vertit veteroslavica versio cum LXX verbis: »сія глаголю вамъ смысленнымъ разумѣми«, clare exponens, quod Salomon in sequentibus versibus »ad (filium) et sapientes« (Vulgata) loquitur. In v. 30, 1 et 31, 1 praebet Jungerov maiorem fidem lectioni LXX quam textui Hebraico, ideoque nihil obstat, quominus etiam ultima duo capita Salomonem auctorem habeant, cum nonnulla verba et dictiones (stylus) cum antecedenti argumento congruant. Sed distinguendum est inter proverbia Salomonis et librum Proverbiorum Salomonis. Priora 1 24 capita Salomon ipse ex maiore collectione (cfr. III. Reg. 4, 32—33) excerpsisse et ordinasse, quod opus viri Ezechielis complevissent atque canoni V. T. adiecissent, videtur, prout clare expressum est in Slavica versione 25, 1: »сія Притчи Соломони бывшія нерасположенны, яже списаша друзи Езекіи, цара іудейска.«

Jungerov, P., Proisḫoždenie knigi Ekklesiast. (De origine libri Ecclesiastes) III. 321—337. Sequenda est traditio, quae librum Salomoni adscribit. Obiectiones a novissimis scriptoribus factae non sunt graves, argumentum congruens tempori et ceteris scriptis Salomonis et stylus testantur pro Salomone rege.

Baženov, I., Otličitel'nyj ḫarakter i dostoinstva istoriografii v četvertom Evangelii. (De proprietate ac dignitate

historiographiae quarti evangelii) III. 473—503, 585—610. Delineatur breve argumentum characteristicum et principales ideae evangeliorum synopticorum, a quibus origo et finis ideoque etiam electio materiae descriptae in quarto evangelio apologetico-dogmatico distinguuntur. Dispositio totius libri, quam auctor fuse explicat, ordo idearum maxima ex parte enarratarum ad eundem finem, nempe ad demonstrandam fidem in Iesum Christum tamquam Filium Dei, descriptio originis et progressus inimicitiarum atque odii Iudaeorum et in altera parte incrementi fidei discipulorum character sermonum Divini Salvatoris declarant unitatem totius libri. Narratio vitae Iesu Christi prout propositum scriptoris exposcebat, est solummodo fragmentaria supponens nec non supplens evangelia synoptica; ubi autem res in iisdem iam commemoratae repetuntur, necessarium hoc s. Iohanni ad assequendum suum propositum videtur.

Subiectivismus in quarto evangelio, qui criticis ansam ad varias falsas hypotheses dedit, explicandus est e psychologico processu ipsius auctoris, qui ex autopsia facta sermonesque Magistri sui et ex parte suam ipsius vitam describit: »Pisatel', kak samoočevidec i samoučastnik istorii, soobrazno svoemu ḫarakteru i vsemu duḫovnomu skladu, soobščil svoemu Evangeliju ličnyj ottěnok: vse ono dyšet estestvennym jazykom něžnago, dobrago serdca, zvučit tonom iskrennago čuvstva. Izlagaja evangel'skuju istoriju, Ioann kak by vvodit v nee sebja, vnutrenno učastvuet v pověstvovanii; serdce ego prinimaet neposredstvennoe učastie v izobražaemyḫ sobytijaḫ, i potomu on ne možet ḫolodno, ravnodušno peredavat' osobenno trogajuščija ego dušu sobytija i rěči Spasitelja, otsjuda že izloženie Evangelija sil'no dějstvuet na čuvstvo čitatelja. Pri izloženii glubokyḫ i nepostižimyḫ tain on sam javljaetsja kak by rukovoditelem, davaja ključ k urazuměniju iḫ i opreděljaja dlja čitatelja samyj obraz zrěnija na predmety učenija. Ot dobroty i teploty čuvstva on často prisovokupljaet ot sebja uže izvěstnyja nam kratkija zaměčanija dlja pojasnenija.«

Jungerov, P., Proisḫoždenie knigi Pěsn' Pěsnej. (De origine libri Cantici Canticorum) III. 522—530. Unitatem totius libri exigunt eaedem personae ibidem agentes earumque semper idem poëticus typus, character argumenti et dispositionis, unitas loci, formae, linguae, descriptionis, similitudo poëticarum figurarum generis dicendi idearumque toto libro contentarum. Inscriptio libri, personae agentes, salus publica, felicitas civium, fertilitas terrae, divitiae, splendor, magnificentia, geographia in libro descriptae, multae aliae res ibidem commemoratae nec non similis stylus cum libro Proverbiorum ostendunt Salomonem fuisse auctorem libri Cantici Canticorum, et quidem vel in senectute sua vel in plenitudine annorum. Canonicitas libri in ecclesia Russica numquam in dubium vocabatur. *Ad. Jašek.*

Извѣстія русскаго археологическаго института въ Константинополѣ. (Izvěstija russkago arheologičeskago instituta v Konstantinopolě) Communicationes instituti archaeologici Russorum Constantinopoli, ann. IX. pars 1—3. Sophiae 1904.

Institutum Russorum archaeologicum Constantinopolitanum pro antiquitatibus Byzantinis indagandis fundatum, magna iam auctoritate fruitur inter doctos viros propter elucubrationes quotannis in lucem editas In volumine a nobis — sero quidem propter varias occasiones — recensito inquisitio doctissimi secretarii instituti praelaudati, Cl. D. B. A. Pančenko de iure rurali Byzantii continetur. (De proprietate rurali Byzantii. De iure agrario et documentis monasteriorum) p. 1—234. Leper complures inscriptiones publici iuris facit, in quibus septem christianae indolis et antiquissimae praesertim eminent 235—260. J.

Pargoire, qui interim e vita decessit, cum scientia singulari et methodo admirabili de situ ecclesiae s. Mamae Constantinopoli „Les Saint-Mamas de Constantinople“ 261—316. inquirit duosque titulos huius nominis aliquando fuisse demonstrat, primum in littore extra urbem, loco, qui hodie Bešiktaš nuncupatur, alterum in urbe prope postam Belgrad-Kapon nuncupatam. Th. Uspenskij, Nikifor Theotoki i Lejpcigskoe izdanie tolkovanij na Vos'miknižie“ p. 317—341, de commentario ad Octateuchum a. 1722 Lipsiae edito disserit et, cum chirographum tunc prelo subiectum interierit, eius indolem cum alio chirographo a Russis nuper (a. 1902) Constantinopoli invento comparat. Ultimo loco 342—396 Pančenko catalogum omnium bullarum plumbearum, quae in musaeo Instituti asservantur, nobis proponit et idem secretarius denique de Instituti publicis sessionibus, excursionibus, laboribus quibuscumque refert, in quibus praesertim notandum, quotannis inter stipendiatos, qui vocantur, unum, qui munus theologici professoris appetit, recipi debere.

Marburgi. Dr. *Stegenšek.*

Dm. Cvětaev, **Положеніе иновѣрія въ Россіи (Položenie inověrija v Rossii)** De statu eorum, qui in Russia religionem orthodoxam non profitentur.

C. ostendere conatur edictum illud 26. die Februarii a. 1903, quo iam libertas conscientiae illorum imperii Russici subditorum, qui orthodoxam religionem non profitentur, solidioribus fundamentis niti videbatur, revera non fuisse quidquam novum vel in Russia insolitum, sed gubernii Russici modum constantem agendi in hac provincia ostendebat. Dein hanc sententiam argumentis historicis fulciri conatur.

Dr. *Leonini.*

M. Krasnožen, **Границы вѣротерпимости (Granicy věroterpimosti)** Limites tolerantiae in materia religionis. Юрьевъ (Jur'ev) 1906, pp. 8.

Agitur de edicto illo imperatoris die 17. Aprilis an. 1905. *K.* quibusdam nuntiis historicis ostendit imperium Russiacum semper advenis plenam libertatem conscientiae reliquisse. Unde et post decretum 17. Aprilis status advenarum, qui orthodoxam fidem non profitentur, idem manet, sed libertas illis concessa nondum inducit completam in iuribus cum ecclesia orthodoxa aequalitatem. Haec semper religio status remanet neque potest tolerari, ut fideles orthodoxi ad alias confessiones libere transeant. Sed in qua re igitur reposita est libertas illa decreto Imperatoris proclamata?! Dr. *Leonini.*

A. I. Jacimirskij, **Григорій Цамблакъ (Grigorij Camblak).** Очеркъ его жизни, административной и книжной дѣятельности. Спб. (Имп. Акад. Наукъ) 1904. VI + 501 pag.

Amplum hoc et doctrinae plenum opus ad historiam ecclesiasticam pertinet. Gregorius, metropolita Kioviensis, in occidente maxime ex rebus in Concilio Constantiensi gestis notus est. Eum Bulgarum (Filaret, Обзоръ русской духовной литературы, Spb. 1884, p. 103 Serbum

appellavit) fuisse natione, natum Ternoviae, mortuum Kioviae post annum 1450 hic docte exponitur. Favoris catholicismi insimulatum Jacimirskij purgat et defendit. Inter scripta eius (sermones potissimum) memoria dignus est sermo de fide Germanorum, ubi 35 differentiae inter Latinos et Orthodoxos enumerantur. Alius sermo in cena Domini habitus agit de Iudaeis et azymis.

Praeter vitam huius metropolitae tractantur in hoc libro etiam initia christianismi in Rumenia, Moldaviae relatio ad patriarchas oecumenicos, primordia litterarum gentis Slavicae etc. *B.*

Dušepoleznoe Čtenie 1906. M.

N. D. Kaškin, Mysli o russkoj cerkovnoj muzykě I, 83—97; 198—209.

V. Javorskij, Prepodobnyj Makarij Žabynskij, Bělevskij čudotvorec, »Vozgraditel« Žabynskoj pustyni, i ego proslavlenie. I, 153—159; 222—229.

V. A. Bystrickij, Preosvjaščennyj Grigorij upravljajuščij Moskovskim Donskim stavropigial'nym monastyrem, byvšij episcop Omskij i Semipalatinskij. I, 99—108; 237—244; 417—422.

M. Čefranov, Blažennyj Sofronij, 3j episkop Irkutskij I, 261—271; II, 112—123; 237—249; 457 - 465; 556 - 566; III, 130—141; 253—264.

M. Pokrovskij, Mitropolit Moskovskoj Filaret i duȟovnyja školy I, 465—469; 601—609; II, 65—84; 255—273; 423 - 434; III, 110 - 129.

A. Rěčmenskij, O znamennom raspěvě. II, 56—64.

M. M. Tarěev, Tolstovskija kolonii. III, 239—252; 331—341.

Io. Govjadovskij, Učenie sv. Ioanna Zlatousta o sobstvennosti III, 412—428; 523—543.

Vas. Vinogradov, Platon Mitropolit Moskovskij, za cerkovno-istoričeskoj rabotoj III, 602—625.

Dušepoleznoe Čtenie 1907. Moskva.

Iz Zapisok preosvjaščennago Leonida, arȟiepiskopa Jaroslavskago I, 3—6; 169—185; 323—335. II, 3—18; 159—175; 309—324; 455—475; III, 3 - 11, 137—153; 295—306.

A. P. Lebedev, Uroki i priměry iz istorii drevniȟ soborov priměnitel'no k predstojaščemu vserossijskomu soboru. I, 21—62.

A. Titov, Arȟierei Petrovskoj epoȟi v iȟ perepiskě s Petrom Velikim I, 89—100; 221—243; 549—557.

Io. Govjadovskij, Učenie sv. Ioanna Zlatousta o sobstvennosti I, 101—113; 196—208; 372—388; 605—613.

Pis'ma arȟiepiskopa Kalužskago Grigorija k igumenii Nikitskago monastyrja Paisii I, 114—118; 288 - 290; 404—406.

Iv. Nikolin, Nravstvennost' i nauka o nravstvennosti I, 127—135

Iv. Nikolin, Čto takoe nravstvennost'? I, 260—268.

Iv. Nikolin, Vseobščnost' i edinstvo nravstvennosti. II, 22—29.

Iv. Nikolin, Nravstvennaja ocěnka II, 176—184.

Iv. Nikolin, O nravstvennom dolgě II, 483—496.

Iv. Nikolin, Estestvennoe soveršenstvo i nravstvennoe soveršenstvovanie III. 31 - 40.

Iv. Nikolin, Nravstvennost' i religija III, 196—203.

Iv. Nikolin, Nravstvennost' i svobooa voli III, 330—339.

Iv. Nikolin, Nravstvennost' i socializm III, 485—497.

A. A. Titov, Arȟiepiskop Kamenec-Podol'skij Kirill i otzyv ego, v kakom smyslè dolžno razumět' knigu »Pèsn' Pěsnej« i čto ona soderžit. III, 386—397.

A. P. Malcev, Izcělenie po molitvě k prepodobnomu Serafimu Sarovskomu čudotvorcu I, 186—195.

M. Čefranov, Blažennyj Sofronij, 3j episkop Irkutskij I, 269—273; II, 128—136; 231—236; 560—568; III, 104—111; 240—246.

A. P. Lebedev, Predstojaščij vserossijskij sobor s točki zrěnija drevnih soborov I, 336—359.

Al. Vvedenskij, Pessimizm teorii i optimizm žizni. Opyt hara kteristiki mirosozercanija Gartmana v cělom. I, 407—424; 584—604.

D. I. Vvedenskij, Blagodatnyj Sarovskij cělitel'. I, 511—516.

Vl. Sokolov, Legenda o prepod. Iosifě Volokolamskom I, 558—567.

N. A. Kolosov, Filosofija bezreligioznago otčajanija (»Žizn' čelověka« Leonida Andreeva) II, 97—110.

A. A. Titov, Istorija Manjavskago skita s ego osnovanija do zakrytija (1611—1785 gg.) II, 213—230; 404—420; 523—538; III, 23—30.

Dim. Vvedenskij, Knjaginja-podvižnica (Pamjati prepodobnoj Evfrosinii) II, 338—350.

Io. Pospělov, Nepravda Rimsko-katolikov III, 112—122.

Io. Pospělov, Nepravda Ljuteran III, 220—239.

BULGARICA.

Прѣглед (Prěgled) 1907—1908 (annus I.).

Prěgled editur Sophiae semel in mense pretio pro externis 4 fr. vel una cum »Crъkov. Věst.« 13 fr. Nr. 1—3.

V. N. Zlatarski, Vprosъt za bъlgarski patrijarh prěd papata v 866 g. (Quaestio de patriarcha Bulgaris concedendo ad papam a. 866 directa) pag. 24—31.

Inter 106 responsa Nicolai papae ad consulta Bulgarorum quattuor respiciunt patriarcham, quo Boris Bulgaros a Nicolao I. donatum iri sperabat. Sed quaestiones, ait auctor, non hoc ordine ad papam missae sunt, qui in responsis servatur (72, 73, 92, 93), sed qui erat a Boris servatus ordo, a Nicolao de industria mutatus est, quo ipse in dandis responsis liberior esset neve voluntatem Borisii logice sequens preces eius explere cogeretur. Haec nempe Boris quaerebat: (92) Quot sunt veri patriarchae? (93) Qui patriarcha honore subsequitur Romanum? (73) Quis habet potestatem constituendi patriarcham? (72) Potestne Bulgarorum ecclesia patriarchae honore exornari?

Omnis, inquit *Z.*, Borisii cura illuc ferebatur, quomodo ecclesiam undecumque liberam redderet.

Non ignorans pontificem Romanum patriarcham Const. agnoscere, etsi non ab apostolis haec ecclesia originem ducat, ut etiam sibi talis patriarcha concedatur petit, qualem Const. habeat. Hoc modo Bulgari ecclesiasticae dignitatis eundem gradum tenerent ac Graeci; inde et politica aequalitas consequeretur. Consulto 73. Boris scire vult, quis patriarchas secundae classis constituendi potestatem habeat. Nicolaus hic logice progredi desistens potius explicat, in quali necessitudine hic, sive patriarcha sit sive episcopus, cum sede Romana manere debeat, ut Boris omni spe destituatur fore, ut ecclesia omnino sui iuris evadat. Quare Boris Constantinopolim conversus inde etsi non patriarcha tamen archiepiscopo accepto ecclesiam liberam reddidit, quae solum concilio oecumenico, non uni personae subdita erat.

Dr. *Stef. Cankov,* Naučno filosofskitě izvodi i sznanieto na Boženstvoto (Systemata philosophica et agnitio Dei) 33—39.

C. idealistarum, praesertim Hegeli, theistarum, pantheistarum, atheistarum systemata exponit.

D. Mišev, Bolgaritě i Grcitě (Relatio Bulgarorum ad Graecos) pag. 40—47.

Consilium a Boris (852—888) initum constituendi populum et ecclesiam liberam a successoribus quoque eius tenebatur. Bellum a Simeon (927—968) inceptum gessit secundo Marte Samuel (978—1014),

qui omnes Bulgaros in paeninsula in unum regnum coniuncturus cum Basilio rege Graeco (976—1025) pugnare debuit. Graecis e Bulgaria fugatis regnum Bulgarorum restituit. Trnovo cum scholis et monasteriis suis erat caput omnis culturae Bulgaris, Serbis, Russis etc., donec Turcae a Graecis vocati hos ipsos et Bulgaros dicionis suae fecerunt.

Sub imperio Turcarum patriarcha Const. talibus privilegiis fruebatur, qualia ne prius quidem habuerat Quo facto populus et patriarchae Graeci omnem potestatem in alias christianas nationes exercebant; itaque hae politicam una cum ecclesiastica independentiam amiserunt. Omnia erant eis cum Graecis communia: nomen, lingua, cultus. Euthymio patriarcha e Trnovo expulso Graecus natione ut exarcha sedem occupavit. Bibliothecae cum Bulgaricis libris auctoribus Graecis igne consumptae sunt. — Eandem materiam tractat *Gr. Trubeckoj* Gallica lingua in »Revue d' histoire diplomatique«, cuius argumentum D. Mišev sub titulo »Bъlgarskata shizma« exponit; pag. 56—60, 159—167.

Lěskovskija mъnastir sv. Peter i Pavel (Monasterium ss. Petri et Pauli in Leskovec in Bulgaria) pag. 93–98.

Quo tempore et per quem hoc monasterium constitutum sit, nulla tradunt scripta documenta, at sermone hominum posteris memoriae traditum est id vetustum et historici momenti esse. Duae res pretiosae in hoc monasterio servantur: manus s. Onuphrii, argentea a. 1623 a duce Ioanne Ratul et s. evangelium a Petro Magno a. 1718. huic monasterio donata. A. 1878. hic seminarium clericale ss. Petri et Pauli (Petropavlovskata duhovna seminarija) conditum est.

A. P. Stoilov, Iz deinostъta na Neofita Bozveli i smrtъta mu. (De Neophyti Bozveli rebus gestis eiusque morte.) pag. 84—93, 144—152.

Monachus Bozveli omnibus viribus et modis conabatur id assequi, ut ecclesia Bulgarica Bulgarica liturgia Deum coleret et ut Constantinopoli pro sacerdotibus Bulgarica schola erigeretur. Anno 1839. in exsilium pulsus, 1840 denuo reversus opus inchoatum persequebatur; 1845. iterum in exsilium missus in monasterio Hilendar 1848. e vivis decessit. Omnes Neophyti res gestas auctor ex documentis in hoc monasterio inventis illustrat et confirmat.

Cъrkoven Vĕstnik 1907 (Sofia n. 23—52.)

Dr. *Stef. Cankov,* Zakonъt Boži i našata država (De institutione religiosa in Bulgaria) n. 23—47.

Status ut institutio moralis, *C.* asserit, morali quoque eruditioni subditorum curam impendere debet Lex ergo divina colenda est in omnibus institutis, quae ad erudiendos cives sunt erecta. Attamen magistri alius aliud tamquam veritatem proponentes hoc tempore censent religionem in scholis non habere locum. Proinde status bonos et religiosos magistros habeat, curet ut officia sua adimpleat. Leges in scholis religionem tractandam praecipientes non ignorante statu nemo respicit. Historicam solum evolutionem religionis christianae Šišmanov minister doceri permisit. Ergo tria status relate ad religionem debet: docere historiam ecclesiasticam denuo instituere philosophiam religionis (umozritelno bogoslovie), ethicam christianam proponere. Item in militaribus institutis moralem educationem negligi nefas esse auctor addit. Haec quaestio ab aliis quoque scriptoribus in hoc periodico pluries tractatur.

Dr. *Stef. Cankov,* Arhiepiskop Menini pak za unija govori. Dr. Stef. Cankov vehementer in archiep. Menini invectus est:

»Penitus catholicismo historice se evolventi inhaeret consilium, quod eo tendit, ut totus orbis christianus oboediat monarchisticae Romani pontificis potentiae. Huic consilio adscribendum est, quod scissus est orbis christianus, quod protestantismus exortus, quod dogma factum est illud insolens et erroneum catholicorum principium de in-

fallibilitate pontificis. Hoc catholicorum consilium fundamentum quoque est omnis violentiae, qua Roma catholica orientem orthodoxum sub unicam Romani »infallibilis« episcopi potestatem redigere conatur.

Galicia quoque iam est catholica; qua gente uniti Galiciae episcopi ab ultracatholico imperatore Austriaco deputati utuntur, ut eius auxilio »schismaticum« orientem reddant catholicum. Andreas Septeckij, qui nunc metropolita in Galicia est, libere per Bukovinam orthodoxam vadit, incolisque orthodoxis scribit epistolas pastorales, ut eos cum »una, sancta, catholica ecclesia« uniat.«

Plurimis dein verbis factis conventus ipsius mentio fit. Tum rem inceptam porro tractat.

»Cui actioni Menini archiepiscopum catholicum, Andream Septecki, metropolitam Galiciae, et Olomucensem archiepiscopum catholicum praefuisse »Vaterland« scribit.

Pro Bulgaris res non est tanti momenti, si catholici et uniti archiepiscopi Austriaci conveniunt, ut consilia ineant, quomodo Slavos orthodoxos reddant catholicos. Sed magis ad nos pertinet, quod Menini, episcopus Bulgaris notus, huic proselyticae actioni catholicismi praefuit.

Archiepiscopo Menini iam non est satis, quod vigesimum quintum iam annum occulte et publice in tolerante populo Bulgarorum orthodoxo proselytos quaerere audet. Menini non est contentus ea audacia, qua anno priore nos catholicos redditurus erat (cf. Sl. Litt. th. III, 3.: Cerk. V. 1906 nr. 16, 22—29). Non recte intellexisse vel non admittere videtur, quae populus Bulgaricus sentit et ostendit, iuste indignatus propter maximam iniuriam, qua advena ille Bulgaricam ecclesiam et Bulgaricum populum affecit. Sed quod omnia excedit, Menini nunc trans fines regni Bulgarici profectus est, ut interesset conventui, qui eum finem sibi proposuit, ut catholicos reddat Slavos orientales et inde etiam populum Bulgaricum.

Videant viri, ad quos huius rei cura pertinet, ut haec aliquando finem capiant. Suntne in Bulgaria leges, respiciuntur commoda religiosa et nationalia Bulgarorum an non? Si tales leges existunt, tota Bulgaria clamat et postulat, ut hae privatae et publicae archiepiscopi Menini actiones cessent. Quibus actionibus omnique apud nos catholicismi proselytismo occurrentes ostendere debemus leges apud nos aliquid valere, Bulgaris adhuc honorem et dignitatem inesse, eamque ab his alienigenis respici debere.

Nonne dedecus est, quod in orthodoxa Bulgaria, quae litteras artesque et existentiam nationalem huic fidei orthodoxae debet, homines morantur, qui hanc fidem et leges orthodoxi populi Bulgarici pedibus terunt?«

Tamquam supplementum ad hunc articulum bellicosum in nr. 36 exhibetur obiectiva de conventu Velehradensi relatio ex Russicis »Cerk. Věd.« excerpta (vel fortasse simpliciter translata).

CROATICA.

Stjepan Babunović D. I.: **Veliko obećanje presvetog Srca Isusova ili velika devetnica spasa (De magna promissione ss. Cordis Iesu seu de magna novena salutis).** Zagrabiae 1907. Pag. 222, Pret. 1 cor. 50 h.

Res hoc titulo indicata tractatur potius critice et theologice quam ascetice.

B. proposuit sibi promissionem divini Salvatoris beatae Mariae Margaritae factam de gratia finalis poenitentiae seu perseverantiae

omnibus danda, qui nulla omissa per novem ferias VI.as primas singulorum mensium inter se subsequentium communionem sacram devote susceperint, ab omnibus obiectionibus vindicare et de veritate eius omnibus persuadere.

Praemissis claris notionibus dogmaticis, quid sit miraculum, quae et quotuplex sit visio nec non revelatio, distinctionem elaborat revelationis publicae seu ad salutem necessariae et revelationis privatae. „Magna promissio" est privata revelatio ideoque ad salutem nec est nec esse potest necessaria. Sed quia rationibus undequaque gravibus fulcitur, ideo ab unoquoque tuto credi et salubriter adhiberi potest.

„Magna promissio" data dicitur hominibus per b. Mariam Margaritam Alacoque. Revelationi huic tunc tuto acquiescere possumus, si Dominus Iesus Mariae Margaritae revera eam dedit, si haec eam bene intellexit et accurate notavit, si promissio nostro tempore praedicata authentica est, denique si integra incorruptaque ad nos usque pervenit. Aliis verbis revelationi huic privatae tuto credere possumus, immo debemus, si constat de axiopistia Margaritae necnon de authentia et integritate „magnae promissionis". Criticam hanc disquisitionem de axiopistia, authentia et integritate init auctor in 1. parte libri, quam in 8 capita divisit.

Primum in tuto *B.* confirmat b. Margaritae auctoritatem. Revelatio „magnae promissionis" est privata, ipsi soli data. Tota res igitur inde pendet, num b. M. verum dixerit. Iam probat auctor, eam non esse mentitam utpote vitae sanctitate eminentem, praecipue animi summissione, oboedientia, crucisque ardenti amore. Deinde probat, eam falsis somniis non esse deceptam. Somniatores non sunt humiles nec oboedientes, non acquiescunt correctioni, non habent potestatem prophetandi vel miracula patrandi, non habent rectam cognitionem ecclesiae cultusque divini. Si Maria Margarita elusa seu decepta esset, elusi deceptique essent omnes confessarii eius iique viri strenui et sobrii, omnes superiores et sorores ordinis aliaeque personae notabiles, quae eam noverant. Decepta esset ipsa mater ecclesia, quippe quae Margaritae auctoritate suffulta nova festa pro toto orbe catholico constituerit.

Authentiam „magnae promissionis" probat auctor variis testibus adductis. Rem testatur mater Maria Francisca de Saumaise, cui, cum fuisset olim eius superiorissa, b. Margarita „magnam promissionem" per litteras communicavit. Dein mater Greyfié, item superiorissa, quae vitam Margaritae scripsit. Similiter duae sorores Francisca Rosa Verchère et Peronne Rosa de Fanges, quae vitam Margaritae litteris composuerunt adhibitis eius autobiographia, scriptis superiorum eius, narratione multorum testium, propria experientia. Adfertur manuscriptum Patris Hamon S. I. Ultimo loco commemorat auctor testem summa fide dignum archiepiscopum Languet. Hic vir Margaritam vivam noverat, cum ea colloquia habuerat, post mortem vero ex officio inquisitionem ecclesiasticam instituit de b. Margaritae vita. Languet, episcopus, inquisitor, vir eruditissimus, membrum Academiae Parisiensis, ab ipsis philosophis atheis in honore habitus, vitam Margaritae scripsit, „magnam promissionem" ibi commemorat eamque veram habet.

Similiter probat auctor etiam integritatem huius promissionis seu eam ad nos incorruptam pervenisse. Est quidem verum, promissionem longo tempore orbi catholico ignotam fuisse, usque ad annum 1876., sed huius silentii variae res externae causa fuerunt. Inde ab anno 1876., cum typis editum esset opus de vita et operibus b. Margaritae Parisiis, „magna promissio“ ubique publice praedicatur, et a Summis Pontificibus necnon Congregationibus tacite et indirecte approbatur.

Altera libri huius pars theologica est. Praemissa notione gratiae explicat auctor, gratiam paenitentiae finalis extraordinarium esse donum copiosissimae misericordiae et omnipotentis amoris Dei erga nos. Doctrina catholica est Deum omnibus tribuere gratiam sufficientem, digne petentibus praeterea etiam gratias speciales, sed gratia paenitentiae seu perseverantiae finalis specialissima est, eiusdem pretii atque ipsa beatitudo aeterna, ad quam portam aperit.

Qui rite novenam salutis peregit, si innocentia baptismali privatus non fuerit, gratiam finalis perseverantiae obtinebit; si vero peccata gravia commiserit, moribundus sacerdotem praesto habebit, ut sacramento reconcilietur — sive paenitentiae sive unctionis infirmorum; quodsi accidat, ut sine miraculo ne unctionem quidem infirmorum accipere possit, gratiam contritionem perfectam suo tempore eliciendi obtinebit.

Condiciones gratiam hanc obtinendi sunt cultus ss. Cordis Iesu, digna s. communio eaque suscepta in recompensationem iniuriarum ss. Cordi illatarum, per novem ferias VI. primas quovis mense repetita, nullo mense omisso.

Vere gravis obiectio exurgit ex theologia dogmatica. Revelatum enim esse constat, nemini absolute et infallibiliter persuasum esse posse, se gratiam perseverantiae finalis obtenturum nisi hoc ex revelatione speciali sciat. Atqui „magna promissio“ hanc certitudinem tribuere videtur sine speciali revelatione. — Verum „magna promissio“ non adversatur dogmati, utpote quae hominem non absolute et infallibiliter, sed tantum moraliter et condicionate securum reddat de salute. Etenim variae sunt condiciones explendae, praesertim de digna s. communione, nec quisquam absolute et infallibiliter scire potest, se s. communionem digne suscepisse, cum ignoret, num revera gratia sanctificante donatus sit. Dein, inculcat *B.*, potest homo libero suo arbitrio, etiam hanc specialissimam gratiam finalis paenitentiae in articulo mortis spernere, Deus autem neminem violenter in caelum trahit.

Absoluta critica et theologica parte transit *B.* ad enarrandum, quomodo „magna promissio“ variis in regionibus et populis honoretur et adhibeatur, quinam fructus ex ea populo christiano profluant, et quomodo ss. Cor. Iesu plurimis eventibus magnae suae promissioni se stare ostenderit. Sermonis puritas et genus dicendi sponte sua fusum libro decus afferunt. Dr. *Camillus Dočkal.*

Katolički list. Adornandi cura suscepta a Dr. *Josepho Pazman.* Zagrabiae a. 1907.

Dr. *Jos. Lang.* Prava i prividna smrt i sv. sakramenti (De vera et opinata morte ac de s. sacramentis). N. 1—6.

Iuxta opus Hispanici doctoris Ioh. Bapt. Ferreres nominatus scriptor tractat rem pro theologia pastorali curâque animarum gravissimam. Inquirit nempe momentum, quando homines per separationem animae et corporis revera moriantur ideoque quando iis s. sacramenta administrari possint seu etiam debeant.

Primum *L.* theologice determinat enumeratque casus, in quibus homines supposito statu morti simili salvari per s. sacramenta possint. Triplex casus est possibilis: a) adultus, qui usum rationis nondum habuit, specie tantum mortuus valide baptizari et hinc salvari potest. b) Adultus qui usum rationis possedit votumque baptismi saltem implicite cum attritione habuit rite baptizari ideoque salvari potest. c) Fidelis christianus, qui absque confessione et absque contritione sed cum attritione mortuo similis fit, salvari potest per s. absolutionem et sacramentum unctionis infirmorum (§ 1.). Dein probat *L.*, s. sacramenta administranda esse etiam tunc, cum dubium aliquod licet tenue exstet de vera morte (§ 2.).

His praemissis, allatis auctoritatibus *L.* demonstrat, inter momentum verae mortis et inter momentum quo vulgo putatur homo mori semper effluere aliquod tempus vitae occultae, quae plus minusve diu duret. Deficientibus processibus vitae maioribus et externis (respiratione, sanguinis circulatione, venarum cordisque pulsu) remanent etiam quaedam minores vitae functiones in cellulis eaeque eo diutius, quo cellulae corporis saniores sunt, quod obtingit apud subito mortuos (§ 3).

Ast iam exsurgit quaestio, quaenam sint signa certa et indubia mortis. In § 4. *L.* ostendit, talia non esse nisi inceptam corporis putrefactionem et fortasse rigorem cadavericum. Hinc verosimile est, in repente mortuis vitam occultam latere, donec putrefactio incipiat (§ 5.). Ii qui communibus morbis obeunt, vitam latentem certo dimidiam saltem horae habent (§ 6), immo diutius (duas vel tres horas), si mors novo aliquo morbo accedente prius intercessit, quod frequenter accidit (§ 7.).

Cum ex caritate vel ex iustitia ad proximum salvandum teneamur, sequitur ut corollarium dissertationis, post opinatam mortem specie tenus mortuis sacramentum paenitentiae eoque magis sacramentum extremae unctionis conferendum esse, sacr. paenitentiae sub condicione: si vivis et dispositus es; sacr. extremae unctionis sub condicione: si vivis (§ 8.). Cura salutis proximi imponit nobis officium homines mortuis similes factos ad vitam revocandi, cuius rei studioso ut optimum ab auctore rhytmica linguae tractio commendatur.

Dr. *Fr. baro Salis-Seewis,* Privilegovani oltar u filijalnim crkvama (De altari privilegiato in ecclesiis filialibus). N. 9—10.

In hoc articulo probat Dr. Salis, episcopos, qui a Romano pontifice facultatem acceperint, altare privilegiatum designare in ecclesiis parochialibus, posse idem facere etiam in ecclesiis filialibus, in quibus functiones proprie parochiales quandoque per annum peraguntur.

Dr. *Georgius Cenkić,* Juridični sadržaj pojmova župa, župnik (Quinam sit iuridicus ambitus notionis parochi et parochiae). N. 11—12 et 14.

Quinque res a *C.*, legis canonicae optime perito, hic tanguntur. 1) Etymologia vocis »parochi« enucleatur (a παρὰ οἶκος, incola, stabilis vicinus, et a παρέχειν, tribuere, praestare). 2) Varia denominatio parochi in historia ecclesiastica describitur. 3) Duplex significatio vocis »parochiae« inculcatur (usque ad 3. saec. parochia dioecesim designat, a 3. usque ad 13. saec. et dioecesim et parochiam in sensu strictiore, inde a 13. saec. tantummodo parochiam in sensu stricto, prouti nunc). 4) Origo iuridica parochorum describitur. Parochi non sunt originis divinae nec successores 72 discipulorum, sed instituti ab ecclesia. 5) Notio »parochi« iuridice definitur.

Dr. *Urban Talija,* Mit i povijest, kritika i hiperkritika u Evangjelskoj povijesti (Mythus et historia, scientia critica et hypercritica historiae evangelicae applicata). N. 15—18, 20—32.

Doctor Ragusanus scientificam nobis et doctissimam hic praebet dissertationem de re tempore recenti maxime agitata, historica nempe Evangeliorum veritate. Ut haec Evangeliorum veritas evincatur, mythica vero eorum interpretatio scientiâ reiciatur, inquirit auctor in 1. parte dissertationis, quid sit mythus et quonam modo oriatur. Quintuplex ratio a variis auctoribus traditur ad declarandam originem mythi: systema historico-metaphoricum, cosmo-symbolicum, allegoricum, glottologicum et legendarium. Disquisitione critica horum systematum facta concludit auctor, systemata haec fragmentariam tantum veritatem continere, nec singula nec omnia simul ad omnes mythos intelligendos sufficere. Ast quidquid in re est, hoc certum est, mythos evangeliis applicari nullomodo posse. Hoc probat auctor argumento inductionis interiecto capite de valore inductionis incompletae in doctrina.

Quinque modis oriuntur mythi temporibus historicis. Causa eorum est vel statua quaedam seu imago inexplicabilis vel sermo vivus et poeticus vel linguae indoles vel allegoria vel denique innatum quoddam desiderium in enarrando res gestas transgrediendi limites veritatis, quo res gratiosa amplietur, res vero odiosa in peiore luce ostendatur. Ex argumento inductionis sequitur, iisdem modis, quibus mythi temporibus historicis oriuntur, eos etiam temporibus praehistoricis ortos esse. Iam concludit *T.* existimari posse, mythos tempore praehistorico valorem historiae obtinuisse, ast tempore historico hoc amplius fieri non posse. Etenim etiam nostris temporibus mythi nascuntur de Napoleone, de Garibaldio etc., sed hi mythi historiam corrumpere nequeunt. Sic mythi in evangeliis historiam amovere vel corrumpere non potuerunt, cum tempora maxime iam critica et historica fuerint, et historia evangelica non in angulo obscurissimo terrae praedicaretur, sed ubique et apud omnes nationes et statim divulgaretur.

In 2. parte commentationis suae *T.* varios auctores hypercriticos corrodit, ut Strauss, Rénan, Tolstoj. Eorum doctrinam de historia evangelica per summa puncta ante oculos ponit argumentisque validis breviter refutat.

Dissertatio hoc anno nondum est ad finem perducta, sed qualiscunque est, litteraturam biblicam Croatarum ditavit auctoremque rei peritum demonstravit.

Dr. *Kamilo Dočkal,* Bogoslovni zavodi i crkvena umjetnost. (De archaeologia et historia artis christianae in institutis theologicis). 27—29. 31—32.

Agitur hic de necessitate tradendi archaeologiam et historiam artis christianae in institutis theologicis necnon de methodo tradendi has disciplinas. Hunc in scopum conspectus porrigitur huius studii in lycaeis, seminariis necnon facultatibus universitatum theologicis Austro-Hungariae, Germaniae, Galliae, Belgicae.

Dr. *Juraj Cenkić,* Sudjelovanje katedralnih kanonika kod ordinarijata i oficijalata. (De cooperatione canonicorum ecclesiae cathedralis in munere ordinariatus et officialatus). N. 33—35.

Summa tractatus iuridici haec est, ordinariatum et officialatum non esse specialia et separata munera (magistratus) in regenda dioecesi, sed coetus officialium ab ordinario in adiutorium assumptos; episcopum ut ordinarium posse, sed non debere canonicos in ordinariatum assumere.

D. D., Aberkijev nadgrobni natpis. (Abercii epitaphium). N. 36—41.

Auctor anonymus in sex articulis egregiam nobis dissertationem archaeologicam praebet de epitaphio seu de inscriptione, quam sibi

Abercius quidam Hierapoli vivus circ. a. 216 p. Chr. lapidi sepulcrali insculpi iussit. Inscriptio haec diu parvi pendebatur, cum Simeon Metaphrastes, qui illam in vita sanctorum refert auctor parum criticus haberetur. Sed post novas quasdam inventiones archaeologi probaverunt, epitaphium verum esse maximique momenti pro scientia archaeologica non minus quam theologica. Allata tota inscriptione idiomate Graeco et vernaculo probat auctor characterem christianum inscriptionis, deinde interpretatur singulos versus et verba, collatis sententiis omnium auctorum, qui de re scripserunt. In fine instar corollarii colligit in unum, quidquid pro doctrina christiana ex epitaphio deduci potest. Dissertatio auctorem prodit solidae eruditionis, cui studium archaeologiae et disciplinae patristicae apud Croatas minus cultum maximopere commendatur.

M. P., Dvostruka svečanost Uršulinskoga samostana u Varaždinu (De duplici festivitate monasterii s. Ursulae Varasdini). N. 42—51.

Argumentum non respondet titulo. Agitur imprimis de origine et fatis ordinis s. Ursulae generatim, deinde vero in secunda parte de fatis monasterii s. Ursulae Varasdini in Croatia siti ab eius fundatione usque ad haec tempora. Monographia monasterii Varasdinensis prima est typis edita, hinc non est absque momento, licet in ea multa desiderentur.

M. Beluhan, Modernizam (De modernismo). N. 48. 50.

Secundum P. Iulium Bessmer inquirit auctor, quanam ex causa editum sit decretum pontificium »Lamentabili sane exitu«, quid eo damnetur et quaenam norma credendi et vivendi inde pro nobis sequatur. Dr. *Kam. Dočkal.*

Vrhbosna. Praeest Dr. *Ioannes Šarić.* Ann. XXI. Sarajevo 1907.

Ivan Jablonović, Vikarijat solunski ili papinska vlast na Balkanu. (De vicariatu Thessalonicensi seu de potestate Summi Pontificis in paeninsula Haemo.) N. 5—7.

In hac originali commentatione tractat *J.* rem in historia ecclesiastica parum notam, in compendiis vero historicis, cuiusmodi in scholis usurpantur, ne commemoratam quidem. Tractat nempe fata vicariatus Thessalonicensis, et quidem quinque partibus.

In Parte I. inquirit, qualem ambitum habuerit provincia Illyrica temporis cursu apud Graecos et apud Romanos et quinam populi in Illyria habitaverint. Pars II. describit propagationem religionis christianae necnon erectionem sedium episcopalium in Illyria. Pars III. hierarchicam tractat paeninsulae Haemi constitutionem. In orientali plaga paeninsulae clarissima erat sedes exarchalis Heracleae, quae prius patriarchae Antiocheno, dein Constantinopolitano subiecta erat. In Illyria solus Romanus Pontifex non solum primatialem, verum etiam patriarchalem potestatem exercuit. Cum episcopus »novae Romae« imperatorum ope potestati suae omnes tres exarchos (Ephesi, Ponti, Heracleae) subegisset, etiam metropolitas Illyriae sibi subicere est conatus. Hanc ob causam saec. 4. Pontifex Romanus Thessalonicae vicarium sibi constituit, quo melius per eum iura sua »patriarchalia« super Illyriam exerceret. — In parte IV. Illyria consideratur tamquam obiectum pugnae inter Romam et Constantinopolim. — Pars V. illustrat relationem Pontificis Romani ad Illyriam et ad vicarium Thessalonicensem. Argumentis historicis probatur ius »Patriarchale« Pontificis relate ad dioeceses Illyricas; enumerantur privilegia episcopi Thessalonicensis, qua vicarii Romani Pontificis et enarrantur fata huius vicariatus seu exarchatus usque ad eius interitum. Tempore enim schismatis paulatim omnes nationes in paeninsula a Romano Pontifice defecerunt exceptis Croatis, et in schismate periit etiam vicariatus Thessalonicensis.

Modestus monographiae auctor laude dignus est. Historiae ecclesiasticae nostrarum regionum multum proderit, si eodem modo aliarum quoque maioris momenti sedium episcopalium fata illustrabit.

Ivan Pet. Bok. D. J.: Česta i svakidašnja sv. pričest (De frequenti et quotidiana ss. communione). N. 14—24.

Decretum S. Sedis de quotidiano usu ss. communionis aptam praebuit auctori occasionem scribendi maius opus de frequenti et quotidiana ss. communione. Anno 1907. prodiit in »Vrhbosna« prima ex tribus partibus huius operis. Pars haec continet genesim decreti (20. XII. 1905.) nec non totam historiam quaestionis de frequenti et quotidiana ss. communione, inde a concilio Tridentino, quando quaestio inquiri coepta est, usque ad ultimam decisionem Congregationis. Propositum auctoris est ostendere gravissimum novi decreti momentum ad vitam christianam atque eo conferre, ut quam primum usui salutifero tradatur.

Expositis tribus sententiis principalibus ad solvendam quaestionem de frequenti ss. communione apud divum Thomam (1.) *B.* enarrat, quid de quaestione inveniatur in Tridentino (2.), dein quid de frequenti communione docuerint et fecerint viri clarissimi, concilii Tridentini aequales et ad illud nonnihil pertinentes, prouti s. Carolus Borromaeus (3.), b. Ioannes de Avila, Alphonsus Salmeron (4.) His absolutis transit auctor ad aetatem posttridentinam enumerando sententias v. Ludovici Blosii, s. Philippi Nerii, b. Petri Canisii, s. Francisci Salesii et Antonii Molinae (5) N. 6. *B.* pugnam describit, quae cum Jansenismo exorta est pro frequenti communione et contra eam et quae noxia cum vehementia duravit usque ad decretum Congregationis 12 II. a. 1679. Occasionem et argumentum decreti anni 1679. *B.* explicat n. 7., ubi simul describitur status quaestionis ab anno 1679 usque ad 1905. Jansenistae machinabantur contra decretum, sed plurimae institutiones catholicae (Congregationes Marianae, tertii ordines, exercitia spiritualia, missiones . . .) frequentem communionem magis magisque promovebant. Ultima vestigia Jansenismi latentis destruxit decretum Congregationis de die 20. XII. 1905., quo quaestio peremptorie in favorem frequentis et quotidianae ss. communionis soluta est.

Dr. *K. Dočkal.*

Hrvatska straža. Praeest Dr. *Franciscus Binički.* An. V. (Fasc. 1—6.) Krk (Veglia) 1907.

Svetost i nepovredljivost naravnog prava. (De sanctitate et inviolabilitate legis naturalis.). I. p. 14—38.

Scriptor anonymus ostendere conatur, ordinem naturalem fundamentum esse ordinis supernaturalis legemque naturalem eodem modo sanctam et inviolabilem esse ac legem evangelicam, immo sanctiorem.

Hoc ut probet, describit auctor essentiam utriusque ordinis (16—17). Creatio — redemptio; manifestatio per creaturas — revelatio stricto sensu; naturalis cognitio et amor Dei (beatitudo nat.) — visio Dei beatifica et amor inde profluens (beatitudo supernat.): en brevis essentiae delineatio! His praemissis transit auctor ad absolvendum thema dissertationis, sc. ad declarandam relationem utriusque ordinis necnon ad deducenda consectaria (17—21). Lex naturalis Deum creatorem auctorem habet, lex supernaturalis Deum redemptorem; ergo inter utrumque nulla contradictio habetur, utique discrimen perfectionis. Lex supernaturalis a priori et historice legem naturalem supponit eique superstruitur. Lex naturalis proinde fundamentum est legis supernaturalis, in specie naturalis cognitio Dei fundamentam fidei, naturalis innocentia fundamentum gratiae, naturalis societas bene composita fundamentum ecclesiae. Inde deducit auctor, legem naturalem, utpote fundamentum, sanctiorem firmioremque esse lege Christi, transgressionemque legis naturalis gravius peccatum esse transgressione legis Christi. — Sanctitatem et immutabilitatem poterat auctor

etiam melius probare ex unitate et immutabilitate naturae humanae. His absolutis perfectio legis Christi, legis evangelicae describitur. Christus legem naturalem clarius proclamavit eamque complevit, conservationem vero eius gratia adiuvit. (21—22). Lex revelata rationis humanae opera, praesertim philosophiam, ethicam, artes, ordinem socialem nobilia fecit (23—25). Ecclesia etiamsi munus supernaturale habeat, tamen ordinis quoque naturalis custos est (25 - 26). Quo munere fungens ecclesia iura naturalia uniuscuiusque tuetur, hinc democratica est. Inde ut custos iurium naturalium ecclesia catholica iura neque nationalia destruit, sed defendit et exemplum Christi sequens perficit. Quaestio igitur nationalis huius temporis solvi non potest nisi ope legis naturalis et evangelii (27—38).

Scriptori huic commendamus, ut puritati linguae Croaticae praesertim in parte philosophica magis studeat

Amerikanizam (De americanismo). I. P. 39 - 52.

Haec commentatio est de origine et progressu americanismi, de eius erroribus, de connexione cum disciplina latomorum.

Post Isaac Hecker auctores americanismi enumerantur Msgr. Ireland, P. Elliot, Klein (39—43).

Error principalis americanismi est: »Quo facilius acatholici ad fidem catholicam perducantur, necesse est, ut ecclesia culturae modernae accommodetur, ut ab antiqua severitate aliquid remittat, ut ideas novas nec non plebis postulata magis respiciat.« Ex hoc principali errore, quem auctor refutat, sequuntur alii: nonnullas doctrinas rigidiores omittendas vel saltem leniendas esse; auctoritatem publicam ecclesiae esse coercendam, vim populi augendam; ad perfectionem christianam tendentes immediatae Spiritus Sancti operationi relinquendos esse; virtutes »passivas« (vota) non convenire recenti tempori; vota religiosa perfectioni et societati humanae nocere (44—49). Errores americanismi affert auctor iuxta breve Leonis XIII. »Testem benevolentiae.«

In fine commentationis americanismus trahitur in connexionem cum »Alliance israelite universelle«, qua in re cum hoc scriptore non consentimus.

Materia haec sane gravis, non tractatur methodice. Multitudo locorum allegatorum in n. 2. lectionem difficilem reddit. N. 4. ad n. 3. pertinet, in n. vero 3. divisio desideratur.

Novo tumačenje spiritističkih pojava. (Nova phaenomenorum spiritismi explicatio.) I. p. 52—65.

Commentatio Constantini Gutberlet in commentariis Germanicis »Apologetische Rundschau« de explicatione phaenomenorum spiritismi occasionem dedit huic lucubrationi. Quae Gutberlet dicit, novis exemplis comprobantur.

Summa argumenti haec est a) Experientia teste nulli »medio« spiritistico est credendum. (Auctor ad exempla Gutberleti addit fraudem Eusapiae Paladino Mediolani 1892, fraudem Englingtoni 1880). b) Vix ullum est factum spiritisticum omnino indubium; c) Nihilominus eventus spiritistici non omnes negantur (scriptor Croaticus quaerit apud Gutberlet probationem saltem unius, nec invenit.) d) Facta spiritismi, in quantum non sunt falsa, probabiliter omnia per conscientiam quam dicunt secundam (Unterbewusstsein) explicari possunt. e) si, quod minus probabile est, factum aliquod naturaliter explicari non potest, vim diaboli intervenisse censendum est. Huic ultimae sententiae scriptor anonymus assentitur, argumentis ductis e prohibito spiritismo ab ecclesia, ex historia, quae diaboli negotia luculenter ostendit, ex verbis s. Pauli I. ad Tim. 4, 1 sq.

Dr. *I. S.* Ćudorednost viših umova. (De moribus hominum magni ingenii). II. P. 149 - 162.

Commentatio haec optima tractat thema ex philosophia morali valde ad usum pertinens, unitatem seu universalitatem legis moralis

naturalis. Non est duplex lex moralis alia pro hominibus magni ingenii alia pro misera plebe, sed una eademque pro omnibus.

Duplex lex moralis imprimis usu exercebatur. Apud ethnicos viri habebant iura, mulieres non habebant. Poëtis et artificibus licebat, quod aliis prohibebatur. Theoretice gnostici duplicem legem moralem docebant, aliam perfectorum, aliam imperfectorum. Recentioribus temporibus permulti duplicem legem moralem statuunt, velut Montaigne, Comte, Stuart Mill, Spencer, Darwin, Kant, Fichte. Dum hi magis occulte id docent, Schlegel duplicem moralem iam palam proclamat. Hominem magni ingenii putat Fr. Schlegel liberum ab omni vinculo legis et religionis. Alii minores idem ius acquirere possunt, modo gradum magni ingenii attingant. Culmen erroris attigit Max Stirner (quare non inter hos numeratur etiam Nietzsche?) infernali sua doctrina: id bonum et sanctum, quod »mihi« placet.

Iam probat auctor existentiam legis moralis naturalis »eiusdem pro omnibus« ex experientia communi et universali. Fons huius legis non sunt leges civiles, non voluntas vel utilitas populi, sed natura humana, respective eius auctor — Deus. Cum lex naturalis intime et essentialiter cum natura humana connectatur, cum porro natura humana semper, ubique et apud omnes homines eadem sit, sequitur legem moralem naturalem pro omnibus eandem esse et immutabilem.

Sv. pismo i babilonska otkrića. (S. scriptura et inventa Babylonica). II. p. 163—173.

Cum de inventionibus Assyriacis earumque relatione ad S. Scripturam integrae fere bibliothecae apud alias nationes enatae sint, apud Croatas res haec prima hac commentatione tractatur.

Auctor ante omnia statum quaestionis, nempe inventiones Assyriacas necnon sententias Fr. Delitzsch declarat. Deinde loquitur de relatione legis Hammurabbi et legis Mosaicae. Reicit sententias doctoris Delitzsch, qui sola, quae similia inter utramque legem inveniuntur, prae oculis habens concludit, legem Mosaicam non esse nisi imitationem legis Hammurabbi. At non aliquae similitudines, ait hic auctor incertus, sed multo plures dissimilitudines respiciendae sunt et hae probant, legem Mosaicam non solum non esse aliunde petitam, verum neque posse esse fructum purae rationis humanae. In secunda parte articuli »Genesis« Babylonica adducitur. Differentia inter Genesim Babylonicam et Mosaicam tanta est, ut obiectio adversariorum ridicula videatur. Tertia pars cum diluvio Babylonico occupatur. Inter relationem Babylonicam et biblicam magna quidem viget similitudo, sed haec contra s Scripturam nihil probat, quia diluvii mentio apud omnes fere nationes invenitur et mirum esset, si apud Babylonios non inveniretur. His breviter absolutis potuit auctor concludere, s. Scripturam ex pugna hac nova nonnisi victricem evasisse.

Otimanje dviju sila. (De contentione duarum potestatum).

Quemadmodum s. Augustinus in opere »De civitate Dei« pugnam duarum civitatum effinxit, sic voluit scriptor non nominatus in dissertatione hac modo populari pugnam inter duas potestates, prouti nunc saevit, prae oculis ponere. Una ex parte apostasia a fide christiana et a philosophia christiana, altera ex parte firmissimus assensus fidei et philosophiae christianae praestitus. Una ex parte eruditi seu »intelligentes« (10%), altera ex parte plebs (90%). Inter »intelligentes« invenit idem scriptor et negationem religionis et negationem cognitionis. Sed quia mera negatio animo humano satisfacere nequit, huius temporis »intelligentes« fidei et philosophiae christianae aliud substituerunt. Substituta haec praecipua sunt: a) religio positivismi (Aug. Comte) b) materialismi (Dav. Strauss) c) panmonotheismi (Ed. v. Hartmann), d) ethicismi (Maur. v. Egidy), e) religio occultismi seu spiritismi. »Intelligentes« huius temporis in religione et philosophia multo magis a veritate aberrant, quam antiqui idololatrae. Sequitur pulcherrima pars commentationis, nempe comparatio atheismi huius temporis cum

ethnicismo. Prae oculis habentur: doctrina de Deo, providentia, relatio hominis ad Deum, differentia inter hominem et brutum, discrimen inter bonum et malum, variae virtutes, amicitia, finis hominis. Ex opposito ostenditur sublimitas fidei christianae. Tunc concludit cum quaestione, quinam ius ad regnandum habeant. Num athei? Non. Sed plebs christiana, cuius apud Croatas 90% exstant. Plebs regnet ut democratia christiana.

O potrebi filosofijske naobrazbe (De necessitate scientiae philosophicae). IV. et V. P. 492 – 510.

Studium philosophiae magnopere commendatur, idque ob has rationes:

1. Ad cognitionem qualemcunque veram acquirendam valor rationis humanae inprimis in tuto ponendus est. Rationem humanam veritatem cognoscere posse, docet philosophia sc. critica et criteriologia. Hoc est primum munus philosophiae. Secundum munus exercet philosophia in usu rationis. Recte concipere, recte iudicare, recte ratiocinari non possumus nisi ope philosophiae sc. logicae.

2. Nostra aetate disciplinae omnes tantopere creverunt, ut homines de omnibus aliquid sed nihil ex toto scire soleant; accedit quod soli experientiae externae confidere consuerunt. Studium philosophiae profundam scientiam promovet et causas rerum inquirit, donec causam ultimam attingat.

3. Sensus nostri varia percipiunt, item singulae disciplinae suum proprium obiectum tractant ita, ut multos conceptus multasque cognitiones habeamus, ast dissonas et imperfectas. Philosophia miro modo disciplinas omnes copulat easque perficit.

Vratimo se k silogizmu. (De valore et necessitate syllogismi). VI. P. 593 - 608.

Aetate nostra ratio cedit voluntati, intellectualismus voluntarismo seu mysticismo. Cessionis huius consequens est agnosticismus, qui ubique fere, etiam in regionibus Croaticis late grassatur. Auctor prae oculis habet librum doctoris Barac: »De apologetica catholica nostri temporis«. In hoc libro (nullis allatis argumentis) invenit scriptor huius commentationis errores modernistarum.

Optimum remedium contra agnosticismum censet auctor esse reditum ad syllogismum. Inprimis declarat, quid sit syllogismus, dein enarrat, qualem utilitatem syllogistica ratiocinatio homini conferat (3). Ad syllogismum melius commendandum describit tristes fructus philosophiae »antisyllogisticae« (4) necnon fructus optimos et multiplices ratiocinationis syllogisticae (dexteritatem, securitatem, firmitatem, profunditatem, rectitudinem iudiciorum; dexteritatem applicandi theoriam vitae utilitati; vitam certis rationibus innixam; bonitatem ingenii) (5). Hinc monet auctor omnes et praecipue iuventutem, ut ad syllogismum et ad philosophiam scholasticam revertantur.

Consentimus maximi momenti esse syllogismum et philosophiam scholasticam. Attamen non putamus, esse consentaneum nec menti R. Pontificis respondere, nimis inculcare formam syllogisticam, acsi quaevis apologia etiam pro laicis philosophice non eruditis in nuda et arida forma syllogistica absque aliis condimentis scribatur oporteat!

Commentationes sine auctore vulgatae nec hos commentarios commendant nec nobis curam de eis referendi permittent.

Dr. *K. Dočkal.*

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

De notione, notis, definitione ac divisione dogmatum apud theologos orthodoxos.

(Summarium.)

1. Notio generalis dogmatis. — 2. Nota prima dogmatis in sensu strictiori: dogma est veritas theoretica. — 3. Nota secunda: dogma est veritas revelata. — 4. Nota tertia: dogma est veritas ab Ecclesia promulgata. — 5. Sententia Malinovskii de methodo ab Ecclesia adhibenda in dogmatis definiendis arguitur. — 6. Nota quarta: dogma est lex, quae omnes fideles obligat. — 7. Definitiones dogmatis a theologis orthodoxis traditae referuntur. — 8. Quaenam praecipuae sunt dogmatum distinctiones iuxta Macarium et Philaretum. — 9. Notio dogmatis prout a theologis catholicis concipitur, evolvitur, et cum notione orthodoxa comparatur. — 10. Corollarium primum doctrinae catholicae favens, quod ex theologia orthodoxa deducitur: falso Ecclesias orthodoxas sibi relate ad dogmata nomen indidisse Ecclesiarum septem conciliorum oecumenicorum. — 11. Corollarium secundum: definitiones dogmaticas nova dogmata haud condere. — 12. Šostini obiectiones in distinctiones dogmatum a theologis catholicis propositas adducuntur et refelluntur: Num liceat distinguere dogmata in divina et ecclesiastica. — 13. Num dentur dogmata essentialia et non essentialia. — 14. Num liceat distinguere inter dogmata quoad se, et quoad nos, et formalismo indulgeant theologi, qui hisce denominationibus utuntur.

* * *

1. Vox »dogma«, si etymon spectes, a verbo δοκέω (censeo, arbitror), opinionem, sententiam, κατάληψιν λογικήν, ut verbis utar Clementis Alexandrini [1]), exprimit. Hoc sensu a veteribus scriptoribus usurpatur. Etymologice igitur spectatum hoc verbum firmam animi persuasionem, qua mordicus cuidam sententiae adhaeremus, non significat. In Sacris Scripturis peculiari sensu adhibetur ad significandam Christi doctrinam, quae caeremoniales leges Iudaeorum abrogavit: Τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασιν καταργήσας, Eph. II., 15; Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, Col. II., 14. Dogmata vocantur etiam decreta primi concilii Hierosolymitani: Τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις, Act., XVI., 4.

Discrepantia datur igitur inter ethnicos scriptores et christianos circa sensum, qui huic voci ab utrisque affingitur, licet etiam a Cicerone vox dogmatis adhibeatur ad veritates vel firmissimas innuendas. Ethnici autem generatim dogmata censent fluxas, instabiles

---

[1]) Migne, P. G., IX, col. 581.

opiniones, quae pro temporum circumstantiis decidunt vel mutantur; christiani vero hoc verbo in sensu τοῦ perfecti δέδογμαι (placuit, statutum est, approbatum est) usi sunt ad significandam firmitatem, quae cuidam sententiae ex legitima auctoritatis decisione tribuitur. Dogmata apud veteres Patres censebantur veritates fidei, quae catechumenis tradebantur et quibus, tanquam fundamentis, christiana vita, bonorum operum cultu, innititur [2]). Cum plures difficultates, quae nobis a theologis orthodoxis contra fidem catholicam obiciuntur, in notione dogmatis suas radices habeant, accuratius huius vocis sensus ac dogmatis definitio perpendenda, ut infra positas contradicentium oppositiones praecaveamus. Attamen exordiendum est a notis, quas theologia orthodoxa requirit, ut veritas quaedam fidei ad fastigium dogmatis attollatur ac nomine dogmatis dignetur.

2. Prima dogmatis nota in hoc reperitur, quod exprimat veritatem theoreticam, veritatem scilicet, quae magis ad speculationem quam ad praxim pertineat. Hoc tenent communiter theologi orthodoxi eorumque sententia consona est cum theologorum catholicorum sententia, quae theologiam primario speculativam profitetur [3]). Dogmata veritates sunt fidei, quae accuratis verbis doctrinam tradunt de Deo tum in se perspecto, tum quatenus relationem habet ad hominem atque universum. Veritates vero sive directe per revelationem acceptae, sive ab Ecclesia per divinum magisterium fidelibus propositae, quae regulam agendi praeseferunt, vel determinationes ad cultum divinum spectantes, vel leges a conciliis promulgatae, quibus christiana vita in credendis agendisque regitur, nominibus praeceptorum, rubricarum liturgicarum, canonum, insignitae sunt. Haec omnia non sunt dogmata fidei, licet christiano homini nullomodo respuere fas sit, quae in eis sive credenda sive agenda continentur [4]).

Iuxta Macarium veritates omnes divinae revelationis, quae praesertim in Sacris Scripturis continentur, dispesci possunt in veritates fidei, quae ab intellectu percipiuntur, et in veritates practicas, quas voluntate amplecti quibusque in rebus agendis obsequi opus est. Ex prioribus quaedam ad religionis christianae essentiam pertinent, eisque assensum denegare idem est atque aeterna frustrari salute; quaedam vero tanti momenti non sunt earumque negationem vel ignorantiam tam gravi poena dignas Ecclesia non iudicat. Veritates autem, quae ad ipsam christianae religionis essentiam pertinent quaeque Deum directe respiciunt Eiusque relationes ad universum hominem determinant ac quibus reiectis christianus vix hoc nomine dignus animae salutem nequit adipisci, in sensu strictiori dogmata dicuntur, tum ratione obiecti a veritatibus practicis distinctae, tum ratione excellen-

---

[2]) Sylvester (episcopus), Опытъ православнаго догматическаго богословія, t. I, Kioviae, 1892, p. 3.

[3]) Janssens, Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis Summam, t. I., Friburgi, 1900, p. 47—49.

[4]) Malinovskij, Православное догматическое богословіе, t. I, Charkovia, 1895, p. 4—5.

tiae, ab iis quae, licet theoreticae, essentiam fidei immediate non attingunt [5]).

3. Huic notae, quae Russice умозрительность (ratio theoretica) audit, altera adiungenda, quam theologi orthodoxi богооткровенность aut simpliciter откровенность (revelatio divina, vel simpliciter revelatio in abstracto) appellant. Episcopus Sylvester addit mediam inter utramque теологичность, quod verbum Latine ad amussim reddere mihi non datur. Eadem innuitur Deum esse proprium subiectum scientiae theologicae, id est veritates quae per eam traduntur, humanae mentis ita captum pervadere, ut licet homo rationis ope clariore luce eas perfundat, intimum tamen eorum sensum, ac strictius, comprehensionem, nunquam assequatur [6]).

Богооткровенность requiritur ad rectam dogmatis definitionem, quia dogma in strictiori sensu praedicatur de doctrina, quae tantum reperitur in Sacris Scripturis vel in christiana Traditione. Nefas enim est, ait Malinovskij, asserere veritates, quae dogmata dicuntur, veluti germina informia primis Ecclesiae temporibus in fidei christianae deposito extitisse ac labentibus saeculis in virides excrevisse ramos: то что называется догматами, открыто самимъ Богомъ, сполна и однажды навсегда [7]) Dogmata fidei e labiis Iesu Christi atque apostolorum immediate profluxere. Quae hanc divinam originem non habent, quas claris verbis Sapientia increata non docuit, appellationem dogmatum haud merent [8]). Veritas fidei, ait Sylvester, quae quodcumque dubium, quascumque adversariorum cavillationes arcebit, ea est tantum, quae a Iesu Christo revelata est Apostolis atque ab Apostolis fidelibus patefacta nec non ad nos transmissa. Veritas haec, quae per longam saeculorum seriem ad Iesu Christi aetatem relabitur, qui eam orbi nuntiavit, dogmatis appellatione tantum dignabitur. Patres et Scriptores ecclesiastici apertis verbis divinam apostolicamque dogmatum originem testantur eaque passim vocant δόγματα θεῖα, δόγματα τοῦ Θεοῦ, τὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ δόγματα, δόγματα τοῦ Κυρίου, δόγματα τῶν Εὐαγγελίων, ἀποστολικὰ δόγματα [9]) etc... Si affirmamus dogmata fidei veritates esse a Iesu Christo revelatas, ea secernimus a falsarum religionum figmentis nec non a placitis philosophorum. Etenim de falsis religionibus nemo sane dicet eas ex traditis a Iesu Christo Apostolisque doctrinis suos errores deprompsisse. Ad philosophorum placita quod attinet, si dogmata veritates revelatas esse contendimus, statim ab illis, quae studio ac meditationibus humanae mentis acquisitae sunt, distinguimus [10]).

4. Tertia ac praecipua nota dogmatis fidei apud theologos Ecclesiae Russicae церковность audit, innuitque ad rationem dogmatis requiri, ut idipsum ab Ecclesia omnibus credendum proponatur.

---

[5]) Православно-догматическое богословіе, t. I. (ed. V), Petropoli, 1895 p. 10—11.
[6]) Op. cit., p. 12—13.
[7]) Ib., p. 5.
[8]) Ib., p. 8.
[9]) Migne, P. G., VI, col. 672; LXXXIII, col. 1305.
[10]) Ib., p. 13—14.

Ecclesia merito habetur vivens atque integrum divinarum veritatum scrinium, dicente S. Basilio: »Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et praedicationibus, alia quidem habemus e doctrina scripto prodita; alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem [11]) »Veritates, quas ipsa suis membris tanquam principia fidei divinitus revelata proponit, dogmata audiunt. Suapte enim natura dogma non sententias particulares, verum fidem universalem profert, ac veritatem immutabilem quae nulla ratione falso subicitur, et per consequentiam firmissimam adhaesionem fidelium sibi promeretur. Quis autem ad hunc eliciendum certissimum assensum moraliter cogere potest? . . Num hic vel ille particularis doctor in Ecclesia? . . . At historia testatur vel praeclaros fidei doctores in veritatibus divinis interpretandis, in revelationis thesauris adaperiendis, haud raro a recta semita deflexisse pravasque sententias tutatos esse. Non omnes doctores, cum Spiritus Sanctus sua dona dividat singulis, prout vult (1 Cor. XII, 11) ac superbe se gereret, qui suo libitu eis frui sese iactaret. In Ecclesia posterioris aevi non amplius illud evenit, quod aetate apostolorum factum esse ex sacris Libris comperimus, scilicet, ut per unctionem a Spiritu Sancto fideles veritates fidei cognoscerent neque eis opus esset, ut aliquis eos doceret: ὑμεῖς χρῖσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ Ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντες (I. Io II, 20).

Ambigitur interdum inter fideles de authentia librorum, qui fontes revelationis habentur; interdum haeret animus incertus de vero sensu, quo sumenda sit propositio quaedam, per revelationem nobis tradita. Omnino igitur opus est ad praecavenda dubia fideique iacturam magisterio divinitus instituto, quod luculenter fidelibus testetur authentiam fontium divinae revelationis locorumque Scripturae Sacrae vel Traditionis dubiis ansam praebentium genuinum sensum statuat. Magisterium hoc adimplet tantum Ecclesia, quae ab Apostolo vocatur στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας (I. Tim. III, 15.) et in cuius anima Spiritus Sanctus manet in aeternum (Io. XIV, 16). Ecclesia est tum societas fidelium, quae opus Christi ad salutem animarum in terris indesinenter prosequitur, tum custos indefectibilis veritatem illarum, quas a divino suo Fundatore nunquam erroribus labefactandas accepit, quapropter ei datur assistentia Spiritus Sancti, qui eam docet omnem veritatem (Io. XVI, 13). Munere igitur suo defungitur Ecclesia, definiens, quaenam fidei veritates dogmata habenda sint. Huiusmodi definitionibus Ecclesia expresse docet hanc illamve veritatem certissime ad fidei revelatae depositum pertinere omnibusque credendam ut necessariam ad salutem, ac testatur eam e labiis Christi profluxisse. Ecclesia, cui munus competit declarandi dogmata fidei, ex Malinovskii sententia, sola est Ecclesia orthodoxa [12]). Episcopus Sylvester non

---

11) Τῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν. Migne, P. G., XXXII, col. 188.

12) Op. cit., p. 7.

videtur denegare hoc ius catholicae Ecclesiae: affirmat enim tantum apud protestantes, qui plurimas in sectas disiunguntur, dogmata in strictiore sensu non reperiri neque comparari posse[13]).

Iuxta praefatos theologos maximi momenti censendus est actus, quo Ecclesia veritatibus revelatis nobilitatem definitionis dogmaticae impertitur. Definitio autem dogmatica novam prorsus doctrinam in Ecclesia non conclamat. Ea tantum testatur Ecclesia, illud quod veluti dogma proponitur, Iesu Christo Apostolisque acceptum referri. Definitio dogmatica est declaratio cuiusdam doctrinae revelatae, quae aptiore modo respondet temporum adiunctis ac fidelium necessitatibus[14]). Depositum fidei non augetur; novi aliquid non est, quod ei appingitur; in definiendis dogmatis Ecclesia sibi tantum munus vindicat clarius explanandi veritatem revelatam ac spondendi eam sine dubio per tramitem divinae revelationis ad nos usque pervenisse. Vi dogmaticae definitionis veritas quaedam fidei, ait Sylvester, licet iam contineatur in revelatione ac divinae Sapientiae verbum suapte natura censeatur, ad veritatis fastigium attollitur, quae dubia et controversias penitus eximit[15]).

5. Notamus hic Malinovskij tenere infallibile testimonium Ecclesiae in dogmatis declarandis duobus modis comparari: 1. Praesides Ecclesiarum particularium in concilium oecumenicum convocantur ac latis suffragiis statuunt, utrum fas sit necne veritatem quandam ut fidei dogma definire; 2. si quid obstat, quominus concilium adeant, per epistolas suas ad invicem sententias expromere possunt ac denique consentientibus animis, dogma promulgare. Videtur mihi haec sententia de facto Ecclesiis orthodoxis facultatem adimere definiendi dogmata. Concilium enim oecumenicum non datur, historia teste, sine Romanis Pontificibus, a quibus separatae (sententiam referimus Philareti, celeberrimi metropolitae Mosquensis) nequeunt Ecclesiae orthodoxae idipsum convocare[16]). Remanet igitur, ut praesides Ecclesiarum particularium Orientis inter se colloquantur atque ex communi sententia definitiones dogmaticas statuant. Hoc interdum factum esse comperimus ex historia, lamentabili tamen exitu. Satis est memorare decretum sollemne, quod hierarchia Graeca in synodo habita Constantinopoli 1872 contra Bulgaros protulit: »Τοὺς παραδεχομένους τὸν τοιοῦτον φυλετισμὸν καὶ ἐπ' αὐτῷ τολμῶντας παραπηγνῦναι καινοφανεῖς φυλετικὰς παρασυναγωγὰς κηρύττομεν, συνῳδὰ τοῖς ἱεροῖς κανόσιν, ἀλλοτρίους τῆς μιᾶς, ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο σχισματικούς[17]). Adde quod decretum damnat etiam ut schismaticos »πάντας τοὺς κοινωνοῦντας καὶ συμφρονοῦντας καὶ συμπράττοντας αὐτοῖς. Attamen Russica Ecclesia, quae

---

[13]) P. 19.

[14]) Macarius, p. 9—10; Philaretus, Православное догматическое богословіе, Petropoli, 1882, p. 4; Gusev, Введеніе въ догматическое богословіе, Православное Обозрѣніе, 1878, t. I, p. 58—72.

[15]) P. 18–19.

[16]) Solov'ev, La Russie et l'Église universelle, Parisiis, 1889, p. 21.

[17]) Papadopulos, Ἡ σύγχρονος ἱεραρχία τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1895, p. 604.

fulcrum est totius orbis orthodoxi, huic decreto minime obtemperavit. Dum ergo Constantinopolitana Ecclesia reicit Bulgaros tanquam membra putrescentia, Russica Ecclesia eos benigne fovet ac recipit tanquam membra viventia eisque sacra obire suis in templis permittit. In re igitur gravissima, abhinc triginta sex annis, de recta fide Bulgarorum dantur penitus oppositae sententiae in Ecclesia Graeca et in Russica neque spes affulget proximae earum compositionis. Neque id mirum, cum singulae Ecclesiae particulares particularem quidem fidem proponere possint, non autem universalem, quam prae se ferret definitio dogmatica. Quae attulimus, aliis exemplis confirmari queunt, quibus constaret nunquam ac nullibi, post lugendum schisma, Ecclesias orientales, gravibus etiam impellentibus causis, vel uno vel altero modo, dogmaticas definitiones proposuisse.

6. Quarta nota dogmatis apud theologos orthodoxos est общеобязательность (communis obligatio) vel законообязательность (legalis obligatio). Non sufficit enim ad genuinam dogmatis notionem comparandam, quod dogma sit veritas revelata; necesse est etiam, a cunctis fidelibus accipiatur tanquam regula obligatoria aut principium fidei, quo reiecto aeterna periclitarentur salute (Gal. I., 8). Citat Malinovskij ad suam thesim confirmandam canonem I. concilii oecumenici (VI.), nempe Trullani, cuius oecumenicitas a scriptoribus catholicis non admittitur: »Si quis autem ex omnibus praedicta pietatis decreta non tenet et amplectitur, sicque opinatur et praedicat, sed iis contra adversari conatur, sit anathema, secundum prius declaratorum sanctorum et beatorum Patrum decretum, et a christiano quoque catalogo ut alienus extrudatur et excidat[18]).

Neque mirum est Ecclesiam leges in lucem edere, quae cunctorum sibi subditorum voluntatem atque intellectum ligant. Ipsa est enim societas fidelium neque minus quam ceterae societates suis legibus potitur, quae in fundamentales et secundarias dispertiuntur. Sicut in civili societate adversarius habetur politici regiminis, qui civilibus legibus non obtemperat, ita in Ecclesia, societate perfecta, qui dogmata fidei reicit, inter eius hostes vel spurios filios est recensendus. Actum enim esset de doctrina et vita Ecclesiae, si cuilibet daretur licentia dogmata pro suo arbitrio amplectendi vel negandi. Si dogmata divinae revelationis veritates ac sensum nobis tradunt, si ea considerat Ecclesia veluti regulas fidei fundamentales omnibus fidelibus ad salutis aeternae adeptionem necessario credendas, fieri nequit, quin a cunctis recipiantur tamquam leges, quorum transgressores ipsi Deo iniuriam inferunt. De ratione igitur dogmatis est, ut vim legis obligatoriae habeat pro cunctis fidelibus[19]).

---

18) Εἰ δέ τις τῶν ἁπάντων μὴ τά τε καὶ κηρύττοι, ἀλλ' ἐξ ἐναντίας ἰέναι τούτων ἐπιχειροῖ, ἔστω ἀνάθεμα κατὰ τὸν ἤδη προεκθετέντα ὅρον ὑπὸ τῶν προδηλωθέντων ἁγίων, καὶ μακαρίων Πατέρων, καὶ τοῦ χριστιανικοῦ καταλόγου, ὡς ἀλλότριος, ἐξωθείσθω καὶ ἐκπιπτέτω. — Pitra, Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta, t. II, Romae, 1868, p. 21,

19) Malinovskij, p. 8—9.

In quartae notae explicatione fusis verbis episcopus Sylvester ostendit improbandam non esse Ecclesiam, quod nimia severitate in dogmatis sartis tectisque servandis se gerat. Si humanis enim opinionibus laxaret habenas, serius ocius pessum iret, propriisque manibus sibi sepulcrum effoderet. Dogma est potissimum essentiale elementum vitae Ecclesiae, ideoque, quicumque eius vita frui peroptat, hoc tenetur elementum integrum atque incorruptum fovere. Tanti facit Ecclesia valorem dignitatemque dogmatis, ut frequenter remissius agat in increpandis ac puniendis moralium praeceptorum et canonum ecclesiasticorum contemptoribus, cum nullo modo patiatur suos inter subditos recenseri, qui hostiles incursiones in regionem dogmatum audent. Priores enim excusatione indulgentiaque dignos habet eosque, cum deferbuerint passionum cupiditates, in suum gremium reversuros esse confidit. At dogmaticae veritatis osores plena ac deliberata voluntate depositum fidei aggredi existimat, eique nulla spes affulget fore ut sepositis erroribus in captivitatem redigant intellectum suum in obsequium Christi. Iniuria igitur argueretur Ecclesia intolerantiae, cum e suo gremio infitiatores veritatum dogmaticarum expellit: hoc enim agit, ut a se periculum mortis arceat, non secus ac societas civilis, quae, ne dissolvatur perditumque eat, perniciosarum doctrinarum buccinatores exilio vel carcere mulctat.

7. Ex hucusque dictis patet quattuor elementa in dogmatis necessario adesse, scilicet: 1. veritates esse fidei christianae; 2. esse divinitus revelatas; 3. ab Ecclesia definitas esse et promulgatas ut tales; 4. vim legis obligatoriae habere pro cunctis fidelibus. Haec omnia continentur in variis definitionibus, quae a theologis orthodoxis traduntur, quarumque potiores adducemus: 1. Dogma est veritas revelata, ab Ecclesia hominibus proposita, ut canon immutabilis ac tutissimus fidei salvificae[20]; 2. Dogma est veritas theologica ac revelata, determinata atque ab Ecclesia proposita ut obligatorium ac tutissimum axioma fidei, pro cunctis fidelibus[21]; 3. Dogma est speculativa ac divinitus revelata veritas, continens doctrinam de Deo deque relationibus Eius ad universum atque hominem, servata, determinata et proposita ab Ecclesia orthodoxa velut immutabile, tutissimum ac pro omnibus fidelibus obligatorium axioma fidei[22]; 4. Dogma est veritas

[20]) Macarius, p. 1.
[21]) Sylvester, p. 28.
[22]) Malinovskij, p. 9.
[23]) Antonius (archim.) Догматическое богословіе православной католической восточной церкви, Petropoli, 1849, p. 39. — Graviter obiurganda est definitio dogmatis, quae proponitur a recentiore theologo Graeco, Zikos Rhosi: Δόγματα τῆς Χριστιανικῆς Θρησκείας εἶναι αἱ περὶ τῶν ἐνεργειῶν τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν προϋποθέσεων ἢ ὅρων καὶ ἀποτελεσμάτων αὐτῶν διδασκαλίαι τῆς χριστιανικῆς πίστεως, αἵτινες κατ' οὐσίαν καὶ συνεπτυγμένως ἐν τῇ ἁγίᾳ Γραφῇ καὶ τῇ ἱερᾷ Παραδόσει περιεχόμεναι, ἀνεπτύχθησαν, ὡρίσθησαν καὶ ἐν μέρει διετυπώθησαν δι' ἀληθοῦς θεολογικῆς θεωρίας ἐν τοπικαῖς, οἰκουμενικαῖς καὶ γενικαῖς Συνόδοις τῆς γνησίας καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας ὑπὸ τὴν ἐπιστασίαν τοῦ ἐν αὐτῇ διαμένοντος Θείου Πνεύματος καὶ ἔχουσιν αὐθεντικὸν καὶ ὑποχρεωτικὸν κῦρος

quae speculativam partem doctrinae christianae constituit, quae determinatur ac traditur ab Ecclesia universali unanimi consensu, cuique tenetur quilibet christianus adhaerere sub poena exclusionis a societate sincerorum Christifidelium [23]).

8. Complures dogmatum classes pro varia revelatas veritates declarandi ratione, vocibus generatim ex scholasticis repetitis, recensent theologi orthodoxi. Praecipuas iuvat afferre:

α) Macarius dispescit primum dogmata in explicita (раскрытые) et implicita (нераскрытые) atque opinatur huiusmodi denominationes legitime tradi, doctrinaeque Ecclesiarum orthodoxarum apte conformari. Dantur enim dogmata explicita, nempe dogmata, quae disertis verbis ab Ecclesia contra adorientium haeresum insultus proposita sunt, et dogmata implicita, quae licet ad depositum fidei non secus ac priora pertineant, carent tamen clara Ecclesiae determinatione. Haec distinctio eo consilio invecta est a theologis, ut innuatur circa dogmata alterius classis relinqui theologis libertatem suas sententias aperiendi, nisi doctrina, quam proponunt, dogma ipsum funditus evertat. Addit Macarius relative tantum hanc distinctionem accipiendam. Sicut enim non dantur dogmata omnino implicita, quae scilicet nullo modo sint ab Ecclesia illustrata, ita etiam constat non reperiri dogmata omnino explicita, quae vel in minutis quaestiunculis ad ea spectantibus clarissimis explanationibus Ecclesia munierit.

β) Dantur dogmata communia (общiе) vel fundamentalia (основные) vel ἄρθρα τῆς πίστεως, articuli fidei, et dogmata particularia (частные; δόγματα τῆς πίστεως). Prioris classis ea sunt, quae vel continent veluti in radice quaedam alia dogmata, vel saltem eis fundamentum praebent; alterius classis ea censentur, quae ex prioribus fluunt aut eis nituntur.

εἰς πᾶν γνήσιον μέλος τῆς Ἐκκλησίας ταύτης. — Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1903, p. 23. Duo praesertim improbanda. Auctor asserit dogmata fidei non solum elaborari, sed etiam definiri a conciliis particularibus. Si dogma vim legis habet pro cunctis fidelibus, liquet eius definitionem non competere concilio particulari, quod leges tantum pro aliqua regione vel provincia condere potest. Luculentum exemplum nobis praebet Graeca Ecclesia, quae constitutiones synodales edidit, quibus Latinum baptisma invalidum declarabatur: huiusmodi constitutiones non agnovit neque recepit Russica Ecclesia. Confer, quae scripsimus in dissertatiuncula Un document inédit sur la rebaptisation des Latins chez les Grecs, Revue Bénédictine, 1906, p. 215—216. 2. Auctor loquitur de synodis oecumenicis, quae convocatae sunt a genuina Christi Ecclesia, et in notis affirmat se hoc epitheton adhibuisse, ut distinguat orthodoxam Ecclesiam ab Ecclesia Romana, quae, licet suam catholicitatem iactet, catholica tamen non est: μὴ οὖσα ἀληθῶς τοιαύτη. p. 24. Compertum est tamen concilia oecumenica non solam Graecam Ecclesiam, sed totum orbem christianum repraesentasse, sub praesidentia Romani Pontificis. Dogmata igitur, quae ab oecumenicis conciliis tradita et definita sunt, ad orientales non secus atque occidentalem Ecclesiam pertinent. Constat etiam separatam ab Ecclesia Romana Graecam Ecclesiam nullum dogma definisse, quod ut tale ab omnibus Ecclesiis agnitum fuerit. Prolixa igitur haec definitio, theologice atque historice falsa esse proditur

Huius distinctionis quodammodo inicitur mentio in Confessione orthodoxa Petri Mogilae: Μόνον κάποια ἀπ' αὐτὰ τὰ ἄρθρα εἶναι φανερά, καὶ καθ' ἑαυτὰ γνώριμα, καὶ ἄλλα περικρατοῦσι μυστικὰ εἰς ἑαυτά, καὶ ἀπ' αὐτὰ νοοῦνται καὶ τὰ ἄλλα [24]). Eadem non adversatur doctrinae orthodoxae, ait Macarius, ideoque rite potest accipi. Theologi, qui huic favent distinctioni, per eam docent cuilibet christiano dogmata particularia non minus sacra ac veneranda esse quam articulos fidei, atque a fide desciscere quicumque, retentis tantum articulis, ea abiciat.

γ) Quaedam dogmata incomprehensibilia sunt (непостижимые), quaedam vero comprehensibilia (постижимые). Illa vocantur etiam dogmata pura vel mysteria; haec vero dogmata mixta. Ratio priorum haec est, quod omnino superant captum nostrum ac sine revelatione nobis incognita manerent; dogmata vero mixta hoc nomen sortiuntur, quia tum divina revelatione, tum ratione humana nobis patent, ut Apostolus docet, loquens de ethnicis: τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς (Rom. I., 19). Haec dogmata appellantur etiam a Philareto: Persuasiones rationis (Убѣжденія разума).

δ) Dogmata dividuntur etiam in communia tum Ecclesiis orthodoxis, tum heterodoxis, et in specialia (особенные) vel discernentia (отличительные), quae Ecclesia orthodoxa servavit integre prout recepta erant in vetere Ecclesia, quaeque ceterae communitates christianae vel corruperunt, vel prorsus reiecerunt.

Hisce distinctionibus probatis, Macarius reprehendit: α) distinctionem inter dogmata biblica et dogmata ecclesiastica, quia omnia dogmata quodammodo sunt biblica, cum in divina revelatione reperiantur. »Dogmata, inquit Macarius, quae revelatione non nituntur, immo ei adversantur, tantum in societatibus heterodoxis queunt reperiri, exempli gratia, dogmata primatus Romanae Ecclesiae et Romani Pontificis infallibilitas«!

β) Distinctionem a protestantibus invectam inter dogmata fundamentalia, quae scitu necessaria sunt ad salutem, et non fundamentalia, quae fas est respuere. Fusius ex Sacra Scriptura, traditione, ratione theologica ostendit Macarius falsitatem huius distinctionis, qua posita, fluxa et mobilis redderetur doctrina Ecclesiae totique aedificio Christi proxima impenderet ruina [25]).

9. In essentialibus igitur notio dogmatis, quam theologia catholica tuetur, cum ea convenit quae a theologis orthodoxis proponitur. Duplex enim elementum in dogmate requirit theologus catholicus, elementum ἐξωτερικὸν (externum) atque ἐσωτερικὸν (intestinum). Prius habetur, cum affirmamus, dogma veritatem prae se ferre, quae in divina revelatione continetur; posterius, cum huiusmodi adiungimus veritates tanquam formale principium fidei revelatae expresse ac diserte proponi ab Ecclesia cunctis fidelibus credendas. Duplex igitur auctoritas amice conspirat in dogmate catholico statuendo: auctoritas suprema Dei, qui nobis pandit veritates altissimas; auctoritas directiva Ecclesiae, quae nobis testatur vere Deum locutum esse praecipitque,

---

[24]) Michalcescu, Θησαυρὸς τῆς ὀρθοδοξίας, Lipsiae, 1904, p. 30.
[25]) Macarius, p. 21—26; Philaretus, p. 5—6.

ut eius verbis firmissimum assensum praestemus. Deus, ut ita dicam, internam dignitatem dogmatis cuidam veritati per tramitem revelationis impertitur; Ecclesia vero externam ei largitur sanctionem. Dogma prout ex parte Dei consideratur, immediate respicit Ecclesiam docentem, cui munus incumbit explanandi ac sanciendi revelatas veritates; prout vero ex parte Ecclesiae consideratur, immediate respicit coetum fidelium, quem magisterium ecclesiasticum suo munere fungens docet veritatem aliquam divinae revelationis dogma fidei a cunctis fidelibus necessario credendum constituere.

De ratione igitur dogmatis in sensu strictiore accepti est 1. ut contineatur in Sacra Scriptura, tanquam in authentico fonte revelationis; 2. ut ad nos pervenerit per traditiones ab Apostolis acceptas; 3. ut nobis disertis verbis ab Ecclesia tanquam dogma fidei proponatur; ut paucis utamur verbis, dogma prae se ferre debet originem divinam, apostolicam atque ecclesiasticam. Si veritas quaedam ab Ecclesia traditur, ipsa autem huius veritatis nobis non spondeat divinam originem, dogma habetur quod a Scheeben pure ecclesiasticum vocatur [26]). Origo apostolica tanquam necessarium elementum dogmatis exigitur a theologis catholicis, ut Pesch explicat: »Quidquid ab Apostolis non est praedicatum, nunquam potest evadere dogma Ecclesiae, etiamsi a Deo revelatum sit. Omnes enim posteriores revelationes privatis tantum hominibus, ut privatis, dantur neque ullo modo spectant ad augendum depositum fidei [27]). Si tertium elementum, nempe definitio sollemnis Ecclesiae deficiat, veritas quaedam in divina revelatione contenta et communi totius Ecclesiae fide innixa, dogma quidem est, attamen in latiore sensu, ideoque a theologis vocatur dogma quoad se. Hoc si Ecclesia cunctis fidelibus explicite ut verbum Dei revelatum ad salutem necessarium sollemniter declarat, habetur dogma in strictiore sensu vel quoad se. Prioris generis dogmata materialia, posterioris formalia interdum audiunt [28]).

10. Ex hucusque dictis patet, quam consona sit doctrinae catholicae sententia theologorum Ecclesiae orthodoxae. Ex eorum igitur effatis licet nobis quaedam corollaria, quae maximi momenti sunt pro theologia catholica, eruere.

α) Theologia orthodoxa fatetur magisterium Ecclesiae in definiendis dogmatis non defecisse post saeculum nonum. Vivens adhuc et perpetuo victurum semper vigilat, ne depositum fidei e venenatis novatorum telis detrimentum capiat. Quod munus quia novem iam saecula indesinenter Ecclesia obivit, clarissima dogmaticarum definitionum luce veritates revelatas illustrans, nihil impedit, quominus nostra aetate, errorum lue grassante, iterum obeat. Ecclesia igitur ius habet, et quidem per concilia oecumenica, declarandi veritates quasdam per revelationem et traditionem acceptas inter dogmata fidei

---

[26]) La Dogmatique. t. I., Parisiis, 1877, p. 291.
[27]) Praelectiones dogmaticae, t. I., Friburgi B., 1894, p. 316.
[28]) Liebermann, Institutiones theologicae, t. I., Moguntiae, 1853, p. 20.

esse recensendas. Si magisterium autem Ecclesiae in definiendis dogmatis adhuc viget, Ecclesiae orthodoxae falso nomen sibi indiderunt Ecclesiarum septem conciliorum oecumenicorum: ἡ Ἐκκλησία τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν Συνόδων. Haec enim appellatio duplici sensu potest intelligi: 1. quod revelatione, vel apostolicis traditionibus, vel declaratione Ecclesiae in conciliis oecumenicis, quibus demandatur munus in controversiis fidei definiendi dogmata, statutum sit, septem tantum numero concilia oecumenica potuisse convocari ac prohibeatur nova cogere; 2. quod post saeculum octavum, quo tempore habitum fuit septimum concilium oecumenicum, magisterium ecclesiasticum non amplius queat suum munus obire atque ius definiendi dogmata nulli Ecclesiarum, quae christianae feruntur, amplius competat. Si primo sensu intelligatur, opus esset Sacrarum Scripturarum vel Traditionis Apostolicae sententias colligere, quibus statuatur septenarius numerus conciliorum. Mea tamen sententia tempus nequiquam conteret, quicumque his locis detegendis operam navat. Etenim vel theologis orthodoxis compertum est, eos non contineri neque in Sacris Scripturis, neque in Traditione. Si liquet igitur ius Ecclesiae convocandi concilia extinctum non fuisse, ius correlativum definiendi dogmata illi societati fidelium tribuendum esse consequitur, quae concilia oecumenica potest convocare et de facto convocat. Ex quo patet nulli Ecclesiarum orthodoxarum hoc ius convenire, quia nulla ex eis, utpote particularis, potitur auctoritate in universalem Ecclesiam ad episcopos totius orbis christiani cogendos. Hoc argumentum historia confirmat, quae testatur a saeculo nono ad nostra usque tempora orientales Ecclesias nullibi ac nunquam oecumenica concilia convocasse, catholicam autem Ecclesiam concilia Florentinum, Tridentinum et Vaticanum convocasse, quibus oecumenicitatis notam non defuisse in praesens meum non est demonstrare.

Si vero appellatio, quam memoravimus, hoc sibi velit magisterium ecclesiasticum, perinde ac mutum cadaver post septimum concilium oecumenicum ex instituto se gerere, neque amplius pro veritate christiana tutanda vocem missurum, consequeretur Ecclesiam Christi, veluti navem sine gubernaculo, saevientibus procellis, medium pelagum tenere. Hanc consequentiam reiciunt uno ore theologi orthodoxi. Magisterium ecclesiasticum extingui nequit, quin eodem tempore, depositis armis, Ecclesia suis se tradat hostibus ac pravis doctrinis latam sternat viam. Si igitur Ecclesia magisterium suum quovis tempore debet exercere, deneganda non est ei facultas pro tempore novas condendi definitiones dogmaticas. Hoc potiebatur iure Ecclesia universalis usque ad septimum concilium oecumenicum neque ulla est ratio, cur hoc idem ius Ecclesiae, quae labentibus saeculis nostraque hac aetate semper universalem se praebuit ac praebet, adimatur.

11. β) Alterum corollarium non minoris momenti est. Fatetur enim theologia orthodoxa novam definitionem dogmaticam haud sibi velle novum dogma in depositum fidei induci. Doctrinam, quae per dogma concinnatur, novitate carere absolute est necessarium. Novitas vero definitionis dogmaticae non attingit essentiam, sed for-

mam exteriorem dogmatis; doctrinam non effingit novam, sed novis vel aptioribus verbis, quod nobis traditum est, exprimit. Si licet parvis componere magna, lapides miro perfectoque aedificio insertas a glomerato per vetustatem pulvere liberat, earumque nitorem ac pulchritudinem cunctis patefacit. Si haec ita se habeant, fallitur qui novam definitionem dogmaticam novum dogma esse contendit; fallitur, qui novas voces in theologia christiana per definitiones dogmaticas acerbis verbis iudicat, perinde ac si vetus Ecclesiae doctrina corrumperetur. Quod Patres prioris concilii egerunt in concilio Nicaeno, sancientes usum et sensum theologicum vocis ὁμοούσιον, idem factum est ab Ecclesia catholica, cum ad errores in sacrosanctum Eucharistiae mysterium depellendos, invexit vocem transsubstantiationis, quam complures theologi Graeci, lutheranis theologis perstrepentibus[29]), voce μετουσιώσεως in Graecum verterunt et probarunt. Cum igitur definitiones dogmaticae proponuntur a catholica Ecclesia cunctis fidelibus, statim conclamandum non est, novum dogma Latinos invenisse; »ab Ecclesiis orientalibus scissum Romanum catholicismum operosum tantum esse in attollendis sententiis doctorum particularium ad fastigium veritatum communium, absolutarum, divinarum« [30]). Haec falso catholicae Ecclesiae obiciuntur, quae suis definitionibus dogmaticis antiquum dogma quoad se, efficit dogma quoad nos, veritatem scilicet quae in Sacris Scripturis et Traditione Apostolica continetur, contra surgentes errores, omnibus fidelibus, ut legitimum Dei verbum credendum proponit. Non est igitur improbanda definitio dogmatica, perinde ac si novum dogma prae se ferret[31]). Argumenta, quibus movetur catholica Ecclesia, cum pronuntiat definitiones dogmaticas, e Sacris Scripturis ac Traditione eruuntur, et luculenter hoc demonstrant laboriosae theologorum investigationes, quae fusum commentarium et praeambulum harum definitionum censeri possunt. Inique igitur theologi orthodoxi novas definitiones dogmaticas reprobant tanquam nova dogmata. Haec rite potuissent opponere, si eis contingeret ἀποδεικτικοῖς rationibus, quod nemo usque nunc periclitatus est, ostendere Sacram Scripturam vel Traditionem nulla praebere vestigia dogmatum, quae a Romana Ecclesia ut talia proponuntur.

Quae disseruimus, hoc argumento coarctari queunt. Novum dogma proponeret Ecclesia catholica, si in suis definitionibus dogma-

---

[29]) Kiesling, Historia concertationis Graecorum Latinorumque de Transsubstantiatione in sacrae Eucharistiae Sacrameto, Lipsiae, 1754, p. 327—328.

[30]) Bulgakov, Предположеніе о принятіи еще новаго догмата въ римско-католическую догматику, Trudy Kievskoj Duh. Akademii, 1903, t. III, p. 150.

[31]) Optime Montagnius: „Ecclesia quando vel definit, vel credendum proponit aliquod dogma fidei, non condit articulum omnino novum, sed partim declarat, quod vel in Scriptura, vel in apostolicis traditionibus continetur, partim definit ac praecipit ita esse credendum, quomodo antea non passim ita credebatur explicite, quia nondum constabat an contineretur in Scriptura vel Traditione. — De censuris seu locis theologicis et de sensu propositionum, Migne, Theologiae Cursus Completus, t. I., Parisiis, 1860, col. 1860.

ticis novam doctrinam, quae in Sacris Scripturis et in Traditionibus Apostolicis non continetur, expromeret; atqui nefas est asserere, in suis definitionibus dogmaticis, Ecclesiam catholicam doctrinam proponere, quae neque in Sacris Scripturis neque in Traditione Apostolica continetur. Ergo novum dogma Ecclesia non condit. Minor patet ex eo quod singulis dogmatis, quae ab Ecclesia catholica definita sunt, fulcrum praebent uberrimi textus e penu divinae Revelationis ac Traditionis desumpti, qui referuntur in tractatibus theologicis.

12. Ad divisionem dogmatum quod attinet, complura contra sententias catholicorum theologorum a scriptoribus orthodoxis congeruntur, quae iuvat breviter attingere.

α) A. Šost'in censoria virgula notat distinctionem inter dogmata pure ecclesiastica et pure divina. Si dogma mere divinum, licet a Deo immediate revelatum, minorem vim obligatoriam in orbe christiano haberet quam dogma pure ecclesiasticum ab Ecclesia omnibus credendum propositum, consequeretur a theologis catholicis auctoritatem Ecclesiae docentis potiorem censeri quam quae Deo tribuitur; verbum Vicarii Iesu Christi fortius conscientias ligare quam verbum divinum. Pro eo ut haec dogmata mere divina dicantur, vel materialia vel quoad se, Šostini sententia est ut vocentur opiniones particulares theologorum, de quibus cuivis licet agitare controversias in scholis [32]).

Hisce animadversionibus haec rependimus: 1. Dogma ecclesiasticum prout a theologis catholicis intenditur, non excludit revelationem divinam, in qua sive explicite, sive implicite continetur. Characterem igitur prae se fert dogmatis etiam divini [33]). 2. Dogma pure divinum id intelligitur, quod caret notione Церковности, quam theologi orthodoxi necessario includunt in notione dogmatis strictius accepti. Nihil igitur mirum, si dogma strictius acceptum, nempe quod simul divinum sit atque ecclesiasticum, definitum et promulgatum ab Ecclesia, maiorem vim obligatoriam extensive, id est pro cunctis fidelibus, habeat. Theologi orthodoxi tenent elementum, quod commemoravimus, necessario reperiendum in notione dogmatis, et consequenter, dogma quod eo caret, licet etiam disertis verbis in revelatione contentum, eadem vi non pollet extrinsecus, qua dogma, cui Ecclesia catholica suam addit sanctionem. Hoc sibi non vult quod auctoritas Ecclesiae censeatur moraliter superior auctoritate Dei revelantis, sed tantum quod verbum Dei revelatum, testante Ecclesia, ut tale accipiendum sit cunctis fidelibus. Auctoritati igitur Dei haud opponitur auctoritas Ecclesiae, sed utraque in munere veritates dogmaticas statuendi mutuo se complet [34]).

---

[32]) Источники и предметъ догматики по воззрѣнію католическихъ богослововъ послѣдняго полу-столѣтія, Ḫar'kov, 1889, p. 161.

[33]) Scheeben, t. I., p. 290.

[34]) Optime haec notat Cardinalis Gotti O. Praed.: „Verbum quidem Dei non eget verbo Ecclesiae, egemus tamen nos testimonio, et verbo Ecclesiae, ut certi simus illud, quod nobis tanquam verbum Dei proponitur, esse revera vebum Dei et non hominis; neque hoc est verbum

13. β) Šostin improbat distinctionem inter dogmata essentialia et non essentialia, quae interdum reperitur apud theologos catholicos, quamque ipse deducit ex verbis Scheeben: »Dantur veritates revelatae, quae in deposito fidei per aliquod tempus obscurae vel incertae manent. Fieri potest in hoc casu, ut huiusmodi veritates negentur a compluribus, earumque negatio toleretur ab Ecclesia vel ob ignorantiam negantium, vel ob eorum incertitudinem, qua fit, ut a multis tanquam sententiae probabiles habeantur«[35]. Nefas est admittere, obicit Šostin, simul cum veritatibus necessariis atque essentialibus, Deum suae Ecclesiae revelasse veritates quasdam non essentiales et non necessarias, quae detegendae essent fidelibus saeculi XIX. Si res ita se haberet, posset etiam Ecclesia revelatas a Christo veritates non amplius meminisse, vel easdem repudiare, neque tamen a Christi fide deficeret. Insuper, quisnam ex theologis catholicis auderet asserere infallibilitatem Romani Pontificis inter dogmata non essentialia atque obscura novendecim saeculorum intervallo mansisse?...[36]).

Multis non opus est verbis ad inanitatem harum reprehensionum detegendam. 1. Philaretus ipse admittit esse dogmata, quae essentialia dicuntur, verbi gratia dogma Ssmae Trinitatis, et dogmata non essentialia, verbi gratia dogma existentiae Angelorum; 2. Haec distinctio, observat iterum Philaretus, non dicit cuicumque licere has veritates suo arbitratu respuere. Aliud est nescire quoddam dogma, aliud vero id reicere. Nescire Deum esse, vel Iesum Christum nos redemisse, non sine detrimento salutis contingit, quod quidem asseri nequit, si quis ignorat quam plurimos angelos existere[37]); 3. Quod serius data sit ab Ecclesia catholica defin tio quorumdam dogmatum, hoc non probat ea minoris momenti putari, vel eorum oblitam fuisse Ecclesiam per longam saeculorum seriem cum iactura fidei. Hoc tantum indicat pro his dogmatis necessariam non fuisse in praeterito aevo definitionem formalem, quia vel theoretice a plurimis theologis, vel practice generatim a fidelibus agnoscebantur. Exortis vero litibus et controversiis dubiisque animos exagitantibus Ecclesia, ad quam pertinet etiam iudicium de opportuno tempore definitionum dogmaticarum, implet officium suum, definiens quid de fide tenendum sit, ut finem controversiis imponat. Hoc explicat cur ante definitionem infallibilitatis Romani Pontificis a concilio Vaticano propositam, cuidam theologo catholico (Šostin citat tantum Klee) licitum visum sit docere hanc

---

Dei a verbo hominis recipere approbationem, sed potius testimonio Ecclesiae, in hisce non ex se, sed ex verbo Dei infallibilis, cognitionem nostram, et fidem confirmari, quod hoc sit verbum Dei, atque genuinus eiusdem sensus, quia cum Christus Ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus Sancti, qui doceat eam, ducatque in omnem veritatem haec, quae stante Dei promissione, quae semper obtinet, nunquam deficit, numquam docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum. — De veritate religionis christianae, tract. III., cap. 7, apud Migne, Theologiae Cursus completus, t. VI, Parisiis, 1862, col. 884.

[35]) Op. cit., p 167—168.

[36]) Op. cit., p. 6—7.

[37]) La Dogmatique, I, p. 406.

veritatem fidei non dogma prae se ferre, sed opinionem theologicam, maxima consideratione perdignam. Definitio dogmatis e magisterio infallibili Ecclesiae procedens haerentibus theologis plenissimam lucem profundit, discussaque caligine humanarum opinionum veritatem fidei sartam tectamque servat ac fidelibus clarissimis verbis proponit. »Saepe saepius, ait Scheeben, decisiones dogmaticae in Ecclesia dogma non gignunt, scilicet cognitionem dogmaticam cuiusdam doctrinae diserte admissae; earum munus in hoc ponitur, ut veritatem ipsam contra temeritatem audaciamque dubiorum tueantur« [38]).

14. Insimulat denique Šostin theologos catholicos sterilis formularum cultus, quia pluribus utuntur locutionibus in determinandis, quid fide tenendum sit; verbi gratia voces contemnit, quae adhibentur ad designandas propositiones fidei proximas, theologice certas, haeresi proximas, haeresim sapientes etc., asseritque omnes veritates sive simpliciter a Deo revelatas, sive simul revelatas atque ab Ecclesia propositas, dogmata simul esse quoad se et quoad nos [39]).

Ad formalismum theologiae catholicae quod attinet, supervacaneum est plurimos adducere locos scriptorum orthodoxorum, qui vehementer dolent hunc morbum theologiam simulque totam Ecclesiam orthodoxam infecisse. Si quis eos legere aveat, meum librum adeat La Chiesa russa, ubi passim colliguntur. Hic sufficiat animadvertere: 1. huiusmodi distinctiones inductas esse claritatis causa, ut facilius erroribus praecludatur aditus et veritas fulgidior niteat. In controversiis praesertim fidei maxima opus est terminorum praecisione et pro eo ut culpetur, laudanda potius est theologia catholica, quae optimas invexit distinctiones ac locutiones, quibus haud raro vel theologi orthodoxi usi sunt ad fidem orthodoxam rite exponendam ac tutandam; 2. Etiam dogmata quoad se accipiuntur a theologis catholicis tanquam dogmata quoad nos, quia non sine periculo haereseos, negaretur veritas fidei in deposito divinae revelationis ex consensu theologorum contenta, licet nondum ab Ecclesia dogmatica confirmata definitione. Certum tamen est discrimen intercedere inter veritatem simpliciter revelatam, et veritatem revelatam ac simul ab Ecclesia ut dogma declaratam. Theologi orthodoxi ad eam innuendam dicerent veritatem prioris generis carere nota церковности: theologia vero catholica breviore utitur formula, quae diserte edisserit cuidam veritati revelatae addi notam quam commemoravimus, eiusque consectarium, notam законообязательности. Si omnia dogmata in divina revelatione contenta, ab Ecclesia non definita, nullo modo distinguerentur a dogmatis revelatis, sed ab Ecclesia definitis, ratio non esset, cur magisterium ecclesiasticum definitiones dogmaticas promulgaret. Šostin

---

38) P. 169 - 170.

39) Свидѣтельство св. Писанія и общій голосъ преданія въ пользу той или другой истины вѣры представляютъ сами по себѣ вполнѣ достаточное и авторитетное побужденіе для вѣрующихъ, чтобы принять эту самую истину именно какъ непреложный бого-откровенный догматъ. — P. 170.

»Testimonium, inquit, Sacrae Scripturae et communis vox Traditionis pro hac vel illa fidei veritate ex seipsis validissimum praebent fidelibus motivum eam accipiendi tanquam certissimum dogma divinitus revelatum« [39]). Miror sane theologum, qui buccis inflatis conclamitat Latinos theologos rationalistarum placitis nimis indulgere, sententiam expromere, qua cuilibet fideli tribuitur ius discernendi, quaenam veritates in divina revelatione ut dogmata accipiendae sint. Dantur quidem omnia dogmata in Sacris Scripturis et Traditione, sed non cunctis fidelibus haec patent, nisi magister quidam eis sensum verborum Dei aperiat, ut Iesus Christus suis Apostolis: διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς Γραφάς (Luc., XXIV., 45). Hoc magisterium implet Ecclesia etiam quoad dogmata, quae clare et diserte profitetur Sacra Scriptura. Nulla enim est veritas vel luce fulgidior meridiana, quae non titillet novitatum amatores eosque non adigat ad illam impugnandam, vel nomen aucupandi causa, vel defectu acris ingenii, vel aliis causis. Et revera constat historia, veritates, quae perspicuis verbis traduntur in Sacris Scripturis ac Traditione, ut divinitas Iesu Christi, consubstantialitas divinarum personarum, divina Maternitas beatae Mariae Virginis, plurimos habuisse oppugnatores et negantes, qui nefandarum segetem haeresum in orbe christiano disseminarunt. Magisterium igitur Ecclesiae necessarium est sive pro veritatibus quae obscure, sive pro veritatibus quae clare continentur in deposito fidei, et consequenter, cum definitio Ecclesiae divinam dogmatis cuiuslibet originem sanciat, novumque ei addat elementum extrinsecum, quo facilius et sine erroribus dignoscitur, rite a theologis catholicis, ut hoc exprimatur, distinguitur inter dogmata quoad se et dogmata quoad nos.

A. Palmieri

XVI.

Dissertatio iuridico-historica de indissolubilitatis principio et divortiis in ecclesia Graeco-Orientali.

Prooemium.

1. Ius Romano-Byzantinum definit matrimonium: *Γάμος ἐστὶν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συνάφεια καὶ συγκλήρωσις τοῦ βίου παντός, θείου τε καὶ ἀνθρωπίνου δικαίου κοινωνία.*[1]) Quae definitio a Modestino[2]) recepta et in ius canonicum ecclesiae Graeco-Orientalis translata non attingit primo loco matrimonii finem primarium, qui est prolis procreatio et educatio, neque eius finem secundarium sc. mutuum coniugum auxilium in re domestica, sed illam ethicam moralemque viri et mulieris coniunctionem per totam vitam, secundum quam unum corpus unaque anima fiunt.

Dicitur coniunctio inter virum et mulierem, quia tantum inter hos iniri potest et quidem individuam vitae consuetudinem afferens i. e. non temporanea, sed usque ad mortem perdurans. Vitae consuetudo seu consortium significat mutuum ius in corpus in ordine ad genera-

---

[1]) Basilica XXVIII. 4. 1. ed. Heimbach III. p. 166.
[2]) Digesta XXII. 2. 1.; Cod. IX. 32. 4. cfr. Zhishmann, Das Eherecht der Orientalischen Kirche. (Wien 1864) p. 3 s. 93 s.

tionem iuxta Apostoli verba 1. Cor. 7, 4.: „Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier." Quod ius in alterius coniugis corpus duo praestat, quae sedulo secernenda sunt: 1. Quaelibet pars habet ius ad copulam ad procreationem et educationem prolis, cui iuri respondet in altera parte obligatio praebendi suum corpus; 2. ceteri omnes ab hoc excluduntur. Alterum i. e. ceterorum exclusio semper verificatur, donec vinculum seu matrimonium perdurat; sed primum i. e. ius ad copulam active sumptum subsistente vinculo potest non exerceri et potest quoque amitti tum ad tempus, tum in perpetuum.

Etenim matrimonium est contractus legitimus inter marem et feminam, cuius essentia consistit in consensu rite comparti manifestato in vitae consuetudinem sive in ius in corpus ad actum coniugalem, quod matrimonii vinculum appellatur. Ergo consensus in tori, mensae, cohabitationis communionem ad connubii essentiam non requiritur. Proinde consequenter neque omnis separatio a toro et mensa i. e. nullum exercitium iuris coniugalis in corpus ipsam matrimonii essentiam destruit.

2. Dicitur *συγκλήρωσις τοῦ βίου παντός*, quod designat vinculi matrimonialis indissolubilitatem, quae duplex distinguitur, interna et externa. Interna in eo consistit, quod matrimonium per causam internam seu per mutuum contrahentium consensum solvi non potest; externa in eo consistit, quod matrimonium per causam externam scil. divinam vel ecclesiasticam solvi non potest. Canonistae catholici haec de indissolubilitate tenent:

a) Omne matrimonium intrisecus indissolubile est, adeo ut contrahentium voluntate nunquam dissolvi possit.

b) Matrimonium ratum et consummatum extrinsecus indissolubile est et tantum alterius coniugum morte solvi potest.

c) Matrimonium ratum consumnatum extrinsecus dissolvi potest per dispensationem summi Pontificis et per sollemnem professionem unius coniugis in religione probata, quod certum est ex conc. Tridentino sess. 24. c. 6.[3])

In iure canonico Graeco-Orientalium non est nota distinctio inter indissolubilitatem matrimonii rati tantum et indissolubilitatem matrimonii rati et consummati et propterea haec distinctio in dissertatione non respicitur. Cf. hac de re Sl. l. th. I, 9.

Ceterum de solubilitate matrimonii in casu adulterii inter theologos Orientales consensus non est. Duae sunt praecipuae sententiae adversariorum doctrinae catholicae. Alii statuunt, coniugem, qui coniugem sine iure (i. e. excepta causa fornicationis) repudiet eoque repudiato novum capessat matrimonium, peccare; sin iure coniugem repudiet, utrumque coniugem ad secundas nuptias posse transire; id tenent Th. Prokopovič, P, Mihail, alii et allegant Basil., Ad Amphil. cn. 37 (cum interpretatione Balsamonis) et cn. 9. Alii autem docent, coniuges, qui contra ius fasque facto inter se divortio nova matrimonia contrahant.

---

[3]) **Noldin, De sacramentis, Oeniponte 1906. 592 p.**

adulteros esse, sed nec illi coniugi, qui iuste dimissus sit, novum matrimonium inire licere. Id Glubokovskij aliique statuunt. (Plura hac de re cf. Sl. l. th. I, 160—162).

3. Hoc loco addenda sunt aliqua de variis nominibus, quibus matrimonii solutio appellari solet.

In sacra Scriptura veteris testamenti occurrit nomen repudii — libelli repudii. Ita Deut. 24, 1. dicitur: „Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem: scribet libellum repudii". In sacris Scripturis novi testamenti apud Matth. 19, 9; 1. Cor. 7, 10 s. invenitur nomen dimissionis, discessus. Sed tamen animadvertendum est vocem dimissionis etiam ad separationem a toro et cohabitatione significandam adhiberi posse. Apud ss. Patres scriptoresque ecclesiasticos Orientales occurrit: libellum repudii — *βιβλίον τοῦ ῥεπουδίου*, dimissio — *ἄφεσις*, solutio — *διάλυσις, λύσις,* quae tamen vocabula saepe de separatione adhibentur. In iure Romano-Byzantino occurrit tantum nomen divortii — *διάζευξις, διαζύγιον, λύσις, διάλυσις*, quae semper de solutione vinculi intelliguntur. Hoc sensu accipit divortium etiam ius canonicum Orientalium. In dissertatione hac adhibetur semper ad significandam perfectam vinculi matrimonialis solutionem.

4. Institutum dissertationis est historicam evolutionem principii dissolubilitatis et divortiorum in ecclesia Graeco-Orientali ab antiquissimis temporibus ad oculos ponere.

Inquirere in hanc quaestionem, perdifficile est, cum una ex parte fontes et litteratura parci valde sint, cumque ex altera parte ius canonicum Orientalium arctissime coniunctum sit cum iure civili et ita quaestio maxime implicetur. Tamen conabimur, quantum possibile erit, et quantum amplitudo dissertationis permittet, delineare hanc quaestionem, quae semper maximi momenti pro bonis moribus generis humani erat.

Praecipuus respectus ad fontes iuridicos habitus est, ubi autem hi non aderant, provocatum est ad ss. Patrum aliorumque scriptorum testimonia, ut ostenderetur ecclesiae doctrina eiusque oppositio ad ius civile Romano-Byzantinum. Et fontes iuridici et ss. Patres citantur in lingua originali, ut genuinus verborum sensus melius videatur.

5. Primo loco describitur dissolubilitas in iure Romano, quod necessarium est scitu, ut circumstantiae et variae sententiae quibuscum doctrinae Christi pugnandum erat, intelligi possint. Praesertim hoc valet de Oriente, ubi imperatores christiani cum aliquibus parvis modificationibus simpliciter acceperunt iuris Romani dispositiones.

Variae editiones fontium iuris, quae in dissertatione consultae sunt.

A. Editiones iuris canonici.

1. *Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων τῶν τε ἁγίων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων καὶ τῶν ἱερῶν οἰκουμενικῶν Συνόδων, καὶ τῶν κατὰ μέρος ἁγίων Πατέρων, ἐκδοθὲν σὺν πλείσταις ἄλλαις τὴν*

ἐκκλησιαστικὴν κατάστασιν διεπούσαις διατάξεσι, μετὰ τῶν ἀρχαίων ἐξηγητῶν καὶ διαφόρων ἀναγνωσμάτων ὑπὸ Γ. Α. Ῥάλλη καὶ Μ. Πότλη, ἐγκρίσει τῆς Ἁγίας καὶ Μεγάλης τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας, καὶ τῆς ἱερᾶς Συνόδου τῆς ἐκκλησίας τῆς Ἑλλάδος. Athenis 1852.—1859. Sex vol. Opus continet amplissimam collectionem iuris canonici, quamvis multis in locis non satis critice procedat.

2. Bibliotheca iuris canonici veteris in duos tomos distributa, quorum unus canonum ecclesiasticorum codices antiquos tum Graecos tum Latinos complectitur; subiunctis vetustissimis eorumdem canonum collectoribus Latinis: alter vero insigniores iuris canonici veteris collectores Graecos exhibet. Ex antiquis codicibus manuscr. bibliothecae Christophori Iustelli opera et studio Guiliel. Voelli et Henrici Iustelli. Lutetiae Parisiorum 1661. 2. vol.

3. J. B. Pitra S. R. E. Card., Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta. Iussu Pii IX. Tomi duo Romae (De Propaganda fide) 1868. Haec editio optima omnium est.

4. J. B. Pitra Card. Analecta sacra spicilegio Solismensi parata. Parisiis 1883.

B. Editiones iuris profani.

1. Corpus iuris Romani Anteiustiniani. Ed. Böckingii a Bethmann, Hollwegii et dum in vivis erat E. Puggaei. Bonnae 1841.

2. Corpus legum ab imperatoribus Romanis ante Iustinianum latarum, quae extra constitutionum codices supersunt. Ed. D. G. Haenel, Lipsiensis. Lipsiae (Hinrich) 1857. Ab eodem auctore editus est index chronologicus legum ab imperatoribus Romanis usque ad Iustinianum latarum. Lipsiae 1860.

3. Codex Theodosianus. Ed. G. Haenel. Bonnae (Marcus) 1842.

4. Corpus iuris civilis. Ed. stereotypa 2. Berolini 1899.

5. Novellae et Constitutiones imperatorum Theodosii II., Valentiani III., Maximi, Maioriani, Severi, Anthemii. Ed. G. Haenel. Bonnae (Marcus) 1844.

6. Iustiniani Novellae sive Constitutiones extra codicem. Ed. C. E. Zachariae a Lingenthal. Lipsiae 1881.

7. Ius Graeco-Romanum. Ed. C. E. Zachariae a Lingenthal. Tomi 6. Lipsiae (Weigel) 1857.

8. *Ὁ πρόχειρος νόμος* imperatorum Basilii, Constantini et Leonis. Ed. eiusdem. Heidelbergae (Mohr) 1837.

9. Collectio librorum iuris Graeco-Romani ineditorum. Ed. C. E. Zachariae a Lingenthal. Lipsiae (Barthius) 1852. Hic invenitur celebris Ecloga Leonis et Constantini atque Epanagoge Leonis et Alexandri.

10. Basilicorum libri LX. Post Annibalis Fabroti curas ope Codd. Mss. a G. Er. Heimbachio aliisque collatorum integriores cum scholiis edidit, editos denuo recensuit, deperditos restituit, translationem Latinam et annotationem criticam adiecit D. C. G. Er. Heimbach, antecessor Jenensis 1833—1850, 5 vol.

11. Acta et diplomata Graeca medii aevi sacra et profana. Ed. Fr. Miklosich et Jos. Müller. Vindobonae (Gerold 1862—1871. Vol. 4. Volumen 1—2. habet titulum: Acta patriarchatus Cptani ab anno

1315—1402. Vol. 3. inscribitur: Acta et diplomata res Graecas Italasque illustrantia. Vol. 4. Acta et dipl. monasteriorum et eccles. Orientis.

12. Historiae iuris Graeco-Romani delineatio. C. E. Zacharias Heidelbergae 1859.

Litteratura.

1. Tim. V. Barsov, O poslědstvijaḫ rastorženija braka v slučaě preljubodějanija. Ḫrist. Čt. 1882, I, 799—842.

2. A. J. Binterim, Ueber Ehe u. Ehescheidung nach Gotteswort und dem Geiste der katholischen Kirche. Düsseldorf (J. Wolf) 1819.

3. Dr. J. Fahrner, Geschichte des Unauflöslichkeitsprinzips und der vollkommenen Scheidung der Ehe im kanonischen Recht. Freiburg im Breisgau (Herder) 1903.

4. J. Freisen, Geschichte des canonischen Eherechtes bis zum Verfall der Glossenlitteratur[2] Paderborn (Schöningh.) 1893. p. 769—830.

5. Gasparri, Tractatus de matrimonio[2] Parisiis 1900. II. 239—278.

6. Hergenröther, Archiv für kath. Kirchenrecht. Bd. X. Neue Folge IV. p. 322—336 et Bd. XIV. Neue F. VIII. p. 313—320.

7. Dr. O. Karlowa, Die Formen der römischen Ehe und Manus. Bonn. (Cohen). 1868.

8. Kutschcker, Eherecht I. 269—365.

9. Fr. Kunstmann, Grundzüge eines vergleichenden Kirchenrechtes der christlichen Confessionem. München (Kaiser) 1867.

10. S. Klein de Száد, Dissertatio canonica de matrimonio iuxta disciplinam Graeco-Orientalis ecclesiae. Vindobonae (Kurzbeck) 1781 p. 117 ss.

11. Ernst von Lasaulx, Zur Geschichte und Philosophie der Ehe bei den Griechen. München, 1852.

12. Theod. Mandics, Dissertatio canonica de causis connubium discindentibus iuxta disciplinam orthodoxae ecclesiae Christi orientalis. Budae, 1826. Auctor sequitur prorsus ius Romano-Byzantinum.

13. Nikodim Milaš, Православно црквено право[2] [Ius canonicum ecclesiae orthodoxae (orientalis)] Mostar (Pacher-Kisić) 1902 p. 668—682. Auctor est plenus Byzantinismi.

14. Dr. C. von Moy, Das Eherecht der Christen in der morgenländischen und abendländischen Kirche bis zur Zeit Karls des Grossen. Regensburg, 1833 (Pustet) I. 10—45; 118—151.

15. D. Palmieri, Tractatus de matrimonio christiano. Romae (Polyglotta) 1880. 125 ss.

16. A. S. Pavlov, Курсъ церковнаго права [Cursus iuris canonici] Gromoglasov. Lavra 1902 p. 378 ss.

17. J. Perrone, De matrimonio christiano. Romae 1858, III.

18. G. R. Ribics, Dissertatio canonica de indissolubilitate matrimonii. Viennae 1753.

19. A. de Roskovány, Matrimonium in ecclesia catholica Pestini et Nitriae 1870—1887 tom. I—V.

20. Rosset, De sacram. matr. I. Maur. 1895. p. 465—641.

21. A. Fr. von Schaguna, Compendium des kanonischen Rechtes. Aus dem Romanischen übersezt von Dr. Alois Sentz. Hermanstadt (Drotleff) 1868. p. 67—84.

22. R. Rit. von Scherer, Handbuch des Kirchenrechts. Graz u. Leipzig (Moser) 1898. Bd. II. 541—554.

23. Papp-Szilágyi de Illyésfalva, Enchiridion iuris ecclesiae orientalis catholicae. Varadini 1862. 487—499. Auctor sequitur magis ius ecclesiae occidentalis, quam orientalis.

24. Is. Silbernagl, Das Eherecht nach den Gesetzen der griechischen Kirche. (Habilitations-Schrift). München 1862. p. 37 ss.

25. F. Walter, Geschichte des röm. Rechtes bis auf Justinian[2]. Bonn (Weber) 1846. II. 106—135.

26. F. Walter, Lehrbuch des Kirchenrechts aller christlichen Confessionen; XIV. Ausgabe besorgt von Hermann Gerlach. Bonn (A. Marcus) 1871.

27. F. Vering, Lehrbuch des kath., orient. und protest. Kirchenrechts[2]. Freiburg im Breisgau (Herder) 1881. Bd. II. 926—929.

28. X. Wernz, Ius decretalium ad usum praelectionis. Tomus IV. Romae 1904. p. 1006—1077.

29. D. C. Zachariä von Lingenthal, Geschichte des griechisch-römischen Rechtes[3]. Berlin (Weidmann) 1877. p. 76—83.

30. A. I. Zagorovskij, O razvodě po russkomu pravu. Ḫar'kov. 1884.

31. J. Zenger, Neuer Versuch einer genauen und ausführlichen Erklärung der Stellen der hl. Schrift und der Traditions-zeugnisse aus den ersten vier Jahrhunderten, welche von der Ehescheidung handeln. München (J. Giel.) 1819.

32. Dr. J. Zhishman, Das Eherecht der orientalischen Kirche. Wien (Braumüller) 1864. Hergenröther in Archiv X. p. 322 ita loquitur de hoc opere: „So wenig ich den byzantinisch-cäsaropapistischen Standpunkt des Verfassers zu teilen und allen seinen Ausführungen die gleiche Gründlichkeit und Genauigkeit zuzugestehen vermag, so sehr fühle ich mich gedrungen, die fleissige und geistvolle Arbeit des Herrn Dr. Zhishman, der sich mit seinem Gegenstande sehr vertraut gemacht und die Leistungen von Assemani, Biener, Zachariä, Heimbach, Mortreul, Dom. Pitra und and. wohl benützt hat, als eine wertvolle Bereicherung der kirchenrechtlichen Litteratur willkommen zu heissen". Zachariä von Lingenthal in prooemio p. VIII. ad „Geschichte des G. R. Rechts[2]" affirmat Zhishman multa a se transcripsisse: „Wenn dagegen dr. Zhishman in seinem Eherecht der orientalischen Kirche (Wien 1863?) zahlreiche Sätze, ja ganze Seiten des ersten Heftes wörtlich ohne Nennung seiner Quelle abgeschrieben hat, so ist dies ein Verfahren, welches weniger Anerkennung, als vielmehr ernsteste Rüge herausfordert". Tamen hoc iudicium severum est, quia Zhishman ex opere Zachariae tantum aliquas ex lingua Graeca versiones assumpsit et fontibus, qui apud eum in notis inveniuntur, usus est.

33. Dr. H. Geffcken, Zur Geschichte der Ehescheidung vor Gratia.n Leipzig. (Weit.) 1894.

Sectio I.

Evolutio dissolubilitatis matrimonii usque ad tempora schismatis Photiani.

A) Ius Romano Byzantinum usque ad imperatorem Iustinianum et principium indissolubilitatis secundum doctrinam christianam.

§ 1. Ius divortii apud antiquos Romanos usque ad tempora Constantini Magni[4]).

Tres coniunctionis maritalis modos invenimus in antiquo iure Romano: confarreationem, usum et coëmptionem. Matrimonium „per confarreationem" erat sacro-iuridicum, per „coëmptionem" civile et iuridicum. Utrum per tertium modum connubii — per „usum" mulier fuerit vera uxor, an tantum per aliquod tempus uxoris loco, non potest demonstrari. Certum est tamen in omnibus hisce tribus formis coniunctionis maritalis mulierem participem sacrorum filiamque familiae fuisse.

Flaminum dissolutio coniugii per confarreationem initi seu diffarreatio usque ad Domitianum prorsus impossibilis erat. Utrum etiam alias huiusmodi matrimonium, indissolubile fuerit non constat, quia testimonia Plutarchi (Rom. 22) et Dionysii Halicarnassensis (II, 25) dissentire videntur. Postea autem diffarreatio omnino possibilis facta est. Qui dimittebat alteram partem sine ratione, debebat quidem aliquam poenam pecuniariam subire, sed solutio matrimonii erat legitima. —

Secundum reliquas duas formas mulieri ab ipsa lege non permittebatur a viro discedere, quia huiusmodi matrimonia semper erant cum conventione in manum, ubi mulier prorsus erat sub viri potestate. Sed tamen iam tempore Plutarchi mulieres utebantur alio dissolutionis modo scil. per remancipationem in manus alicuius consaguinei vel amici vel per coëmptionem [5]).

Vir utique habebat potestatem mulierem dimittendi, ut dicitur apud Gell. X. 23, 4: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit. Debebat tamen iudicium familiare convocare et mulierem coram cognatis accusare. Qua forma non observata, dissolutio iure valida erat, sed vir poenam subire potuit [6]).

Qui tres ineundi matrimonia modi tempore moralis corruptionis totum fere valorem amiserunt [7]). Post Punica nempe bella quarta forma coniunctionis maritalis introducta est: connubium sine conventione in manum — matrimonium liberum. Simul cum hac forma inductus est novus modus legalis mittendi repudii, nempe per mutuum coniugum consilium sine ulla praescripta forma et sine ulla causa. Distinguebatur praeterea divortium bona gratia et iniustum divortium, sed haec non

---

[4]) Karlowa op. c. 5; Rossbach, Untersuchungen über die römische Ehe 93 ff.; Walter op. c. 114 f,; Wernz IV, 1011 et 696 n. nota 14.; Zenger op. c. 371. sq.; Fahrner op. c. 1 ff.

[5]) Plutarch., Cato min. 25. 52.; Caius I. 115—195, Festus v. remancipat.

[6]) Geffcken 11.

[7]) Matrimonium per usum non exstitit post Augustum, modus confarreationis tantum apud flamines in usu erat, tertia forma aderat tunc quoque in iure, sed privata sua priore vi (cfr. Tacitus, Annal. IV. 16. Geffcken 12.)

erat ulla innumerabilium dissolutionum restrictio, quae dissolutiones in dies semper frequentiores erant et simul cum maiore in dies corruptione crescebant. —

Immo prohibita et irrita declarata est a iure omnis conditio, quae solutionem impediret. L. 2, Cod. 8, 39 explicite praescribitur: „Libera matrimonia esse antiquitus placuit. Ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere, et stipulationes, quibus poena irrogaretur ei, qui divortium fecisset, ratas non haberi constat" [8]).

Pater vel tertia persona potuit etiam matrimonium sine conventione in manum per reclamationem solvere [9]).

Quam maximam corruptionem primus impedire voluit Augustus, qui anno 18. a. Chr. edidit legem „Iuliam de coërcendis adulteriis", secundum quam solutio debebat fieri coram septem testibus civibus Romanis in aliqua forma declarata. Sed per hanc legis dispositionem nihil prorsus factum est, cum solutio etiam abhinc non esset publici, sed tantum privati iuris inter maritum et mulierem atque ita nulla restrictio facta est in parte materiali solutionum [10]).

Lex Iulia Papia Poppea an. 9. a. Chr. restrinxit divortia, in quantum libertis prohibitum erat discedere a suo patrono, maximo benefactore et in quantum novas poenas pecuniarias iis imposuit, qui iniuste sine ulla causa dimitterent uxores [11]).

Ergo post Augustum etiam divortium consensu et bona gratia, i. e. ubi nullum crimen tanquam causa dissolutionis aderat, sed aliqua dissolutionis rationabilis causa, permissum omnino erat. In casu iniusti repudii pars rea poena affligebatur, praesertim, si adulterium commiserit, ut dicitur apud Ulp. VI. 13: „mariti mares puniuntur in ea quidem dote, quae ad diem reddi debet (ut) propter maiores mores praesentem reddat, propter minores senum mensum die, in ea autem, quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus iubetur reddere, quantum in illa dote, quae in triennio redditur, repensatio facit".

Ad nos non spectat hoc loco inquirere in dissolubilitatis statum apud Graecos et Iudaeos, cum 212 ius Romanum factum sit ius gentium et in ipsos Iudaeos maximum influxum habuerit, ita ut dissolutionis ius apud eos non multum differret a iure Romano, ut apte Fahrner concludens hoc caput dicit: „Wir können mit Geffcken (Zur Geschichte der Ehescheidung vor Gratian. Leipzig 1894 S. 15) den Zustand des Scheidungswesens bei den Trägern der antiken Kultur wohl dahin praecisieren: Allenthalben äusserst laxe Anschauungen bezüglich der Festigkeit des Ehebandes. Der Mann kann überall ohne Dazwischenkunft einer staatlichen Behörde das eheliche Verhältnis abbrechen. Die Frau, welche ursprünglich kein oder doch nur ein beschränktes Recht auf Scheidung besass, wird zuerst bei den Römern dem Manne hinsichtlich

---

[8]) Fahrner 4.

[9]) L. 1. § 5.; Dig. 43. 30. Corpus iuris civilis, ed. st. 9. Berolini 1902. Vol. III, p. 705. confer K. Zachariä, Geschichte des G R. K.[2] op. c. 34. § 1.

[10]) Geffcken 15.; Järs, Die Ehegesetze des Augustus (Marburg 1894) 36.

[11]) L. 11., Dig. 24, 2. Corpus iuris civilis ed. supra c. 319—320.

dieses Punktes rechtlich gleichgestellt. Unter dem Einflusse der römischen Anschauungen in Sitte und Recht wird auch die bei den Griechen und Juden obwaltende scheidungsrechtliche Beschränkung der Frau mehr und mehr verwischt. Als endlich Caracalla um 212 n. Chr. das römische Recht auf die grosse Masse der Reichsangehörigen übertrug, hatte das griechische und jüdische Scheidungsrecht längst keinen praktischen Wert mehr" [12]).

§ 2. Doctrina evangelii et ecclesiae primorum trium saeculorum de matrimonii indissolubilitate.

Cum matrimonium vitae moralis fundamentum sit atque altissimas radices in vitam socialem immittat, reformator generis humani Iesus Christus eiusque vicarii his in terris debuerant necessario certum locum occupare in quaestione de matrimonii vinculo.

Summa doctrinae Christi, vinculum matrimoniale debere esse indissolubile quoad utramque coniugum partem exprimitur imprimis apud Lucam [13]) et Marcum [14]); apud Matthaeum additur quidem quaedam exceptio, unde canonistae Graeco-Orientales divortium Christi ipsius auctoritate concessum esse in casu adulterii probare conantur, sed re accuratius inspecta, vera Christi intentio apparet [15]).

Loci Matthaei vario modo a theologis catholicis explicantur, sed paucae explicationes Graeco-Orientalium oppugnationem sustinent. Cf. Slav. litt. th. I., 101—4; 157—164.

Certa atque indubia videntur esse haec, quae Sl. l. th. III, 18 exposita inveniuntur: 1. Ratio illa exceptionis ab insolubilitate matrimonii, qua ductum canonistae Graeco-Orientales Christum Dominum casum adulterii excepisse statuere solent, non potest cum ipsis Domini verbis conciliari. Dicunt enim unitatem matrimonialem adulterio tolli et matrimonium fieri dissolubile. Et verum est hanc rationem iam pridem — sive pro vero divortio sive pro separatione a toro et mensa esse statutam (cf. Theodoret., Graec. affect. curat. 9. M. P. G. 83, 1053, C—D (ἀληθῶς), Asterius Hom. 5. in Mat. 19, 3. M. P. G. 40, 237. A—B). Certe autem contractus matrimonialis non minus tollitur ab eo, qui uxorem sine iusta causa dimittit, quam ab eo, qui adul-

---

[12]) op. cit. p. 11.

[13]) 16, 18: Πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὑτοῦ καὶ γαμῶν ἑτέραν, μοιχεύει, καὶ πᾶς ὁ ἀπολελυμένην ἀπὸ ανδρὸς γαμῶν μοιχεύει.

[14]) 10, 11: Ὃς ἐὰν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὑτοῦ καὶ γαμήσῃ, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν.

[15]) Maldonatus in Mt 5 et 19; Döllinger, Christentum u. Kirche in der Zeit der Grundlegung. (Regensburg 1860) p. 458 ss.; Perrone, Archiv VIII. 471.; Patrizi, De interpretatione Scripturarum. Romae 1844. I. 169 s.; Palmieri op. c. 175 ss.; Knabenbauer, Comment. in 4 evang.[2] (Parisiis.) Evang. s. Matth.; Möhler, Das Prinzip des Katholicismus oder der Einheit der Kirche S. 79. ff.; S. 162 fg.; Zenger op. c. 34 ff.; Pesch, Praelectiones dogmaticae. VI. 764 ss.; Roskovány Supplementa ad collectiones Monumentorum et Litteraturae de Matrimonio in Ecclesia catholica . . . t. I (resp. V. de Matrim.). Nitriae 1887 p. 491—581 (cum litt.); Slavorum litterae theologicae 1905. I, 101—104; 157—164 (cum litter. p. 103—104) III (1907), 18; Gspann, Die Bergpredigt u. d. Unauflöslichkeit der Ehe (Katholik 1906, 9. H.)

terium facit vel patitur. Quae cum ita sint, Christus Dominus sane dicere potuit: Qui uxorem iniuste dimittit, peccat, adulterii reus (sive quatenus auctor est actus, qui peccatum esset, nisi maritus peccato suo vinculum solvisset, sive quatenus est auctor veri peccati), adulter est; sed uxore dimissa aliam ducere peccatum esse dicere non potuisset, quoniam ipsa dimissione matrimonium iam solutum, novae nuptiae licitae fuissent. — Deinde „Christi sententia, eum qui sine iusta causa uxorem dimittat, causative adulterium committere, generalis est, ideoque et ad eos, qui uxore dimissa aliam ducunt, et ad eos, qui non ducunt, extenditur. Verum, si novis nuptiis matrimonium prius solveretur, non posset bene ad omnes extendi, quia ille veri adulterii vera causa esse non posset, qui uxore dimissa statim aliam duceret. Neque illa sententia universaliter vera esset, eum, qui dimissa uxore aliam ducat, moechari; si enim commisso iam ab uxore dimissa adulterio aliam ducit, moechari dici non posset" l. c. p. 18.

2. Generatim Christum verbis apud Matthaeum nihil — non solum de praecipiendo sed neque de permittendo novo matrimonio — in casu adulterii sanxisse, sed, cum plurimum, novum matrimonium, ut Grimm, Nisius, alii (cf. Sl. l. th. I., 159) non sine gravibus rationibus statuunt, in hoc casu tolerasse et tolerabile iudicasse inde probatur, quod, si quam solubilitatem matrimonii sanxisset (non solum tolerasset), necessario determinasset, utris novum matrimonium licitum esset: solis iuste dimittentibus an etiam vel iuste vel iniuste dimissis, et solis viris an etiam uxoribus. „Sed licet e Christi et Pauli verbis saltem uxores sive iniuste dimissas, sive iuste discedentes a novis nuptiis prohiberi probari possit, quod et orientalis ecclesiae testimoniis (Io. Chrysostomi, Rabulae, Basilii) satis confirmatur, res tamen non est tanta claritate proposita, quae legem vel privilegium decet, nec reliquis quaestionibus inde satis provisum est. Neque tale Christi decretum ab aliis evangelistis aut a Paulo praeteriri potuisset". Argumentum igitur ex silentio ab adversariis (v. g. Barsov iu Hr. Čt. 1882 p. 809) inepte adhibetur.

Intentio Christi certe erat, ut ea, quae et ex amoris essentia et e pudoris et familiaritatis rationibus, conicitur, perfecta matrimonii species — perpetuitatem includens — in ecclesia vigeat: unde Conc. Tridentum definivit: „Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: A. S. (Trid. Sess. 24, cn. 7; Denzinger, Enchiridion[10] n. 977).

Iam inquirendum est, quomodo se habuerit ecclesia primis tribus saeculis ad indissolubilitatis principium a Christo statutum, qualem disciplinam exercuerit quoad hanc rem.

Primus ex scriptoribus ecclesiasticis, qui loquitur de matrimonii vinculo, est *Hermas*, auctor libri, qui inscribitur Pastor [16]). Magna pol-

[16]) De tempore, quo Pastor scriptus sit, extant variae sententiae, sed maximam veritatis speciem prae se fert illa, quae fundatur

lebat auctoritate hic liber in Oriente. Irenaeus (Advers. haer. 4, 20, 2)[17]) et Pseudo-Cyprianus (Adv. aleat. c. 2)[18]) laudant eum tanquam Scripturam sacram — *γραφήν*. Immo Orientales etiam saeculo IV°. ineunte iudicabant Pastorem esse divinitus inspiratum et ad sacros libros pertinere. Teste enim Eusebio Pastor hoc tempore adhibebatur ad instituendos catechumenos et legebatur publice in ecclesia (Hist. ecc. 3, 3, 6)[19]), cum tamen multi de eius divina auctoritate dubitarent, adnectit eum Eusebius non *τοῖς ὁμολογουμένοις,* sed *τοῖς νόθοις* (l. c. 3, 25, 4)[20]). S. Athanasius librum adhibet ad probanda dogmata catholica[21]) et quamquam eum e canone excludit[22]), tamen inter eos recenset, qui secundum Patrum decreta catechumenis legendi sunt scil. Sapientia Salomonis, Sirach, Esther, Iudith, Tobias, Doctrina Apostolorum[23]). Magna auctoritate pollet Pastor apud Didymum Alexandrinum[24]).

In Mandato IV. 4[25]) loquitur Pastor ad Angelum: „*Κύριε, ἐπίτρεψόν μοι ὀλίγα ἐπερωτῆσαί σε. Λέγε, φησίν. Κύριε, εἰ γυναῖκα ἔχῃ τις πιστὴν ἐν κυρίῳ καὶ ταύτην εὕρῃ ἐν μοιχείᾳ τινί, ἆρα ἁμαρτάνει ὁ ἀνὴρ συζῶν μετ᾽ αὐτῆς*; et respondet ei Angelus: Quamdiu nescit, non peccat; si autem vir peccatum eius cognoverit neque poenitentiam egerit mulier, sed permanet in fornicatione sua ac convivit vir cum ea, particeps fit peccati eius et socius adulterii eius. — De novo quaerit Pastor: Quid igitur faciat maritus, si uxor in hac libidine permanserit, et accipit responsum: „*Ἀπολυσάτω*[26]) *αὐτὴν καὶ ὁ ἀνὴρ ἐφ᾽ ἑαυτῷ μενέτω, ἐὰν δὲ ἀπολύσας τὴν γυναῖκα ἑτέραν γαμήσῃ, καὶ αὐτὸς μοιχᾶται*“[27]).

Pastor, sicut vidimus, maximae auctoritatis erat in ecclesia Graeco-Orientali et usque ad initium saeculi quarti adnumerabatur libris inspiratis. Atqui si haec usque ad saeculum IV. docuisset novum matri-

---

testimonio fragmenti Muratoriani, secundum, quod scriptus est tempore pontificis Pii I. (140—154.)

17) ed. A. Stieren, Lipsiae 1853. I. 622.

18) ed. Harnack, Texte u. Untersuchungen zur Gesch. dei altchr. Litt. Leipzig 1889. V 1. 15.

19) Migne P. G. 20. p. 217.

20) Migne P. G. ib. 263.

21) De incarnatione Verbi c˙ 3. Migne P. G. 25. 101.

22) De decret. Nic. Syn, c. 18 ed. Paris. I. 1: p. 223 s.

23) Ep. fest. 39 ed. Pat. 1777. I. 768.

24) Didym. Caten. ad Job 8, 17. 18. Migne P. G, 39. 1142 vel ed. Lond 1637. p. 202.

35) Funck, Patres apostolici[2] (Tubingae-Laupp. 1901) I, 475 s.

26) Ius Romanum non habebat expressas leges de separatione a toro et mensa, quia non erant necessariae, cum de iure permitterentur divortia perfecta. Christus (Matth. 5, 32 et 19, 9) admisit separationem, non praecepit. A clericis eam in hoc casu postulat etiam Conc. Neocaesariensis (314—325.) c. 8.; cf. s. Basil. c. 9.; id quod ex magna poenitentia publica, quae propter adulterium imposita erat, explicari potest. (Wernz, IV. 1067. n. 109.)

27) Freisen (Geschichte des can. Eherechtes op. c. 770) dicit ad hunc locum: „Ob hier der Satz: quodsi dimiserit etc. auch für den Fall der Scheidung wegen Ehebruchs zu verstehen ist, ist schwer zu sagen.“ Geffcken 19. animadvertit ad hoc Freisenii dubium: „(Das) verstehe ich meinerseits nicht, klarer als Hermas es hier tut, kann man sich wohl kaum ausdrücken.“

monium in casu adulterii concedendum esse, necessario debuisset statim Pastorem abicere et damnare tanquam librum, qui s. Scripturis et traditioni Apostolicae se opponat. Quod praesertim debuisset evenire, cum Pastoris doctrina hac in re non sit obscura et implicata, sed prorsus clara.

Animadvertendum est etiam id, iam Pastorem distinctionem facere inter dimissionem perfectam et imperfectam. Priorem vetat in casu adulterii, posteriorem ad tempus (sat longum propter longitudinem poenitentiae publicae) praecipit, si viro mulieris crimen notum sit. Ergo secundum antiquissimam ecclesiae terminologiam *ἀπόλυσις* non adhibetur tantum ad significandam dimissionem sine causa, ut volunt multi Orientalium canonistae, et ubi quis loquitur de dimissione propter adulterium vel fornicationem, non statim hoc intelligendum est de vinculi ipsius dissolutione, quia fieri potest alia dimissio imperfecta.

Fahrner [28]) sequens Geffcken invenit difficultatem in verbis, quae hunc locum sequuntur. Postea nempe Angelus declarat mulierem poenitentia acta si denuo labatur non posse iterum a marito accipi — *μὴ ἐπὶ πολὺ δέ*: servis enim Dei semel tantum poenitentiam permitti [29]). Nullo tamen modo ex hoc sequitur Hermam fundare secundarum nuptiarum prohibitionem in poenitentia mulieris.

Sed etiamsi admitteremus Hermam fundare secundae coniunctionis maritalis prohibitionem in mulieris correctione, tamen ex hoc pro dissolubilitate nihil sequeretur. Secundum nempe Hermae sententiam semel tantum admittitur poenitentia et propterea unus mulieris adulterae recursus ad virum. Nunc quaeritur hic, quid viro faciendum sit, si mulier rursus in adulterium incidat. Responsio, ei licitas esse secundas nuptias, arbitraria prorsus esset, quia praemissis antecedentibus nullo modo continetur [30]). Immo, si quidem ecclesia non potest prohibere, quod permittendum esse Christus ipse sanxit, non potuit marito insonti auctoritate sua interdicere, ne Christi permissione uteretur.

Iustinus Martyr, apologeta secundi saeculi [31]) in I. Apologia ad Antoninum Pium n. 15 commendans doctrinam Christi de castitate haec ex Evangelio recitat testimonia: „*Ὃς ἂν ἐμβλέψῃ γυναικὶ πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη ἐμοίχευσε τῇ καρδίᾳ παρὰ τῷ θεῷ*“ [32]) et „*Ὃς γαμεῖ ἀπολελυμένην ἀφ᾽ ἑτέρου ἀνδρός, μοιχᾶται* [33]). Deinde subdit sententiam interpretans haec verba: „*Ὥστε καὶ οἱ νόμῳ ἀνθρωπίνῳ διγαμίας ποιούμενοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ τῷ ἡμετέρῳ διδασκάλῳ εἰσὶ καὶ οἱ προσβλέποντες γυναικὶ πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς* [34]).

---

28) op. c. 17. apud Geffcken op. c. 18 s.
29) Funck, Patres apost. 476.
30) Fahrner 18.
31) Factus Christianus ubique et praesertim in Oriente defendebat doctrinam Christi. Postea fundavit Romae philosophicam scholam, ubi circa annum 165. sub praefecto Iunio Rustico (163—167) tanquam martyr mortuus est.
32) 5, 28 Matth.
33) Matth. 5, 32 b.
34) Io. Th. Eques de Otto Jenensis, Corpus Apolog. christ. saec. II i 3, tom. I. 1. 46. Jenae 1876.

Quaeritur praeprimis, quid sub voce digamia intelligendum sit. Aliqui contendunt Iustinum per hanc vocem *δευτέρους γάμους* mortua altera coniugum parte intelligere et bigamiam successivam improbare. Sed omnino dicendum esse videtur Iustinum secundas nuptias cum uxore dimissa ab alio per leges civiles permissas reprobare, de qua re optime Ritterus loquitur: „Non negamus Iustinum improbasse secunda matrimonia successiva, quae mortua altera parte ineuntur, quemadmodum plerique veteres ecclesiae Patres fecere (Athenagor., Supp. 33, n. 9), verum ex eo non sequitur scriptorem hoc loco illa prae oculis habuisse et nomine peccati notasse: nam improbare aliquid et pro peccato habere plurimum inter se differunt. Notum est patres voce *διγαμίᾳ* triplici significatione uti, et primum quidem, cum quis binas habeat uxores, deinde cum quis matrimonio prioris coniugis morte soluto ad secundas nuptias transierit, denique tertio loco, si quis uxore secundum leges dimissa aliam duxerit. Tantum de tertii matrimonii genere hoc loco Iustinum agere ex eo patet, quod in praecedenti oratione ex verbis Christi ad moechiam spectantia duo notaverat atque edixerat, primum si quis adspexisset mulierem ad concupiscendam eam, iam eum moechatum esse in corde suo, et si quis dimissam ab alio uxorem duxisset, eum item adulterium commisisse. Duo haecce genera repetit hoc addens: secundum doctrinam christianam alterum quoque hoc adulterium esse, quamvis leges humanae soluto inter vivos matrimonio ad aliud procedere permittant“ [35]).

Multi adversarii provocant ad secundam Iustini Apologiam, quam direxit ad senatum Romanum [36]). Mulier quaedam — ita s. Martyr — accepta religione christiana frustra conabatur virum suum infidelem a peccatis contra naturam avertere, quia ille profectus Alexandriam peiora quam prius faciebat. Propterea mulier „*ὅπως μὴ κοινωνὸς τῶν ἀδικημάτων καὶ ἀσεβημάτων γένηται, μένουσα ἐν τῇ συζυγίᾳ καὶ ὁμοδίαιτος γινομένη, τὸ λεγόμενον παρ' ὑμῖν ῥεπούδιον δοῦσα ἐχωρίσθη*“ [37]).

In his verbis tamen nulla invenitur difficultas neque corruit Iustini doctrina in prima Apologia enuntiata. Legitima enim dimissio secundum leges Romanas erat per epistolam, quam una pars alteri mittere solebat, quaeque vocabatur libellus repudii. Atqui primi christiani legum civilium praescriptiones implere debebant, si voluerunt poenas evitare. Et propterea haec mulier christiana mittit suo marito libellum repudii, ne ille eam accusare posset coram iudice propter illegitimam dimissionem. Et re quidem vera, cum non potuisset eam accusare propter iniustum divortium, accusavit eam propter religionem christianam. Ergo per libellum repudii explevit mulier externam formam legis civilis et usa est ea tanquam beneficio, ut maritum sceleribus plenum dimitteret, non autem hoc facto ostendit etiam christianis licitum fuisse per libellum solvere matrimonium et ad alias nuptias convolare [38]).

---

[35]) Animadvers. in pri. S. Iustini Apologiam 14 s. cfr. ed. supra cit. Otto Jenensis I. 46. nota 8.

[36]) ed. eadem Otto Jen. I. 196 ss.

[37]) ed. G. Krüger p. 60 ss. vel ed. Otto Jenensis I. 197 s.

[38]) Aliam interpretationem habet Binterim (Ueber die Ehescheidung. Düsseldorf 1804. S. 173 ff.) dicens mulierem istam dimisisse virum

Athenagoras Atheniensis in suo opere Supplicatio vel Legatio pro Christianis (*Πρεσβεία περὶ χριστιανῶν*), scripto circa 177 et directo ad M. Aurelium eiusque filium Commodum, n. 23 [39]) dicit christianos propter vitam aeternam ea, quae in hac vita versantur, contemnere; matrimonium eos inire non cupiditatis causa, sicut gentiles faciant, sed propter generationem et educationem filiorum. Propterea multos vivere apud eos in caelibatu, quod arctius se cum Deo coniunctum iri sperent eorumque mores esse: „*ἢ οἷός τις ἐτέχθη μένειν ἢ ἐφ' ἑνὶ γάμῳ· ὁ γὰρ δεύτερος εὐπρεπής ἐστι μοιχεία. Ὅς γὰρ ἂν ἀπολύσῃ, φησὶ, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται, οὔτε ἀπολύειν ἐπιτρέπων ἧς ἔπαυσέ τις τὴν παρθενίαν οὔτε ἐπιγαμεῖν. Ὁ γὰρ ἀποστερῶν ἑαυτὸν τῆς προτέρας γυναικὸς (ἀπολύων τήν προτέραν γυναῖκα), καὶ εἰ τέθνηκε, μοιχός ἐστι παρακεκαλυμμένος, παραβαίνων μὲν τὴν χεῖρα τοῦ θεοῦ, ὅτι ἐν ἀρχῇ ὁ θεὸς ἕνα ἄνδρα ἔπλασε καὶ μίαν γυναῖκα, λύων δέ τὴν σαρκὸς πρὸς σάρκα κατὰ τὴν ἕνωσιν πρόσμιξιν εἰς τοῦ γένους κοινωνίαν*".

Ergo Athenagoras verba Christi: Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, moechatur ita interpretatur: Si quis cum uxore alterius adulterium commisit, a marito ea propter hoc scelus dimittenda non est, neque ab eo alia uxor ducenda. Utrum saltem dimissio imperfecta in hoc casu licita sit, necne, non est clare expressum. Quaeri tantum potest, ducatne moechiam, de qua loquitur, semper verum peccatum, an tantum rem a perfecta specie matrimonii alienam et cum peccato moechiae in ratione oppositi convenientem, qua doctrina christiani satis commode ab ethnicis distinguebantur.

Athenagoras enim ex vinculi maritalis firmitate conatur ostendere neque matrimonium successivum mortua altera parte licitum esse et illud vocat decorum adulterium — *εὐπρεπὴς μοιχεία* [40]). Sed certe intentionem Christi eandem agnovit quam supra statuimus, nec prohibere voluit, quod Christum omnino permisisse putabat.

---

per privilegium Paulinum, ne convivere deberet cum infideli in iniuriam Creatoris. Quae interpretatio bona est ad effugiendam difficultatem sed approbanda esse non videtur, cum nulla huius privilegii commemoratio adsit.

[39]) ed. cit. Otto Jenensis (Jenae 1861.) VII. p. 170.

[40]) Apud Graecos et Romanos viduarum nuptiae minus honorabiles aestimabantur. Valer. Maxim. II. 1. 3. dicit: „Quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur. Existimabant enim, eum praecipue matronae sincera fide incorruptum esse animum, qui depositae virginitatis cubile pudicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimae cuiusdam intemperantiae signum esse credentes." Propterea lex Iulia et Papia Poppea non erat libenter a populo accepta et postea iam tempore imperatoris Septimii Severi (193—211) est abrogata.

Doctrina ecclesiae fundatur verbis s. Pauli Rom. 7, 3.; „Ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου, τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα, γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ." Quam doctrinam sequitur Hermae Pastor (Mand. IV. 4. ed. secunda Funck, Patres apostolici I. p. 481.); Origenes (Homil. XIX in Jerem. nr. 4. ed. Delarue. Paris 1740. III. 267); Chrysostomus (in speciali libro de hac re scripto: Περὶ μονανδρίας ed.

Clemens Alexandrinus, primus magnus philosophus Christianus, loquitur etiam de nostra re in libro II. Stromatum c. 23 [41]) Praeprimis definit matrimonium et tunc exponit varia systemata philosophica de illo ostendens ethicam eius liceitatem. Ad quaestionem, quomodo se lex Christi ad matrimonium habeat, respondet: „*Ὅτι δὲ γαμεῖν ἡ Γραφὴ συμβουλεύει οὐδὲ ἀφίστασθαί ποτε τῆς συζυγίας ἐπιτρέπει ἄντικρυς νομοθετεῖ· Οὐκ ἀπολύσεις γυναῖκα πλὴν εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας· μοιχείαν δὲ ἡγεῖται τὸ ἐπιγῆμαι ζῶντος θατέρου τῶν κεχωρισμένων. Ὁ δέ ἀπολελυμένην λαμβάνων γυναῖκα μοιχᾶται, φησίν· ἐὰν γάρ τις ἀπολύσῃ γυναῖκα, μοιχᾶται αὐτήν, τουτέστιν, ἀναγκάζει μοιχευθῆναι. Οὐ μόνον δέ ὁ ἀπολύσας αἴτιος γίνεται τούτου, ἀλλὰ καὶ ὁ παραδεξάμενος αὐτήν, ἀφορμὴν παρέχων τοῦ ἁμαρτῆσαι τῇ γυναικί*". Non est negligendum hoc loco idem de marito separato dici, quod de uxore: *θατέρου τῶν κεχωρισμένων*. Dubitari tantum potest,

---

Montfaucon I. 549—559; deinde in Homil. XV. in 1. Tim 4, 11–15. ed. cit. XI. 634) confer Zhishman op. c. 401 ss.; Wernz, Ius decret. IV. 1078 ss.

Immo in ecclesia Africana introductum fuit, ut ab episcopo ante consecrationem inter alia quaereretur: „Si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet". (Statuta eccles. antiqu. Opp. S. Leonis. ed. Ballerini III. 654.)

De secundis et sequentibus successivis nuptiis severe iudicat antiquo tempore non solum Athenagoras, sed etiam alii multi, praesertim Tertullianus, in libro ad uxorem II. 1 ss. et Apologia c. 46. Basilius Magnus multis in canonibus loquitur de hac re et statuit varias poenas pro eis, qui secundis nuptiis coniungi volunt. Idem invenitur concilii Laodicensis c. 1. et Neocaesariensis c. 7. Eandem severam doctrinam docet Clemens Alexandrinus (Strom. II. c. 23. ed. Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausgegeben von der Königlich-Preussischen Akademie der Wissenschaften. Leipzig 1906. Clemens Alexandrinus II. 188—194). Gregorius Nazianzenus (Oratio 37. c. 8.) vocat tertias nuptias παρανομίαν. In Constit. Apost. III. 2. (ed. Funck, Didascalia et Constitutiones Apostolorum. Paderbornae 1905 I. 185.) inveniuntur haec verba: Iuniores viduae in loco viduarum ne instituantur, sed adiuventur ac subleventur, ne ratione inopiae secundas nuptias facere cupiant et exoriatur negotium offensionis. Hoc enim sciatis eam, quae semel nupsit, iuxta legem etiam secundo nubere, eam autem, quae ultra progreditur, esse meretricem. Graecus textus posteriora verba amplificat: „Καὶ τοῦτο γὰρ εἰδέναι ὀφείλετε, ὅτι μονογαμία μὲν κατὰ νόμον γινομένη δικαία, ὡς ἂν κατὰ γνώμην θεοῦ ὑπάρχουσα, διγαμία δὲ μετὰ ἐπαγγελίαν παράνομον, οὐ διὰ τὴν συνάφειαν, ἀλλὰ διὰ τὸ ψεῦδος, τριγαμία δὲ ἀκρασίας σημεῖον, τὸ δὲ ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν προφανὴς πορνεία καὶ ἀσέλγεια ἀναμφίβολος." Vestigium huius disciplinae usque ad nostra tempora permansit in prohibitione „sollemnis coronationis" aliisque poenis.

[41]) Migne, P. G. 8. p. 1085—97. vel ed. c. Die Griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jh. Ausgabe der Preussischen Akademie, Clemens Alexandrinus II. 143 - 145. Stromata habebant magnam auctoritatem apud antiquos scriptores ecclesiasticos. Hippolytus usus est eis in suis Chronicis et in scripto Adversus Artemonem (Eusebius, Hist. V. 28.). Eusebius (Hist. VI. 6.) dicit Stromata post mortem Commodi imperatoris, ergo tempore Severi (193—211.) scripta esse; conf. Harnack, Die Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius. Leipzig 1904. Bd. II. 3—23. 28. 80. 86 f. 90 f. 497. 541 f. 171. 174. 192. 226. 238. 295 etc.

utrum verba *μοιχείαν δὲ ἡγεῖται* . . ., quibus Clemens omnino verba scripturae reddit, intelligenda sint generatim an cum exceptione *εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας*; id quod non est clarius quam locus ipsius scripturae; praesertim cum postea etiam dimittens sine exceptione (quam supra sane addiderat) vocetur moechus. Philaretus, metropolita Moscoviensis certe eodem modo rem explicaret, quo locum Matthaei explicavit: „Pod imenem puščenicy razuměetsja žena, ili svoevol'no razošedšajasja s mužem, ili razvedennaja zakonno, za vinu eja preljubodějanija. No kak slovo Gospodne, po očevidnomu razumu izrečenija i po tolkovaniju sv. Vasilija Velikago, ravno osuždaet muža i ženu za odinakovoe prestuplenie, to slěduet zaključit', čto i nevěsta, vstupajuščaja v supružestvo za puščenika, t. e. razvedennago s prežneju ženoju za ego preljubodějanie, preljuby děet". Sobranie mněnij i otzyvov, t. II., str. 270. N. Glubokovskij (in Hrist. Čt. 1895, 1., 35) ita de hoc loco iudicat: V obščem, nastroenie sv. Klimenta ne blagoprijatno dlja nevinno poterpěvšago pri razvodě, těm ne meněe važno, čto v koncě on sovsěm ne upominaet ob ogovorkě kasatel'no normal'nago brakorastorženija i takim obrazom daet město mysli, čto u nego rěč o razlučenii nedozvolennom. V protivnom slučaě „otpustivšij" byl by otvětstven ne narjadu s „prinjavšim", no vdvojně i — prežde vsego — za narušenie zapovědi Božiej, b e z o t n o s i t e l'n o k dal'nějšej sud'bě svoej byvšej ženy. Togda poslědnjaja okazyvaetsja postradavšeju *μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας*".

Nihilo minus novum testimonium hic habemus Christum Dominum de permittendo matrimonio coniugi iuste dimittenti, nihil sanxisse; alioqui Clemens partem, non totam christianorum doctrinam tradidisset. Confer (praeterea) Stromatum lib. III. 6 et 12 [42]).

Consideremus iam postremum huius periodi celeberrimum scriptorem O r i g e n e m.

In commentario in Matthaeum XIV. [43]) ostendens spiritualem significationem Deut. 24, 1. ss. subdit: „*Γυνὴ δέδεται* (*νόμῳ* ut omnes codd. et Syrus interpres addunt) *ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ζῇ· ἐὰν δὲ κοιμηθῇ ἀνὴρ αὐτῆς, ἐλευθέρα ἐστίν, ᾧ θέλει γαμηθῆναι μόνον ἐν Κυρίῳ. πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ἢ ἀσθένειαν ἡμῶν παρὰ Παύλῳ εἴρηται τοῖς μὴ βουλομένοις ζηλοῦν τὰ χαρίσματα τὰ μείζονα, καὶ μακαριωτέροις γενέσθαι. Ἤδη δὲ παρὰ γεγραμμένα καί τινες τῶν ἡγουμένων τῆς Ἐκκλησίας ἐπέτρεψάν τινα, ὥστε ζῶντος τοῦ ἀνδρός, γαμεῖσθαι γυναῖκα, παρὰ τὸ γεγραμμένον μὲν ποιοῦντες ἐν ᾧ λέλεκται· ‚Γυνὴ δὲ ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς‘ καὶ τό ‚Ἄρα οὖν μοιχαλὶς χρηματίσει ἡ γυνὴ γενομένη ἀνδρὶ ἑτέρῳ ζῶντος τοῦ ἀνδρός‘, οὐ μὴν πάντη ἀλόγως· εἰκὸς γὰρ τὴν συμπεριφορὰν ταύτην συγκρίσει χειρόνων ἐπιτρέπεσθαι παρὰ τ ἀπ᾽ ἀρχῆς νενομοθετημένα καὶ γεγραμμένα*".

Commode adnectit ad hunc locum Moy (Geschichte des Eherechtes, Regensburg 1833 I. 34.): „Wir müssen bemerken, dass darin das Thema, welches auszuführen Origenes sich vorgenommen hat, nicht

[42]) ed. cit. Acad. Borussic. 216. 22.
[43]) Migne P. G. 13. 1224 52.

verwechselt werden darf mit demjenigen, was als eigentliches Zeugnis über die Rechtsansicht u. Übung seiner Zeit erscheint. Er will klar machen, dass manche, in den Vorschriften der christlichen Lehre und in den kirchlichen Satzungen scheinbar vorkommende Widersprüche nicht als Inconsequenzen des Gesetzgebers, sondern nur als vorübergehende Accommodierungen zu der Schwäche und Verblendung der Menschen zu betrachten sind, mithin als Ausnahmen, die die Regel nicht aufheben, die aber auch als solche nicht zu verwerfen sind, weil sie zum Zwecke haben, einstweilen ein grösseres Uebel, das durch rücksichtslose Strenge etwa herbeigeführt werden könnte, zu vermeiden. Als einer solchen erwähnt er auch des Falles, wo einige Kirchenvorsteher einer gewissen Frau selbst bei Lebzeiten ihres Mannes sich wieder zu verehelichen erlaubt hatten, und meint, es könnte wegen der obwaltenden Rücksichten wohl gebilligt werden, obgleich es gegen die Schrift und gegen das Gesetz des Anfanges sei. Auf des Origenes persönliche Ansicht von dem individuellen Falle kommt es natürlich nicht an; die Erklärung, dass derselbe im Widerspruche mit der Schrift stehe, ist aber als Zeugnis über die Ansicht seiner Zeit von dem, was sein sollte, und von dem Sinne der in der Schrift vorkommenden Verbote durchaus bestimmt und keiner den Zweifel begünstigenden Deutung fähig".

Et revera difficillimum erat Christi doctrinam de indissolubilitate non solum in theoriam, sed etiam in praxim inducere, quia in diametrali oppositione ad consuetudines iusque Romanum stabat. Homines rudes, qui religionem christianam acceperunt, non potuerunt statim abicere antiquas consuetudines et se extollere ad disciplinae christianae sublimitatem. Propterea nonnulli ecclesiarum antistites indulgentiam exercebant erga imbecillitatem humanam, ut particularibus in casibus maius malum effugerent. Ex altera parte eadem oppositio contrarium quoque effectum habuisse non imprudenter dicitur [44]): „No slěduet krěpko" pomnit' čto ẖristianstvo dolgoe vremja naẖodilos' pod feruloju vraždebnyẖ jazyčeskiẖ zakonov, kotorye — svoim vtorženiem ili otraženiem — kolebali i daže razrušali ves' evangel'skij stroj věrujuščiẖ. Estestvenno, čto pri takiẖ uslovijaẖ bračnoj nedisciplinirovannosti, legal'no pokrovitel'stvuemoj i juridičeski nenakazuemoj, otkryvalsja širokij i neuderžimyj prostor, stol' soblaznitel'no pritjagatel'nyj dlja slaboj čelověčeskoj prirody. Ponjatno, čto togda cerkovnoj vlasti neobẖodimo bylo energičeski i p r e i m u š č e s t v e n n o nastaivat' na svjaščennoj nerastoržimosti bračnyẖ svjazej, čtoby predoẖranit' ẖristian ot rasẖiščenija stiẖij raspuščennago mira.

Quem casum Origenes loco allato consideret, clarum non est; nec est cur a Glubokovskij (H̱rist. čt. 1895 I. p. 42) dissentiamus, qui verisimillimum esse iudicat, Origenem ibi excusare matrimonia nova non post adulterium sed post aliam causam non iniustam contracta. At quod l. c. p. 41 dicit Origenem nova matrimonia eorum, qui a coniugibus adulteris se separaverant, habuisse o m n i n o legitima („vpolně

[44]) N. Glubokovskij in H̱r. Čt. 1895 I, 39—40.

zakonno“) e verbis Origenis non sequitur; nam nescio unde Origeni tribui possint, e quibus Glubokovskij hoc argumentum construit (p. 41): „Po mysli etogo učitelja, preljubodějanie puščenicy i otpuskajuščago est' mnimaja i prestupnaja bračnaja svjaz', esli prežnjaja ne razrěšena. Posemu, kogda brak rastorgnut, pri novom supružestvě μοιχεία ne byvaet, ili ono vpolně zakonno pri razvodě po ukazannoj Gospodom pričině — ἐπὶ πορνείᾳ“. — Origenem dubitare de liceitate separationis a toro et mensa a muliere venefica etc. verisimile non est: accedit etiam, quod de eo divortio loquitur, de quo Moyses.

Iesus Christus et s. Paulus principio de matrimonii indissolubilitate statuto clare ostenderunt illud ad forum ecclesiasticum spectare. Primis tribus saeculis impossibile erat ecclesiae, aliquem influxum in legislationem civilem exhibere eiusque leges de matrimonii dissolubilitate impedire. Sed erroneum est statim propter hoc concludere ecclesiam nullam potestatem in matrimonium exercuisse et fideles quoad vinculi maritalis solutionem atque quoad secundarum nuptiarum simultanearum permissionem leges civiles secutos esse. Iam s. Paulus 1 Cor. 6, 1 ss. prohibet fidelibus adire iudicem gentilem propter eorum lites; ergo hoc minime quoad matrimonium potuit adesse. Verum est externas formalitates a lege civili praescriptas etiam a fidelibus impleri debuisse, ut vidimus apud illam mulierem, quam Iustinus (Apol. 2 ed. cit. Otto Jenensis I. 197 s.) narrat misisse viro suo libellum repudii secundum legum civilium praescriptionem, ut omnem accusationem propter iniustum divortium evitaret. Sed ex hoc ipso exemplo patet fideles in matrimonii litibus iudicem ecclesiasticum adire debuisse. Dicit nempe Iustinus illam mulierem propter obsequium erga ecclesiasticos antistites noluisse statim virum dimittere — ἐπεὶ ἐξεδυσωπεῖτο ὑπὸ τῶν αὐτῆς ἔτι προσμένειν συμβουλευόντων . . . . ἔμενεν [45]). Lites matrimonii non erant actus singulorum privati, sed ad legislationem ecclesiasticam spectabat iudicium ferre remque decidere. Si hoc negaremus, tunc non possemus intelligere, quare s. Paulus duobus in locis (1 Cor. 7, 10 s.; Rom. 7, 2 s.) fidelibus contra vigentes leges civiles inculcat eorum matrimonia indissolubilia esse, quare omnes antiqui scriptores, ut vidimus, distinctionem faciant inter leges civiles et leges Christi. Origenes loquitur (Comment. in Matth. XIV. Migne PG 13, 1224—1252) de aliquibus episcopis, qui agentes contra scripturarum leges permittebant fidelibus secundas nuptias inire vivente adhuc altera parte. Ergo hi episcopi exercebant verum iudicium in matrimonii lites. Verum est hanc legislationem ecclesiasticam coram iure civili actum privatum fuisse, sed pro fidelibus habebat vim verae legis.

§ 3. Ius divortii a Constantino Magno usque ad Iustinianum et principii indissolubilitatis postremi defensores.

Usque ad hoc tempus erat ecclesia in catenis et suam vim tantum interius exercere potuit. Iuribus civilibus et libertate sub Constantino (313) acquisita, activitatem externam per totum imperium

———

[45]) Fahrner 21—25.

Romanum extendebat et ubique gentium animas adductas ad fontem praesentis et futurae prosperitatis reformabat. In qua reformatione ecclesiae eiusque disciplinae duabus ex partibus magnum periculum imminebat

Multi enim imperatorum exemplis moti sine propria persuasione religionem christianam recipiebant. Cui multitudini rudi, quae illicitis consuetudinibus multisque vitiis prorsus immersa erat, ecclesia praedicare evangelium debebat atque adducere eam ad vitae moralis sublimitatem. Minime nempe credendum est religionem christianam hominum animos sine ullo labore et sine arte paedagogica statim permutasse,

Praeterea ecclesia in periculo erat, ne tota sub imperatorum dominium caderet. Hoc, quod non accidit in Occidente, accidit in Oriente, ubi imperatores in disciplinam ecclesiasticam maiorem vim habebant, praesertim postquam Constantinus Magnus sedem suam Roma Constantinopolim transtulit. Ut possimus intelligere quare ecclesia Graeco-Orientalis absolutam indissolubilitatem matrimonii nunquam introduxerit, sed ius divortii, ut ab imperatoribus Byzantinis statutum erat, receperit, debemus breviter considerare relationem inter civitatem seu melius imperatorem et ecclesiam.

Imperatores Romani exercebant supremam et illimitatam potestatem non solum in res profanas, sed etiam in res ad cultum divinum pertinentes, iisque honor divinus debebatur. Quam imperatoris Romani aestimationem non poterat statim christiana religio e civium cordibus evellere. Propterea videmus etiam imperatores Byzantinos supremam potestatem in ecclesia usurpantes. Secundum ius Romano-Byzantinum imperator est *ἔνομος ἐπισταςία, κοινὸν ἀγαθόν* pro omnibus subditis [46]) Idem concilia convocat, haereticos publice damnat. [47]) Propterea salutatur Theodosius a. 448. in synodo Constatinopolitana ab episcopis ut imperator sacerdos [48]).

Potestas eius in clerum et episcopos suprema est [49]). Ille appellatur *κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης*. Synodos patriarchatus Constantinopolitani regit et praescribit, quae decidenda sunt. Decreta earum confirmare ad strictum ius imperatorum spectat atque antiquam esse consuetudinem huiusmodi statuta imperatori approbatum mittere dicit Manuel Comnenus in Novella 18. Mai 1166.

Verum est imperatores patriarchas et episcopos consuluisse, priusquam legem ecclesiam obligantem ferrent, sed hoc prorsus eorum gratiae obnoxium erat. „Höchstens hat die Kirche, wenn es zu Collisionen kam den Grundsatz aufrecht erhalten, dass die Gesetze den Canones weichen müssten . . . . . Höhere Ansprüche, als die ihr von der kaiserlichen Gewalt zugestandenen, hat die Kirche nicht erhoben.

[46]) Epanagoge Basilii (inter 879—886) tit. 2. Collectio librorum iuris G· R. editio C. E. Zachariae p. 65.

[47]) Harduin I. 1715—1718.

[48]) Πολλὰ τὰ ἔτη τῷ εὐσεβεῖ, τῷ ὀρθοδόξῳ· τῷ εὐσεβεῖ βασιλεῖ· τῷ ἀρχιερεῖ βασιλεῖ. (Harduin II. 159.)

[49]) Ad imperatorem spectat dioeceseon erectio, episcoporum designatio et confirmatio (Nov. 75. 87. 117. Coll. II; Nov. 4. 24. Coll. III; N. 10. 12. 32. 50 Coll. V. ed. Zachariae, Ius Graeco-Romanum.

Wenn sie sich im Verlaufe der Jahrhunderte die Jurisdiction in der Kirchendisciplin ausschliesslich zu windizieren wusste, so geschah das mit voller Zustimmung der Staatsgewalt, welche dieses Recht jeden Augenblick zurückziehen konnte. Dagegen wurden alle Versuche, welche auf die Schwächung der Staatsgewalt in kirchlichen Dingen berechnet waren, von den Kaisern mit Unwillen und rücksichtslos zurückgewiesen . . . . Eine klerikale Opposition zeigte sich indessen nur selten, und zwar abgesehen von Competenzstreitigkeiten nur dann, wenn der Klerus auf die Gewalt der öffentlichen Meinung gestützt, sich zum tätigen Werkzeuge derselben hingab". Ita describit praeclare Zhishman (25. 26.), canonista Byzantinus, relationem ecclesiae Graeco-Orientalis ad civitatem.

Independentia et autonomia ecclesiastica hisce tribus rebus continetur:

1. Leges politico-civiles non valent, si canonibus contradicunt.
2. Canones habent eandem vim obligandi ac leges civiles; si res in contentionem venerit, decernendum est secundum canones.
3. Ubi canones non existunt, leges iuris Romano-Byzantini valent, in quantum non opponuntur ecclesiae praeceptis [50]).

Sed cum canones antiqui pauci essent, et ab imperatoribus authentice explicarentur, nullam prorsus utilitatem habebat ecclesia ex harum trium rerum dispositione.

Dum Romanorum Pontificum auctoritas apud Graecos et totum Orientem valebat, imperatores non audebant prorsus abuti potestate ecclesiastica. Roma semper contra hanc iniustitiam protestabatur. Ita Agapetus I. 18. Martii 536. scribit ad Iustinianum, qui dogmaticam formulam edidit: „Laudamus, amplectimur (fidei vestrae expositionem) non quia laicis auctoritatem praedicationis admittimus, sed quia studium fidei vestrae Patrum nostrarum regulis conveniens confirmamus atque roboramus". Postquam autem concordia inter utramque ecclesiam per Photium eiusque successores sublata est, ecclesia Graeco-Orientalis capite destituta devenit in plenam imperatorum dicionem.

Quae potestas principum Byzantinorum culmen attigit saeculo XIII., cum Demetrius Chamatenus, archiepiscopus Bulgaricus, tribuit eis plenam potestatem in ecclesia excepto solo sacrificio missae [51])

Totam fere legislationem etiam in iure matrimoniali vindicabant sibi imperatores Byzantini. Ratio religionis in matrimonio apud Romanos sub fine imperii Augusti prorsus exstincta est. Nova religio christiana tantam vim habebat in mentes et mores hominum, ut legislatio civilis necessario rationem eius habere deberet. Necessarium erat antiquam formam coniunctionis maritalis secundum novae religionis doctrinam mutari — debuit se ius civile doctrinae ecclesiae saltem paulatim prorsus accommodare. Sed hoc nunquam factum est, cum legislatores Byzantini novam religionem eiusque disciplinam integram non sanxe-

[50]) Zhishman op. c. 27. nr. 1.; Hergenröther, Archiv X. 328 s.

[51]) Καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν πλὴν μόνον ἱερουργεῖν, τὰ λοιπὰ ἀρχιερατικὰ προνόμια σαφῶς εἰκονίζει ὁ βασιλεύς, ἐφ' οἷς πράττει νομίμως τε καὶ κανονικῶς. (Ll. I. 317.)

rint. Plena potestas statuendi impedimenta dirimentia, promulgandi matrimonii validitatem eamque irritandi penes legislatorem civilem mansit. Ecclesiae potestas pertinet tantum ad benedictionem [52]). Per se intelligitur sub huiusmodi circumstantiis non potuisse rationem christianam de matrimonii indissolubilitate in Oriente omnino vincere, cum nec in Occidente perfectior matrimonii species ab initio stabilita fuerit [53]).

Constantinus Magnus a. 331. repudium iniustum restrinxit, cum statueret virum exinde tantum propter adulterium, veneficium, lenocinium mulierem dimittere posse. Discessus copiam mulieri praebebant: caedes veneficium, violatio sepulchri [54]) Divortium bona gratia restrinxit ita, ut mulier secundas nuptias inire posset, si vir miles per quattuor annos non comparuisset [55]). Divortium mutuo consensu mansit intactum. Itaque Constantinus, si temporum ratio habeatur religioni christianae satis se accommodavit. Legem nempe ferebat pro omnibus suis subditis, quorum multi pagani erant.

Iulianus Apostata abrogavit anno 363 haec Constantini decreta, [56]) sed iam 421. eas renovaverunt Honorius et Valentianus, [57]) qui repudia iusta et iniusta et repudia sine causa vel tantum ob morum vitia seu mediocres culpas distinguunt.

Ius dissolubilitatis per Theodosium II. anno 449. [58]) denuo immutatum est. Ad dissolutionis causas a prioribus imperatoribus statutas multas alias addidit. Mulier virum dimittere poterat, si ostenderat maritum aut adulterum, homicidam, veneficum, seditionibus occupatum, aut quod pessimum omnium peccatorum est communicantem delicto, scilicet, ut contra ipsum imperium aliquid moliretur, falsitatis condemnatum, si ostenderat eum sepulchra violasse, ex sacra aede aliquid subripuisse, latronum vitam sectatum latronum susceptorem, abactorem qui vocatur, esse (qui alienis iumentis aut pecoribus insidiatur eaque alio abigit: *ἕνα τῶν κλουμένων ἀπελατῶν, οἷς ἐστι φροντὶς τοῖς ἀλλοτρίοις ἐφεδρεύειν ὑποζυγίοις ἢ βουλκήμασι καὶ ταῦτα μεθιστᾶν ἑτέρωθι*), plagiarium, eum luxuriose vivere, in conspectu uxoris cum aliis mulieribus scortari, saluti suae insidias parasse et in se flagris usum esse. Vir autem habebat veniam dimittendi mulierem, si eam deprehenderat adulteram, veneficam, homicidii aut plagii aut sepulchri violati ream, sacrilegam, latronum fautricem, viro nesciente vel etiam

---

52) „Im Ganzen hat aber die Kirche hierin nur eine geringe Tätigkeit entwickelt, indem sie es von jeher als angemessen fand, sich hinsichtlich der rechtlichen Seite und der Form der Ehe vom bürgerlichen Gesetze nicht zu entfernen (Zhishman 124.)

53) Cf. Capitularium Caroli Magni l. 5. c. 19 (ad quod respicit Conc. Meldense a. 845 cn. 78. Mansi XIV, 840). Capitula Theodori Cantuariensis c. 93. 116 („cuius uxor fornicatur, licet eam dimittere et aliam accipere“), 143. Poenitent. Theodori II, 12 § 19. 20. Poenit. Romanum tit. III de forn. cp. 20. Concil. Bituricense (1031) cn. 16 etc. Cf. Hergenröther, Archiv X. N. F. IV. 325 ss.

54) Cod. Theod. III. 16. 2.

55) L. 7, Cod. 5, 17.

56) Cod. Theod. III. 13.

57) ib. III. 16.

58) Cod. V. 17. 8. § 2. 3; confer Fahrner 27 ss.

prohibente gaudentem aliorum conviviis, invito viro sine ratione foris pernoctantem, circensibus gaudentem, spectaculis inhaerentem aut theatra frequentantem, insidias sibi venenis aut gladio aut alio modo paratas, consciam tyrannidem molientium, falsitatis ream, audaces manus ipsi ingerentem.

Pars sons semper amittit dotem et antenuptialem donationem, insuper mulier post quinquennium demum secundas nuptias contrahere potest, vir tamen statim uxorem ducere potest. Si dissolutio contra legem i. e. praeter enumeratas causas fiat, mulier item ne ante quinque annos secundum matrimonium ineat prohibetur, vir autem nulli poenae subiectus est. Sed iam Anastasius 497. permisit, ut mulier sicut et vir post unum annum secundas nuptias contraherent si in futurum matrimonium communi consensu praeter causas a Theodosio statutas solveretur [59]).

Ex omnibus hisce evidens est Constantini Magni successores eius decreta de matrimonii dissolubilitate recipere noluisse. Divortium mutuo consensu etiam tum perdurat. Verum est ius civile distinguere solutiones iustas ab iniustis, sed hoc fere nihil valebat, cum iniusta solutio etsi poena peculiari puniretur, valida tamen esset et coniugibus secundarum nuptiarum copiam daret.

Iam quaerendum est, [60]) quid ss. Patres aliique scriptores ecclesiastici ad hanc legislationem civilem de dissolubilitate matrimonii senserint. Eorum testimonia ostendent nobis, quid ecclesia hoc tempore de divortiis docuerit, qualemque disciplinam in hac re exercuerit. Quod praecipue valet de iis, quorum auctoritas in iure canonico maxima est quorumque multi canones ab ecclesia recepti sunt atque a concilio Trullano sollemniter approbati [61]).

---

[59]) Cod. V. 17. 9; Zhishman 96—103.; Fahrner 25—28.

[60]) Canon 20. synodi Ancyranae (314) statuit: „Ἐάν τινος γυνὴ μοιχευθῇ ἤ μοιχεύσῃ τις, ἐν ἑπτὰ ἔτεσι δοκεῖ (δεῖ) αὐτὸν τοῦ τελείου τυχεῖν κατὰ τοὺς βαθμοὺς τοὺς προάγοντα·“ (Mansi II. 519.) Gentianus Hervetius hunc canonem vertit: „Si alicuius uxor adulterata fuerit, vel quis eam adulteraverit, oportet eum in septem annis quod perfectum est assequi, per gradus, qui eo deducunt.“ (Mansi ib.) Dionysius autem Exiguus intelligit hunc canonem de adultero viro, qui secundum pristinos gradus septem annos poenitentiam agere debet, ut ad perfectionem perveniat. (Mansi ib. 525; Pitra, Iuris eccles. Graec. hist. et monum. op. c. I. 447.) Hefele (Conciliengeschichte I. 339. intelligit αὐτὸν τυχεῖν de viro et de muliere et sensus esset: si mulier vel vir adulterium commiserit, debet poenitentiam agere per septem annos. Cum in contrarium Isidorus Mercator neque commemorationem viri et mulieris faciat (Mansi II. 533.) Van Espen dat hunc canoni sensum: Si quis propter adulterium dimissam uxorem in matrimonium ducat, puniendus est sicut adulter. (Commentarium in canones et decreta Colon. 1755 p. 119). Eiusdem sententiae est celeberrimus Pitra (Monumenta et hist. op. c. I. 450. nota 10.) Sed tamen videtur, per huiusmodi interpretationem vis inferri ipsi canoni, cum nemo primo obtutu quicquam huiusmodi in eo invenire possit. Nullum aliud concilium hac periodo in Oriente habitum sive oecumenicum sive particulare attingit indissolubilitatem matrimonii.

[61]) Apud Graecos-Orientales recipiuntur in ius canonicum scripta Dionysii Alexandrini, Gregorii Neocaesariensis et Theologi, Athanasii

Imprimis constat acriter ss. Patres defendisse, iuris ecclesiastici a iure civili differentis valorem. Ita Gregor. Naz. Ep. 211; Or. 37. Maxime vero in nostra re Io. Chrysostomus, Hom. de libello repudii n. 1. audiendus est: „Quae autem serva est ac subdita legi, etiamsi millies libellum repudii accipiat, adulterii ligabitur lege. Nam servis quidem licet mutare dominos viventes, uxori autem non licebit viros commutare vivente illo, nam id adulterium esset. Ne mihi leges ab exteris conditas legas, praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit. Etenim externae leges non simpliciter, nec absolute hoc posuerunt . . .“

Sed quid ipsi ss. Patres illius temporis docuerint, cognoscamus.

Doctrina s. Basilii hac de re his comprehendi potest:

Cn. 9.[62]) Secundum consuetudinem ecclesiasticam:

1. Mulier [iniuste] dimittens, adultera est, si alii nupsit (Mc. 10, 12); mulier autem numquam iuste dimittit. Cf. Rabulas, Canones pro sacerd. et clericis ap. Bickell, Ausgew. Schriften der syr. Kirchenv. S. 237.

2. Vir [iniuste] dimissus, non est adulter, si aliam duxit.

3. Vir [iniuste] dimittens, adulter est.

4. Mulier [iniuste] dimissa adultera est, si alii nubit.

5. Mulier nubens [iniuste] dimittenti (adultero — ab uxore vera tamen non dimittendo) adultera est.

ad 1. Non est mirum, quod hic additur condicio: si alii nupsit; aliud enim de viro valet aliud de muliere sec. cn. 21.

Cn. 21[63]). Secundum consuetudinem ecclesiasticam: Maritus peccans cum soluta non est adulter; neque excluditur a toro et mensa; (ipsa soluta [sec. cn. 46], si sciens peccavit, arcetur a matrimonio [sane ut adultera]).

Uxor peccans cum soluto adultera est, et separatur a toro et mensa. Cf. Cn. 92.

Cn. 35.[64]) Maritus sine causa dimissus, non est adulter, si aliam ducit.

Alexandrini, Basilii Magni, Amphilochii Iconiensis, Timothei, Theophili, Cyrilli, archiepiscopi Alexandrini, Genadii Cptani, Cypriani Chalcedonensis. In „Pedalion“ referuntur praeterea: Ioannes Ieiunator, Tarasius, Nicephorus, Nicolaus archiepiscopi Cptani et Petrus, Martyr, archiep. Alex.

Concilium Trullanum (692.) enumerat canones: „Διονυσίου ἀρχιεπισκόπου γενομένου Ἀλεξανδρείας μεγαλοπόλεως, καὶ Πέτρου γενομένου ἀρχιεπισ. Ἀλεξ. καὶ μάρτυρος, καὶ Γρηγορίου ἐπισκόπου γενομένου Νεοκαισαρείας Καππαδοκίας, Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης, Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου, Ἀμφιλοχίου τοῦ Ἰκονίου, Τιμοθέου ἀρχιεπισ. γενομένου Ἀλεξ. τὸ πρότερον, Θεοφίλου ἀρχιεπισ. τῆς αὐτῆς Ἀλεξ. μεγαλοπόλεως, Κυρίλλου ἀρχιεπισ. τῆς Ἀλεξ. καὶ Γεναδίου πατριάρχου γενομένου τῆς θεοφυλάκτου ταύτης καὶ βασιλίδος πόλεως“ (c. 2. C. E. Zachariae, Historiae iuris G. R. delineatio. Heidelbergae 1859. p. 18.)

62) Ep. canonica I. ad Amphilochium; Migne 32, 665; Pitra, Iuris Graecorum mon. et hist. op. c. I. 582 s.

63) Pitra l. c. I. 588. Cf. T. Barsov in Hrist. Čt. 1882 I, 839. 842.

64) Ἐπὶ δὲ τοῦ καταλειφθέντος ἀνδρὸς ὑπὸ τῆς γυναικὸς χρὴ σκοπεῖν τὴν αἰτίαν τῆς ἐγκαταλείψεως· κἂν φανῇ ἀλόγως ἀναχωρήσασα ὁ μὲν συγγνώμης ἐστὶν

Nota: E cn. 9. novimus maritum numquam iuste dimitti; et si (iniuste) dimittatur, secundum consuetudinem posse ducere aliam, etsi adulter fuit; hic de viro innocenti idem — tutius videtur affirmari.

Cn. 46. (Maritus [iuste] dimissus adulter est, si aliam ducit).

Cn. 48.[65]) Secundum sententiam Basilii: Uxor, iniuste dimissa, adultera est, si alii nubit [saltem vivo marito].

Cn. 77.[66]) Vir [iniuste] dimittens, et aliam ducens est adulter.

Auctor libri de Virginit. s. Basilio adscripti (de quo cf. Bardenhewer, Patrologie. Freib. i. Br. 1894. I., 256) n. 41 (Migne PG. 30, 751) verba Christi „qui dimissam duxerit" expresse interpretatur de ducente iuste dimissam.

Itaque mulier dimittens numquam nubere poterat alii viro (cn. 9, 1). Ergo Christus non potuerat sanxisse, ut in casu adulterii a marito commissi, uxor posset novum matrimonium inire. Neque enim leges civiles hoc fortasse impediebant! Quodsi non de uxoribus id sanxit, neque de maritis id sanxisse putandus est, praesertim cum discrimen tale in posteriore usu ecclesiae evanuerit, et lex civilis, quam consuetudo ecclesiastica secundum cn. 21. sequebatur, et a s. Io. Chrysostomo (Hom. in illud: Propter fornicationes [1 Cor. 7, 2] n. IV.) et a s. Gregorio Naz. (Or. 31) improbata sit. „Neodinakovost' poslědstvij dlja muža i ženy, obvinjaemyh v preljubodějanii, objasnjaetsja prinjatym v greko-rimskom pravě neodinakovym vozzrěniem na narušenie supružeskoj věrnosti, a ne razrěšitel'nym v sem slučaě vzgljadom hristianskoj cerkvi, kotoraja i ot muža v ravnoj měrě trebuet cělomudrija." T. Barsov in Hrist. Čt. 1882, I, 842.

Maiorem difficultatem Theodoretus Cyrensis parat, qui Christum verbis illis „excepta causa fornicationis" aliquid sanxisse et mandasse — sive separationem a toro et mensa sive divortium, hoc enim ex eius verbis non satis constat — existimat (Graec. affect. curatio IX. M. 83, 1053, C—D): *λύειν κελεύει*. Idem (Haer. fab. l. 5, č. 16) Migne PG. 85, p. 505 de vetito repudio citra fornicationem loquitur, quod comparat cum repudio in V. T., ubi novum matrimonium inire post repudium licebat. Sed certe erravit, si Christum illis verbis vel solam separationem a toro et mensa postulasse iudicavit, quod etiam alii praeceptum esse — etsi non eisdem illis verbis — opinabantur (ut Io. Chrysostomus vulg. Hom. 32. Migne 56, col. 802).

Gregorius Naz. Christum verbis apud Mt. sanxisse concedendum esse divortium existimare videri potest. Dicit enim haec: Lex quidem [Mosaica] omnes ob causas libellum dat repudii. At

---

ἄξιος, ἡ δὲ ἐπιτιμιῶν. (Pitra, Iuris G. hist. et m. I. 592.) Cf. T. Barsov in Hrist. Čt. 1882 I, 819—821.

[65]) Migne P. G. 32, 715; Pitra op. c. I, 594. Ἡ δὲ ἐγκαταλειφθεῖσα παρὰ τοῦ ἀνδρός, κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην, μένειν ὀφείλει. Εἰ γὰρ ὁ Κύριος εἶπεν, ὅτι Ἐάν τις καταλίπῃ γυναῖκα παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι· ἐκ τοῦ μοιχαλίδα αὐτὴν ὀνομάσαι, ἀπέκλεισεν αὐτὴν τῆς πρὸς ἕτερον κοινωνίας. Πῶς γὰρ δύναται ὁ μὲν ἀνὴρ ὑπεύθυνος εἶναι, ὡς μοιχείας αἴτιος, ἡ δὲ γυνὴ ἀνέγκλητος εἶναι, ἡ μοιχαλὶς παρὰ τοῦ Κυρίου διὰ τὴν πρὸς ἕτερον ἄνδρα κοινωνίαν προσαγορευθεῖσα.

[66]) Pitra I. 599.

Christus non ob omnes, sed separari tantum ab adultera uxore permittit. Idque propterea, quia impudica genus corrumpit et adulterat. Quae ratio certe ad solas mulieres pertinet. Sed, etsi diremptio matrimonii et duplicatio matrimonii nonnumquam pro synonymis habentur (cf. Conc. Cabillonense II, cn. 30. Mansi XIV, 99) atque apud Iudaeos „idem erat libellum repudii dare et posse virum aliam uxorem ducere" (Maldonatus in Mt 19, 9, cf. tamen Iustin., Apol. I.) iam supra docuimus id non semper fieri; ius autem Veteris Testamenti commemoratum non probat sub ea ratione res comparari, sub qua repudium novi matrimonii copiam dabat, et certe ratio apposita plus non demonstrat quam separationis facultatem.

Similia dici possunt de loco Apollinarii (cf. Cramer, Anecd. Gr. t. I, 151—152).

Io. Chrysostomus in 1 Cor. (7, 14) Hom. 19. non solum adulterio matrimonium „solutum" esse dicit, sed etiam post fornicationem [uxoris] maritum iam non esse maritum iudicat (*μετὰ τὴν πορνείαν ὁ ἀνὴρ οὐκ ἔστιν ἀνήρ*), licet alibi (Hom. 17. in Mt 5, 27) uxorem eiectam adhuc manere eicientis (iniuste) uxorem fateatur, sane etiamsi eiecta iam adulterium commisit. Ceterum satis clare indicat (In Mt [5, 31. 32] Hom. 17) neque iuste dimissae licere novas nuptias inire. Rationem exceptionis adulterii similem ponit atque Gregorius Naz. (Hom. 19. in 1 Cor.). Cf. M. Grigorevskij, Učenie sv. Ioanna Zlat. o brakě in Strannik 1899.

Similia habet Asterius Amasenus (quem tamen verum Amasenum esse Binterim, Die vorzügl. Denkwürdigkeiten VI, 1, 114 negat); dicit enim [67]) matrimonium *θανάτῳ καὶ μοιχείᾳ διαλύεσθαι* et cum de novis nuptiis post divortia exponat (viros mutare uxores sicut vestimenta): Quodsi forte, inquit, adulterii culpam obicit eamque divortii rationem reddit, omnem statim accusationem a marito iniuria hac affecto in adulteram transferam, pro hoste probus posthac illi defensor et propugnator assistam, laudabo eum, qui fugiet insidiatricem, qui vinculum abrumpet, quod eum aspidi, quod echidnae copulavit." Haec Chrysostomi et Asterii sane aliter intelligi nequeunt, quam ut exprimant sententiam: vinculum esse quidem solutum adulterio, sed ei, quae uxor fuerat, non licere alii nubere et usum cum alio imputari ei ut adulterium continuatum. Sed marito licere — divortio honeste facto — novam uxorem ducere neuter expresse dicit, aut, ut sibi in argumentando cohaerat, ponere cogitur. Eo minus Christum id sanxisse hinc concludi potest.

Neque Cyrilli Alexandrini locus plus demonstrat. Concludi potest ex eius verbis [68]) matrimonium solvi *ἀτόπῳ πράξει*, sc. ubi uxor iuste dimittitur, non solvi ubi iniuste (*σώφρονα*) dimittitur; soluto matrimonio non adesse rationem adulterii in accessu ad alium (*ὡσανεί*).

---

[67]) **Homil. in Matth. 19, 3—9. Migne P. G. 40. 227. vel Combef. bibl patr. auct. nov. Paris 1648. Tom. duplex p. 82**

[68]) Ὁ τὴν σώφρονα ἐκβάλλων δίδωσιν αὐτῇ ἄδειαν ἄλλῳ γαμηθῆναι, ὅπερ ἐστὶν εἶδος μοιχείας, ὡσανεὶ μὴ λυθείσης συζυγίας· οὐ γὰρ τὰ ῥεπούδια παρὰ Θεῷ λύει τὸν γάμον, ἀλλ' ἡ ἄτοπος πρᾶξις. In Mt. 5, 31 (M. 72, 370).

Epiphanii verba (Haer. 59) [69]) pro obscuritate sua variis modis explicantur: triplici modo omnis difficultas inde expellitur. Dici potest 1. docere virum adulterum (et a fortiori innocentem) mortua uxore aliam ducere posse (Pius Brunquell, Beweise für die Unauflösbarkeit des Ehebandes. Augsb. 1810: cf. Roskovány Matrim. t. V. [Supplem. t. I.] 1887, p. 670—2. — 2. docere: „Qui non sat habuit unam duxisse uxorem, quae iam sit mortua, ob aliquam scortationem aut adulterium, id est, quod timeat, ne fiat adulter, si a novo coniugio abstinuerit, iste poterit cum secunda coniungi, neque divina scriptura eum in hac re accusat vel reprehendit.“ Petrus Arcudius (Concord. eccl. occid. et orient. in sept. sacram. administr. pag. 619. — 3. Alii (Molkenbuhr, Binterim, Klee) verba illa „ob aliquam scortationem aut adulterium aut separatione ob aliquam malam causam facta“ primitus non adfuisse suspicantur. Certe igitur sensus, quem adversarii ei loco tribuendum esse contendunt, matrimonium esse ex causa adulterii solubile, necessarius non est.

His praecipua Patrum testimonia, quae afferri solent, absolvimus. Sed etsi ecclesiastica consuetudo illorum temporum parum a perfectione, quae a Romana ecclesia nunc exigitur, differret, christiani saepe legum civilium licentia utebantur: viri uxores et uxores viros sine ullo impedimento tanquam vestes, ut narrat Asterius loco supra citato, dimittebant. Maxima protestatio s. Io. Chrysostomi, Gregorii Theologi aliorumque nihil proderat. Ecclesiae auctoritas in iure divortii componendo effecit solum id, ut divortium iniustum sub aliquibus poenis prohiberetur.

Maximum malum in eo erat, quod ecclesia ea aetate nullam externam iuridicam potestatem in matrimonium habebat. Verum est iam Constantinum an. 331. dedisse privilegium personis ecclesiasticis praesertim episcopis iudicium ferendi in rebus prorsus civilibus. Imperio utebatur auctoritas civilis, quae debebat illud exequi, quod episcopus decreverat. Contra eius sententiam non permittebatur appellatio nisi ad imperatorem. Postea ecclesia veram legislationem in civilibus litibus accepit. Recursus ad episcopum permissus erat non solum, utraque parte in hoc consentiente, sed etiam contra alterius voluntatem. Neque, cum lis apud iudicem laicalem iam incepta esset, appellatio ad ecclesiasticum iudicium prohibebatur.

Sed ex hoc nullo modo concludendum est a fortiori matrimonium ad ecclesiae legislationem spectasse. Etsi enim, sicut vidimus, a principibus christianis aliquid de matrimonii solutione mutatum erat, tamen haec solutio semper pro actu coniugum privato habebatur nec publica erat, nisi quod coram septem testibus privatis fieri solebat. Ad publicum iudicium pertinebat sententiam ferre de poenis et damnis

[69]) Ὁ δὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ ἕνεκέν τινος προφάσεως, πορνείας ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικί, ἢ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρί, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει διὰ τὸ ἀσθενές. (Haeres. I. 59, c. 4. [ed. Dindorf. II. Lipsiae 1860. p. 553] confer Fahrner 32. n. 1.)

e divortio sequentibus, sed neque haec legislatio erat civilis, sed tantum poenalis et coërcitiva. Cum autem ecclesia iurisdictionem coërcitivam non haberet, causae divortii ad eam tantum in foro interno conscientiae seu in foro ecclesiae, non autem in foro publico spectabant. Propterea leges tantum pro foro conscientiae potuit condere, cum in parte iuridico-civili et publica matrimonium esset iudicii potestatis civilis. Cum igitur tota iurisdictio in rebus matrimonium penes imperatores esset qui nunquam rationibus ecclesiasticis satis se accommodare volebant non est admiranda maxima morum ruina, quae hoc tempore propter innumeras causas dissolutionis apparet [70]) ita ut desperaretur de possibilitate absolutam indissolubilitatem in usum deducendi et propterea ratio fragilitatis humanae haberetur.

Indissolubilitate perfectiore non postulata fundamentum positum est, ut reciperentur leges civiles de divortiis in ius canonicum. Et dum in ecclesia occidentali magna pugna est inter ecclesiam et principes, dum illa hoc vincit, ecclesia Graeco-Orientalis magis magisque subiciebatur potestati civili.

B) Iustiniani eiusque successorum de matrimonii divortiis legislatio eiusque ad ius canonicum relatio.

§ 1. Legislationis Iustiniani eiusque successorum dispositiones quoad nuptiarum dissolubilitatem.

A Theodosio II. facta reformatio permansit usque ad tempora Iustiniani I. (527—565), cuius legislatio quoad matrimonii dissolubilitatem maximi momenti est, cum eius leges in ipsum ius canonicum receptae adhuc in ecclesia Graeco-Orientali separata valorem habeant.

Anno 535, 15. k. Aprilis edidit 22. Novellam: *Περὶ τῶν δευτερογαμούντων. Ὁ αὐτὸς βασιλεὺς (Ἰουστινιανὸς) Ἰωάννῃ τῷ ἐνδοξοτάτῳ ἐπάρχῳ τῶν ἱερῶν τῆς Ἕω πραιτωρίων τὸ δεύτερον, ἀπὸ ὑπάτων καὶ πατρικίῳ* [72]).

In praefatione describitur matrimonii sublimitas et momentum pro genere humano, cuius immortalitatis artifex sit. Antiquitatem, ait, non satis de prioribus aut secundis nuptiis perscrutatam esse, sed permisisse patribus et matribus ad plures venire nuptias nec ullo lucro privari. Theodosii autem temporibus ampliorem sollicitudinem factam esse circa huius rei tractatum.

In c. 1 monetur, ut omnia, quaecunque in prioribus sancita sunt, valeant secundum propria tempora non habentia ullam ex praesente lege novitatem.

Capite 4. transit ad ipsam matrimonii solutionem. Quattuor dissolutionis formae distinguuntur: 1. *διαζύγιον κατὰ συναίνεσιν* — divortium mutuo coniugum consensu; 2. *διαζύγιον κατὰ πρόφασιν ἄμεμπτον* vel *εὔλογον* — divortium bona gratia vel per rationabilem occasionem; 3. *διαζύγιον αἰτίας ἁπάσης χωρίς* — divortium citra omnem causam et 4. *διαζύγιον κατὰ αἰτίαν εὔλογον.* Distinctionis fundamentum

---

[70]) confer Fahrner 43 ff.; Geffcken 28 ff.

[72]) Corpus iuris civilis; ed. stereotypa 2. Berolini 1899. III. 146—187.

non est clarum. Secundum eam sequentes divortii species in ius canonicum introductae sunt: *διαζύγιον κατὰ συναίνεσιν* vel *ἐκ τοῦ συμφώνου* et *διαζύγιον κατὰ πρόφασιν ἄπεμπτον*, quod iterum subdividitur in *διαζύγιον ἀγαθῇ χάριτι δίχα ποινῆς* vel *λῦσις ἀτιμώρητος*; et *διαζύγιον τιμωρίᾳ* — cum damno. *Διαζύγιον κατὰ συναίνεσιν* fit per mutuum coniugum consensum sine ulla prorsus causa; *διαζύγιον κατὰ πρόφασιν εὔλογον* alterius coniugum crimine vel aliqua rationabili causa, propter quam matrimonium solvi licet, fundatur. Si divortium propter aliquod crimen fit, vocatur *διαζύγιον τιμωρία*, quia pars sons punitur: si propter aliam causam citra crimen fit, *διαζύγιον δίχα ποινῆς*, quia neutra pars poenam patitur. —

Divortii bona gratia in 22. Novella enumerantur hae causae: professio religiosa [73]), impotentia viri coire mulieri et agere, quae a natura viris data sunt [74]), captivitas [75]), recursus liberti vel libertae ad servitutem [76]), absentia viri militis [77]).

Causae divortii cum rationabili causa vel „cum damno“ ex Theodosii II. decretis enumerantur et adhuc tres novae adduntur: si mulier de industria abortum faciat, si una cum viris libidinis causa lavetur, vel aliis stante primo matrimonio de novis nuptiis loquatur (c. 16, 1).

De divortio mutuo consensu Iustinianus hac Novella nihil statuit et propterea illud permansit in suo valore.

Propter illegitimam dimissionem amittebat vir dotem et antenuptialem donationem, sed quaestio erat, quid tunc, si mulier nullam dotem viro attulerat. Quoad hoc statuit Nov. c. 18. virum dimittentem uxorem sine iusta causa vel praebentem ei rationem, ut a coniugio discedat, quartam partem suae substantiae illi persolvere debere, quam quantitatem non posse esse maiorem centum auri libris. Iisdem poenis etiam mulier sine dotatione subiacet et insuper post quinque annos demum secundas nuptias inire potest, si sine iusta causa repudium viro miserit, si autem per culpam mariti vel bona gratia repudium dederit, idem valet atque in nuptiis cum donatione antenuptiali. —

---

[73]) Κατὰ πρόφασιν ἄπεμπτον, ὅταν ἄσκησιν θάτερον ἕληται τῶν μερῶν, πρὸς τὴν ἐπὶ τὰ κρείττω μεταβαῖνον ὁδόν, καὶ τὸν ἐν ἁγνείᾳ βίον αἱρούμενον (c. 5).

[74]) Διαλύεται γάμος, ὅταν τις οὐχ οἷός τε εἴη συνιέναι τῇ γυναικὶ καὶ τὰ παρὰ τῆς φύσεως ἀνδράσι δεδομένα πράττειν. Debet tamen triennium ex nuptiarum tempore transcurrere (c. 6).

[75]) Τὸ τῆς αἰχμαλωσίας τοιοῦτόν ἐστιν, ὁποῖον bona gratia διαλύειν τὸν γάμον Altera coniugum pars debet alterum per quinquennium expectare, quo tempore elapso, sive manifestum fiat de morte, sive incertum, nubere licet sine periculo (c. 7). Propter damnationem ad metalla (c. 8) et deportationem (c. 13) non potest solvi matrimonium.

[76]) Εἰ δὲ ψῆφος δικαστικὴ τὸν ἀπελεύθερον ἢ τὴν ἀπελευθέραν ἢ τοὺς τούτων παῖδας καταδουλώσειε, συνίσταται μὲν ἐξ ἀρχῆς ὁ γάμος, ἡ δὲ ὕστερον ἐπιφανεῖσα δουλεία διαζεύγνυσιν αὐτοὺς ἀπ᾽ ἀλλήλων, ὡσανεὶ τελευτῆς ἀκολουθησάσης (c. 9). Si quis autem statim ab initio se cum libera persona nuptias contrahere opinatus est, et postea demum illam servilis esse conditionis appareat, ab initio matrimonium non erat propter impedimentum „inaequalitatis fortunae“. (c. 10, 11, 12).

[77]) Constantinus statuit post quattuor annos uxorem militis secundas nuptias inire posse, si vir silentium agat; per hanc autem Novell. tempus exspectationis ad decem annos prolongatur. (c. 13. 14).

Sed et tunc abusus contingere poterant, cum coniuges repudia praeter vel propter causam ea intentione mitterent, ut a patre dotem et antenuptialem donationem acciperent. Ut hoc malum et irreverentia contra parentes amoveatur, pro repudio in fraudem parentum horum consensus exigitur.

Iustinianus igitur in hac Novella nullam prorsus iuris dissolubilitatis renovationem fecit, immo causas divortii a Theodosio statutas etiam amplificavit. Eius meritum constat unice in eo, quod melius has causas determinavit et novas poenas pro iniusta solutione statuit. Influxum tertii in vinculum matrimoniale intactum reliquit, quia „neque rationi convenit patrem contra filii voluntatem matrimonium dissolvere non posse". —

Maiorem progressum et accommodationem ad legem naturalem et ecclesiasticam ostendit Novella 117. an. 542 15. k. Ianuar. sub titulo: *Περὶ διαφόρων κεφαλαίων καὶ λύσεως γάμου. Ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Θεοδότῳ ἐπάρχῳ πραιτωρίων* [78]).

Quoniam sunt multae, ita Novel. c. 8., in antiquis legibus causae, ex quibus facile matrimoniorum dissolutiones fiant, placuisse imperatori ex eorum numero quasdam auferre, quae indignae sint ad matrimonia solvenda.

Distinctio iuridica divortii adhibita in 22. Novel. non reperitur, sed simpliciter solutionis causae enumerantur (c. 8—15).

Vir potest uxorem dimittere: 1. si contra imperatorem molientibus aliquid conscia, marito id non indicaverit. Quodsi maritus hoc sibi a muliere renuntiatum reticet, licet mulieri ad imperatorem ipsum rem deferre, ne maritus postea ullum dissolutionis praetextum habeat: 2. si probet eam adulterium commisisse; 3. si quocunque modo mulier vitae mariti insidiata sit, vel aliis id facientibus ei non indicaverit; 4. si cum viris externis sine consensu mariti convivat, lavetur, extra domum maneat, nisi forsan apud proprios parentes: maritus, qui citra unam ex his causis mulierem domo expellit et illam foris pernoctare cogit apud alios, non habentem proprios parentes, nullam licentiam habet mittere ei libellum repudii: 5. si ignorante vel prohibente marito circensibus, theatris et amphitheatris intersit.

Mulier potest viro repudium mittere et dotem atque antenuptialem donationem accipere: 1. propter coniurationem, insidias vitae et castitatis aliis eam adulterandam tradendo: propter impotentiam probandi eius accusatum adulterium; 2. si maritus in eadem domo vel eadem civitate, in qua cum uxore habitat, cum alia inveniatur vivere et admonitus per suos vel mulieris parentes aut per alias fide dignas personas, non abstineat a suo scelere.

Solutio matrimonii mutuo consensu per hanc Novell. abrogatur nisi fiat propter castitatem i. e. vitam monasticam. Si autem propter hanc causam soluti coniuges alias nuptias contrahant vel luxuriose vivant, liberi eorum dotem et antenuptialem donationem atque totam sontis personae substantiam accipiunt.

[78]) Corpus iuris civilis op. c. III. 551—566; vel: Novel. Iustiniani extra codicem. ed. Zachariae a Lingenthal. (Lipsiae 1881.) II. 211—226.

Pro divortio bona gratia aliqua nova statuuntur: Mulier, quamquam a suo marito, qui in expeditione est et in militias refertur, per quantoscunque annos neque litteras, neque ullum responsum acceperit, tamen non potest secundas nuptias inire ante eius mortem. Captivitas manet adhuc in valore, sicut Novellâ 22. praescribitur. Omnes aliae causae divortii illegitimae sunt et si mulier citra eas repudium mittat, ab episcopo in monasterium mittenda est. —

Ut patet, 117. Novell. adhuc firmiter in antiqui iuris Roman. fundamento manet. Concessiones ecclesiae factae sunt, in quantum divortium mutuo consensu abrogatum est impositis gravibus poenis in eos, qui eiusmodi divortia facere auderent. Sed eorum validitas permansit etiam post hanc Novellam. Quod elucet ex Breviario 134. Novellae ci 26. Theodori Hermopolitani, qui affirmat talia divortia contra mores esse, sed tamen validitate non carere [79]). Influxus iuris Romani etiam in maiore indulgentia erga maritos, pro quorum criminibus leviores poenae statuuntur, invenitur.

Quae leges a Iustiniano latae minime observabantur, quia scil. matrimonium etiam ex aliis causis et per consensum solvebatur. Sicut nempe legislator Iustinianus tam multas dissolutionum causas statuere potuit, omnis praefectus in provincia usurpabat sibi eandem potestatem. Praeterea pecunia quivis iudices ad suam partem trahere potuit, ut solverent matrimonium, ubi nulla causa aderat. Propterea Iustinianus an. 566. Novel. 134. [80]) publicavit, in qua inculcat et commonet matrimonium tantum ex causis enumeratis in Novella 117. solvi posse. Divortia mutuo consensu iterum severe prohibentur et graves poenae contra transgressores statuuntur. Mulier nempe et vir, qui praeter legitimas causas matrimonium solvunt, per omne vitae eorum tempus in monasterium coniciendi sunt. Corporalibus poenis plectendi et in exilium mittendi sunt etiam officiales, qui eiusmodi matrimoniorum solutionibus operam praestant et illegitima instrumenta conficiunt.

In Novel. 117. in adulterium virorum magna indulgentia exercetur, qua illi male utebantur et in peccata omnis generis labebantur. Quod malum Iustinianus evellere voluit praescribens viros secunda vice cum muliere extranea conversari deprehensos, non solum a muliere separandos, sed etiam post tormenta ultimis suppliciis afficiendos esse. Mulier adultera per totum vitae tempus in monasterium mittenda est et post duos annos demum vir eam iterum in matrimonium assumere potest.

Quae severitas tamen nihil effecit. Moralis corruptio maxima erat. Divortium nempe mutuo consensu altas radices in populo habebat et propterea causae divortiorum a Iustiniano statutae non sufficiebant. In 141. Novell. ex anno 559. poenae imponuntur eis Cpoli viventibus, „qui impia et nefaria agunt, quae ne a brutis quidem animalibus inveniuntur commissa“ [81]).

---

[79]) Zhishman 104.
[80]) Corpus iuris civilis ed. c. III. 676—689; c. 11 s.
[81]) Corpus iuris civilis III. 705—706.

Quibus in tristibus circumstantiis successor Iustiniani Iustinus II. (565—578) per Novell. 140. an. 566. 18. k. Oct. iterum *διαζύγιον κατὰ συναίνεσιν* introduxit [82]), cuius introductionis rationem his verbis reddit: Multi nos adierunt, qui matrimonium inter se contractum aegre ferrent et aversarentur, et propterea bellum et proelia domi ortas esse arguerent, utque illud solveretur rogarent, etsi causas, ex quibus impune id eis facere lex concederet, afferre non possent. Quod desiderium se non statim implevisse, sed distulisse ad aliquod tempus hortantem et minantem, ut ab insano odio, quod inter se habeant, desisterent et ad concordiam redirent. Quae omnia nihil profuisse, quoniam difficile sit eos conciliare, qui semel odio tenentur. Contigisse enim, ut nonnulli ex iis sibi invicem insidias pararent, et venenis aliisque rebus, quae mortem afferunt, uterentur.

Imperatores Iconoclastae, Isauri (717—867) characterem prorsus christianum in sua legislatione ostendunt et in re divortii se principiis evangelii magis, quam eorum successores accommodare studuerunt. Leo Isaurus (717—741) eiusque filius Constantinus Copronymus vel Caballinus ediderunt an. 740. Eclogam in 18. titulos divisam, quae declarat Sapientiam Dei, omnium creatoris indissolubilem coniunctionem inter virum et mulierem docere. Quam assertionem probat ex prima matrimonii institutione in paradiso et ex Christi doctrina. Deum non creasse mulierem sicut virum ex pulvere terrae, sed ex corpore Adae, per quod significare voluisse eos esse unam carnem in duabus personis. Item, quando peccaverint, non esse a Deo castigatos per solutionem matrimonii. Eandem legem latam esse a Domino Iesu Christo, qui praeceperit matrimonium tantum propter adulterium solvi posse. Cum tamen multi sint, qui propter varias causas matrimonium solvant, praesentem Eclogam statuere causas, propter quas repudium mittere permittatur.

Post hanc introductionem pro utraque coniugum parte tantum tres divortii causae enumerantur: insidiae vitae, morbus contagiosus et si una pars conscia sit alios moliri insidias alteri parti neque ei hoc nuntiat. Insuper vir potest repudium mulieri mittere propter adulterium et mulier propter viri impotentiam [83]).

Legislatores ergo principio in prologo enuntiato fideles non manserunt, sed tamen restrinxerunt fere innumeras causas a Iustiniano statutas et praeterea abrogarunt divortium mutuo consensu. —

Sed neque hoc quidquam proderat. Multi enim proprios liberos in baptismo levabant, quod secundum c. 53 syn. Trullanae impedimentum dirimens constituebat, ut hoc modo matrimonium solvere aliasque nuptias inire possent. Leo IV. et Constantinus (776—780) Novell. 26. severe

---

82) Corpus iuris civ. III. 701—703.

83) Cap. 12. 13. Eccl. Zacharias, Collectio librorum iuris G. R. ineditorum op. c. 20. 21. Λύεται ὁ ἀνὴρ ἀπὸ γυναικὸς διὰ τοιαύτας αἰτίας· ἐὰν ἡ γυνὴ αὐτοῦ πορνεύσῃ· ἐὰν ἐπιβουλεύσῃ οἱῳδήποτε τρόπῳ τῇ ζωῇ αὐτοῦ ἢ ἐπισταμένη ἑτέρους ἐπιβουλεύοντας μὴ καταμηνύσῃ αὐτῷ· καὶ ἐὰν λωβή ἐστιν· ὁμοίως δὲ λύεται καὶ ἡ γυνὴ ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς διὰ τοιαύτας αἰτίας· ἐὰν ἀδυνατήσῃ ὁ ἀνὴρ ἐπὶ τριετίᾳ ἀπὸ καιροῦ τοῦ γαμικοῦ συναλλάγματος τῇ οἰκείᾳ μιγῆναι γυναικί· . . . conf. Zacharias, Gesch. G. R. Rechtes [3] p. 82 s.

hoc scelus prohibent [84]). Secundum eiusdem Novell. testimonium multi propter incontinentiam, nullam legitimam rationem dissolvendi matrimonii habentes, mittebant repudia *κακῇ συμφωνίᾳ* — mutuo consensu, multi autem sub praetextu castitatis et perfectioris vitae id faciebant et postea secundas nuptias inibant [85]). Quae omnia prohibentur sub gravibus poenis. Tamen divortia mutuo consensu adhuc permanserunt, cum earum validitas legalis non sit abrogata, sed tantum secundae nuptiae nullae declaratae sint liberique, qui ex his generantur, illegitimi.

Quae reformatio divortiorum proximo tempore ab imperatore Basilio Macedone (867—886) abolita et abrogata est. Basilius nempe eiusque successores renovationi legislationis Iustinianae per Isauros multis in rebus mutatae operam dederunt. Quem finem assequi voluerunt edendo primo *Πρόχειρον νόμον* i. e. epitomen legum, tanquam introductionem in scientiam iuridicam, secundo *Ἀνακάθαρσιν παλαιῶν νόμων* — retractationem antiquarum legum in 60 libros distributam, tertio *Ἐπαναγωγὴν τῶν νόμων*, quae est secunda editio *τοῦ προχείρου*.

Basilius Macedo eiusque successores semper magna in oppositione contra Leonis Isauri Eclogam erant atque studebant pedibus manibusque auctoritatem eius tollere. Ita in prooemio ad Prochiron Macedo declarat Eclogam non fuisse electionem, sed potius eversionem bonarum legum, neque quidquam rei publicae profuisse, quia adversus pios legislatores iniuriam commissiset [86]). Idem imperator in Epanagoge Eclogam rebellionem contra verum dogma, et leges civiles eiusque praescripta res ineptas appellat [87]).

Prochiron editum a Basilio filiis Constantino VIII. et Leone Philosopho anno 870. adiuvantibus, causas solutionis matrimonii simpliciter ex 22. et 117. Iustiniani Novella enumerat [88]). Epanagoge publicata an. 884. easdem causas recipit [89]). *Ἀνακάθαρσις*, quae *τὰ βασιλικά* appellari solet, in editione Leonis Philosophi intra an. 901—911 continet easdem divortii causas [90]), quae in Prochiro et Epanagoge reperiuntur.

Solutio mutuo consensu excepto casu castitatis abrogatur et prohibetur [91]), in quo unicum meritum legislationis Macedonis positum est.

---

[84]) Καὶ ταῦτα μὲν ἡμῖν περὶ τῶν ἐκ τοῦ παναγίου βαπτίσματος τὰ ἑαυτῶν παρὰ νόμους δεξαμένων τέκνα νενομοθέτηται. ἐπειδὴ δέ τινες ἑτέροις αὖθις συνεκρότησαν γάμοις; editio Zachariae, Ius G. R. III. 53.

[85]) Ius G. R. ed. Zach. 53—55.

[86]) Prochiron ed. Zachariae, p. 9. § 2. 2.

[87]) Νῦν δέ τὰς ἐπὶ ἐναντιώσει τοῦ εἰρημένου θείου δόγματος καὶ ἐπὶ καταλύσει τῶν σωστικῶν νόμων παρὰ τῶν Ἰσαύρων φλεναφίας ἐκτεθείσας πάντη ἀποῤῥίψασα; ed Zachariae in Collect. p. 62; Zhishman 53.

[88]) 11 primi tituli agunt de matrimonio, quorum postremus causas divortii tractat, ed. Zachariae 73—83.

[89]) Collectio, ed. Zach. 135—146.

[90]) Lib. XXVIII. tit. 7. ed. Heimbach. (Leipzig 1833—1850) III. 217—237.

[91]) Δεῖ εἰδέναι, ὡς ὁ παρὼν ἐκανονίσθη νόμος ὑπὸ τοῦ ἡμετέρου εὐσεβοῦς βασιλέως. ἔχει γὰρ οὕτω τὸ δόγμα· Θεσπίζομεν τὰ ἐπὶ σωφροσύνῃ καὶ κατὰ συναίνεσιν διαλύεσθαι μέλλοντα συνοικέσια μὴ ἄλλως πως διαλύεσθαι εἰ μὴ ἄρα τῶν προσώπων ἑκάτερον ἐν ὁμοίᾳ φιλοθέῳ γνώμῃ καὶ ἴσῳ χρόνῳ τὸ μοναδικὸν ἀναλάβοι βίον. Ita iam Scholiastes admonet ad Epanagoges XXI. 1. Zacharia, Collectio 135.
Idem prohibetur in Prochir. XI. 4. ed. Zach. 74.

Ita Isaurorum reformatio et accommodatio principiis doctrinae christianae ex iure extincta est, et iterum valorem Iustiniani dispositiones de divortio acceperunt. In hoc stadio ius Romano-Byzantinum semper permansit. Progressus in melius factus est in quantum posteriores iuristae solutionem sine legitima causa nullam habebant. —

§ 2. Receptio iuris Iustiniani quoad divortia in ius canonicum.

Maximi momenti est quaestio, quomodo primae iuris collectiones ab auctoritate ecclesiastica editae ad legislationem Iustiniani, praesertim ad Novell. 22. et 117. se habuerint.

Hae collectiones triplicis generis sunt: pure canonicae, quibus tantum ss. Patrum et conciliorum canones continentur: ecclesiastico-civiles, in quibus tantum leges civiles ad disciplinam ecclesiasticam spectantes inveniuntur: collectiones nomocanonum, ubi tum *κάνονες* tum leges civiles — *νόμοι* ad ecclesiam se extendentes reperiuntur.

Collectionibus pure canonicis non contineri leges civiles quoad divortia per se evidens est et propterea consideremus tantum collectiones ecclesiastico-civiles et nomocanones.

Collectio 87.[92]) capitulorum a Ioanne Scholastico, sacerdote et apocrisiario ecclesiae Antiochenae, postea patriarcha Cptano (566—577) facta et inter 565—568 tanquam supplementum collectionis pure canonicae 50 capitulorum publicata antiquissima est compositio iuris civilis Romani, in quantum ad ecclesiam spectat.

Haec Collectio continet Novellas Iustiniani et quidem: 6., 5., 83., 46., 56., 120., 57., 3., 32., 131., 67., 123., sed Novellarum 22. et 117. nulla prorsus commemoratio est. Ceterum ipse collector leges civiles circa disciplinam ecclesiasticam latas valde laudat [93]) et tamen has Novell. operi inserere noluit, quamvis fundamentalia de matrimonio decreta contineant.

Collectio 25 capitulorum [94]) ab ignoto auctore initio vel sub finem saec. VII. adornata leges ex Iustiniani codicibus desumptas continet, quattuor nempe Novell.: 137., 133., 120. et secundum caput 123. Novell. 117. et 22. nullum vestigium extat.

Collectio constitutionum ecclesiasticarum vel Tripartita aut Paratitla, cuius plena inscriptio est: „*Νόμος Ἰουστινιανοῦ βασιλέως. Συνα-*

---

92) Plena inscriptio est: „Ἐκ τῶν μετὰ τὸν κώδικα θείων νεαρῶν διατάξεων τοῦ τῆς εὐσεβοῦς λήξεως Ἰουστινιανοῦ διάφοροι διατάξεις συναδοῦσαι ἐξαιρέτως τοῖς θείοις καὶ ἱεροῖς κανόσι, καὶ ἐν περιουσίας τὴν οἰκείαν ἰσχὺν νέμουσα, αἷς τάξιν τινὰ καὶ ἀριθμὸν ἐπιθήκαμεν πρὸς σύντομον εὕρεσιν τοῦ ἐπιζητουμένου κεφαλαίου . . . . Pitra, Iuris ecc. op. c. II. 385 s. Impressa invenitur coll. apud Heimbach, Anecdota (Lipsiae 1840) tom. II. 202—234.

93) Ἅττινες (νόμοι) οὐ μόνον τοῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων ἀκολουθοῦσι κανόσιν, ἀλλὰ γὰρ τὴν ἐξ βασιλικῆς ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται, μετὰ προσθήκης ἐννόμου τε καὶ θεαρίστου, τὸ συμφέρον πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει θεομιμήτως περιεχούσης." Pitra II. 390.

94) Pitra II. 407 s.; Heimbach, Anecdota II. 145 ss. (confer: Milaš, Православно црквено право² — Ius canonicum orthodoxae ecclesiae. Mostar. 1902, p. 186. vel ed. Kirchenrecht der morgenl. K. Czernovitz 1897 p. 171.

γωγὴ τῶν εἰρημένων ἐν τῷ Κώδικι, καὶ τοῖς Διγέστοις, καὶ Νεαραῖς διατάξεσιν περὶ ἐπισκόπων καὶ κληρικῶν καὶ μοναχῶν καὶ πραγμάτων εὐαγῶν ἔτι δὲ καὶ Ἰουδαίων καὶ αἱρετικῶν[95]), adornata est circa 641. Ut vel ipsa inscriptio innuit, collectio amplissima est et fere omnes leges civiles ad disciplinam ecclesiasticam directe vel indirecte spectantes continet. Compluribus in locis etiam de matrimonio agit. Ita lib. I. T. 3. c. 5 inscribitur: Si quis rapuerit vel dumtaxat uxorem ducere virginem sacram adtentaverit: capitali supplicio punitur[96]): c. 19: Sacerdotes et clerici matribus dumtaxat suis, et filiabus, et sororibus et secum matrimonio copulatis cohabitent." [97])

Nullibi autem reperitur Novella 22. et 117., neque ulla eorum commemoratio.

Iam possumus ex hoc conclusionem ducere ecclesiam noluisse illo tempore in ius canonicum leges civiles de divortio inducere, quippe quae doctrinae evangelicae et traditioni opponerentur. Aliter res intelligi non potest. Si enim in collectiones assumptae sunt omnes leges civiles ad disciplinam ecclesiasticam spectantes, quare omissae sunt tantum illae, quae se extendunt ad divortia? Si iam loquuntur de matrimonio et de dissolutione propter professionem religiosam, quare et alias leges civiles ex professo de dissolubilitate tractantes non assumpserunt? Ad has quaestiones nullum aliud responsum dari potest, nisi quod supra dedimus.

Transeamus nunc ad nomocanones antiquissimos et inquiramus, num fortasse in iis leges Iustiniani de divortiis reperiantur. —

Nomocanon 50 capitulorum Ioanni Scholastico falso adscriptus ex systematica collectione canonum Ioannis Scholastici et ex collectione 87 capitulorum compositus est. Tempus publicationis in aetate imperii Iustini II. (565—578.) reponendum esse videtur[98]). Titulo 41. et 42.[99]) continentur canones s. Basilii 31. 36. 48. 77. 21. 37. 46., canon 48 Apostolorum, immo c. 14. Novell. 22. de divortio propter militis absentiam et c. 12 Novell. 134. de poenis ferendis in eos, qui iterum in adulterii crimen lapsi sunt[100]).

Nullum concilium hoc tempore habitum quoad principium indissolubilitatis quidquam statuit. Patres synodi Trullanae[101]) (692.) s. Ba-

---

[95]) Pitra II. 410. Impressa invenitur Collectio apud Iustel. op. c. II. 1217—1361.
[96]) Voell. et Iustel. II. p. 1253.
[97]) Voell. et Iustell. II. 1255.
[98]) Milaš, ed. Mostariensis 189.; „Slavorum litterae theol." 1907. I. 60 sq.
[99]) Voell. et Iustell. II. 650 sq.
[100]) Voell. et Iust. II. 652. De absentia militis statuitur: „Si miles decem annos afuerit et ab uxore flagitatus nihil ipsi scriptis, aut sine scriptis declaraverit, citra damnum solvatur matrimonium. Illius autem uxor non prius nubet, quam ubi magistratum audierit, ex imperatoris rescripto ei permissum fuerit nubere." cfr. Moy op. c. 135.
[101]) Pitra (Iuris ecc. 9. hist. et mon. op. c. II. 5.) dicit de hoc concilio: „De concilii nomine, tempore, indictione — nox plurima; de actorum serie, condicione et pondere — nonnisi dubia; de eorum, qui praefuerunt aut sederunt aut subscripserunt, auctoritate et numero — aqua omnibus haeret." Assemani affirmat (Bibliotheca iuris orien-

silii canones, cum parvis modificationibus, assumpserunt. Ita prima pars 87.[102] canonis ex 9. canone s. Basilii assumpta est, ubi generaliter statuitur mulierem adulteram esse, si a viro discedat et ad alium veniat: virum autem, si sine causa ab uxore dimissus aliud matrimonium ineat, dignum esse venia. Secunda canonis pars 17 c. synodi Milevitanae (402) continet, in quo declaratur virum mulierem sibi legitime datam dimittentem a Domino iudicari adulterum.

Canon valde obscurus est, quia priore parte dissolubilitas permitti videtur, in posteriore prohiberi. Apud Simeonem Logothetum, magnae sedis magistrum, in Aristiana synopsi invenitur hic 87. canon ita abbreviatus: *„Ἡ ἐξ ἀνδρὸς ἐπ' ἄλλον ἰοῦσα, μοιχαλίς· καὶ ὁ ἀπὸ γυναικὸς ἐπ' ἄλλην, κατὰ τὸν Κύριον, ὁμοίως.“* [103]) Secundum hanc interpretationem canon intelligendus est de omnimoda indissolubilitate. Zonaras, Aristenus, Balsamon in declaratione huius canonis provocant ad 117. Iustiniani Novellam.[104]) Quomodocunque tandem canon intelligendus est, certe solutionem mutuo consensu prohibet.

Canon 93.[105]) repetit ad verbum 31. canonem s. Basilii, qui de muliere, cuius vir discessit neque apparet, statuit adulteram esse, si aliud matrimonium ineat, antequam de viri morte certior facta sit. Idem statutum est in Novell. 117. de militum uxoribus, quod etiam a synodo accipitur.

Quod synodus Trullana ausa non est, quod noluit Ioannes Scholasticus aliique antiquissimarum collectionum auctores, id fecerunt magni schismatis fautores Novella 22. et 117. in ius canonicum recepta.

Quod patratum est in clarissima per totum Orientem collectione 14 capitulorum, quae vulgo Nomocanon Photii appellatur. — Apud Voell. et Iustell[106]) et apud Rhalle et Potle[107]) invenitur prologus ante hanc collectionem cum inscriptione: *„Φωτίου πατριάρχου Κωνσταντινοπόλεως εἰς τὸν νομοκάνονα πρόλογος.“* Qui prologus secundum omnes iuris peritos non est ab unica persona scriptus, sed dividitur in duas partes a duobus diversis auctoribus compositas, quarum prima incipit: *τὰ μὲν σώματα* et finitur: *τὸν μισθὸν ἀπενέγκασθαι*; secunda autem incipit: *ὁ μὲν παρὼν πρόλογος* et finitur: *ὑπ' αὐγὰς ἡλίου τὴν προκειμένην πρᾶξιν προήνεγκεν.*[108]) Pitra dividit prologum in tres

talis V. 85) hanc Trullanam nonnisi abusive sextam synodum appellari posse, quia nihil commune cum sexta habeat; oecumenicam certe neque fuisse, neque esse potuisse, quippe quae a Romano Pontifice non sit confirmata.

[102]) Pitra, II. 64.

[103]) Pitra II. 11 et 7. n. 1.

[104]) Ῥάλλη, Σ. II. 506—510.

[105]) Pitra II. 66. 31. c. s. Basilii Z. IV. 173. Nomoc. Ioann. Schol. XLI. Voell. et Iustell. II. 583.

[106]) II. 789—793.

[107]) I. 5—9.

[108]) Milaš, Зборник правила светих апостола, васионских и помѣсних сабора и светих отаца². (Collectio canonum ss. apost., oecum. et oecum. et provinc. conc. ss. patrum.) Novi Sad 1886. p. LXVIII.

partes: 1. *πρόλογος τοῦ συνθέντος τοὺς κανόνας εἰς τίτλους δέκα καὶ τέσσαρας*: 2. *τοῦ προςθέντος* (*πρόλογος*) *τὰ μετὰ τὴν πέμπτην* i. e. prologus illius, qui addit ea, quae V. synodo recentiora sunt et incipit verbis: *Ὁ μὲν παρὼν πρόλογος*, finitur sicut superius; 3. (*πρόλογος*) *τοῦ προςθέντος τούς τε παραλειφθέντας κανόνας καὶ τ ζητούμενα κεφάλαια νόμιμα* i. e. prologus illius, qui et canones omissos et capitula legum requisita addidit. Incipit: *γέγονε καὶ ταῦτα*, finitur: *τῷ προκειμένῳ συντάγματι.*[109]) Codex Monac. saec. 14. adscribit totum prologum Photio[110]), sed alii manuscripti codices divisionem faciunt, ita Parisiensis, Marc. 169. saec. 15. Biener totum prologum Photio adscribit[111]), alii autem primam eius partem ad auctorem primae editionis, secundam ad Photium referunt.

Omnes tamen in eo conveniunt duas editiones in hoc Nomocanone distinguendas esse: alteram antiquiorem et alteram recentiorem. Quando prima editio publicata sit, certo determinari non potest. Milaš affirmat ante imperium Iustini (565—578.) existere non potuisse, quia huius imperatoris Novellae in eum insertae sint, neque publicatum esse post synodum Trullanam (691—692), quia alioquin et canones huius synodi eo continerentur[112]). Pro nostra re sufficit scire sub finem saec. VII. certissime Nomocanonem in primitiva forma fuisse in usu[113]). Constabat primum prologo, fontibus iuridicis, quibus auctor in sua collectione utebatur; deinde in duas partes dividebatur, quarum altera iterum in 14 tit. et hi in cap. subdividebantur. Leges civiles veniunt sub nomine: *Κείμενον*.

In hanc primam editionem, quae ad nostra tempora non pervenit, Novellas 22. et 117. insertas non esse sequitur ex eo, quod eius fundamentum Tripartita erat, qua, uti vidimus, hae Novellae non continebantur. Deinde synodus Trullana, quae post publicationem habita est, nihil de hac re statuit, quod tamen facere debuisset, si in collectione, quae auctoritatem in disciplina ecclesiastica habebat, 22. et 117. Novell. repertae essent. Denique difficile est existimare hanc unicam collectionem, quae tantum aliorum apographon erat, Iustiniani legislationem quoad divortia recepisse.

Ceterum ex sequentibus hoc clarius apparebit.

Tempus secundae editionis, ut in fine secundae prologi partis expresse indicatur[114]), cadit in an. 883. — tempus secundi patriararchatus Photii.

Cum in eam dispositiones Novell. 22. et 117 receptae essent, proderit scire, quinam primus ausus sit hoc crimen patrare.

---

109) II. 445—449.
110) p. 76 et 78.
111) De collectionibus canonum ecc. Graecae. Berolini 1827. p. 22.
112) Zbornik op. c. ib. vel : О каноничким зборницима прав. цр. (De coll. canonum orthodoxae ecc.) Novi Sad 1886. p. 23.
112) Hergenröther, Photius². Regensburg. III. 100.
113) Voell. et Iustell. II. 793.
114) Voell. et Iustell. II. 813 s.; Z. 1. 31 s.

Balsamon, celeberrimus iuris scientia et interpres Nomocanonis saec. XII. secundam editionem Photio adscribit. In suo nempe commentario ad hunc Nomocanonem dicit: *ὡσαύτως τὰ παρ τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πατριάρχου κυρίου Φωτίου συγγραφέντα, καὶ εἰς δέκα πρὸς τοῖς τέσσαρσι τίτλους θεωρούμενα.* [115]) Idem testimonium invenitur etiam duobus in locis eiusdem prooemii [116]). Ignotus Scholiastes ad c. 2. synodi Trullanae advertit: *Παρεγγνῶμαι πᾶσιν τοῖς μέλλουσιν ἀναγνώσκειν Νομοκάνονον, μὴ προσχεῖν τοῖς παλαιοτέροις βιβλίοις τῶν νομοκανόνων, ἀλλὰ ἀναγνώσκειν τὸ παρὰ τοῦ Πατριάρχου Φωτίου ποιηθὲν καὶ εἰς τοὺς ιδ' τίτλους διαιρούμενον.* [117])

Milaš, non obstantibus hisce testimoniis, demonstrare conatur Photium in secunda editione nullam partem habuisse [118]).

Provocat ad multitudinem manuscriptorum, in quibus nulla Photii tanquam auctoris commemoratio invenitur, Kormčaja autem et Serbici cc. manuscripti omittunt etiam eius nomen. Ex altera autem parte fatetur multos codices Graecos exstare, in quibus reperitur auctor Photius, sed adicit hoc esse postea additum. Quivis videt huiusmodi argumentationem non esse approbandam. Codices enim Graeci praeprimis hoc loco considerandi sunt, non autem versiones eorum in alias linguas, quia in his, ut solet accidere, facile excidere potuit nomen Photii. Neque ad versiones ullius momenti erat Nomocanonem Photio adscribere. Assertionem codicibus Graecis nomen Photii postea additum esse, neque ipse demonstrat, neque ponit alios hoc iam demonstrasse.

Cum Balsamon tribus locis sollemniter nominet Photium auctorem secundae editionis, quae ab eo totam suam auctoritatem accepit, non possumus dicere eum hoc excogitasse, sed in traditione et codicibus antiquissimis invenisse. Neque aequum est dicere, tam celebrem iuris peritum et commentatorem falso auctori Nomocanonem adscripsisse.

Milaš credere non potest tam doctum virum, ut erat Photius, adimpletioni et correctioni unius Nomocanonis operam dare potuisse. Sed ille oblitus est Photium per hanc editionem concilia a se habita tanquam legitima et omnes obligantia promulgare voluisse, neque huiusmodi laborem fuisse ita exiguum, quia ex omnibus variis circumeuntibus collectionibus una pro universa ecclesia debebat eligi. Ad hoc autem sine dubio aliqua auctoritas exigebatur.

Ceterum hanc hypothesim Milaš tantum tuetur, si excipias unicum Zachariam, qui dubitat tantum de auctore Photio [119]). Quod dubium fundatur in sententia anno 883., quo secunda editio publicata est, Photium iam in monasterio fuisse neque eam edere potuisse. Sed

---

[115]) Ib. Καὶ πρῶτα μὲν τὰ ἐκ τοῖς εἰρημένοις δέκα πρὸς τοῖς τέσσαρσι τίτλοις συγγραφέντα νόμιμα παρὰ τοῦ Φωτίου τοῦ συνθεμένου τὸν νομοκάνονον et: ὥσπερ καὶ τὰ ἀπὸ τῶν Ἰουστινιανείων νεαρῶν . . . καὶ παρὰ τοῦ Φωτίου, ὡς ἐνεργοῦντα καταγραφέντα, ὡς πέτραν σκανδάλου περιείλομεν.

[116]) Milaš, O kanoničkim zbornicima op. c. 28. nota 2.

[117]) Ius eccl. orient. op. cit. 191.; Zbornik p. LXIX.; O kanoničkim zbor. op. c. 26. ss.

[118]) Milaš, O kanoničkim zbornicima op. c. 28. 3 nota.

[119]) Milaš, Zbornik op. c. LXXII ss.; Hergenröther, Photius [2]. III. 102 s.

hoc non est verum, cum Photius demum 886. a Leone. Philosopho in monasterium missus sit, ubi 891. mortuus est. Ergo omnino tenendum est, secundam editionem Photio adscribendam esse.

Difficile est in specie respondere, quid Photius antiquae editioni addiderit. Certum est illum in secunda editione 102 canones conc. Trullani, Nicaeni II. et synodorum a se an. 861. et 879.—880. Cpoli habitarum publicasse [120]). In prologo affirmat se antiquum ordinem conservasse et aliquas leges civiles, quae in prima editione non reperiebantur, inseruisse [121]).

Inter has leges civiles etiam 22. et 117. Novell. Iustiniani de divortiis inveniuntur. Titulo XIII. [122]) de laicis c. 3. disserit de mulieribus, quae absentes maritos obiisse suspicantes nubunt, quod iam in prioribus collectionibus invenitur. Hoc loco tanquam *κείμενον* citatur ad verbum dispositio Novell. 117. de mulieribus, quarum viri in militia degunt.

Cap. 4. agit de iis, qui divortium faciunt et addit *κείμενον* „Novellam de nuptiis“ i. e. 117., ex qua divortii causas assumit. Immo Photius divortium mutuo coniugum consensu admittere videtur, cum t. XIII. etiam 140. Novell. Iustini II. alleget, quae data opera iterum huiusmodi dissolutionis formam introduxerat. Balsamon dubitat hac de re, quia in Basilicis c. 11. Novell. 134. acceptum, cum contra Novella Iustini II. omissa sit [123]). Sed hoc argumentum nihil valet, cum fundamentum Basilicarum non fuerit Nomocanon, sed praeprimis legislatio Iustiniani. Verum est saeculo 9. divortium mutuo consensu fieri prorsus vetitum esse, sed hoc auctoritate Photii factum non est.

Ita primum approbata est legislatio Iustiniani de divortiis tanquam regula et norma universae ecclesiae Graeco-Orientalis. Photius aliique rei eius defensores vicarium Christi in terris abiecerunt et potestati principum se subdiderunt. Fructus huius oboedientiae erat ruina totius disciplinae ecclesiasticae. Si enim matrimonium propter tam multas et varias causas dissolvi potest, tunc iam actum de bonis moribus videtur esse. Tristissimum est antistites ecclesiae Graeco-Orientalis hoc scelus patrasse.

Sectio II.

Indissolubilitatis historia a tempore schismatis usque ad nostra tempora.

§ 1. De magna ruina principii indissolubilitatis eiusque restitutione per concilium Florentinum atque Tridentinum.

Abusus in ecclesia Graeca matrimonia dissolvendi per Photii Nomocanonem iuridicum valorem accepit. Cum collectiones Ioannis

---

121) Z. I. 7 s.; Voell. Iustell. II. 792. Ἐπὶ πᾶσι δὲ καὶ νομικάς τινας ῥήσεις ὁ νῦν εἰρημένος τοῦ βιβλίου πόνος, αἳ τοῖς ἱεροῖς συμφθέγγοντα κανόσιν, οὐδὲ τὴν τούτων παράθεσιν ἀτιμάσας συνέζευξεν.

122) Voell. et Iustell. II. 1075—1136.; Z. I. 275—333.

123) Z. I. 299.

124) Acta Patrum Const. ed. Mikloschihs et Müller I. 28—29.

Scholastici propter magnam Photii auctoritatem magis magisque in oblivionem abirent, dissolutiones matrimonii publice per ecclesiasticam auctoritatem fiebant. Coniuges adire debebant synodum episcopalem, quae dissolutionem permittebat, si iuridica causa in Nomocanone assignata aderat. Quamquam solutio actus coniugum privatus non erat, tamen maximi abusus exclusi non erant. Episcopi et patriarchae novas causas ponebant. Si nempe a Iustiniano et Photio hoc fieri poterat, quare non ab iis? Ita factum est, ut nulla iam stabilis regula et norma esset, secundum quam iudices matrimonia solvere possent. Quod elucet ex synodali decreto patriarchae Ioannis XIII. Glycys, qui an. 1315. solvit matrimonium cuiusdam Ioannis Calestes Kiosensis propter molestam cohabitationem et affectatam viri absentiam, quae causae in 117. Novella directe prohibitae sunt [124]). Molesta autem cohabitatio est notio valde vaga et extendi potest ad omnes nugas, quae inter mulierem et virum fieri solent.

Demetrius Chomatenus, celeberrimus iuris peritus 13. saec. et archiepiscopus totius Bulgariae, describit multas lites de nuptiarum dissolutione in suo opere: *Πονήματα* [125]). Is quidem affirmat unumquemque mittentem repudium et ineuntem secundum matrimonium adulterum esse. Excipit tamen causam fornicationis, propter quam licitum sit novum matrimonium. Sed statim adnectit, Christum hanc suam legem piis imperatoribus concredidisse, ut servarent eius severitatem et omnia pericula a matrimoniis amoverent.

Demetrius non sequitur in omnibus Nomocanonem Photii, sed ipse per suam auctoritatem novas divortii adnectit causas ut amentiam (in epistola seu responso ad Pelagoniae episcopum) [126]); sodomiam (in scriptura: *περὶ τῶν ἀνδρομανούντων, ὅτι διὰ τοῦτο διαζεύγνυται* directa ad eundem episcopum) [127]). In aliis habet pro norma Nomocanonem et Novell. 117. Ita loquitur de divortio propter fornicationem [128]), propter necem intentatam (in articulo: *περὶ γυναικὸς ἐπιβουλευσαμένης τὸν ἑαυτῆς ἄνδρα διὰ δηλητηρίων φαρμάκων καὶ διαζύγιον πρὸς ταῦτα γεγονός*) [129]); propter insidias vitae [130]); propter adulterium [131]); ob falsam adulterii accusationem [132]); propter absentiam (in articulo: De uxore non in cognatorum, sed in aliena domo domicilium figente, ideoque separanda) [133]).

---

[125]) Pitra, Analecta sacra spicilegio Solismensi parata VII. Inscriptio operis est: Δημετρίου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ σοφωτάτου καὶ νομικωτάτου ἀρχιεπισκόπου πάσης Βουλγαρίας, τοῦ Χωματιάνου, πονήματα διάφορα πονηθέντα αὐτῷ χαρτοφύλακι ὄντι τῆς αὐτῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας.

[126]) Pitra, Analecta VII. 55—58.

[127]) Pitra ib. 72—74.

[128]) Pitra, Analecta op. c. VII. 541—544.

[129]) Pitra ib. 511—514.

[120]) Pitra, ib. 557—558.

[131]) Pitra, ib. 543. 544.

[132]) Pitra 555—558 in articulo: Ὅτι δύναται ἡ γονὴ νόμιμον αἰτεῖν διαζύγιον, ὅτε ὁ ἀνὴρ αὐτῆς οὐκ ἀποδείξει τὴν περὶ μοιχείας ἀγωγήν.

[133]) Graece: Περὶ γυναικὸς μὴ εἰς συγγενικήν, ἀλλ' εἰς ἀλλότριον οἶκον ποιησάσης μονήν, καὶ διὰ τοῦτο διαζυγῆναι ὀφειλούσης.

[134]) Harduin IX. 427 ss. — Apud Syropulos. Sect. X. cap. 12 legimu hanc quaestionem ita expressam: Ἔτι λέγομεν, ὅτι γίνονται ἐν τῇ ἐκs

Cuiusmodi rerum status usque ad conc. Florentinum (1439), in quo de restituenda unione inter Orientem et Occidentem agebatur, intactus mansit. Postquam unionis decretum 6. Iulii 1439 a Graecis et Occidentalibus subscriptum est, quaerebant Latini ex Graecis inter alia et haec duo de matrimonio: „Quare coniugia dirimitis, dicente Domino: Quos Deus coniunxit, homo non separet." [134]) Cum Graeci respondere noluissent, Eugenius Pontifex, ab imperatore Ioanne VIII. Palaeologo II. (1425—1448) petivit, ut ex metropolitis rerum ecclesiasticarum peritiores ad se mitteret. Imperator, ut responsionem effugeret, misit indoctos et imperitos, qui ad propositam quaestionem nihil respondere voluerunt negantes se habere ad hoc facultatem ab imperatore.

Decimo quarto Iulii Eugenius iterum omnes Graecorum praesules convocavit et de novo proposuit quaestionem, quare matrimonia solverent [135]). Episcopi respondent aequissima et sapientissima esse, quae Eugenius dixerit, sed se tamen perfectam responsionem dare non posse, cum sint etiam alii praesules et imperator, quorum consensus necessarius sit. Privatim autem pro sua parte se respondere posse matrimonium apud se non dirimi sine iusta causa. Postea autem imperator nihil respondere voluit. Quia de matrimonii indissolubilitate agebatur dogmaticis unionis decretis ex utraque parte subscriptis, proponunt nonnulli argumentum dissolubilitatem matrimonii ad solam disciplinam ecclesiasticam spectare, secundum quam Orientalibus licita sit. Si enim ad fidem spectaret, debuisset adesse in unionis decreto [136]).

Et revera fatendum est in hoc concilio de indissolubilitatis disciplina, minime vero de dogmatica eius ratione actum esse. Quod evidens est ex ipsa a Latinis proposita quaestione, qui ex Graecis sciscitantur, quare praxim legi Domini contrariam introduxerint. Graeci non contradixerunt dissolubilitatem esse contra legem Domini, sed tantum responderunt se non dirimere matrimonia quacunque ex causa.

Ceterum nemo Graeco-Orientalium reicit principium indissolubilitatis. Iam vidimus locum Chomateni, recentiores autem Byzantini iuris periti matrimonii indissolubilitatem tenent [137]). Ita Milaš affirmat, principium indissolubilitatis secundum doctrinam orthodoxae ecclesiae matrimonii essentialem esse partem secundum illud evangelii: Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Sed hoc principium perperam interpretatur. Vinculum nempe matrimoniale ait, solvi posse inter coniuges vel per

---

κλησίᾳ ἡμῶν τινὰ παρείσακτα, ὡς ἀκούομεν, καί ἐστιν ἀναγκαῖον, ἵνα διορθωθῶσι κἀκεῖνα, ὧν ἐστι καὶ ἡ διάζευξις τῶν ἀνδρογύνων, περὶ ὧν ἀπεφήνατο ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, ὅτι οὓς ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. ὑμεῖς δὲ ἀδεῶς διαζεύγνυτε αὐτούς.

[135]) „Nos, fratres, Dei beneficio sumus fide coniuncti. Quoniam ergo arcanis Dei iudiciis ego sum caput, vos membra, debeo qualitercumque vos admonere, et consiliis instruere ad ea, quae videntur pietatem . . . Et primo dico: omnes conqueri de separatione matrimoniorum, idque correctione indiget." (Harduin ib.)

[136]) Zhishman 116.

[137]) Milaš — Crkveno pravo op. c. 668 ss.; Pavlov — Cursus iuris canonici op. c. 91 ss.

[138]) Harduin. IX. 434—442.

mortem vel per talem causam, quae superior sit quam idea indissolubilitatis quaque morale et religiosum matrimonii fundamentum irritetur et mors moralis inferatur. Quoties igitur ecclesia nuptias solvat, eam non agere contra evangelii doctrinam, quia matrimonium iam non exstet. Ad mortem moralem et physicam adveniunt aliae causae, quae cum iis aliquam analogiam habent.

Ergo Orientales formaliter non reiciunt matrimonii indissolubilitatem et propterea in concilio agitur de materiali tantum eius parte, de usu.

Post Graecorum die 26. Augusti 1439. Florentia discessionem venerunt in concilium legati Armenorum, Aethiopum sub patriarcha Ioanne et legati Coptorum rogantes Patres concilii, ut se in sanctae Romanae ecclesiae unionem reciperent. Propter quod Eugenius 22. Novemb. edidit decretum „Exultate“ [138]), ubi omnia continentur, quae usque ad id tempus a concilio confirmata erant. De sacramento matrimonii dicitur: „Tertium (matrimonii bonum) indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit“ [139]). Quod decretum non est publicatum ab Eugenio proprio marte, sed nomine concilii, quod evidens est ex verbis, quae sub eius finem inveniuntur: „Datum Florentiae in publica sessione synodali sollemniter in ecclesia maiore celebrata“. Verum est decretum pro Armenorum unione immediate et directe confectum esse, sed iam decreto unionis pro Graecis eodem anno confecto insertum est [140]).

In bulla unionis pro Iacobitis et Aethiopibus [141]), ab eodem pontifice composita 4. Februarii 1442 dicitur: „Amplectitur etiam, veneratur et suscipit omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis congregatas et celebratas et confirmatas: et praesertim hanc sanctam Florentinam, in qua inter alia Graecorum et Armenorum sanctissima unio consummata est, et multae circa utramque unionem saluberrimae definitiones editae sunt, prout in decretis superius promulgatis plenius continetur“. Saeculo 16. David, rex Aethiopiae scribit ad Clementem VII. Aethiopes magna religione decreta papae Eugenii et concilii Florentini rettulisse atque magna pietate coluisse, quamvis ob longinqua terrarum intervalla et Muhamedanos interiectos cum Latinis commercia habere non potuerint [142]).

Romae, quo concilium Florentinum translatum, publicatum est decretum pro Syris, ubi eis praecipitur, ut omnia accipiant, quae a Romana ecclesia sancita sunt, praesertim autem decreta Graecorum, Armenorum et Iacobitarum Florentiae edita [143]).

---

138) Harduin. ib. 440.
139) Raynaldus ad an. 1439.
140) Harduin ib. 1021—1029.
141) Raynaldus ad an. 1439.
142) Harduin ib. 1039—1041.
143) Tournely, Praelectiones theologicae IX. 145; Palmieri, De matrimonio christiano 141—142; qui severe iudicat de hoc canone.

Ita igitur decretum pro Armenis, ubi diserte de indissolubilitate loquitur, ab omnibus ecclesiis Orientalibus susceptum est, sed minime observatum, praesertim cum opus unionis funditus periisset.

Insuper concilium Tridentinum (1545—1563) quaestione de matrimonii indissolubilitate occupabatur.

Sessione 24. statuta est canone 5. contra Lutheranos et Calvinistas doctrina catholica. Canon 7. directus est etiam immediate ad reformatores, indirecte autem ad Graecos et Orientales: „Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere moechar ique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit. A. s.“ Statim post concilium exorta est magna inter theologos et canonistas tum catholicos, tum protestantes disputatio, utrum hoc canone disciplina tantum ecclesiae quoad indissolubilitatem matrimonii, a qua semper dispensatio obtineri potest, an indissolubilitas tanquam articulus fidei omnibus ad credendum proposita esset. Si primum verum est, abusus ecclesiae Graeco-Orientalis legitimus videri potest. —

Sed omnes theologi catholici exceptis aliquibus (Catharino, Launoyo et aliis) negare solent, canonem esse mere disciplinarem. Sermo enim hic est de errore contrario, qui non habetur in disciplina, ubi adesse potest tantum abusus, inordinatio. Deinde adversarii dicebant ecclesiam errare, cum docuit et docet matrimonium propter adulterium non esse solubile. Ergo evidens est canonem contra eorum doctrinam, non autem disciplinam directum esse. Hoc denique inculcant ipsa verba canonis: ecclesia non potest errare, quod hoc exigit secundum evangelicam et apostolicam doctrinam [144].

Pallavicini narrat praeparatum fuisse canonem anathema ferentem in eos, qui affirmant matrimonia consummata dissolvi posse propter adulterium [145]) atque immediate directum contra Graecos. Legati reipublicae Venetae petierunt a concilio, ne canonem in hac forma publicaret, quia Graeci, qui secundum veterrimam consuetudinem uxores propter adulterium dimitterent, seditionem facerent. Propterea illi ipsi concilio supra dictam formam proposuerunt, quae a patribus accepta est.

Sensus horum verborum, quae placuerunt, potest esse vel ecclesiam non errare, si negat evangelio esse sancitam exceptionem in causa fornicationis seu ecclesiae vetitum discrepare ab evangelica et apostolica doctrina, (sc. illud „non posse“ esse consentaneum [„iuxta“]): vel ecclesiam non errare, si dicat, evangelica et apostolica doctrina negari talem exceptionem (sc. illud „non posse“ fundari in „iuxta“): vel ecclesiam non errare, si dicat ab evangelicae et apostolicae doctrinae perfectione esse eam exceptionem alienam (primariam intentionem fuisse insolubilitatem, nec concedendam esse exceptionem, quae spectatis pecu-

---

[145]) Istoria del concilio di Trento. Milano 1745. III. 628.

[146]) Bull. X. (ed. Taur.), 212 sq.; confer Fahrner 265.

liaribus tantum circumstantiis permitti potuerit). In qua re diiudicanda attendendum non est, quid Patres Concilii definire voluerint, sed quid ipsis verbis definitionis exprimatur (cf. Palmieri, De poen. p. 332, 2).

§ 2. Principium indissolubilitatis nostro tempore in variis ecclesiis Graeco-Orientalium.

Post concilium Tridentinum semper inculcabant Orientalibus Romani Pontifices indissolubilitatem atque semper unitorum Graecorum contrarium usum damnabant. Primus Clemens VIII. (1592—1605) an. 1605, 31. Aug. Instructionem „Sanctissimus" ad episcopos Italiae direxit, in quorum dicionibus Graeci uniti vivunt. Pontifex praecipit, ut decretum Tridentinum „De reformatione" in linguam Graecam convertatur et in parochialibus ecclesiis publicetur. Si alicubi facta fuerit dissolutio, declarandam esse irritam [146].

Urbanus VIII. (1623—1644) exigebat a Graecis ad ecclesiam catholicam transire volentibus professionem fidei, ubi etiam indissolubilitas propter adulterium vel haeresim contenta est [147].

Benedictus XIV. (1740—1758) eandem professionem fidei ad Evodium, patriarcham Antiochenum ad subscriptionem direxit [148]. Idem Pontifex 2. Iulii 1742. Constitutionem ad Italo-Graecos et Albanenses „Etsi pastoralis" [149] misit. Hic praescribitur idem, quod iam Clemens VIII. praecepit, ut nempe concilii Tridentini „De reformatione matrimonii" caput in omnibus ecclesiis parochialibus publicaretur.

Pontifice Pio IX. (1846—1878) S. C. De Prop. Fide 28. Iulii 1858. Instructionem ad archiepiscopum Graeco-catholicum Albae Iuliae, Alexandrum Sterka Sulucs et ad omnes episcopos provinciae Transilvaniae misit, quae „de indissolubilitate matrimonii in casu adulterii et perfidae desertionis" agit. In introductione episcopi laudantur, quod magna fortitudine et constantia inveteratum illum abusum, quo coniugium christianum vel ob adulterium vel ob perfidam alterius desertionem impune solvebatur, coeperint non modo excindere, sed paene radicitus evellere, ne unquam amplius fructificet. Tunc provocat Instructio ad decisiones Urbani VIII., Benedicti XIV., conc. Tridentini et Milevitani et de novo severissime prohibet omnem matrimonii solutionem [150].

Tristis nempe erat Rumenorum ritus Graeci status in hac provincia etiam post transitum in ecclesiae catholicae unionem. Matrimonium nempe dissolvebatur sicut prius sine ulla prohibitione. Klein de Szád, dioecesis Fogarasiensis presbyter et in seminario Caesareo-regio Graeco-catholicorum Vindobonensi ad s. Barbariam studiorum praefectus,

---

146) „Item (profiteor) sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges tori cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse." Perrone, De matrimonio christiano op. c. III, 403. — Fahrner ib.

147) „Nuper" 16. Martii 1743 § 5.; confer Fahrner 265.

148) Bull XVI. (ed. Luxemburg. 1752.) 94—104.

149) Collectio Lacensis, II. 591—598.

150) Klein de Szád loco superius cit.

in suo opere „Dissertatio canonica de matrimonio". (Vindobonae 1781) p. 117—154 agit de divortiis et enumerat omnes dissolutionis causas, quae apud Iustinianum reperiuntur.

Hic abusus in Transylvania tam invaluit, ut etiam archidiaconi sibi usurparent potestatem solvendi matrimonia sine consensu synodi episcopalis. Propterea synodus an. 1700 statuit art. 4: „Archidiaconi extra in dioecesi non faciant divortia, nisi quando erit congregatio in cathedra archiepiscopalr, qui autem praesumeret divortia facere, omni dignitate privetur, et pecuniariam quoque mulctat solvat". Anno 1701 art. VII. idem praecipit synodus prohibens archidiaconis sub poena suspensionis divortia facere [151]).

Nostro autem tempore hic abusus prorsus abrogatus est.

In ecclesia schismatica Rumaenorum existunt nunc temporis eaedem dissolutionis causae, sicut in Nomocanone praescribitur [152]).

In Serbia et Bulgaria non potest matrimonium dissolvi propter amentiam, lepram, damnationem ad plures annos, odium implacabile, sicut hoc in aliis ecclesiis in usu est [153]).

Tristissimae circumstantiae dissolutionis matrimonii in Russia sunt. Dispositiones legis Iustinianae quoad divortia receptae sunt in Kormčaja, corpus iuris canonici Slavorum ritus Graeci, sed universalis observatio non erat, cum per consuetudines et leges positivas — melius declarationes auctoritatis competentis — multae novae praeter has introductae essent. Ita extant exempla dissolutionis propter mulieris sterilitatem, de qua re nihil in Kormčaja invenitur. Si vir crudelius mulierem tractabat, vel si dissipabat eius bona, permittebatur etiam dissolutio, quod per 117. Novell. prohibitum erat [154]). Quoad ipsum adul-

---

[151]) Codex Valachicus ann. 1819. (Νομοθεσία τοῦ κυρίου Ἰωάννου γεωργίου καρατζᾶ βοεβόδα; Wien 1818.) matrimonium ducit vitae consortium, cuius finis primarius sit generatio prolis: Ἡ ὑπανδρεία εἶναι συμφωνία συναφείας ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς πρὸς τεκνογονίαν. Meliore modo exprimitur idea matrimonii in Κώδικι πολιτικῷ τοῦ πριγκιπάτου τῆς Μολδαβίας. (Jassi 1816, fol. § 63.)

Andreas de Schaguna, metropolita et archiepiscopus omnium Rumenorum schismaticorum in regno Hungariae recenset in opere Compendium des K. R. (Hermanstadt 1868, 75—76) causas dissolutionis inter impedimenta dirimentia, quod vel in toto iure orientalium inauditum est. Impedimentum dirimens est nempe defectus alicuius condicionis a competente lege ad matrimonii validitatem requisitae, quo defectu existente matrimonium iam ab initio nullum est. Neutrum ius nec Orientale nec Occidentale agnoscit impedimenta dirimentia, quibus matrimonium ab initio validum, postea invalidum evadat, quia impedimenta huiusmodi semper antecedentia, non autem consequentia sunt. Sed admiratione etiam dignior est impedimentorum dirimentium definitio, quam dat Schaguna: Jenes kirchliche, bürgerliche oder militärische Verhältnis, welches die Ehe verbietet und ist derart, daß durch dasselbe die Ehe entweder verhindert oder aufgegeben wird."

[152]) Milaš, Crkveno pravo, ed. c. Mostariensis 677—679.

[153]) Kotošihin, Povjestvovanije o Rosiji gl. 13, 10. (Narratio de Russia). — Pavlov, Курсъ церковнаго права op. c. 378 sq.

[154]) Novell. 22 c. 6.

terium non observabatur Nomocanonis seu Kormčajae dispositio. quia etiam mulier propter hoc crimen virum dimittere poterat.

Solutio matrimonii erat valde facilis. Quilibet parochus, immo sacerdos privatus libellum repudii conscribere potuit. Igumeni — rectores monasteriorum — habebant etiam potestatem recipiendi aliquem coniugatum in conventum, qua receptione matrimonium solvebatur et pars in saeculo manens sine impedimento secundas nuptias inire potuit.

Tempore Petri Magni, praecipue autem 18. saeculo, cum ius civile influxum in matrimonium exercere coepit, immutata est aliquo modo illa antiqua consuetudo. Ab illo tempore enim prohibitum est sub condicione ad aliquod tempus inire matrimonium et competentia iudicandi in dissolutionibus adempta est parochis et igumenis. Nostro autem tempore post multas mutationes ius civile statuit has dissolutionis causas: impotentiam, adulterium et alias causas adulterio affines, exilium in Sibiria, absentiam unius partis.

Impotentia, quae est naturale vitium, quominus copula carnalis ad generationem sufficiens modo naturali exerceri et perfici queat, iuridice non adest, nisi a tempore coniunctionis tres anni prolapsi sunt. Ergo eadem est praescriptio, quae in iure Romano-Byzantino [155]).

Circa adulterii crimen sonti parti semper prohibetur secundas nuptias inire, quod cum iure civili Graeco-Romano non concordat.

Tertia dissolutionis causa est exilium in Sibiria. Tria praeprimis exiliorum seu deportationum genera distinguenda sunt: exilium ad metalla i. e. graves labores in fusoriis, exilium temporale et perpetuum [156]). Solum propter deportationem in Sibiriam matrimonii solutio permittitur, alias, etiam si quis in remotiorem provinciam deportetur, non potest nuptias solvere.

Simulac una pars condemnata est ad deportationem, statim quaeritur ex altera parte, num velit cum ea in exilium ire. Quodsi nolit, potest pars damnata matrimonii solutionem petere et matrimonium cum alia persona contrahere, et in damnatis quidem primae classis post triennium, secundae classis post biennium et tertiae post unum annum elapsum [157]). Pars, quae partem damnatam in exilium sequi noluit, statim post damnationis diem matrimonii solutionem petere potest. si deportatus omnibus libertatis iuribus privatus est, si autem personalia tantum iura et privilegia adempta sunt, post biennium a damnationis die [158]).

---

155) Tit. XIV. ed. 1890. Constit. de exiliis, p. 1. (т. XIV. изд. 1890. Уст. о ссыл. ст. 1.)

156) Constit. de exiliis 1893. p. 409. (Уст. о ссыл. по продол. 1893. ст. 409. п. ст. 501., 6.

157) T. X. n. 1. p. 50. et Constit. consistorii 225.; Constit. de exiliis 1893. 501. (т. X. ч. 1. ст. 50. и Уст. Дих. Кон. ст. 225.; Уст. о ссыл. по продол. 1893. ст. 501., 1.); Pavlov op. c. ib.

158) Ἡ ἀναχωρήσαντος τοῦ ἀνδρὸς καὶ ἀφανοῦς ὄντος, πρὸ τοῦ πεισθῆναι περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἑτέρῳ συνοικοῦσα, μοιχᾶται. Pitra II. 66. confer 31. c. s. Basilii Z. IV. 173. Pavlov, Курсъ церковнаго права (Cursus iuris canonici) op. c. 378 sqq.

Quarta dissolutionis causa est unius coniugum partis obscura absentia, quae per quinque annos durat. Hic servanda sunt haec praescripta: 1. Consistorium cognatos vel alios, quibus coniugum circumstantiae notae sunt, interrogare debet, ut certo de absentia constare possit: 2. certum esse debet inter coniuges verum extitisse matrimonium. Quodsi de his constat, matrimonium solvi et pars derelicta ad secundas nuptias accedere potest. Quae dispositio iuris civilis Russiaci differt a praescripto syn. Trullanae, quae c. 93. statuit partem derelictam committere adulterium, si ad secundas nuptias accedat, priusquam acceperit certam de absentis morte notitiam [159]).

Praeter enumeratas causas a iure civili statutas, habentur etiam aliae canonicae causae, sed sine iure secundas nuptias ineundi. Quae sunt: susceptio propriae in baptismo prolis, electio in episcopum et consensus utriusque coniugis eligendi vitam monasticam.

Pēdalion, collectio canonum pro Graeca, adulterium tantum tanquam dissolutionis causam admittit. In editione enim Lipsiensi 1800, quae a patriarcha Cptano approbata est, dicitur in nota ad can. 48. Apostolorum: „Sententia Domini est, ut nec vir separetur ab uxore sua, nec mulier a viro suo, quia aequaliter Dominus et viro et mulieri dixit: Quicunque dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, adulterium committit cum illa. Quodsi dimiserit mulier virum suum, et nupserit alteri, adulterium committit cum eo: sine additamento excepta causa fornicationis sive quoad virum solum, sive quoad mulierem solam. Marci c. 10, 11. 12“ [160]). Paulo post tamen admittit divortium propter adulterium et insidias vitae.

Janko Šimrak.

EXTERNA AD NOS PERTINENTIA.

Weidenauer Studien II. Wien 1908.

Prof. *A. Bukowski,* S. I., Die Genugtuungsidee in der russisch-orthodoxen Theologie. p. 85—132.

B. sibi proposuit doctrinam ecclesiae Russicae de momento satisfactionis in opere Christi cum doctrina catholica de eadem re conferre. Primum affert documenta ex libris, qui in Russica ecclesia symbolica auctoritate potiti sunt, ex »Confessione orthodoxa« Petri Mogilae, ex »Confessione« Dosithei patriarchae Hierosolymitani, ex catechismo Philareti Moscoviensis. Ex locis a prof. Bukowski allatis patet, inter libros symbolicos Russorum et doctrinam catholicam plenam concordiam vigere, cum Mogila et Dositheus dogma redemptionis ipsis scripturae Sacrae Patrumque verbis exponant, Philaretus insuper in eiusdem dogmatis expositione recentiorum etiam catholicorum terminologiam sequatur.

Deinde ex theologis Russicis antiquioribus (i. e. s. XVIII et usque ad a. 1875 circiter) affert prof *B* Theophanem Prokopovič, Platonem metropolitam, Macarium eius successorem, insuper Philaretum Černigoviensem, Silvestrum, Ioannem Smolenscensem. Ex quorum expositionibus haec fere manant: theologos Russicos usque ad ultimum tempus doctrinae de redemptione summam ex theo-

---

[159]) Paap-Szilágyi, Enchiridion iuris eccl. orient. cath. op. c. 491.
[160]) Zacharias, Geschichte des G. R. R.³ 83.; Szilágyi ib.

logis catholicis maximam partem proferre, quamquam nonnullas res minoris momenti etiam a theologis protestanticis mutuati sint, ut doctrinam de duplici Redemptoris oboedientia, de Christo obiecto irae divinae, de Christo poenas inferni passo etc.

Denique prof. *B.* doctrinam recentiorum de nostra re exponit, eorum, qui Homjakovii spiritu imbuti Světlovio duce novam viam inierunt, doctrinam orthodoxam ab omni ratione occidentalis scholae eiusque »spiritu iuridico« liberare tentantes. Hic allata sunt nomina ipsius Světlovii, Sergii (nunc archiepiscopi Finlandiensis), Malinovskii et Orfanitskii. Hi theologi omnes in hoc conveniunt, ut doctrinam ecclesiae catholicae de redemptione, utpote spiritu iuridico imbutam, vituperent. Cum vero de propria expositione doctrinae orthodoxae agitur, doctores hi varias in partes abeunt. Sergius rationalisticis rationibus maxime accedens vix valori obiectivo operis Christi relinquit locum; Malinovskij et Orfanitskij contra in occidentalem fere sententiam recidunt, ita ut Světlov alterum eorum a capite ad talos usque »theologum — iuristam« evadere iudicet, alterum novum pannum vestimento veteri infeliciter assuere.

Ipse Světlov, recentiorum theologorum in Russia celeberrimus, obiectivum valorem operis Christi, eiusque vim satisfaciendi iustitiae divinae, agnoscit, notionem tamen »satisfactionis« subtilius explicat, ita ut valorem huius satisfactionis non a magnitudine passionis Christi aut dignitate Redemptoris sed a voluntaria, amore urgente facta susceptione passionis per Christum ut caput generis humani repetat. Insuper contra, ut ipse opinatur, occidentales etiam subiectivum momentum Crucis extollit, quod Christus per vitam mortemque suam spem et fiduciam nobis infudit amoremque Dei erga nos ostendit et hoc modo reditus ad Deum per poenitentiam copiam nobis fecit.

Prof. Bukowski postquam debiliores theoriae Světlovii partes ostendit, concedit Světlov eminentioribus theologis catholicis multo propiorem esse, quam ipse putet. Ea, quae contra catholicam doctrinam profert, ignorantia operum catholicorum nituntur. Doctrinam enim catholicam prof. Světlov ex protestanticis tantum fontibus hausit, recentiores theologos nostros omnino ignorat, quos si cognosceret, multa inveniret, quae cum suis opinionibus omnino conveniunt in iis etiam, in quibus se ab occidentalibus maxime differre putat. Exempla a prof. Bukowski afferuntur. Prof. *B.* commendat nostris theologis, ut in doctrina redemptionis exponenda nonnullas opiniones Světlovii prae oculis habeant, ut momentum ethicum operis Christi magis illustrare possint.

Commentatio prof. *B.* tota ea ratione irenica imbuta est, quae in Velehradensi theologorum conventu omnibus rerum orientalium studiosis studiosissime commendabatur. *J. Urban.*

The Journal of Theological Studies. 1907.

H. B. Swete, Prayer for the departed in the first four centuries. Preces pro vita functis primis quattuor saeculis. VIII (July, N. 32) pp. 500—514.

Hoc articulo accurate colligitur, quidquid in christianae antiquitatis monumentis circa preces pro vita functis continetur: cum articuli scriptor Anglicanus sit, Theologiae professor Cantabrigiensis Universitatis, multisque de re exegetica scriptis clarum nomen habeat, non abs re esse putavimus breve eius dissertationis compendium nostris foliis inserere.

Preces pro mortuis fundere animae humanae insitum esse videtur, praesertim si firma simul de animae post mortem existentia floreat persuasio. Inde notatu dignum est primam huius rei apud Iudaeos mentionem cum fide in Resurrectionem copulari (s. Marc. XII. 43). Expectandum fuit Ecclesiam propter vivam suam immortalitatis animorum spem, ampliorem de mortuorum statu cognitionem, et intimum unionis mortuorum cum Christo capite sensum, mortuos suos

tum privatim, tum publice iam ab initio suae fundationis commemoraturam fuisse: tamen nihil fere hac de re primo saeculo inveniri potest. In Novo Test. unus invenitur locus, qui aliqua verisimilitudine pro hac re afferri potest (2 Tim. I, 18), nec in liturgicis precibus, in epistola sti. Clementis et Doctrina Apostolorum contentis, ulla directa mortuorum mentio reperitur: hoc quasi traditionis silentium usque ad dimidium saeculum secundum extenditur: quod tamen factum non est nimis exaggerandum: nec enim facile locus erat de precibus pro mortuis fundendis disserendi in epistolis sti. Ignatii, apologiis sti. Iustini et polemicis scriptis sti. Irenaei. Ex martyris tamen sti. Polycarpii n. 18. videri potest iam anno 155 natalicia martyrum celebrata esse.

Sepulcra tamen clariore loquuntur voce: ut alia praeteream, celebris illa Abercii Marcelli inscriptio ab eo ipso secundo saeculo composita preces pro eo a praetereuntibus exorat. Acta Pauli et Theclae (Lips. Bonnet. II, 1. p. 255 sq.) et Acta Iohannis (Lips. Bonnet. II. 1. p. 186) alia similia testimonia referunt.

Carthagine primum orationes pro defunctis certum et constantem in liturgia locum occupare videmus. Apud Tert. pluries hac de re sermo est (De Anima. c. 51. De exhortatione castitatis c. 51. De monogamia. c. 10. De corona. c. 3.) Ex loco hoc ultimo consequi videtur, morem, Eucharistiam pro vita functis offerendi aliquid solitum id temporis Carthagine fuisse. Apud Cyprianum vero sententia »offerre pro aliquo, sacrificium pro aliquo vel pro dormitione alicuius celebrare, apud altare Dei nominare in prece, deprecationem alicuius in ecclesia frequentare« aliaeque iis similes eius operum lectori familiares admodum sunt.

Verba aliqua Origenis a Rufino allata (Lommatzsch VII. 314.) adduci possent pro simili consuetudine in ecclesia Caesareensi: aliquibus tamen dubium est utrum haec verba Origenis ipsius an Rufini sint; notandum tamen est D. Swete hoc dubium non habere. Arnobius denique (Adv. Nat. IV. 26) sub finem saeculi tertii vel initio saec. quarti invehitur in destructores templorum, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur . . . . vitam degentibus et resolutis corporum vinctione«. Ultima verba ostendunt tam frequentem iam illo tempore mortuorum commemorationem in Eucharistia fuisse, ut ad id tanquam ad factum ipsis ethnicis notum Arnobius appellare potuerit.

Postquam Constantinus pacem Ecclesiae dedit, Imperiumque Christianam religionem publice professum est, plura et abundantiora exstiterunt huius praxis documenta. Ipso Constantino mortuo sollemnia pro ipso funera sunt facta, populo et sacerdotibus pro ipsius anima cum lacrimis orantibus, ut refert Eusebius in Vita Const. IV. 71. Undecim post annis Cyrillum Hierosolymitanum audimus perpetuam mortuorum commemorationem in sua Ecclesia testantem; hoc eodem fortasse tempore Serapion Aegypti episcopus suum quasi Rituale confecit, quo in libro orationes pro mortuis invenimus. Cfr. Journ. of Th. Stud. I, pp. 106. 112. Alia plura legi possunt apud Chrys. In 1. Cor. hom. 41, 5. In Phil. 3, 4. et Epiph. Panar. III. 2. 21. In libro, qui »Responsa Canonica« dicitur, quique Timotheo Alexandrino tribuitur, legimus, quid in Eccles. Aegyptia statutum fuerit, si quis se ipsum interemerit; tunc solum, si insania tanquam criminis causa probari poterat mortui commemoratio permittebatur.

Consideratione digna sunt, quae August. in Enchiridii c. 29. habet: »Cum ergo sacrificia sive altaris sive quaecunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt: quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio«.

Haec verba nobis innuunt iam saec. 4. quaestionem agitari coeptam esse, cur pro mortuis preces offerrentur? Re vera iam apud Cyr.

Hieros. hanc difficultatem moveri videmus (Catech. nupt. V. 10) et paucis postea annis Aerium Ponticum audimus hunc usum tanquam irrationalem et damnosum impugnantem, cui Epiphanius respondit nos precibus nostris iustos honorare, peccatorum vero misericordiam implorare. Argumenta Aërii parvam videntur apud coaetaneos suos habuisse vim, et probabiliter omnis nostra de ipso eiusque opinionibus notitia ex Epiphanio derivata est. Serapion in sua supplicatione maiorem post mortem sanctificationem et reunionem cum corpore postulabat; Tertullianus vero iam suo tempore tanquam harum precum fructum »refrigerium« et »in prima resurrectione consortium« affirmabat.

Totus articulus potest breviter ad duo puncta contrahi 1. nulla argumenta adsunt, quibus probatur iam aetate apostolica vel immediate subsequente, pro mortuis nominatim in sacrificio eucharistico preces fusas esse: usus is probabiliter coeptus est introduci saeculo secundo: labente iam saeculo tertio commemoratio mortuorum in omnibus fere liturgiis invenitur et saeculo quarto tum in orientali tum in occidentali Ecclesia mos, preces et missas et eleemosynas pro mortuis offerendi, partem magnam constituit christianae pietatis.

2. Initio fortasse non adeo in naturam rationemve istarum precum inquisitum est; paulatim vero etiam hoc in disceptationem venit, ideo sensim sine sensu clariores reddebantur et iam apud Augustinum vim harum precum ad veniam remissionemque peccatorum impetrandam clare expositam invenimus, et beneficia, quae mortui accipiunt, accurate, iuxta diversum statum, in quo ipsi defuncti inveniuntur, recensentur.

J. H. A. Hart, Cephas and Christ. Cephas et Christus. IX. (Oct., N. 33) p. 14—41. Explicatur locus Mtth. 16, 13—18. *M. d'Arcy.*

D. Placide de Meester O. S. B., professeur an collége grec de saint-Athanase, à Rome »**Voyage de deux Bénédictins aux Monastéres du Mont-Athos**« p. 321 an. 1908; ed. Desclée, de Brouwer et C[ie] Paris, Rome, Lille, Bruges-Bruxelles. (»De peregrinatione duorum monachorum ordinis S. Benedicti ad montem Athos«. Pretium 4 l. 50.

Cum gaudio hunc librum, qui nuperrime in lucem prodiit, salutamus atque lectoribus huius folii periodici necnon omnibus, qui rebus ad unionem ecclesiarum pertinentibus operam navant, valde commendamus. Clarissimus scriptor, Benedictinae familiae sodalis, iam a pluribus annis indefessum se ac diligentem exploratorem ecclesiae Graecae ostendit. Duobus abhinc annis ipse simul cum collegii rectore p. Athanasio Ugone Gaisser, musicae Byzantinae cultore eximio, peregrinationem ad montem Athos instituit eo consilio, ut ritum Graecum institutionesque ecclesiae Graecae in ipso Ἁγίῳ ὄρει ad unguem addiscat. Hoc undequaque laudabili opere absoluto ad librum hunc exarandum manus admovit, eumque initio huius anni ad finem feliciter perduxit.

Totus liber tribus partibus absolvitur. Prima iter, quo patres per Hungariam, Serbiam et Macedoniam usque ad »Montem Sanctum« perrexerunt, describit (cap. I. pp. 1—29; cap. II. pp. 30—51;), secunda pars de ipso monte Atho per longum et latum disserit (cap. I. pp. 55—81; Cap. II. pp. 82—116; cap. III. pp. 117—143; cap. IV., pp. 144—173; cap. V. pp. 174—201; cap. VI. pp. 202—227; cap. VII. pp. 228—260); tertia denique pars patrum in Italiam per Constantinopolim, Smyrnam, Ephesum et Graeciam regressum exhibet (cap. I. pp. 263—281; cap. II. pp. 282—316). Totam rem 62 imagines locorum, ecclesiarum, monachorum, rusticorum paeninsulae Balcanicae, artis iconographicae specimina etc. necnon 2 tabulae geographicae et 2 ecclesiarum prospectus commode illustrant. Profecto multa scripta sunt de monte Atho; at ob duplicem rationem maiori parti scriptorum catholicorum fere inutilia usque huc mansisse videntur. Primum quidem extant plures libri, sed Russica lingua, quam admodum pauci sciunt, conscripti. Sane habemus et alia opera a Germanis et Anglis, qui Ori-

entis invisendi causa etiam ad »Sanctum Montem« deflectere solebant, magno cum studio exarata, qui tamen, prout protestantes, res ecclesiasticas vel male intelligunt, vel extremis tantum labiis tangunt. Hunc defectum liber P. Meester abunde supplet. Non enim est peregrinatio haec excursio quaedam animi recreandi gratia vel ad manuscriptorum antiquorum inventionem suscepta, sed habet illum scopum determinatum, ut institutiones ecclesiasticae et monachismus orientalis lectoribus occidentalibus magis patescant et illustrentur. Ita in cap. I. secundae partis scriptor historiam »Montis sancti« tradit, in qua relationes inter monachos Graecos et papam Innocentium III. olim fuisse ostendit. In cap. IV. agitur de constitutionibus monasticis, in cap. V. de officiis divinis, in cap. VI. de cultu et poenitentiis, in cap VII. de scientiis et artibus; hic a pag. 253—259 quaedam doctissimae observationes de cantu ecclesiastico Graeco a p. Gaisser, in hac re certe inter omnes occidentales principe, sunt insertae. Nec minus notatu digna ea sunt, quae scriptor in cap. III. de statu ecclesiae orientalis, de propagatione fidei catholicae, de ecclesiarum unione exponit. Has quaestiones scriptor, rerum orientalium peritissimus, magno acumine ingenii pertractat. Proinde opus laudatum omnibus unionis ecclesiarum in Occidente promotoribus perutile esse censemus. Neque praetereundum est ad meliorem spiritus Slavorum orientalium intelligentiam opus esse, ut Oriens Graecus, quocum ille vinculis indissolubilibus ligatus est, in suis ecclesiasticis institutis, maxime vero in illis, quae monachismum spectant, apprime cognoscatur. *Leonini.*

Dr. *Franz Schmid*, **Die Seelenläuterung im Jenseits** (De animarum purgatione in altera vita) Brixen 1907.

Doctrina catholica, quae huic lucubrationi supponitur, ad haec revocatur. Existit purgatorium i. e. status quidam poenae et purgationis temporalis post mortem animabus fidelium cum peccatis venialibus vel sine sufficiente de peccatis satisfactione defunctorum necessario pertranseundus. Possunt insuper in animae purgatorio poenas dantes sublevari vivorum precibus et operibus piis. Ipsae statum suum cognoscunt nec peccatum ullum committere possunt.

Doctrinam theologorum ecclesiae orientalis separatae, quam a catholica magnopere differre nemo non videt, S. (p. 103) paucis attingit: Graeci initio magni discidii orientalis communiter praemium bonorum poenamque malorum non statim post singulorum mortem, sed in iudicio universali demum distribui docebant. Qua de causa tempore ab hominis morte usque ad iudicium ultimum interposito animas in statu quodam paris fere fortunae vel somni cuiusdam versari existimabant, ideoque suffragia fidelium pro defunctis sensu catholico intellecta reiciebant. Decreto Concilii Florentini tandem doctrina catholica etiam a Graecis admissa et ita unio saepius appetita tunc, ad breve tamen tempus, restituta est. Schell Graecos huius temporis purgatorium ut statum merae poenae temporalis, non autem verae purgationis admittere dicit, quod tamen Schmid (p. 104) a doctrina communi ecclesiae separatae discrepare iudicat.

Praesentis tamen operis argumentum non est catholicae doctrinae de purgatorio expositio et demonstratio, sed solutio quaestionis cuiusdam de purgatorio inter theologos catholicos hucusque controversae, quae breviter sic proponi potest: Utrum remittuntur culpae peccatorum venialium, cum quibus homo decessit, purganturque animae ab inclinationibus

inordinatis eis etiam tum inhaerentibus statim post mortem, an fit huiusmodi remissio et purgatio paulatim dum poena temporalis in purgatorio subitur? — Communior theologorum sententia, ut constat, post Suarezium est remissionem culpae venialis et animae purgationem statim post mortem intensissimo caritatis et perfectae contritionis actu effici, quam opinionem plurimi recentes sequuntur, multi etiam ad s. Thomam Aq. provocantes (non recte tamen, ut *S.* pp. 39—42 ostendit). Nonnulli tamen contrariam tenent opinionem et hanc etiam *S.* amplectitur.

Ad solutionem quaestionis cl. scriptor primum de remissione culpae venialis (pp. 22—126) et deinde separatim de expulsione pravorum habituum post mortem residuorum (pp. 134—163) agit. — Refutatis sententiis certo falsis, quae remissionem culpae venialis vel necessario in hac vita fieri vel morte „quasi ex opere operato" culpas huiusmodi remitti contendunt, *S.* magna ingenii acie utramque sententiam indicatam examinat et in utramque partem disputat.

Contra sententiam Suarezii primum statuit actum intensissimae contritionis certe non ante iudicium particulare elici, sed postquam anima in iudicio luce supernaturali adiuta statum suum perfecte cognoverit, quod etiam complures opinionis defensores concedunt. Quae tamen cognitio etiam perfectissima probat quidem, animam actum caritatis et contritionis intensissimae elicere p o s s e, non tamen n e c e s s i t a s talis actus eliciendi recte concluditur. Immo, si actus contritionis, ut ad remissionem peccatorum sufficiat, nisi cum speciali gratiae divinae adiutorio fieri nequeat, tota quaestio in hoc vertitur, utrum secundum voluntatem et providentiam Dei sit, animae statim post mortem hunc intensissimae gratiae gradum impertiri. Quae quaestio tantum ex fontibus positivis revelationis solvenda est, talia argumenta tamen a defensoribus huius sententiae non afferuntur. Opinioni remissionem venialium per successivos contritionis actus intensive et extensive maiores ac maiores paulatim fieri nec dogma catholicum de merito supernaturali nec doctrina de caritatis habitualis et actualis incremento, quatenus apud theologos extra controversiam est, repugnat.

Deinde (pp. 100—133) *S.* argumenta pro opinione secunda, quae s. Bonaventurae potissimum auctoritate fulcitur, adducit. Primum quidem opinionem suam in verbis Scripturae II. Macc. 12, 40 ss. fundat (subiecto verbo „peccatum" sensu c u l p a e peccati v e n i a l i s), deinde ipsam documentis et decretis dogmaticis conciliorum, Florentini imprimis, magis consonam demonstrat, complura quoque pro sua opinione affert testimonia Patrum, quorum re vera multa in sententia Suarezii aegre explicantur. Idem de orationibus ecclesiae liturgicis dicendum est, quae fere omnes explicationi *S.* favent. Immo v e r m i s c o n s c i e n t i a e, quo nomine plurimi specialem animarum in purgatorio poenam vocare consueverunt, non videtur posse explicari, nisi admittatur in animabus permanere culpae venialis reatum, quo Deo vere displiceant.

Secunda parte (134 — 163) de modo agitur, quo habitus pravi in animabus post mortem remanentes exstinguantur. Quae quaestio, licet claritatis causa separatim tractetur, cum superiore controversia ita cohaeret, ut diversarum sententiarum defensores easdem ac de remis-

sione venialium rationes ad habituum excidium explicandum adhibeant eisdemque argumentis pro subitanea vel successiva habituum pravorum exstinctione utantur. Itaque *S.* argumenta pro prima parte allata iure etiam ad hanc quaestionem solvendam in medium adducit, refutatis primum falsis opinionibus quorundam dicentium habitus pravos vel per ingressum in caelum demum deleri vel morte ipsa quasi ex opere operato exstingui. Quam opinionem nec quoad habitus sensitivae animae teneri posse, quae radicaliter in anima, non in corpore resident *S.* bene notat.

Postremo (pp. 165—192) quaestiones quaedam huic controversiae affines attinguntur, de modo poenarum et situ purgatorii, de duratione status purgationis, de animarum ad spiritus lapsos relatione, de efficacia supplicationis pro animabus defunctorum etc., ad quas solvendas quin diversa ad principalem de venialium post mortem remissione quaestionem responsio vehementer pertineat dubium non est.

Argumenta a *S.* allata firma et efficacia sunt neque negari potest testimonia praecipue positiva traditionis et usus precumque Ecclesiae opinionem eius magnopere commendare. Duae tamen difficultates adhuc restare videntur nondum omnino solutae, altera magis in cogitatione, altera in rebus posita. — Si enim summus intensive et extensive contritionis actus ab animabus post iudicium particulare, ut *S.* ipse concedit, poni potest, non intelligitur, quomodo animae talem actum non eliciant nec tamen negligentiae culpabilis vel voluntariae ad venialia adhaesionis culpa maculentur? — Altera difficultas e modo applicandi animabus indulgentias exsurgit. Videtur enim indulgentia plenaria animabus omnino applicari non posse, si vera sit opinio *S.* Nec enim solvi videtur difficultas, si incertitudinis de effectu studii conciliandi indulgentiam defuncto ratio habeatur. Aliud enim est non esse certum, quomodo et quatenus re vera indulgentia pro animabus fidelium quaesita ipsis prosit, aliud fieri non posse, ut ipsae indulgentiae talis participes fiant.

Dr^is^ Schmid liber ingenii acumine, rei et dictionis claritate, tranquillitate, summa in propria sententia defendenda et aliis oppugnandis modestia eminet omnibusque theologis valde commendatur.

B. Spáčil.

Études. 20. Juin 1906. (R. Marchal, p. 862—865.) La Méchanique des phénomènes fondée sur les analogies, par *M. Petrović*, professeur à l'Université de Belgrade. 1906. 96 p.

Hic liber non amplitudine, sed argumento suo memorandus est. Nam re vera novi aliquid proponere videtur. Rem, quam *P.* prosequitur, ab initio his proponit verbis: »Phaenomena ordinis diversi miras similitudines exhibere saepe videntur. Porro analysis unius ex his analogiis rationem intimam et omnibus communem prodit; et illa in identitate activitatis certorum elementorum his phaenomenis analogis communium residet.« *P.* ideam suam non solum ad physices et mathematices phaenomena applicat, sed ad valde diversas disciplinas ut sunt biologia, medicina, sociologia, dummodo modificationes obiectorum (i. e. phaenomena) computationi et mensurae subici possint. Liber vero ipse tres potissimum quaestiones tractat: 1. Possuntne detegi illa elementa, quae in una aliqua specie phaenomenorum similitudinem

causant, possuntne porro ad formulam deduci, satis simplicem et generalem, ut omnibus phaenomenis eiusdem speciei applicari possint?

2. Illae formulae deductae possuntne ad communem his speciebus formulam reduci?

3. Quae utilitas ex hac mechanica generali sequitur?

Cum *P.* analogia ut medio in suis investigationibus utitur, ut typum phaenomenon simplicius vel magis notum eo, quod in quaestione est, adhibet. Methodo analogiae et generalisationis auctor dein illa elementa essentialia eorumque activitatem definit (cap. 2.), quo praeparatur synthesis, quae (cap. 3.) ad secundam ex supra positis quaestionibus respondet. *O. Žídek.*

Georgios P. Kremos, Ἱστορία τοῦ σχίσματος τῶν δύο Ἐκκλησιῶν, ἑλληνικῆς καὶ ῥωμαικῆς. T. II. Athenis 1907 (p. 446).

Hoc est primum Graece scriptum opus de Photio eiusque rebus quod ad laudem doctrinae adspirat, licet ea, quae de Photio subtiliter inquisivit A. Papadopulo-Kerameus (Byzantin. Zeitschrift VIII., 4 [1899] p. 647—671) omnino neglexisse videatur. Photium natum esse dicit inter 816—825 (p. 17) mortuum a. 898 (p. 404). Photii magnitudo summis laudibus celebratur.

Chrestos Andrutsos, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας. Athen. 1907. (p. 462).

Konst. Dyobuniotes, Ἡ δογματικὴ τοῦ Χρήστου Ἀνδρούτσου κρινομένη. Athen. 1907.

Chr. Andrutsos, Δογματικαὶ Μελέται. Α' Ὁ Ὑφηγητὴς τῆς Θεολογίας Κ. Δυοβουνιώτης ἐξεταζόμενος εἰς τὴν Δογματικὴν καὶ εἰς τὴν Λογικήν. Athen. 1907. (148 p.)

A. Rabbat S. I. Documents inédites pour servir d'histoire du christianisme en Orient. Tom. I. (XVI—XIX siécle) Paris-Leipzig-London 1907.

Iam inde a 16 annis colligebat auctor documenta, catholicae ecclesiae historiam in oriente illustrantia: Praecipue epistulas variorum principum, episcoporum, virorum politicorum atque missionariorum, quae de omnibus christianorum ritibus in oriente agunt.

C. Bojan, Les Bulgares et le patriarche oecuménique, ou comment le patriarche traite les Bulgares. Paris 1905. XXXII + 143. (rec. in Échos d'Or. 1906, 125 s.)

Briefe des Prager Erzbischofs Anton Brus von Müglitz. 1562—3. Herausgeg. v. S. Steinherz. Prag 1907. (153 pag.)

Zdziechowski, Die Grundprobleme Russlands. Wien 1907

MISCELLANEA.

Summi pontificis epistola de Conventu Velehradensi a. 1907.

Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Andreas metropolitanus Halicensis (comes Szeptycki) collegio horum commentariorum curam gerenti haec benignissime communicavit.

Согласно постановленію Велеградскаго съѣзда я имѣлъ честь переслать св. Отцу »Acta Conventus Velehradensis« съ собственноручнымъ

письмомъ, въ которомъ еще разъ рекомендовалъ вниманію Эго Святѣйшества цѣль и дѣятельность нашего общества.

Въ отвѣтъ на это св. Отецъ прислалъ мнѣ письмо, копію съ котораго отправляю Вамъ съ просьбой помѣстить его въ ближайшемъ номерѣ »Slavorum Litterae theologicae«.

Одобряя и благословляя наши труды св. Отецъ тѣмъ самымъ показываетъ, какъ ему дорого и близко къ сердцу все то, что можетъ хоть сколько-нибудь помочь соединенію церквей и возстановленію церковнаго мира. Надѣюсь, что это письмо, какъ выраженіе благосклонности Главы Церкви къ нашимъ трудамъ, вдохнетъ всѣмъ нашимъ сотрудникамъ новыя силы для продолженія святаго дѣла.

Примите увѣренія въ моемъ совершенном почтеніи

Андрей Митрополитъ.

Львовъ 23. 7. 1908.

Venerabili Fratri
Andreae Archiepiscopo Leopolensi
Leopolim

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater

Salutem et Apostolicam benedictionem.

Quidquid consilii, operae, studii a bonis conferatur ad reconciliandam dissidentium cum Apostolica Sede concordiam, id omne in eam causam conferri scias, quae curae Nobis non minus sit, quam cuiquam Decessorum Nostrorum fuerit. Hoc enim maxime in votis est amantissimi Redemptoris, cuius Nos, nullo Nostro merito, personam gerimus, ut quotquot Ipsum colunt, omnes unum sint. Itaque intelligis, quam velimus, nostros inter et Orientales, qui a Cathedra Beati Petri, id est a centro catholicae unitatis, nimium diu seiuncti sunt, fraternam quamdam institui studiorum officiorumque vicissitudinem, quae praeiudicatas opiniones sensim dissipet, Ecclesiamque orientalem aliquando suadeat, nulla cum iactura imo cum emolumento dignitatis suae, salutarem Nobiscum redintegrare coniunctionem. Id quod gaudemus consultum deliberatumque esse in eo theologorum conventu, qui anno superiore Velehradii, te praeside, est habitus. Nos quidem dilectos filios, qui eiusmodi consilium iniverunt, pro merito laudamus; sed tamen non ab re fuerit hortari, quod facimus, ut pari diligentia cum caritati fraternae, tum veritati serviant: idque dicimus, ne forte quis in proponenda doctrina catholica sibi licere putet quidpiam minus sanae opinionum novitati concedere, eo nempe consilio, ut abalienatis fratribus commodior ad Ecclesiam matrem reditus pateat. Ceterum quum in hac praesertim causa nihil hominum conata possunt, nisi misericors Deus adsit, auspicem divinorum munerum, eamdemque testem benevolentiae Nostrae tibi, Venerabilis Frater, iisque omnibus, qui

rite in sanctissimo opere tecum elaborant, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Iulii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

Pius PP. X.

L. S. *Andreas Metropolitanus.*

Concordat cum originali
B. Žoldak a secretis.

Vita defuncti.

P. C. Tondini †. Superiore anno die 29. Iunii Romae supremum obiit diem P. Caesarius Tondini de Quarenghi ex religiosa familia Barnabitarum, anno aetatis suae 68.

Omnibus unionis ecclesiarum cupidis nomen clarissimi viri sat notum erat eiusque mortis notitia haud parvum causavit dolorem. Religio esset silentio memoriam ipsius praeterire, proinde, licet paucis lineis, quaedam de vita laboribusque eius hic subicimus.

Natus in Laude Pompeia (Lodi, Italiae Septentrionalis) anno 1839, primo in eiusdem civitatis S. Francisci collegio, dein in patrum Barnabitarum athenaeo Mediolani, scholae maxima cum laude operam dedit. Anno 1855 Moguntiae religiosae familiae Barnabitarum nomen suum dedit et novitiatu absoluto Mediolanum relatus est, ibique in S. Barnabae athenaeo per trium annorum spatium (1856—1859) theologiae studuit et anno 1859 vota sollemnia professionis religiosae nuncupavit. Usque ad annum 1862 Moguntiae in collegio S. Mariae Angelorum (S. Maria degli angeli) ludum exercebat. Hic primum ideam de ecclesiarum unione concepit, speciatim verborum celebris illius comitis Russici Šuvalovii ad religionem catholicam conversi memor sanctissimam nempe Virginem Mariam illud ligamen futurum, quo ecclesia Russica Romano-catholicae uniatur, impetu sacro abreptus statim manus ad unionem ecclesiarum promovendam apposuit. Programma unionis perficiendae, precibus praesertim missarumque sacrificiis obtinendae, ubique orbis terrarum diffusum omnium catholicorum plausu exceptum et a Summo Pontifice semel iterumque benedictum, haud parvos protulit fructus. Ubique: in Italia, Gallia, Anglia etc., preces fundebantur et missarum sacrificia offerebantur. Post haec sacerdos factus Lutetiam Parisiorum translatus est, ibique munere catechistae, bibliothecae praefecti et infirmorum ministri in collegio sui ordinis functus est.

Anno 1864 in Sueciam et Norvegiam missus primo Holmiae, dein Christianiae indefesse conversioni protestantium studuit, simul linguis Slavicis (Russiacae praesertim) familiarem se reddidit. Dein Parisios reversus ibi per 4 annos mansit. Tempore belli Gallo-germanici Londinii degebat et anno 1872 denuo Parisiis. Vi decretorum Ferry expulsus anno 1880 Londinium reversus est, sed iam anno 1881 venia superiorum obtenta se Diacovarium (Djakovar) transtulit ibique apud felicis recordationis episcopum Strossmayer per septem annos in missionibus peragendis, inter Serbos praesertim, zelo plane admirabili desudavit. Suis studiis et in rebus orientalibus peritia felix exitus stipulationis inter principatum Montis Nigri (Черногорія) et S. Sedem an. 1889 initae debetur.

Post haec P. Tondini denuo Parisiis vidimus, dein anno 1891 in Helvetia, ubi meridianum universalem apud cunctos populos christianos introducendum a se propositum in virorum doctorum conventu defendit. Anno 1893 Hierosolymis conventui eucharistico interfuit

eoque absoluto Constantinopoli sedem fixit eo praesertim scopo, ut quaestioni de kalendario uniformi apud omnes gentes introducendo operam daret. Anno 1895 Romam vocatus, ut in capitulo generali sui ordinis partem haberet non per longum illic tempus mansit, sed in Bulgariam profectus missionibus peragendis se dedidit. Exinde in Russiam reformationis kalendarii causa profectus Petropoli et Moscoviae aliquot menses demoratus est. Anno 1899 ex morbo Romam revertitur et valetudine recuperata denuo Parisios mittitur, ubi usque ad annum 1901 mansit. Versus finem eius anni Constantinopolim se confert et per 4 annos munere capellani et directoris monialium »Sion«, quae vocantur, fungitur. Tandem anno 1905 Romam revocatus et procurator ordinis constitutus post longum et laboriosum morbum, quem mira cum patientia sustinuit, in Domino requievit.

Nimis longum est clarissimi viri scripta per folia publica, ephemerides et periodicos libellos disseminata (plus quam 130) recensere. Generatim vero omnia in 4 classes distribui possunt: a) theologica nempe, quae fere ad unum omnia unionem ecclesiarum spectant; b) philosophica, c) litteraria et d) quae de kalendario Iuliano reformando tractant. Hic tantummodo praecipua, quae ad primam seriem pertinent recensemus.

1. »La primauté de Saint Pierre prouvée par les titres que lui donne l' Eglise Russe dans sa liturgie« Paris, Victor Palmé editeur des Bollandistes 1867 (S. Petri primatus titulis, quibus ipsum ecclesia Russica in officiis litūrgicis exornat, vindicatus); in 8⁰ pp. 100.

Versio Anglica: »The Primacy of S. Peter demonstrated from the liturgy of the Greco-Russian Church, With an Appendix containing several Documents by the Rev. ecc. ecc. Thomas Richardson and son«, London and Derby 1879, in 8, pp. XVI—182.

Opus magna cum eruditione et accuratione conscriptum.

2. »The Pope of Rome and the popes of the oriental orthodox Church: An essay on monarchy in the Church, with special reference to Russia from original documents, russian and greek«. London, Longmans, Green, and Co. 1871, In 8⁰, pp. XIII—183. (Papae Romani et papae ecclesiae orthodoxae orientalis: elucubratio de gubernatione monarchica in ecclesia cum speciali relatione ad Russiam, secundum documenta originalia (Graeca et Russica). Versiones:

a) Germanica: »»Der römische Papst und die Päpste der Orthodoxen Orientalischen Kirche«, übersetzt von G. Pesch. Mainz, Kirchheim 1876, In 8⁰.

b) Gallica: »Le pape de Rome et les papes de l'Église orthodoxe d' Orient d' après les documents originaux grecs et russes avec un appendice sur les moyens de coopérer efficacement a la réunion des églises« Paris, E. Plon et Cie. Rue Garancière. In 12 di pp. XIV—444.

c) Russica: »Римскій папа и папы православной восточной церкви« Фрейбургъ въ Брисговѣ; Herder, an. 1899.

Hoc in opere scriptor manifeste ostendit ecclesias Orientis, licet theoretice primatum in Ecclesia negent, in praxi tamen eum admittere.

3. »Réglement ecclésiastique de Pierre le grand traduit en français sur le russe avec introduction et notes par etc. Édition accompagnée de la traduction latine imprimée à Saint-Pétersbourg, en 1785, par les soins du prince Grégoire Potemkin, du texte russe original et de l' instruction du procureur suprème du Synode. Paris, librairie de la Société Bibliographique — London, Burns and Oates — Bruxelles Goemaere. An. 1874. In 8⁰ p. XL—270—75. (Petri Magni instructio de Ecclesiae gubernatione, cum introductione et notis. Subicitur textus instructionis an. 1785 latine impressus: ultimum 1875 pp.). Opus omnibus, qui iuri canonico Russico student, perutile.

4. »L' avenir de l' Église Russe«. Paris, Librairie de la Soc. Bibliogr. Saint-Quentin, Impr. Moreau an. 1874. In 8⁰ pp. 79 (Ecclesiae Russiacae futura).

Versio Anglica: »The future of the Russian Church« New York, Catholic Publication Society. London, Pickering, an. 1876. In 8⁰ pp. 47.

5. »Change in Faith or Development? A critical exposition of S. Vincent of Lerins: Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus, addressed to Anglicains« London: I. Hodges, an. 1881; Driden press: J. Davy and sons. In 8⁰ pp. 30. (Agiturne de mutatione fidei, an de evolutione? Disquisitio critica in illud S. Vincentii Lirinensis: »Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus«).

Versio Russica inserta est libro »O Церкви« (»De Ecclesia«) Berlin an. 1888. A. Behr's Verlag Leipziger Strasse 37.

6. »Che fare per la Russia? Studio sul socialismo russo nelle sue relazioni colla religione e coll' Italia. Lettere al M. R. Margotti dirett. dell' »Unitá Cattolica« Torino, Libr. intern. catt. L. Romano, an. 1880. In 8⁰ di pp. 103. (Quid pro Russia faciendum? Studia de socialismo Russico, ratione habita ad religionem et Italiam).

Versio Gallica: »Que faire pour la Russie?« trad. de l' italien par Gust. Gilson — Bruxelles, Imp. Polleunis, 1890. In 8⁰.

7. »La Russia e l'Unione delle Chiese«. Roma, Forzani, an. 1895. In 8⁰ pp. 72. (Russia et unio ecclesiarum).

Versio Gallica: »La Russie et l'union des églises«. Paris. P. Lethielleux, librairie-éditeur 10, Rue Cassette. In 8⁰ pp. 188, an. 1897.

8. »Lettres sur la reunion des églises«. — Athénes, Beck; Paris Flandre. In 8⁰ pp. 42 (Litterae, quae unionem ecclesiarum spectant). Opus, parvae quidem molis, tamen spectatissimum!

Illi, qui quaestioni de kalendario Iuliano reformando operam dant, complura P. Tondini scripta in diversis ephemeridibus invenient, Gallicis praesertim et Italicis. Ita: in »Journal Télégraphique« (anni: 1890, 1891, 1892, 1899, 1900); »Comptes Rendus Hebdom. des Séances de l'Acad. de Sc.« (anni: 1888, 1891, 1892, 1901); »Compte rendu de la Soc. de Géogr.« (anni: 1888, 1889, 1890, 1891); »Nouvelle Revue« (anni: 1888, 1889, 1892); »La Papauté et les peuples« (anni: 1901, 1904); »Rassegna Nazionale« (anni: 1895, 1905); »Bessarione« (anni: 1898, 1900, 1906); »Cosmos« (1890, 1901); »La Quinzaine« (1901) et in aliis quibusdam. Huc etiam spectat »La question du Calendrier à la fin du XIXe siècle«. Bucarest, Socecu et Co. libraire-éditeurs, 1898. In 8⁰ pp. 86. Ubique in operibus suis de kalendario reformando scriptor se peritissimum in hac materia exhibet et ab omnibus viris doctis auctoritas eius agnoscebatur ita, ut Academiae Scientiarum Bononiae tanquam socius conscriberetur.

Dum preces nostras ad Dominum pro anima clarissimi viri et apostoli fundimus, sperare volumus, Providentiam divinam novos operarios etiam in posterum ex veneranda Barnabitarum familia excitaturam esse, qui sui sodalis vestigia prementes, opus ab ipso inceptum strenue promoveant aliosque exemplo suo alliciant.

Dr. *Leonini.*



Slavorum litterae theologicae.
Conspectus periodicus.

Dirigentibus
Dr. Jos. Tumpach, Dr. Ant. Podlaha, Ad. Špaldák, Pragae.
J. Urban, Cracoviae. Dr. F. Grivec, Labaci. Dr. Kam. Dočkal.
Zagrabiae.

Annus IV. (1908) Pragae Bohemorum. Nr. 4.

BOHEMICA.

Dr. *Jan Lad. Sýkora:* **Úvod do Písma sv. Nového Zákona.** Dílu II. Část I. O dějepisných knihách Nového Zákona (Introductio in S. Scripturam Novi Testamenti.) P. II., t. 1. Pragae 1907. pag. 484.

Quadraginta fere elapsi sunt anni, ex quo „Hereditas sti Procopii" commentarios Fr. Sušil ad omnes N. Testamenti libros publicavit. Eadem associatio ad editionem librorum theologicorum in lingua Bohemica propagandam ultimis hisce annis Introductionem in Novum Testamentum a cl. professore universitatis Pragensis Dr. J. L. Sýkora concinnatam edere coepit. Ad partem priorem, quae introductionem generalem comprehendit et quae iam anno 1904 in lucem prodiit, accessit anno 1907 pars secunda et quidem huius partis volumen primum, quod libros historicos Novi Testamenti, quattuor nempe Evangelia et Actus Apostolorum, pertractat. In scientia N. Testamenti, quae in litteratura Bohemica exiguos admodum numero cultores hucusque habuit, opus laudatum laetum certe progressum indicat, et quam maxime desiderandum est, ut cl. professor quam plurimos sectatores et operis socios inveniat utque eius opus quasi novam periodum in scientia theologica Bohemica quatenus respicit scientiam Novi Testamenti, inauguret.

Opiniones diversae sunt, quinam ordo in Introductione N. Testamenti tractanda praeferendus sit, utrum nempe introductio generalis praecedere an sequi debeat specialem.

Licet utraque methodus sua commoda et incommoda habeat, legibus tameň logicis magis respondere et in libro scientifico praeferendus videtur ille ordo, qui a generalibus quaestionibus ad particulares descendit, et quem proinde auctor nostrae Introductionis iure adoptasse dicendus est. Pariter id omnino probandum, quod in singulis libris N. Testamenti tractandis eum ordinem retinuit, quo libri illi in nostra vulgata editione inter se sequuntur. Quidam e theologis catholicis recentioribus alium quidem ordinem sequuntur, cum vel methodum protestantium imitantes libros chronologice disponere volunt ideoque epistolas Paulinas aliis libris praemittunt (Trenkle); vel (uti Belser)

tractatum de Actibus Apostolorum una cum Evangelio sti Lucae, tractatum vero de Apocalypsi et epistolis sti Ioannis simul cum Evangelio quarto absolvunt. Modus prior spectata incertitudine chronologiae N. Testamenti quoad tempus, quo singuli libri exarati fuerint, nulla ratione potest probari. Modus alter magna quidem commoda praebet, quia omnia eiusdem auctoris scripta in uno tractatu uno veluti conspectu comprehendere permittit. At non minoris aestimandum est commodum illud ordinis a cl. scriptore hoc cum maiore parte doctorum catholicorum adhibiti, quod in plena convenientia et concordia in libris disponendis cum editione auctoritativa ecclesiae consistit.

Nimis longum est omnem materiam in opere hoc collectam et coacervatam indicare. Nulla certe est quaestio habens aliquod momentum ad scientiam N. Testamenti, quam *S.* omiserit vel silentio praeterierit. Inservire proinde potest omnibus ut fidelis dux, qui in quaestionibus haud raro sat intricatis non solum opiniones dissentientes in medium producit, sed etiam viam pandit, qua ad certam et doctrinae ecclesiasticae convenientem solutionem problematis perveniri possit.

Omnia et singula haec referre spatium nobis non permittit; quaedam tantum, quae apud ipsos theologos catholicos in controversia versantur, una cum opinione huius scriptoris, quam defendendam suscipit, breviter notanda putamus. — Linguam, qua evangelium Matthaei primitus conscriptum sit, non Graecam, sed Hebraicam (sensu latiore i. e. Aramaicam pg. 38—73) fuisse probat. Similitudo vocum et locutionum, quae inter Graecum textum Matthaei et evangelium Marci deprehenditur, inde derivatur, quod Graecus interpres libri a s. Matthaeo Aramaice scripti secundum evangelium noverit et adhibuerit.

In quaestione de mutua relatione genealogiarum s. Matthaei et s. Lucae praeferendam ducit *S.* hypothesim, quae ad matrimonium leviratus recurrit, opinioni illorum, qui s. Lucam genealogiam Beatissimae Virginis tradere asserunt pg. 115—118.

Pariter authentiam clausulae s. Marci (Mc. 14, 9—20), de qua etiam quidam ex catholicis dubitare audent, firmiter tuetur; omissionem eius in compluribus codicibus ex usu ecclesiae Alexandrinae potissimum de fine ieiunii quadragesimalis faciendo explicandam ducit (p. 189). Cum clausula tertii evangelii usui ecclesiae huius repugnare visa esset, factum est, ut lectio eius publica omitteretur et convenienter etiam pericope haec in quibusdam lectionariis et codicibus describendis praetermitteretur.

Eodem modo tuetur Luc. 22, 43—44, versus illos de sanguineo Christi sudore in horto Gethsemani. Dubia de eis exorta putat a quibusdam, qui, cum Ariani Christi divinitatem negantes verbis illis ad placita sua probanda abuterentur, illa omittenda et tollenda censebant, acsi cum Christi divina natura conciliari non possent. (p. 279).

Fuse tractatur quaestio de censu tempore Christi sub praeside Syriae Quirinio facto (pg. 281—299); relatio s. Lucae minime cum historia profana et eis, quae explorata sunt, pugnat, sed optime cum

illis conciliari potest, immo quibusdam testimoniis ex. gr. verbis Taciti, inscriptione Tiburtina, plane confirmatur.

In spinosa et dificillima controversia de ratione quae inter tria evangelia synoptica intercedat nullam ex illis tribus theoriis communis fontis scripti, mutuae dependentiae, traditionis oralis amplectitur, cum nulla ex his theoriis sola valeat ad concordantiam et discrepantiam synopticorum explicandam. Rem explicari *S.* censet concursu plurium causarum, inter quas ipsa historica persona Christi, traditio oralis ac fontes scripti praecipue nominari debent. Quaelibet ex dictis opinionibus aliquid veri habet at non veritatem totam; cum autem nulla sola sufficiat, in unum igitur, quidquid singulae veri habent, coniungi necesse est.

Origo quarti Evangelii ad illas quaestiones spectat, in quibus critici independentes nostro tempore omnino impatientes sunt uno ore et animo authentiam evangelii s. Ioannis negantes. Mirum igitur esse nequit quod auctor tertiam fere libri partem (pg. 351—503) Evangelio s. Ioannis et quaestionibus criticis, quae cum illo cohaerent, impertierit. — Opinionem de s. Ioanne in Palaestina martyrium perpesso, quae interpolatione in duobus obscuris codicibus Barocciano et Coisliano nititur, *S.* merito reicit, cum opinio haec revera vesana omni sano sensui critico illudat. In analysi celeberrimi illius fragmenti Papiae concludit, de unico Ioanne agi, quare alium Ioannem homonymum Evangelistae admitti non posse. Opinio, quam Gutjahr tenet, qui pro *ἀνέκρινον* verbis Historiae Eusebii in Syriacum versae innixus potius *συνέκρινον* legi vult, *S.* probari videtur (p. 435). Putamus tamen lectionem *ἀνέκρινον* in codicibus Graecis nimis certam esse, quam ut locus ita corrigi vel immutari iure possit.

Authéntia pericopae de muliere adultera (Io. 7, 53—8, 11: de qua cf.: Bogoslovskij Věstnik 1904, I, otd. 1, str. 236) et ultimi capitis (21) atque extremorum quoque eius versuum argumentis haud spernendis probatur pg. 471—503.

Contra conamina criticorum, qui Actus Apostolorum a compluribus scriptoribus compilatos asserunt, cl. scriptor unitatem scriptoris eiusque s. Lucae vindicat; qua in re p. 533 ad ipsum Harnack potest provocare, qui in opere „Lucas der Arzt“ authentiam utriusque operis, Evangelii et Actuum, agnovit. Exemplum huius capitis denuo comprobat, quam labilibus fundamentis nitantur diversae illae opiniones „modernae“ criticae et quam cautum esse oporteat in illis admittendis.

S. non solum quam plurima opera litteraria auctorum et antiquorum et recentiorum allegat, sed etiam e ss. patribus atque scriptoribus huius temporis locos, qui maioris momenti sunt, sub linea adducit; illis, qui bibliothecam operibus specialibus munitam praesto non habent, et in tali condicione versatur certe maxima pars legentium — loci ita exscripti magni sunt pretii cum ita cognoscere possint ex propriis eorum verbis, quid et antiqui et novi scriptores de diversis quaestionibus sentiant.

Gratiis, quas cl. scriptori theologica litteratura Bohemica debet, unum tantum adiungimus desiderium, ut pars tertia quam primum in lucem edatur et ita opus illud ante quattuor annos feliciter coeptum et continuatum compleat et ad finem perducat!

Dr. *Tomáš Hudec.*

Dr. *Jos. Samsour*: **Základy patrologie se zvláštním zřetelem k dějinám dogmat**. Příručka pro ústavy theologické a soukromé studium. Brno. Papežská kniht. 1908. Cena 3 K 60. (Fundamenta patrologiae specialiter respicientes historiam dogmatum. Enchiridion ad usum institutorum theolog. et ad studium privatum. Brunae.)

In omnibus fere disciplinis theologicis exarata sunt enchiridia in lingua Bohemica, memoratu digna, solum patrologia et disciplinae cum eadem cohaerentes, quae ultimis temporibus tanto cum successu apud alias nationes coluntur, apud nos nullum habebant cultorem. Antiquiores, ex. gr. Sušil, Čelakovský et alii, solum translationes insignium operum Patrum compararunt, et notas patrologiam spectantes et prooemia huius generis addiderunt; etiam enchiridia historiae ecclesiasticae partem historicam et biographicam litteraturae patristicae adnotant alias res omittentes. Opus Dris Samsour prima est publicatio Bohemica totam litteraturam patristicam ab origine usque ad saeculum VII brevi conspectu complectens. Scriptor huius operis memorat etiam recentissimas publicationes et breviter nobis exponit statum singularum quaestionum patristicarum.

Liber dividitur in tres partes iuxta singulas periodos patristicas. Prima periodus tempus patrum apostolicorum usque ad edictum Mediolanense complectens breviter describitur, vita patrum apostolicorum et origo, consilium operum hoc tempore exaratorum tractatur, dein agitur: de litteratura apologetica secundi saeculi, de litteratura gnostica, antignostica et litteratura tertii saeculi, ubi tractatus de catechetica schola Alexandrina memoratu dignus est. Ad hanc periodum additur etiam dissertatio de apocryphis actis martyrum, vaticiniis sibyllinis et inscriptionibus. Haec omnia recentibus temporibus multum ad cognitionem vitae christianorum, qualis primis temporibus fuerit, attulerunt.

Periodus secunda culmen litteraturae patristicae describens, complectitur sex capita, in quibus primum agitur de patribus et scriptoribus ecclesiae Graeca lingua utentibus, dein de scriptoribus Syriacis et magnis theologis ecclesiae occidentalis. Periodus tertia tractat de litteratura patristica exeunte. Quod vero hoc in opere magni est pretii sunt partes, in quibus *S.* breviter doctrinam singulorum patrum vel scriptorum enarrat, nonnulla dogmata, quae in hoc vel alio libro praecipue inveniuntur nominat ideoque breviter etiam historiam dogmatis catholici illis temporibus describit. Fundamenta patrologiae conscripta a Samsour optime complent ceteras publicationes catholicas lingua Bohemica exaratas, tractantes disciplinam apud nos hucusque maxime neglectam.

V. Müller.

Ant. Rejzek. S. J., **Bohuslav Balbín T. J., jeho život a práce** (Bohuslai Balbini, S. J., vita et opera). — Pragae — Sumptibus He-

reditatis S. Procopii. — A. D. 1908. — Maior 8 a. — 465 et VI. — Pretium 7 Cor. 50 hell. — Typis Vlast.

Inter praeclaros, de natione linguaque Bohemica optime meritos viros, certissime referendus est Bohuslaus Balbinus e Societate Iesu. Multa quidem de viro hoc egregio, qui a 3. die Decembris 1621 usque ad 29. diem Novembris 1688 vixit, loquuntur et scribunt, sed liber ex professo eius vitam atque opera pertractans vehementer desiderabatur. Maximas igitur gratias totius nationis Bohemicae sibi conciliavit omni laude digna Hereditas S. Procopii, cuius ope liber hic editus est.

Scriptor ad opus tale exarandum maxime idoneus fuit certe pluribus historicis libris et commentationibus laudabiliter notus Antonius Rejzek, membrum eiusdem Societatis Iesu. In hoc opere perscribitur stylo eleganti perspicuoque non solum vita Balbini idque critice ac nulla re celata, sed etiam eius scripta et opera. Egregius ille Bohuslaus, „Titus Livius" Bohemiae recte dictus, non solum in Bohemia lumen mundi aspexit, sed illi etiam omnes vires suas dicavit et scripsit complura opera de historia linguaque Bohemica tractantia. Magni momenti ad historiam ecclesiasticam Bohemiae sunt descriptiones locorum, ad quae piae peregrinationes etiam nunc fiunt, quae inscribuntur: „Diva Tuřanensis", „Diva Sanctae Montis", „Diva Vartensis" et alia. Praeter historiam tractavit Balbinus etiam res naturales, quaesita oratoria et varia alia.

Maximi aestimatur eius „disertatio apologetica pro lingua Slavica", de qua *R.* extensius loquitur. Affert argumentum, percurrens singula capita, agit de origine, dedicatione, fatis huius libri.

Res, quae libro „Bohuslav Balbín T. J." tractatur, non solum litterarium pretium habet, sed est simul etiam optima apologia ecclesiae Romano-catholicae inter Bohemos. Sunt enim, praecipue tempore hoc, quidam, qui ecclesiam inimicam nationi Bohemicae esse, persuadere omnibus viribus contendunt. Ecce hic ipsis ante oculos ponitur exemplar viri, ex „invisa illa Societate Iesuitarum" prodiens, qui non solum Bohemicam patriam amavit, sed etiam linguam patriam coluit ipsamque a calumniatoribus strenue defendit!

Libro hoc praeterea etiam data opera tractantur res, quas sub eius titulo vix quisquam quaeret. Societatis Iesu institutum laudatur, maxime ratio studiorum exponitur (p. 70—88); vita P. Lancicii S. I. (Łęczycki) accurate describitur. — In enumerandis manuscriptis omissi sunt Codices Brunenses. Dr. *Rudolf Zháněl.*

Ferdinand Menčík, **Prof. Dr. Alois Musil.** O jeho cestách, spisech a jejich významu. (De itineribus, scriptis eorumque momento prof. dris Aloisii Musil). Olomouc. R. Promberger 1908. p. 61. pr. 2 Cor.

Ad viros de historia et geographia etiam ad rem biblicam utilissima Arabiae Petraeae optime meritos recensendus est professor studii biblici Veteris Testamenti in theologica facultate Olomucii dr. Al. Musil. Hoc anno quadragenarius magnam obtinuit auctoritatem per itinera in Orientem suscepta, magni aestimatus propter opera litteraria. Menčík, qui iam pridem in lingua Bohemica de conatibus Musil referebat, in

lucem edidit publicationem, in qua vitam, itinera, opera eorumque valorem in re historica, biblica et artistica, scriptis a Musil editis usus, delineat. Multae picturae in librum assumptae cum duabus imaginibus ipsius Musil lucis opera expressis et cum tabula Arabiae Petraeae ornant opusculum laude dignum. *Ad. Jašek.*

Dopisy reformační komisse v Čechách z let 1627—1629. Ed. Dr. *Ant. Podlaha.* Pragae 1908. Sumptibus propriis, 267 pag., pret. 4 Cor.

Ad historiam reformationis catholicae in Bohemia illustrandam *P.*, vir in cognoscendis rebus plurimi studii ex archio archiepiscopali Pragensi edit litteras collegii a Ferdinando II. a. 1627 rerum ad religionem pertinentium melius componendarum causa instituti. Discimus hinc, quid sibi proposuerit, quibus modis propositum peregerit, quae impedimenta superare debuerit. Infelicis discidii finem facturum omnium animos conciliare omnesque ad ecclesiam catholicam, a qua defecerant, reducere conabatur. Ut acatholicis idemtidem diem differebat debiti ad ecclesiam reditus ita, ut pertinaces poena exilii punirentur, neve falsis praetextibus usi ab imperatore privilegia immerito acciperent, studebat. Facile hoc collegii munus non fuisse cognoscimus e multiplici arte, quae ab adversariis adhibebatur. Nuntii falsi imperatorem non posse, alias non velle efficere ut omnes catholici fiant, acatholici, qui in publicis muneribus tolerabantur, quin etiam promovebantur, seditiones, negligentia magistratuum, cleri inopia et ignorantia, simulatae conversiones (falsa testimonia) et alia magna impedimenta rei erant. Cum hic fons hucusque fere omnino non sit adhibitus (a solo J. Svoboda S. J., Katolická reformace II, 38. 44 allegatur) *P.* non solum de catholica ecclesia defendenda — veritas enim ipsa se defendit — sed etiam de historiae Bohemicae studiis denuo optime meruit.

POLONICA.

J. Roth T. J. **Forma zaręczyn i małżeństwa w prawie kościelnem katolickiem z uwzględnieniem prawa cywilnego austryackiego.** (De forma celebrationis sponsalium et matrimonii iuxta ius canonicum, ratione habita codicis civilis Austriaci). Cracoviae, Apostolatus Orationis 1908. (IV, 124.) 8⁰.

R., professor iuris canonici, exhibet commentarium in ius matrimoniale recens, ex decreto „Ne temere“ Pii X. immutatum, illudque cum iure antepiano comparat. Historica rei tractatio rectam aestimationem novi iuris apprime iuvat. Utilitas commentarii non parum augetur inde, quod ius civile austriacum satis respexit. Maxima vero laus tribuenda est huic scriptori pro explicatione huius iuris ratione habita matrimoniorum mixtorum inter personas diversi ritus, ex. gr. Romanae et Ruthenicae ecclesiae addictas. Iuvat pauca de hac quaestione hic subicere:

Imprimis animadvertendum est decretum „Ne temere“ non obligare catholicos ritus orientalis, quotiescumque inter sese contrahunt, porro matrimonium, contractum a catholico ritus Latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto „Ne temere“ statuta, validum non esse.

Hinc *R.* concludit, per se nihil esse immutatum in iure matrimoniali ecclesiae orientalis, sed solum per accidens, i. e. in

casu diversi ritus, catholicum orientalem ad decretum „Ne temere“ adstringi, cum altera pars Romano-catholica sine hac forma contrahere non possit.

Quamobrem sponsalia, licet clandestine inita fuerint inter duos catholicos orientales, ubique valida dicenda sunt. Similiter matrimonium contractum inter duas personas ritus orientalis ubique erit validum, dummodo a sacerdote coram duobus testibus benedictum sit. Rumeni catholici ritus Graeci valide possunt contrahere matrimonium sine sacerdote et testibus. Excipiuntur solum Rutheni in Galicia, Italo-Graeci, Maronitae, pro quibus decretum „Tametsi“ vigorem retinet. Extra territorium suum commorantes, puta in Saxonia vel Dania, omnes possunt contrahere matrimonium iuxta decretum „Ne temere“, dummodo ibi domicilium vel quasi-domicilium acquisierint: alioqui decreto „Tametsi“, utpote personali lege ligantur. Contrahere igitur acquisito domicilio extra suum territorium possunt coram parocho Latino, immo, quod solam attinet validitatem, etiam sine interventu parochi et testium.

Quaestio mixtorum quoad ritum matrimoniorum sat est intricata.

Absque dubio ullo Polonus v. gr. et Ruthena possunt coram parocho Latino conscribere documentum sponsalium, et contrahere etiam coram quovis parocho Latino potestatem localem habente, vel coram parocho Latino ipsius contrahentis Latini. Certum etiam est obligari illos ad formam contrahendi, quae in art. VII. et VIII. decreti „Ne temere“ pro validitate matrimonii imminente mortis periculo et deficiente Ordinario vel parocho loci aut sacerdote ab eis delegato requiritur. Immo illud etiam pro certo admitti potest, matrimonia inter personas diversi ritus contrahi valide posse coram parocho ritus orientalis intra limites sui territorii. Disputari vero potest de quaestione administrativa magni momenti, utrum ad validitatem matrimonii sufficiat assistentia activa *cuiuslibet* parochi ritus orientalis, an potius assistentia parochi legitimi partis orientalis postulari debeat.

Decisio S. Congregationis Concilii hac in re nulla praesto est. Dr. Roth hanc sententiam proponit: Apud Ruthenos, Italo-Graecos, Maronitas, apud quos competentia parochi ad validam assistentiam derivatur a domicilio vel quasi-domicilio unius saltem e contrahentibus, matrimonium validum erit solum in casu assistentiae *proprii* partis orientalis parochi. Apud catholicos vero alius ritus orientalis, qui coram quovis parocho contrahere possunt, matrimonium validum coram quovis parocho illius ritus, cui pars orientalis est adscripta, contrahi potest, quamvis ad matrimonium licite contrahendum assistentia proprii parochi necessaria sit.

Quaestionem, cuinam parocho, Latino an Graeco, primarium competat ius assistentiae in matrimoniis quoad ritum mixtis, scriptor eruditus solvit innixus § 5. art. V decreti „Ne temere“, et ratione habita consuetudinum orientalium. Apud omnes catholicos orientales invaluit mos, ut matrimoniis quoad ritum mixtis assistat parochus sponsi: haec consuetudo retinenda est, cum § 5. art. V expresse statuat, „ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi *aliqua iusta causa excuset*.“ Tantum apud Ruthenos viget a tempore immemorabili mos

contrarius, contrahendi coram parocho sponsae, qui modus proinde in posterum servandus est. (Cf. pag. 95—99.)

Hac occasione memorandum est Dr. Roth ante paucos menses publicasse articulum in periodico „Świat Słowiański„, (a. 1908, p. 713—729) in quo erudite disserit de concordia Ruthenos inter et Latinos quoad mutationem ritus; imprimis originem huius concordiae lucidissime exponit.

Sperare licet, hunc iuris ecclesiae orientalis peritum etiam in posterum difficiles quaestiones de relatione rituum iuridica aggressurum esse.

E. Matzel.

Ladisl. Szczepański S. J. **W Arabii skalistej**, (In Arabia Petraea) Cracoviae 1907. Przegląd powszechny. gr. 8⁰. (VIII, 139.)

Idem. **Na Synaju.** (In monte Sinai) Cracoviae 1908. gr. 8⁰. (XVI. 375.)

Innixus suis itineribus doctrinae causa susceptis anno 1905 et 1906 *Sz.* exponit sub forma amoeni diarii suas observationes geographicas et ethnographicas tempore itineris collectas, quas multi excursus, praesertim historici et geographici, ubi res secundum recentiorem litteraturam doctrina excellentem exponuntur, illustrant et locupletant. Auctor, rei biblicae totus deditus, imprimis respicit ea, quae ad accuratiorem S. Scripturae Veteris Testamenti cognitionem referuntur. Et Arabiam Petraeam, quam Edomitae et Moabitae inhabitabant, et montem Sinai in Pentateucho aliisque libris historicis V. T. esse magni momenti nemo est, qui nesciat. Litteratura Polonica libris P. Szczepański magnum incrementum cepit, nam usque ad id tempus nullum eiusmodi opus prodiit, quod S. Scripturae studiosis suppeditaret necessariam regionis, incolarum, rationis vivendi notitiam, qua Orientis intelligendi copia homini exculto daretur. Quemadmodum vero iuvet harum rerum notitia ad perspiciendam indolem multarum rerum in S. Scriptura narratarum, ipse qui legit experietur. Genus litterarium diarii *Sz.* feliciter elegit. Non modo hac methodo elegantiae stili et linguae optime consuluit, sed etiam exemplo suo rationem observandi minutissimarum specie rerum legentes edocuit, ita ut etiam narrationes biblicae in his libris non expositae facilius intelligi queant. Quapropter sacerdotibus studium horum librorum enixe commendari debet.

Ad nos etiam ea maxime pertinent, quae *Sz.* de palaeoslavicis manuscriptis, glagolitice exaratis, refert. Ut bibliothecarius testatur, decem tantum manuscripta numerantur, quae P. Szczepański perpaucis describit, ut doctorum in palaeo-slavica palaeographia versatorum animum ad ea advertat.

Non abs re erit illa hic transcribere: Nr. 4. Апостолъ, membran. in 4⁰, sine initio et fine; forma litterarum elegans et perspicua; — tituli atramento rubro inscripti sunt; — in altera parte litterae minores, quae tamen facile legi possunt; — initiales litterae, vere pulchrae, sat frequenter occurrunt.

Nr. 6. Psalterium in 8⁰; cod membran. valde corruptus et vetus.

Nr. 7. Psalterium et liber precum: c. membr. in 8⁰.: valde corruptus, litterae initiales rubrae: — diligenter et pulchre exaratae litterae, quae tamen ad vetustiorem aetatem pertinere videntur.

Nr. 8⁰. Псалтиръ in 16⁰, c. membran.; sat negligenter scriptus.

Nr. 13. *ὡρολόγιον*, c. membran. in 8⁰; videtur vetustissimus.

Nr. 30. Constitutiones ecclesiasticae, membran. in 16⁰ litterae init. rubrae; vetust.

Nr. 34. Сборникъ словъ, in 8⁰, membran.: variat character scribentis; media pars valde corrupta.

Numeris non insigniuntur:

a) Апостолъ — in 6⁰, membr., valde corrupt; — litt. initial. rubr.

b) ? (absque titulo) in folio pulchre compacto et exarato. Inter alia habentur hic quattuor Evangelia; — litt. initial et tituli picta, cum figuris Evangelistarum: codicem sat veterem esse apparet.

c) nonnulla fragmenta membran., quorum argumentum P. Szczepański investigare non potuit; fragmenta haec sat sunt corrupta. in 8⁰.

P. Szczepański eximia cum diligentia sua opera composuit, et quae apud doctos in usu est transcriptionem nominum Arabicorum et Aegyptiorum fere adhibuit. *E. Matzel.*

Przegląd polski. Tom. 169, nr. 505. Cracoviae, mense Julii 1908.

Dr. *Zdziechowski* Maryan, Cerkiew Rosyjska w chwili obecnej (Ecclesia russica nostrae aetatis), pag. 1.

Articulus hic cl. professoris Univers. Jagiell. Cracoviensis occasione libri P. Palmieri O. S. A. „La Chiesa Russa“ conscriptus est.

Zacharjewicz Julian, Niemiecki związek Monistów i Ernest Haeckel. (Associatio Monistarum in Germania et Ernestus Haeckel). ibid. pag. 97.

Przegląd historyczny. Varsoviae editur. 1907—08.

Rumbold, Rafał Korsak, metropolita Rusi. T. IV., p. 36.

Gumplowicz, Maks. Początki biskupstwa Krakowskiego (Initia episcopatus Cracoviensis), t. V. 1, 129, 275.

Brückner Al., Cyryl i Metody. Nowe źródła i opracowania (Novi fontes et lucubrationes), t. VI. p. 295 sq.

Baranowski Tad., Podlasie w przededniu Unii Lubelskiej (Podlachia ante unionem Lublinensem), tom. VII. pag. 48.

H. M., Ostateczny koniec Aryan polskich (Ultimi Ariani in Polonia), t. VII. pag. 84.

Przegląd powszechny. Cracoviae. 1907, 1908.

Klimke Fr. S. J., Spółczesne światapoglądy. (Hodierna theoremata philosophica) tom. 95. pag. 9, 178.

Idem, Agnostycyzm. tom. 97, pag. 52, 235, 409. tom. 98, pag. 94.

Idem, Nowa filozofia tom. 100, pag. 1.

Hortyński, Fel. S. J. Teorya rozwojowa a katolicyzm (Theoria evolutionistica et religio catholica) tom. 94 pag. 34, 181; tom. 95 pag. 49.

Lipke, Leon. S. J. Ideał socyalny i teokracya w Izraelu (Idea socialis et theocratia in Israel) tom. 97. pag. 72.

Idem, Prorocy i ideał mesyański w Izraelu (Prophetae et idea messianica in Israel), tom. 98, pag. 336, 495; tom. 99. pag. 38, 223.

Idem, Twórcze siły społeczne i kulturalne chrystyanizmu. (De viribus, quae insunt religioni christianae ad promovendam vitam socialem et culturam). t. 96, pag. 1, 225.

Karling Ad., Finlandya a katolicyzm, tom. 96; pag. 50, 243.

Gabryl, Dr., Granice wszechświata. (De extensione mundi), tom. 97, pag. 6.

Idem, Wieczność świata wobec nauki dzisiejszej. (De aeternitate mundi iuxta scientiam huius temporis.) tom. 99. pag. 187.

Pawelski, J. S. J., Katolicyzm a modernizm. t. 97, pag. 6* – 20*.

Rostworowski J. S. J., Dwie filozofie. (Duae philosophiae, — catholica et modernistica), tom. 97, pag. 321.

Rudnicki, L. S. J., Idea Boga v teoryi Le Roy'a. (Idea Dei iuxta theoriam Le Roy) tom. 98. pag. 11, 353.

Szczepański Wład. S. J., Pierwsza księga Joba (Primum caput Job). Adnotationes et versio, tom. 99. pag. 58.

Feliś Karol S. J., Rocznice męczenników (Natalitia martyrum), tom. 99. pag. 373.

Idem, Starochrześcijanskie pielgrzymki (Peregrinationes in antiquitate christiana). tom. 100. pag. 76.

Czaykowski T. J., Prośba o nieruchomą Wielkanoc (Petitio stabilis termini celebrationis Paschatis), tom. 99, 306; tom. 100., pag. 58; 208.

Pamiętnik literacki. Leopoli 1908.

Fijałek Jan Ks. Dr., Moderniści katoliccy kościoła Lwowskiego w wieku XVI. (Modernistae catholici ecclesiae Leopolitanae saec. XVI.)

Pawlikowski J., Źródła i pokrewieństwa towianizmu i mistyki Słowackiego (Fontes et affinitates towianismum inter et mysticam Słowacki'i). Fasc. I. et II.

Libri recentiores Polonici.

Acta capitulorum nec non iudiciorum ecclesiasticorum selecta, ed. *B. Ulanowski* Vol. III. p. 1. Acta iudiciorum ecclesiasticorum dioecesum plocensis, wladislawiensis et gneznensis (1422—1533) (Monumenta medii aevi XVIII. 1) Cracoviae 1908 pag. 388.

Akta kapituł z wieku XVI. wybrane. — Acta capitulorum ex saec. XVI. hausta. Ed. *B. Ulanowski*. Tom I. pars I. Akta kapituł poznańskiej i włocławskiej 1519—1578 (Acta historica XIII. 1) Cracoviae 1908, pag. 360.

Abraham Wł., Jakób Strepa, arcybiskup halicki. 1391—1409. Cracoviae 1908. Akademia pag. 114.

Załęski Stan. S. J. O masonii w Polsce w r. 1758—1822. Ed. II. t. I—II. Cracoviae 1908. pag. 274+248.

X. *Gromnicki T.* Świętopietrze w Polsce (Eleemosyna Sedi Apostol. a Polonis tradita) Cracoviae 1908. pag. 474.

X. *Wais Kaz.* Kosmologia czyli filozofia przyrody. 8°. pag. 270. Varsoviae 1907.

Straszewski Maur. W dążeniu do syntezy. (In via ad synthesim. Studia philosophica e 30 annis 1877—1907) Varsoviae 1908 XXIV et 309.

X. *Dr. Żukowski*, Marya tarczą wiary, czyli stanowisko Bogarodzicy w apologii chrystyanizmu. (Maria scutum fidei: eius momentum in apologia christiana) Leopoli 1907. pag. 72.

X. *Antoni Szlagowski*, Wstęp ogólny historyczno-krytyczny do Pisma Świętego. (Introductio generalis in Scripturam Sacram) Tom II. (VIII, 325 str.) Varsoviae 1908.

X. Władysław Krynicki, Dzieje Kościoła powszechnego. (Historia Ecclesiae universalis) gr. 8⁰. (XVI, 758 pag.) Włocławek 1908.

Dr. J. Korzonkiewicz Ex Oriente lux. Cracoviae 1908. pag. 47 in 8⁰.

X. M. J. Masny, Duch św. Wincentego a Paulo. (De spiritu S. Vincentii a Paulo). Cracoviae, pag. 426.

X. Arcybiskup *Bilczewski.* O kościele Chrystusowym. (De Ecclesia Christi) Leopoli 1907. pag. 171.

X. Dr. Momidłowski, Papież Pius X. Życie i prace. (Vita et gesta Pii Pp. X.) Premisliae 190. pag. 254.

X. A. Fridrich, S. J. Historye cudownych obrazów Najśw. Maryi Panny w Polsce. (Historiae imaginum mirabilium B. M. V. in Polonia). Tom. III. Cracoviae 1908. pag. 439.

X. Dr. Trzciński, Praca społeczna częścią duszpasterstwa. (Actio socialis — pars integralis curae animarum). Posnaniae 1908. pag. 29.

X. Górka, Dr. J. Żywot i dzieła wielebnego sługi Bożego Bartłomieja Holzhausera (Vita et opera vener. servi Dei Bartholomaei Holzhauser) Tarnoviae (V. 245) 1908.

Obolewicz Karol O świętości i czci domu Bożego (De sanctitate et cultu domus Dei) 8⁰. pag. 8⁰. pag. 86. Vilnae 1907.

T. B. Listy do przyjaciół o życiu młodzieży, szczególnie akademickiej (Epistolae ad amicos de vita iuventutis, maxime academicae.) 8⁰. pag. 182. Liber eminenter ad usum vitae catholicae spectat, et magna laude dignus est. *M.*

RUSSICA.

Ivan Baženov, **Характеристика четвертаго евангелія со стороны содержанія и языка, въ связи съ вопросомъ о происхожденіи евангелія.** (Harakteristika četvertago evangelija so storony soderžanija i jazyka, v svjazi s voprosom o proishoždenii evangelija). **Character, quem argumentum et stilus quarti evangelii exhibet, describitur simulque in evangelii originem inquiritur.** Kazan' 1907. 8⁰. XV+402+4; 2 rub.

Baženov in praefatione dicit se velle proprietatem quarti evangelii, id est stilum seu rationem scribendi et Christi facta ac praecepta exponendi s. Ioannis proprium explorare et re undique examinata eiusdem evangelii auctoritatem vindicare. Nec enim divinam sacrarum litterarum originem scriptorum proprietatem tollere (I—XV).

Rei praeparandae causa in cap. I. (p. 1—21) de vita, indole, peculiari usu s. Ioannis cum Christo agitur. Deinde (p. 21—33) quo consilio quartum evangelium compositum sit, quaeritur. Illud imprimis s. Ioannem sibi proposuisse, ut christianis scriptura relinqueret, quae eos verbo docuisset et scripta ab aliis compleret (istoriko-vospolnitel'naja i istoriko-didaktičeskaja cěl': praeterea autem eum etiam erroribus occurrere voluisse (polemičeskaja cěl').

Caput II., quod apologeticum dici potest, in tres partes dividitur. In prima parte (A) p. 34—89 *B.* evangelium simplex et unum esse,

una sententia omnia contineri, scriptorem eius unde singula eventa orta sint et quomodo cohaereant demonstrare docet: quod fragmentorum consutorum speciem praebeat, nihil huius evangelii unitati aut auctoritati officere ostendit. — P. 50—52 agit de Io VII, 53—VIII, 11 (de muliere in adulterio deprehensa). In parte secunda (B) p. 90—147 singula, quae ex adverso a „criticis“ afferuntur sive de notione *λόγου* sive de locis, qui synopticis videntur repugnare — et in his quidem de die ultimae cenae, de Christi miraculis et sim. — refelluntur. Tertia parte (C) p. 148—180 modo speciali Christi sermones vindicantur. *B.* eorum sublimitatem et proprietatem theologicam auctoritati quarti evangelii minime nocere ostendit et quae e similitudine et aequabilitate sententiarum eorum, qui dicentes inducuntur, et sim. opponi solent, refutat. Singuli Christi sermones (ut Io. VI) quasi in membra discerpuntur.

A capite III. *B.* philologicam evangelii notam illustrare incipit. Primum quidem in universum de lingua Aramaica et de usu linguae Graecae in Palaestina exponit. Deinde in proprietatem *τῆς κοινῆς διαλέκτου*, lingua Aramaica immutatae inquirit, diversas virorum doctorum opiniones de lingua s. Ioannis profert, Graeco sermone quartum evangelium confectum esse defendit (p. 181—207).

In capite IV. *B.* vim singulorum vocabulorum, quae quarti evangelii aliqua ratione propria sunt, exponit. Praecipue de vi vocis *λόγος* agitur (p. 245—256); sensus, qui huic voci a Philone subicitur, a s. Ioanne omnino abhorret. — Capite V. (279—301) de grammatica quarti evangelii agitur, i. e. de eius proprio usu singularum orationis partium. — Capite VI. (302—338) genus dicendi s. Ioannis tractatur. Singulae figurae et ornamenta orationis illustrantur, quatenus hoc evangelium forma dialogi a synopticis differat statuitur, aequabilitas sermonum Christi, abundantia allegoriarum, defectus parabolarum seu collationum etc. explicantur (p. 302—338).

His expositis *B.* iam ex eis, quae prioribus capitibus exploravit, fructum quodammodo capere parat. Prolatis enim diversorum „criticorum“ sententiis (339—342) de quarti evangelii scriptore, triplici modo docet evangelium hoc ab alio scriptum non esse nisi a s. Ioanne. A. (p. 342—361) Rebus, quae in quarto evangelio narrantur, consideratis apparet scriptum id esse a Iudaeo, Palaestinae incola, Christi factorum spectatore eiusque apostolo. B. (p. 361—371) Fuisse eum spectatorem philologice probatur perpensis nonnullis vocibus, quae in c. I, 14; XIX, 35; XXI, 24—25 occurrunt. C. (371—384) Eundem Iudaeum fuisse, in Palaestina habitasse, I°. saeculo scripsisse ex ipsa ratione dicendi atque lingua emergit. Quae omnia in s. Ioannem apostolum cadunt. Eodem apparatu philologico *B.* iuvatur in demonstrandis locis non solum ss. patrum et apologetarum primorum saeculorum, verum etiam haereticorum et scriptorum rerum saecularium, qui quarto evangelio innituntur. Unde conici potest evangelium hoc a s. Ioanne c. 100. vel 95 annum p. Chr. compositum esse (384—402). P. 399—402 etiam ultimum caput (XX) s. Ioannis esse defenditur.

Cl. huius scriptoris opere denuo ostenditur, quam mirifice sana doctrina cum communi ecclesiae persuasione de sacrarum litterarum

auctoritate et origine congruat. Omnibus notis externis praetermissis ex ipsis evangelii verbis *B.* strenue „criticos" devincit, solo philologico apparatu usus. Comparato s. Ioannis evangelio cum synopticis optime confirmatur, illo horum narrationem compleri, id quod ecclesia semper tenuit. Unde et s. Ioannis institutum et ratio diversa eiusque sublimis christologia illustratur.

Pars accuratissimae philologicae inquisitioni destinata (c. IV., V., VI.) viris eruditis haud parvum emolumentum ad evangelii quarti proprietatem cognoscendam praebebit. Neque ultima libri virtus est subtilitas ac perspicuitas orationis et scribendi elegantia; quare etiam ab hominibus, qui a quaestionibus biblicis remotiores sunt, facile intellegitur et cum utilitate legitur. Dolemus tamen hunc scriptorem nihil de Loisy eiusque dubitationibus commemorasse.

Theologis, qui quaestionibus theologiae orthodoxae operam dant, commendatum volumus c. II, p. 126—132, ubi *B.* de tempore, quo Dominus ultimam cenam habuerit, quaerit et ecclesiae Latinae usum in azymis celebrandi videtur confirmare.

Parti apologeticae pretiosi huius operis *B.* haud parum consuluisset, si librum Calmes, L'évangile selon S. Jean et secundam editionem libri Knabenbaueri, Comment. in s. Ioannem studiose adhibuisset.

Ad. Špaldák.

ТРУДЫ КIЕВСКОЙ ДУХОВНОЙ АКАДЕМIИ. 1907. Tom pervyj.

V. Z. Zavitnevič, O molitvě. Iz sistemy filosofsko-bogoslovskih vozzrěnij A. S. Homjakova (str. 1–15).

Precatio vinculum quoddam sublime est, complectens et uniens membra ecclesiae inter sese et cum capite suo Christo Domino. Illa unitas tum actibus precationis privatis, praesertim fidei et amoris, tum publico cultu scil. sacrificio obtinetur. Quisque nostrum precibus ceterorum indiget, et ipse pro vivis et mortuis et futuris generationibus preces persolvere debet. Huius precationis proprietas praecipua amor est; immo vera oratio nihil aliud est quam verus amor. Pro radice autem spem habet, spem firmam a Deo nostras preces exaudiri. Praecipuum bonum a Deo exorandum in gratiis obtinendis collocandum est, secundarium res temporales constituunt. Hinc etiam leges morales et physicas oratio ad Deum missa mutare potest. Precatio porro debet esse libera, non ad formalismum quendam adstricta, cum sit vox amoris et flos vitae. Exemplar summum est oratio Dominica. Variae sunt formae precandi, elevatio oculorum, manuum, immo labor in bonum proximi impensus. Huc quoque ritus pertinet, qui est symbolum vel expressio doctrinae quae in ecclesia vivit et creditur. Quare ille omnino verus sit oportet neque ullis laboret defectibus veritatis. Quae liturgia publica libertati precum non obstat, licet sit forma determinata et fixa, non solum quod alioquin unitas non obtinetur, sed etiam cum sit fructus optimorum filiorum ecclesiae et membris privatis quandam publicitatem tribuat. —

I. Starickij, Vizantijskija eparhii v južnoj Italii. (str. 15—51).

Regnum Byzantinum in Italia a magnis ducibus Belisaro eiusque aemulo Narse felicibus victoriis fundatum est. Sedes Ravennae locata est. Sed Narses a Iustiniano eiusque aula contemptus, ad vindicandum se Longobardos advocavit Qui Alpibus superatis proeliis felicibus Byzantium ad Calabriam et Siciliam restrinxerunt. Paulo post alter hostis,

Arabes vel Moslemini imperium invaserunt. Siciliâ magnam partem ab ipsis subiecta, ad Italiam appulerunt, ac vel ipsi Romae perniciem minabantur. Insuper praefecti, qui pro imperio provincias Italicas administrabant, auri fame et duritie in exigendis tributis laborabant. Inter IV. et VII. s. eparchiae seu episcopales sedes in Calabria et Sicilia sitae ad sedem Romanam a Constantinopoli maximam partem transierunt. Quae rationes huius facti assignantur? Crudelitas magistratuum Graecorum ex una parte et eleemosynae Sedis Romanae ex altera parte; invasiones Arabum, quae vim regni enervabant; transitus Romanorum Pontificum a partibus caesarum ad Francos, quem fere Italia Graeca secuta est. Quid Pontifices Rom. ad hoc impulit? Influxus nimius Constantinopol. sedis in iura Romanae sedis. Nam Graeci lapsu temporis Romam ipsam corona eparchiarum cinxerunt, quae lingua, ritu, consuetudinibus orientalis ecclesiae utebantur. Iam Leone Magno regnante primatus Romanae sedis in his provinciis, Graecis subactis, apparet. Qui Pontifex 21/X a. 447 ad episcopos Siciliae scripsit: »Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiae sumeretis: et beati Petri Apostoli sedes, quae vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticae magistra rationis« (Migne, P. L. LIV, col. 696.). Idem Leo in alia epistola episcopis Italiae interdixit, nè bona ecclesiastica venderent (Migne, LIV, 703—704). Eadem potestas Sedis Romanae ex altera epistola Gelasii concluditur, data 11. Martii a. 494 ad episcopos Calabriae et Siciliae, in qua collectio legum eccl. continetur. Saeculo VI. plenam fuisse Siciliae a Roma dependentiam, ex epistolis s. Gregorii Magni clare demonstratur. Sic v. g. caelibatum subdiaconis esse servandum praescribit (Migne, P. L. LXXVII, col. 505-506); deputatos ad episcopos eligendos Romam venire iussit; ipsosque episcopos accusatos ad suum forum vocavit et plura alia. — In Calabria saec. V. et VI. Romanus Pontifex potestatem exercuit. Innocentius I. »Maximo et Severo, episcopis per Bruttios« epistolam dedit, ut caelibatui sacerdotium invigilarent (Migne, P. L. XX. col. 605). Gelasius ad Serenum, Ioannem, Maioricum, episcopos per Bruttios, litteras dedit, quibus invasores sedis Vibonensis coercentur ac de sumptione ss. mysterii altaris praescribitur (Migne, P. L. LIX, col. 101). Solae epistolae s. Gregorii M. ad demonstrandam supremam sedis Romanae super has provincias potestatem sufficiunt. Ita Paulino episcopo Furiano praescribit, ut in monasterio s. Theodori Messinae sito, monachos Calabrienses a barbaris fugatos colligat. Quales eparchiae in Calabria et Sicilia primo aevo religionis christianae fuerint, ex documentis demonstrari nequit. Solum in responsis Rom. Pontificum breves notae inveniuntur. In actis I. concilii Nicaeni Marcus quidam Calabriensis legitur (Gelcer—Hilgenfeld—Cunty »Patrum Nicaenorum nomina«, Lipsiae, 1898, p. 50 n. 204), sed non solus erat, quia Calabria fuit persecutionum focus. Testes sunt catacombae Regii a. 1757 et Tropeae a. 1877 detectae. Idem ex canone quodam synodi Sardicensis (Mansi, Conciliorum omnium amplissima collectio, t. III, col. 12, can. VI.) elucet, quo statuitur, ut episcopi propter dignitatem in praecipuis solum urbibus collocentur. Ut antiquitate prima sedes episcopalis in documentis historicis Scylacium (Σκυλάκιον) nominatur, cuius episcopus Gaudentius Romanae synodo a. 465 interfuit. Sed neque Innocentii I. neque Gelasii epistolae pro historia ecclesiae Calabriensis describenda sufficiunt. Saeculis VI. et sequentibus plura occurrunt. In vita s. Placidi episcopus quidam Sicinnius Regiensis a. 536 nominatur. In Lateranensi synodo Romae primo anno pontificatus Martini I. (649—655) celebrata, octo episcopi Bruttienses intererant. In Sicilia dioeceses antiquissimae Syracusana, Catanensis, Taorminensis fuerunt, quarum episcopi s. Marcianus, s. Pancratius, s. Beryllus ab apostolis in insulam missi traduntur. Inde, quod episcopi Siciliae Romanis synodis interfuerunt, nondum eos Latini ritus fuisse recte concluditur, quia idem

etiam episcopi ex Graecia, Aegypto, provinciis Asiae fecerunt. Leone Isaurico Iconoclasta regnante partim vi partim ambitione episcoporum factum est, ut Sicilia et Calabria a Roma disiunctae et ad patriarchatum Constant. attributae sint. Res eo facilius processit, quod magistratus et militia penes Graecos fuerunt. Simul possessiones s. Sedis Rom. in Sicilia, quae iuxta Theophilum $3\frac{1}{2}$ talenta auri, iuxta Amari 300.000 fr. (nunc ad decies centena milia fr.) annorum proventuum dabant, sublata sunt, ut ex litteris Rom Pontificum elucet, v. g. Stephani III. ad Pipinum (a. 756). Nicolaus I., defensor iurium papalium acerrimus, ut solus episcopus Syracusanus Romae consecraretur, voluit. Hinc Minasi episcopos a clero et populo electos, ab archiepiscopo metropolis consecratos fuisse Romamque ad praecavenda maiora mala consensum dedisse concludit. — Quot eparchiae in Calabria et Sicilia post separationem a Roma factam fuerunt? Georgii Cyprii »Descriptio orbis Romani« (ed. Gelcer, Lipsiae, p. 31) enumerat has pro Calabria: Ῥήγιον, Λούκρις, Σκυλακίας, Κοτρώνων, Κωνσταντία, Τροπαίων, Ταυρίανα, Βιβώνων. Iuxta Parthey metropolis Reginensis 13 episcopos vicarios numerabat. — Regium ex antiquissimis Calabriae urbibus etsi primo tempore focus fuerit religionis christianae, tamen pauca episcoporum nomina tradita sunt, ut s. Stephani Nicaeni, et Ioannis cuiusdam, legati Agathonis papae, in tertio oecumenico concilio Const. paucorumque aliorum. Minasi et Tokone-Gallucci primum metropolitam Cyrillum tradunt, quem biographus laudat: »cum principalis sortitus esset sublimitatem cathedrae virtutibus admirandis« (Acta Sanctorum febr. t. III. p. 226—229). —

A Regio 13 episcopi dependebant: 1. Bibona. Cuius humanista quidam nominis mutationes describit: Urbs antiqua fuit . . . Quam Graii Hipponium, deinde dixerunt Vibonem—Romani atque novus nunc incola Monteleonum. Tempore invasionis Saracenorum deleta a Rogero comite denuo fundata est. Sed Gregorius VII. propter penuriam civium a. 1081 episcopalem dignitatem in urbem Miletum transtulit. 2. Tauroentum oppidum, ab Urbano a. 1003 etiam ecclesiae Miletanae adiectum. 3. Locri. 4. Rossano. 5. Scyllacium. 6. Tropaea. 7. Amanthea. 8. Croton. 9. Consenca. 10. Nicotera sicut Tropaea Mileto additum est. 11. Bisinano (Bisuntium) 12. Micastro. 13. Cassano. —

Th. I. Titov, Perepiska Moskovskago mitropolita Makarija Bulgakova (p. 51—67; 427—442).

Macarium Bulgakov inter aliosque frequens litterarum fuit commercium. Qua fuit magna accuratione epistolas ad se missas servabat eiusque etiam epistolae magnam partem extant. In iis sermo est de rebus publicis, de libris, quos archipraesul conscripsit, de personis conspicuis. Ratio scribendi potius gravis dicenda est. Ab anno 60. usque ad 80. saeculi elapsi se porrigunt. Epistolae quoque ad eum datae, de eadem fere materia tractant. Cum Macarius omnium eventuum sui temporis praesertim ecclesiasticarum particeps fuerit, hoc commercium litterarum non nihil momenti habet, sicut ex allatis ab auctore patet. —

E. Fevralev Russkij doreformnyj byt i hristianskie idealy (Status Russiae ante reformationem et perfectae normae christianismi). p. 67—99; 229—254.

Modo non solum iuridicae relationes denuo componuntur, sed totus status moralis et socialis innovandus est. Quare multi ad statum patriarchalem, qui antiquitus in Russia vigebat, retrospiciunt, eiusque simplicitatem et sinceritatem extollunt. Solum, qui a religione alienati sunt, exceptionem faciunt, cum pristinus ille status cum christiana professione intime connexus fuerit. Auctor nobis imaginem vivam et veram status patriarchalis ob oculos ponit. Vel in occultos angulos domus maiorum inspicit, vitam domesticam auscultat, res minutissimas considerat. Descripta pristina conditione ad novum ordinem rerum fit transitus, utriusque incommoda et emolumenta pensantur. — Scriptor

argumentum ex libris virorum illustrium desumit, qui de illo tempore potissimum scribebant. Primus Aksakov venit, qui etsi originalitate non adeo excellat, tamen sinceram veritatem cum accurationec onspicua coniungit. In eius commentariis de patriarchali Russia spectatur memoriae amplitudo, solertia et industria quoad singula describenda, iudicii elegantia. Aksakov quidem vera dicit, sed non omnia, cum fera inculta quaevis omittat. Dobroljubov eum natura ad benigne omnia interpretanda propensum fuisse ait, nimisque simplicem, quam ut altius acriusque animos penetraret.

Hinc praeter opus ab Aksakov conscriptum, cui titulus est: »Semejnaja ĥronika« alii fontes adhibendi sunt, qui et imaginem vitae pristinae magis collustrent et praesertim veritatem integram narrent. Huc pertinet praeprimis: »Pošeĥonskaja Starina« cuius auctor est Saltykov Ščedrina, vir ingenio acuto, et sagaci, indole firma et constanti sermone nervoso praeditus. Prius satyrograhus diurnorum libellorum scriptor, postremo tempore vitae suae animum ad poesim applicuit et insignem epopoeam conscripsit, quae inter prima opera de tempore patriarchali tractantia, numeratur. Vera dicit et integre, etsi quandoque minus honesta sint. Koĥanovskaja multa, quae suaviter delectant, composuit. Similiter Lèskov in chronica sua, quae »Soborjane« inscripta est, lucida de vita domestica et publica ac religiosa tradit. Turgenevii etiam »Zapiski oĥotnika« usui sunt magno sicut Gogolii scripta. Ultimo loco notissimus auctor Tolstoj addatur, qui in opere inscripto »Vojna i mir« non ubique veritatem sectatur, sed cuidam mystico fatalismo indulget nec nisi altioribus coetibus intentus est.

In carminibus populi et consuetudinibus antiquis vita domestica potissimum expressa est. Nimirum indoles totius gentis se prodit, quae est mitis, pacata, domesticis rebus addicta. Patriarchalis Russus urbes et vitam publicam non amabat neque in pretio habebat. Sed centrum ipsi fuit vita domestica. Praesertim mulieres vix aliis rebus nisi familiae curis distinebantur; unaquaeque familia et domus circumsepta erat, quasi mikrokosmos pro se et a reliquo mundo disiuncta. Petrus Magnus voluit quidem hunc secessum Russorum a reliquo mundo tollere et inde etiam istam familiae solitudinem impedire. Sed solum aliquatenus labores eius successum habebant. Semper amor domesticus quasi sigillum toti nationi impressus manebat. Fuit principii instar pro vita patriarchali, ut omnis potestas penes vetustissimum familiae resideret. Ita vir potestatem in totam familiam exercebat, omnibus iuribus, etiam capitis, pollebat. Hinc omnes dissidiae penes patrem seu caput familiae solvebantur, nec auxilio externi vel sententia iudicis opus erat. Modo iuridica principia, quae familiam rei publicae subdunt et inprimis libertatem personalem defendunt, omnes sphaeras sociales etiam domesticam rem penetraverunt. Etsi res publica patri potestatem familiae administrativam non tollit, tamen eius independentiam aufert, ut debilior pars, scil. femina et infantes, in suis iuribus fruendis maiore gaudeat securitate. Altera res, quae imaginem pristinam familiae notabiliter mutavit, in magnitudine urbium paulatim crescente sita est. Quae commoda et quae incommoda novus ordo rerum attulerit, sine studio et ira diiudicandum est. A Turgenev, qui »Otcy i dèti« scripsit usque ad Najdenovii dramata plures scriptores de discordiis domesticis inter patres et filios agebant. Certe maior securitas iurium personalium laudanda est, sed ex altera parte firmitas et simplicitas illa antiqua diminuta est. Insuper illa potestas capitis, quae per se ad severitatem forte propensa fuisset, et amore paterno et christiana religione, quae in domestico ordine excellentem locum obtinebat, plurimum mitigata est. Imagines piae de parietibus pendebant, ante quas lampas ardebat, in mensa conspicua vita sanctorum (legenda) et biblia iacebat. Mane et vespere communes preces fundebantur et a iunioribus praesertim

praelegabatur. Diebus feriatis ecclesias visitare de praecepto erat, quod in urbibus maioribus etiam post meridiem ad vesperas audiendas fiebat. Quaedam epistola praeclarum testimonium est, quo pietatis et religionis sensu pater familias, scribens ad filium intime imbutus fuerit. Nihilominus etiam incommoda oriri potuerunt, quod potestas independens »solius« (scil. capitis familiae) fuerit, sicut re vera quaestiones sociales et publicae quae sepem domus transibant, patri curae non erant, qui soli paci et securitati domesticae invigilabat.

Bona patriarchalis vita magni utique est momenti, sed proh dolor! raro admodum ante reformationem invenitur. Huius rei rationes plures adsunt. Iam magnus ille secessus et sepis circumductio ad bene et feliciter vivendum, quid confert? Dein plena potestas »solius« nonne elegantiam morum et principia vitae christianae exigebat? Apud illos pristinos sensus moralis non adeo excultu serat, ideoque periculum abutendi potestate incurrebant. Tempore Catharinae et immediate ante reformationem aër aestuosus erat, sicut ante tempestatem simulque sine domestico amore et caritate. Aetate Catharinae quidem vita patriarchalis maxime florebat et ipsius conditiones in sua totalitate imprimis apparent. Tempore Alexandri et Nicolai conditiones non tam mutatae sunt quam silebant. Postea paulatim propinquitate novi aevi laedebantur, cuius adventus sicut mutatio aëris praesentiebatur. Ampla fuit vita tempore imperatricis illius, amplus etiam fuit despotismus domesticus; nec postulatis conscientiae acquiescebat. Sed durities illius aevi alium etiam characterem habuit: nec conditionibus spatii et temporis contentari voluit. Toti pagi ab una urbe ad aliam iuxta domini lubitum transferebantur, et ubi hodie domus stabant, cras triticum seminabatur. Illud dominium omnes limites transcendebat et ad ipsam naturam sibi subiciendam se protendebat. Quando post prandium vir nobilis in podio dormitabat, homines conticuerunt, labores in oeconomia sistebantur, immo aves ex horto, ne cantarent, abigebantur. — In familiis rixae et lites frequentes fuerunt. Id etiam Aksakov, quamvis indole idyllica, tamen agnoscere coactus est. Potentes in tota sua ditione velut reges dominabantur. Quando decursu temporis despotismus iste ex palatiis eiectus est, sicut mures et noctuae facere solent, in locum obscuriorem, in domos mercatorum transiit. Et quamvis priorem amplitudinem et audaciam amiserit, tamen crassior et apertior erat. Status domesticus re vera miserabilis et deplorandus erat. Parentibus levissimum negotium erat, honeste liberos in matrimonium collocandi, ducti vel passionibus vel summa levitate. Negligenter liberi educabantur et ad futura onera subeunda insufficienter disponebantur. Quamvis mercatores generatim typum vitae Russicae exhibeant, praeter principes et mercatores tertia classis, nobiles communes restat, qui in suis amoenis sedibus et firmis arcibus vitam hilarem agebant. Eorum vita domestica non erat adeo dura sicut apud mercatores; sed etiam ibi dominium patris, licet subtiliore modo, sentiebatur. Apud ipsos duplex agebatur vita: publica altera, coram hospitibus omnia amica, honesta, pacifica; quando abierant, domestica concordia et caritas velut vestis melior deponebatur; coniugum alter absolutus dominus fuit, alter membrum subditum sine voce. Ex liberis uni clamabant, ludebant, per cubiculum matris currebant, quasi in angulis timidi alteri sedebant. Illi praedilecti optima quaeque a matre in mensa accipiebant, hi neglecti ea fere, quae restabant. Neque aliam ob causam nisi propter matris passiones defectus etiam maximi illorum non puniebantur, in horum minores severe animadvertebatur. Cognatae cum hospitibus ad mensam hilariter colloquebantur, quando abierant, timide a sedibus suis surgebant, et in suprema cubicula sub tecto se abscondebant neque ad communem mensam invitatae, eius reliquiis invide et parce satiabantur. Saltykov narrat, iuvenem quendam nobilem inter alios libros ad usum scholarum editos, s. scripturam invenisse et illam, cum eius notitia

ad examen exigeretur, ab eo perlustratam esse. Luce divina inter legendum offusus, puritatem vitae, quam evangelium praedicat, agnoscit simulque, quantum inter ipsam et domesticam vitam distet, percipit. Re vera, evangelium optimis praeceptis vitam familiae imbuit, praeclaris exemplis illustrat et exhortatur, monitis et doctrina ad vitam honestam dirigit. Utique exemplar vitae domesticae, sicut ipsum s. scriptura depingit, in terra non invenitur. Sed omnibus facultas datur, enitendi ad illam perfectionem evangelici exemplaris. Quantum autem in Russia status domesticus ab illa ideali perfectione distabat! Saltykov, qui sine ullo praeiudicio scribit, domesticum statum tempore ante reformationem inferno aequiparat. Quod non solum historice constat, sed ex ipsa illa differentia maxima inter doctrinam evangelicam ipsamque vitam vere probatur. Rationes huius rei iam assignatae sunt, potissimum est ille despotismus patris et timor inde ortus, insufficiens educatio et instructio liberorum, indigna tractatio seniorum et senescentium ex familia. —

V. Z. Zavitnevič, Duȟovenstvo i partijnost v politikě (Utrum clerum in rebus publicis administrandis participem esse conveniat. p. 99—111).

Quivis pastor animarum simul etiam civis est, gaudens aequalibus iuribus, onera omnia portans, exceptis iis, qnae status eius ratio excludit, ut est fusio sanguinis in bello. Etiam libertate politica clericus gaudet in statuendis et defendendis sententiis, nisi ea sint, quae quilibet Christianus detestari debet. Utraque societas, et ecclesia et res publica in pace et harmonia simul consistere possunt, dummodo haec illi libertatem non tollat. Christus Dominus apostolis quoad rem publicam administrandam instructionem non dedit. Hinc hac in sphaera sacerdos maiore auctoritate quam alii non gaudet. Si autem in eiusmodi contione sermo de re morali profertur, sacerdos pro ecclesia loquens auctoritatem habet. Quia in administranda re publica semper sunt partes, ibi passiones, invidiam, pugnas esse necesse est, sacerdotem negotiis publicis se dare non convenit. Porro ex variis propositionibus gubernii clerico maximae difficultates oriri possunt. Denique ecclesia est super omnes partes et pro omnibus; »altior est et extra politicam«.

M. E. Posnov, O sudbaȟ biblejskago Izrailja (De sorte Israelis biblici) str. 151—195.

Etsi populus Israel aliquando in vias gentium abierat, tamen semper revertebatur, cum fuerit populus a Deo electus promissionibus ditatus et in suis laboribus et crucibus imago Christi. Hoc privilegium et illa praedilectio huius populi non parum difficultatis peperit, quando Messiam suum reiecit et religionem ab ipso fundatam persequebatur. Iam ipsa cessatio legis Mosaicae pro gentilibus ad christianismum conversis scandalum et lapis offensionis fuit. Ad quae s. Paulus in II. parte epistolae ad Romanos (cp. IX—XI) respondit; adhuc absens prima vice ipsos alloquitur, scribens de salute per fidem, sine differentia nationis absque propriis meritis. Auctor cum aliis (Beyschlag, Theol. St. u. Krit. 1867, S. 658) s. Paulum id fecisse arbitratur, quod ideam, Romam caput occidentis faciendi, sicut Corinthus in Graecia, Antiochia et Ephesus pro Asia erant, mente conceperit et ut se contra malevolos detrectatores defenderet (I. Dalmer, Die Erwählung Israels, S. 2—3; Beyschlag ibid.). Idea centralis primae partis cp. I, 16 continetur: »(evangelium) virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco«. Nam omnes, Iudaei et Graeci peccaverunt. Et »Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur« (XI, 32). — Fundamentalis idea II. partis est: »Verbum Dei fidele manet, promissiones Dei immutatae sunt.« — Qui sensus continetur init. verbis IX, 6; in medio XI, 2; in fine XI, 29, cfr. 25—26. Dein tripartitim auctor fere secundum tria capita (IX—XI) s. Paulum de salvatione Israelis interpretatur. Notum illud »crux in-

terpretum et dogmaticorum« mentes occupavit et semper etiam fatigabit. —

A. Ia. Roždestvenskij. Analis XXXIX členov věry anglikanskoj cerkvi (Analysis XXIX articulorum fidei ecclesiae Anglicanae instituitur) str. 195–229; 364—377; (Continuatur.)

Crisi articuli hi subiciuntur:

Art. XIII: De operibus ante iustificationem. — Art. XIV: De operibus supererogationis. — Art. XV: Nemo praeter Christum sine peccato. — Art. XVI: De lapsis post baptismum. — Art. XVII: De praedestinatione et electione: »Praedestinatio ad vitam est aeternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decrevit, eos quos in Christo elegit ex hominum genere, a maledicto et exitio liberare, atque ut vasa in honorem efficta, per Christum ad aeternam salutem adducere. Unde qui tam praeclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu eius vocantur; vocationi per gratiam parent: iustificantur gratis: adoptantur in filios: unigeniti Iesu Christi imagini efficiuntur conformes: in bonis operibus sancte ambulant: et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

»Quemadmodum praedestinationis et electionis nostrae in Christo pia consideratio dulcis, suavis et ineffabilis consolationis plena est vere piis et his qui sentiunt in se vim spiritus Christi, facta carnis et membra, quae adhuc sunt super terram, mortificantem, animumque ad caelestia et superna rapientem, tum quia fidem nostram de aeterna salute consequenda per Christum plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit: ita hominibus curiosis, carnalibus et spiritu Christi destitutis, ob oculos perpetuo versari praedestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est praecipitium, unde illos diabolus protrudit vel in desperationem, vel in aeque perniciosam impurissimae vitae securitatem.

»Deinde promissiones divinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris litteris generaliter propositae sunt: et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus diserte revelatam. —

R. primum sicut in singulis articulis facere solet, historicum conspectum adstruit, scil. ostendit, quomodo aliae reformatorum confessiones et symbola eandem doctrinam diversimode expresserint. Dein argumentum articuli explanat. 1. Ipsa doctrina de praedestinatione et electione explicatur. 2. Practicum momentum ostenditur. 3. Relatio ad s. scripturam investigatur. —

Art. XVIII. »Tantum in nomine Christi speranda est aeterna salus.«

»Sunt illi anathematizandi, qui dicere audent, unumquemque in lege aut secta quam profitetur, esse servandum, modo iuxta illam et lumen naturae accurate vixerit: cum sacrae litterae tantum Iesu Christi nomen praedicent, in quo salvos fieri homines oporteat.«

Id unum animadvertisse sufficit, hunc primum et solum esse articulum, in quo eccl. Angl. anathematizat. In reliquis articulis, etsi in eis contra eccl. Rom. aliasve invehatur (v. g. VII, XVI, XXII, XXVIII, XXX), forma iudicii levis mitisque est.

Art. XIX. »De ecclesia.«

»Ecclesia Christi visibilis coetus est fidelium, in quo verbum Dei purum praedicatur, et sacramenta quoad ea, quae necessario exiguntur, iuxta Christi institutum recte administrantur. Sicut erravit Ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina et Antiochena; ita erravit Ecclesia Romana, non solum quoad agenda et caerimoniarum ritus, verum in his etiam, quae credenda sunt.«

Quod errores ecclesiae Hieros., de quibus in 2. parte art. sermo est, aliarumque attinet, illos admitti non posse, bene auctor ostendit.

Eo ipso iudicium de eccl. Rom. prolatum, saltem suspectum est, id quod ultro etiam conceditur.

D. Bogdaševskij, Pervoe poslanie sv. Apostola Pavla k Korinthjanam. (Prima epistola s. apostoli Pauli ad Corinthios.) p. 303—336.

Antiqua urbs Corinthus a Doris fundata est et Ephira ab una ex Oceani filiabus vocabatur. Deleta funditus est a Mummio a. 146 et saeculo post a. 44 a Iulio Caesare (colonia Iulia Caesaris) denuo aedificata. Urbs tempore s. Pauli 600,000 incolas numerabat, ex quibus 400,000 servi erant; sedes mercatorum, occidentem cum oriente coniungens, urbs divitiis pollens, sed etiam idololatriae et iniquitati dedita.

Quomodo s. Paulus Corinthi primo sedem Christianae religionis instituerit, in actibus Ap. (18, 2—3) narratur. Aquila ille, ad quem s. Paulus divertit, cum esset Iudaeus et hoc nomine appellaretur, nondum christianae religioni nomen dedit. Is origine (τῷ γένει) Ponticus erat, ideoque existimari non potest, ipsum fuisse cl. Romani Pontii Aquilae (Sueton. Iul. Caes. c. 78) libertinum. Cum documenta historica non suppeditent, determinari nequit, quando Claudius Iudaeos Roma expulerit; ex vita s. Pauli ad a. 52 concludere licet.

Corinthi s. Paulus primo in synagogis sabbatis verba faciebat. Quando Silas et Timotheus ex Macedonia venerunt et forte temporale etiam subsidium attulerunt, totus i. e. non tantum sabbatis verbo Dei incumbebat. Iudaei ita ipsum persequebantur, ut vitam servare cogitaret. Nam sicut s. I. Chrysostomus ait: »Etsi Paulus, tamen homo«. Sed visu nocte a Domino confortatus, $1^{1}/_{2}$ annum ibi remansit. Crispus archisynagogus quidem conversus est, sed Iudaei eum apud Gallionem accusabant, ipsum docere homines Deum colere contra legem, i. e. contra legem Iudaicam, quae a Romanis approbata erat. Sed Gallio proconsul ratus, de quaestionibus inter Iudaeos controversis agi, Iudaeos eiecit. Pagani dein Sosthenem, principem synagogae apprehensum percusserunt, Gallione id non curante, sed pro compensatione iniuriae Paulo illatae accipiente. Dein post aliquot hebdomadas (ἡμέρας ἱκανάς 18, 18) abiit non coactus sed lubens, ecclesiam Corinthi satis fundatam esse ratus. Illud »qui sibi totonderat caput« exegetae plurimi ad s. Paulum referunt, quia de eo est in contexu sermo et ipse solus Hierosolymam (ibi: 21. 24) venit, ad offerendum donum praescriptum. — Quod 1. cp s. Pauli ad Corinthios spectat primo dictis de s. Paulo in Actibus Ap. nullo modo contradicit. S. Paulum in synagoga non dixisse, quia epistola eius ad solos Christianos ex gentilitate dirigitur. Quam inimica synagoga sto Paulo fuerit, ibi legitur; dein etiam Corinthi conversi ex Iudaeis fuerunt (ep. 1. 24; 5, 6; 7, 18; 9, 20; 10, 32; 12, 13). Generatim s. Paulus constanter primum semper in synagoga contionatus est (cf. Act. Ap. 13, 14 sq.; 14, 1 sq. et saepe), quod Apostoli in concilio Hierosolymitano approbaverunt. Neque inde, quod Stephanus I. Cor. 16, 15, »initium Achaiae« vocatur, aliquid inconveniens sequitur; etiam Iudaei Graeca nomina habebant. — Dein quoad personas difficultates inanes in critica hodierna saepe statuuntur. Si Actus Ap. et epistolas confers, partim eadem nomina occurrunt partim diversa vel ex rationibus diversis hic vel ibi eas allegandi vel quia apostolus novas personas cognovit. — I. epistola ad Cor. circa a. 57 scripta est. Nam s, Paulus, sicut satis constat, c. Pascha a. 54 Corinthum reliquit; eodem anno 3. iter apostolicum agressus est; tres dein annos Ephesi, unde 1. ep. ad Cor. scripsit, moratus est. — Verba: »Scripsi vobis in epistola« (5, 9) plures ad epistolam iam prius ad Corinthios datam, sed nobis amissam, quam hoc loco (5, 9—13) apostolus fusius explicat, referunt. Sed etiam ad eandem epistolam et quidem ad superius (5, 1 sq.) de Corinthio incestuoso dicta accommodari possunt, praesertim si ab apostolo post verba illa (5, 8) epistolam interruptam fuisse putas. Dein auctor historica quae-

dam momenta, quae in epistola occurrunt v. g. legationem Timothei (4, 17; 16, 10—11), Chloes (1, 11) aliaque similia interpretatur et cum actibus Ap. (v. g. 19, 22) confert. Sed quomodo se haec s. Pauli epistola ad epistolam a Corinthiis ad ipsum transmissam habuit? Usque ad 7. caput s. Paulus eam non respexisse videtur, a 7. quaedam quasi puncta proponuntur (7, 25; 8, 1; 12, 1; 16, 1). Etiam oretenus relata (11, 18) apostolo ob oculos versantur. Status ecclesiae Corinthii existentis describitur, in multis quidem lucidus et laetus, in pluribus vero tristis et iniucundus. Sed omissis ceteris quaestionibus de una tantum agitur, scil. de partibus et litibus, quae Corinthii vigebant. Quaestio sat intricata et magnus numerus hypothesium obscuritatem non dissipavit. Baur in illis factionibus pugnam inter iudaismum vel Petrinismum et Paulinismum conspicit. Verba »ἐγὼ δὲ Χριστοῦ *B.*, variis hypothesibus v. g. ἐγὼ δὲ Κρίσπου vel incisum esse interpolatum reiectis de speciali quorumdam subiectiva et erronea adunatione ad Christum intelligit. Fuerunt igitur quattuor factiones, quae non tam doctrinam diversam quam magistros spectabant. Μετασχηματίζειν, transfigurare, proprie mutare figuram, formam apostolus sensu translato pro figurato sermone utitur. Tegendo silentio nomina auctorum, a quibus partes prodierunt, se et Apollinem, ut praedicatoris evangelici munus demonstret, allegat. Totam ecclesiam Corinthi existentem in quattuor partes scissam fuisse singulasque in doctrinis quibusdam errasse, scriptori non probatur (Contra Bachman, Der erste Brief, S. 65; Pfleiderer, Das Urchristenthum, Vol. I, S. 103 ff.). *B.* dein quaedam de singulis factionibus profert et in fine de authentia epistolae agit.

D. V. Znamenskij, I z e t j u d o v o K a n t ě (Q u a e d a m e x s t u d i i s d e K a n t i o) str. 336-363.

Z. quaedam ex laboribus, quae de Kantio agunt, proponit, et quidem ea, quae hoc tempore animos magis movent; primo loco de forma aprioristica temporis agitur. (Continuabitur.)

V. I. Ekzempljarskij, N ě s k o l k o m y s l e j p o p o v o d u z a š č i t y s m e r t n o j k a z n i v r u s s k o j b o g o s l o v s k o j l i t e r a t u r ě p o s l ě d n j a g o v r e m e n i (Quid auctores nonnulli sentiant, quomodo factum sit, ut in litteratura huius temporis theologica Russica poena capitis defendatur, demonstratur) str. 377—427. *O. Žídek.*

N. Malinovskij. **Очеркъ православнаго догматическаго богословія.** (Očerk pravoslavnago dogmatičeskago bogoslovija). **Compendium theologiae dogmaticae.** Pars Ia p. 407 + VII Kamenec-Podolsk 1904. Pars IIa p. 553 + VI. Ibidem 1908.

Divisio huius operis, quod, uti in titulo legitur, determinatum est pro quinta et sexta classe seminariorum ecclesiasticorum atque programmati pro theologia dogmatica constituto accommodatum, fere eadem est atque communiter in catholicis huius disciplinae compendiis invenitur. Relatu digna in hisce foliis maxime ea videntur, quae polemicam cum occidente spectant, quaeque in libro non exiguum occupant locum, cum fere in unoquoque capite speciali paragrapho et catholica et protestantium doctrina tractetur. Ut appareat, quae sit in potioribus quaestionibus controversis huius scriptoris mens, quaedam selecta afferantur.

In celeberrima illa controversia de processione Spiritus Sancti Malinovskij secus atque alii quidam recentiores theologi Russi sententiam catholicam omnino reiciendam esse putat, eam enim „neque in scriptura neque in traditione fundamentum habere atque in se ipsa

multa repugnantia inter se et inconvenientia continere" dicit (t. I. p. 178). Et generatim hic theologus unioni animorum inter separatos christianos praeparandae tam parum studiosum se ostendit, ut non solum antiquas discidii causas in maius extollat, sed etiam novas inducat.

Ita arguit catholicos de Pelagianismo, quasi docerent opera ad iustificationem disponentia ab homine naturalibus viribus perfici (t. II. p. 188), cum idipsum omnes theologi catholici ut haeresim oppugnent. Praeterea iterum atque iterum accusat ecclesiam catholicam de ideis iuridicis ab ethnicis Romanis acceptis atque in doctrinam de hominis ad Deum relationibus introductis (ibid. p. 190 sq.).

Disputans de primatu Romani pontificis affirmat catholicos putare episcopum Romanum esse „unicum et solum instrumentum operationis Spiritus Sancti"; ulterius: „Spiritum Sanctum operari in ecclesia unice per papam"; tandem: „solum papam esse episcopum sensu proprio, reliquos vero omnes, quotquot sint in hierarchia constituti, esse illius vicarios et delegatos (ibid p. 298).

Rectius quidem exponit dogma de infallibilitate R. Pontificis. Sed postquam ad verbum expressit constitutionem concilii Vaticani, sensum definitionis dilucide declarantem (p. 304), subiungit vocem locutionis ex cathedra a catholicis theologis communiter non aliter explicari nisi hoc fere modo: papa tunc est infallibilis, cum ex cathedra loquitur — et tunc loquitur ex cathedra, quando est immunis ab errore (p. 305).

Similiter etiam in tractatu de indulgentiis, quae paulo antea scripserat, scriptor ipse oblitus videtur esse. Cum enim satis recte declaraverit nexum, qui inter indulgentias et sacramentum paenitentiae intercedit atque concesserit, secundum catholicam doctrinam neminem ullam indulgentiam lucrari posse, nisi prius se a peccato purgaverit (p. 408), postea asserit temporibus iubilaei annuntiari pro visitatione urbis Romae atque pro solvenda determinata quadam pecuniae summa indulgentiam omnium peccatorum non solum iam commissorum, sed etiam postero tempore committendorum adulteriorum, homicidiorum etc. (p. 404).

Re vera valde dolendum est eiusmodi convicia, e calumniatorum libris desumpta, quorum falsitas ab unoquoque ipsos catholicos auctores consulente facillime cognosci potest, orthodoxis theologiae tironibus addiscenda proponi, eaque proponi a doctore, qui iam ante 13 annos amplius de theologia dogmatica opus — nunc, uti promittit, brevi quarto tomo absolvendum, publici iuris facere coepit, quique de commemorata modo indulgentiarum quaestione specialem edidit commentationem (Kam. Pod. 1905), *A. Bukowski.*

Strannik 1906, II., nr. 9—12.

P. M.: V poiskah za idealami (De ideis religiosis et philosophicis Sergii N. Trubeckoj). 289—306.

Sergěj Nikolaevič Trubeckoj († 1905) merito inter celeberrimos Russiae philosophos numeratur. Dum metaphysica a pluribus modernis philosophis negligitur, T. strenuus eius fuit defensor: „Universale fere quod nunc est odium atque aversio metaphysicae in praeiudiciis et

ignorantia fundatur. Intellectus humanus natura sua metaphysicus est" (p. 291). Historia philosophiae non impossibilitatem, sed evolutionem metaphysicae demonstrat; „metaphysica critica" demum philosophiae campum occupabit. Metaphysica in antiquitate praeparatio quaedam erat ad religionem christianam; nunc quoque per veram religionem perficitur atque coronatur (294). Problema gnoseologicum T. minus recte solvit. Obiectivum enim et realem cognitionis nostrae valorem per conscientiam communem et universalem explicat, quae doctrinis Reidi („sensus communis"), Jacobi („sentimentalismus"), Gratry („sensus divinus") similis est; quae conscientia iuxta T. non quidem actualiter, sed potentialiter collectiva, universalis et absoluta est. Tres cognitionis fontes distinguit, intellectum, sensum (čuvstvo), fidem. Intellectus noster finitus imago est infiniti et universalis divini intellectus (Logos), qui immanenter mundo inhabitat eumque ordinat; sensus (čuvstvenost') autem in sensu universali, in Anima Mundi (Mirovaja Duša) fundamentum habet. Fons (et criterium) certitudinis est „conscientia viva et concreta", similiter „ens reale (actuale)"; obiectum cognitionis nostrae non est phaenomenon aliquod vel idea tantum, sed aliquid vivum et concretum. Quapropter systema hoc gnoseologicum ab ipso T. „idealismus concretus" (306) nuncupatur. T. pantheismum quidem reicit, attamen systema eius ex una parte ad pantheismum, ex altera ad „sentimentalismum" accedere videtur. Causa talis erroris est ignoratio vel saltem neglectio philosophiae Aristotelicae et scholasticae.

S. Runkevič: Preosvjaščennyj Theofilakt (Lopatinskij) v ego perepiskě s Petrom Velikim (Episcopi Theophylacti Lopatinskij cum Petro M. litterarum commercium). 332—46.

Ex documentis archivi imperialis.

K. P.: O reformah v našem bogosluženii (De liturgia in Russia reformanda). 618—27.

Multi etiam sacerdotes clamant, liturgiam Russicam reformandam et contrahendam esse. *P.* concedit functiones liturgicas in Russia generatim nec digne nec devote exerceri (quod saeculis antecedentibus multo etiam peius fuisse), attamen censet liturgiam ipsam nec reformandam nec ei detrahendum quicquam esse. Reformatio liturgiae magno esset fidei detrimento, quia multi fideles ad sectas „raskol'nikov i edinověrcev" deficerent.

V. Popov: Čto est' istina? (De veritate in loquendo). 807—816.

In s. Scriptura N. T. vocem veritatis ἀλήθεια, dicit *P.* duplicem habere vim: *a*) communem popularem, vel formalem-empiricam, qua significat conformitatem intellectus (sententiae) cum re; *b*) philosophico-religiosam, qua significat conformitatem notionum et actionum cum absoluta divina veritate. Moralistas alios priorem, alios posteriorem vim verbo subicere; priori adversatur falsitas (ložnost'), posteriori mendacium (lživost'). Illa quandoque licita, haec semper illicita est; ita e. g. Vl. Solov'ev et Olesnickij affirmant, falsitatem in loquendo (difformitatem inter sensa interna et locutionem) licitam esse ad peccatum grave proximi prohibendum, si hoc alio modo prohiberi non possit. Apparet *P.* non bene inter veritatem (falsitatem) logicam et moralem distinguere, propterea quaestionem propositam non accurate solvere. Immerito *P.* catholicorum („iesuitarum") doctrinam moralem de mendacio hoc loco aggreditur; doctrinam de „restrictione mentali" minime intelligit atque omnino importune hanc doctrinam catholicam cum famosa illa sententia honestum propositum honesta reddere conamina conectit. Catholici enim moralistae docent mendacium semper illicitum esse; contra Russorum doctrina de liceitate mendacii ad peccatum grave prohibendum supponere videtur, media (in se mala, cum catholici id solum de mediis indifferentibus affirment) sanctificari per finem bonum.

Strannik 1907, I. (nr. 1—6.)

N. Popov: Ateizm, ego proishoždenie, vlijanie na nauku i žizn' (De atheismo, quomodo oriatur et quomodo ad scientiam ac vitam pertineat). 2—25.

P. philosophiam et Kantianam et Cartesianam sequens, affirmat, ideam Dei unicuique homini innatam esse, attamen eam obscurari ac supprimi posse. Praecipua atheismi causa est morum corruptio, inter secundarias falsa scientia et nimia de disciplinis naturalibus opinio referri possunt. Temporibus recentibus atheismus in Russia magis magisque divulgatur; ut summum hoc malum societati imminens amoveatur, viribus unitis adversus atheismum pugnandum est.

A. I. Almazov: Temnyja storony našego duhovenstva (Quae in clero nostro minus probanda sint). I., 681—708.

Sacerdotes Russici in casibus dubiis quaestiones suas mittunt ad Cerkovnyj Věstnik, ubi eis respondetur. Licet multae interrogationes ex magna ignorantia cleri procedant, tamen sunt etiam tales, quae evitari non possunt; nulla enim scientia humana ita perfecta est, ut in nullo casu, quem usus praebet, dubitationi locum det. *A.* non a defectu temperationis ecclesiae, sed a sacerdotum negligentia repetit, quod tales interrogationes cumulantur. Ecclesia catholica institutum habet, quod prompte respondet ad quaesita, in Russia deest auctoritas, qua dubia decidantur, Ex interrogationibus videri potest vita non satis bona sacerdotum, violatio sigilli etc.

N. I. Ja-v: Cerkovnaja reforma Petra Velikago i eja otzvuki v nastojaščee vremja (De statu ecclesiae a Petro M. ordinato). 26—44, 196—215.

Historia huius „reformationis" eiusque sequelae describuntur. Patriarcha Adriano defuncto († 1700), Stephanus Javorskij exarcha ac patriarchatus administrator factus est; eius potestas nequaquam patriarchalis, sed valde limitata erat. Ita paulatim patriarchatus abolitio praeparabatur. Ad exemplar protestantium Petrus M. regimen collegiale (synodale) in ecclesia Russica introduxit a. 1721; iura hierarchiae ecclesiasticae fere exstincta sunt, ecclesia potestati civili omnino subiecta est. Directa fidelium ipsorum cum ecclesia communicatio magistratu civili interposito impedita est, fideles a pastoribus separati sunt, vita religiosa labebatur. Nec hierarchia nec populus hac regiminis forma unquam contentus erat; omnes huius regiminis mutationem, libertatis ecclesiasticae restitutionem desiderant.

F. Pogorělovskij: Filosofskie zaprosy, iskanija i vozzrěnija blaž. Avgustina po ego „Ispovědi" (De philosophia S. Augustini secundum eius „Confessiones"). 177—195.

S. Augustinus pater philosophiae mediae aetatis dici potest; ingenio omnes aequales longe superabat. Ideae philosophicae, quas S. Aug. post multas dubitationes ac pugnas internas efformavit, a systematibus philosophicis, quibus imbutus erat, non sunt omnino alienae. Vestigia manichaeismi (malum esse necessarium, ut maiestas Dei manifestari possit), scepticismi academici (ad cognitionem veritatis viribus propriis perveniri non posse), neoplatonismi (doctrina de malo) apud s. Aug. inveniri *P.* (195) affirmat.

V. Protopopov: Na porogě vsemirnoj istorii (In limine historiae mundi). I., 358—97.

Agitur de libro professoris J. A. Bogorodskij, „Načalo istorii mira i čelověka po pervym strannicam Biblii". Kazan' 1906, VIII.+442. Cfr. Slav. l. th. IV. (1908), 28.

Th. Korallov: K istorii holmskoj Rusi i Podljaš'ja (De historia Russiae Chelmensis et Podlachiae). I., 395-412, 533-44

Iuxta fontes Russicos narratur tota historia huius regionis, ubi unio cum ecclesia catholica a. 1875 vi a gubernio Russico extrinsecus saltem exstincta est.

E. Voronec: Istína voskresenija Hristova (Christum vere ex sepulcro exiisse). I., 523—32.

S. Zvěrinskij: K voprosu o pervonačal'nom okončanii evangelija sv. Marka (Ad quaestionem quomodo primitus terminatum sit evangelium s. Marci). I., 663—67.

Z. refert summam lucubrationis ab Edgar J. Gospeed editae in American Journal of Theology (1905), qua extremam partem evangelii s. Marci 16, 9 sq. — cuius authenticitas a nonnullis negatur — ad mentem evangelii s. Matthaei 18, 9—20 reconstruit. Dr. *F. Grivec.*

A. Neselóvskij, **Чины Хиротесіи и Хиротоніи;** (опытъ историко-археологическаго изслѣдованія). (Činy Hirotesii i Hirotonii.) **De ritibus, qui in collatione ordinum minorum et maiorum observantur** (Tentamen disquisitionis historicae et archaeologicae). Kamenec-Podolsk, an. 1906; pret. 3. rub. pp. VI—XVIII—375—LXX.

Scriptor hic sibi proposuit ritus, quibus ecclesia Graeca ad collationem ordinum sive minorum (*χειροθεσία*), sive maiorum (*χειροτονία*) utitur, describere. Opus tribus partibus constat: introductione, textu, appendice.

In introductione vim terminorum liturgicorum qui ordinationem spectant considerat nec non de numero ordinum minorum in ecclesia Graeco-russica inquirit (I—X), dein fontes et opera, quibus in libro conficiendo usurus est, enumerat (X—VIII).

Pars I. Cap. I. De ritu, quo laicus in numerum clericorum adscribitur et de tonsura. Ipse ritus describitur, atque in quo differat simplex tonsura a tonsione capitis in forma crucis peracta, ostenditur. Dein de origine tonsurae eiusque abolitione in ecclesia Graeco-russica disserit. (1—19). Cap. II. Ritus ordinandi ostiarium (19—24). Cap. III. Ritus ordinandi exorcistam (24—29). Cap. IV. Ritus ordinandi lampadarium (*κηροφόρος*). Existentia huius ordinis in ecclesia Graeca. In quo differat ab ordine acolythatus (pp. 30—37). Cap. V. Ritus ordinandi cantorem et lectorem (pp. 37—64). Cap. VI. Ritus ordinandi diaconissam (64—73). Cap. VII. Ritus ordinandi subdiaconum (pp. 73—102).

Pars II. Cap. I. Ritus ordinandi diaconum (pp. 105—168). Cap. II. Ritus ordinandi presbyterum (168—212), Cap. III. Ritus ordinandi episcopum. Electio (pp. 212—229). Ordinatio ipsa (229—271). Cap. IV. Ritus ordinandi episcopum, qui in partibus septentrionalibus Russiae observari solebat (pq. 271—350). Ritus ordinandi episcopum in Russia meridionali usitatus (pp. 351—375).

Appendix (I—LXX) continet exemplaria diversarum orationum, quae ab episcopis super ordinandos recitabantur. Item professiones fidei ordinandorum necnon patentes litteras, quibus episcopi ordinationes clericorum ratas habebant.

Methodus, qua cl. auctor in singulis ritibus describendis procedit, haec est: Exposita ordinis origine et institutione, eius evolutionem describit nec non rituum hinc inde variantium progressivam mutationem. Dein comparantur ritus ecclesiae Graecae et Russicae secundum diversa ritualia utriusque ecclesiae. Specialis momenti est atque doctorum attentionem meretur ea pars operis, ubi scriptor inter ritualia ecclesiae Russicae septentrionalis et ritualia ecclesiae Russicae meridionalis comparationem instituit. In hac ultima haud paucos ritus in ordinationibus clericorum

adhibitos sub ecclesiae catholicae Latinae influxu introductos esse auctor deprehendit, ex. gr. porrectionem instrumentorum, modum praesentandi episcopum ordinandum in ecclesia ante consecrationem etc. . . .

Notatu digna sunt ea, quae scriptor de consecrationis forma habet (pp. 128—134). Videt enim momentum consecrationis non in verbis: „*ἡ θεία χάρις* . . . .“ sed in orationibus, quae post exclamationem illam ab episcopo secreto leguntur, qua in re cum theologis catholicis plane consentit (vid. ex. gr. Sasse „De sacramentis“). Item in interpretatione exclamationum: „*Κέλευσον Κελεύσατε* . . .“ (Iube, Iubete) a consueta interpretatione recedit (pp. 154—157). Putat enim exclamationes illas nonnisi ad ordinandum ipsum, clerum et episcopum referri, eas esse simpliciter signa, quibus personae hae de inchoatione consecrationis monebantur. Tamen haec interpretatio solido fundamento niti non videtur. Desideratur amplior descriptio atque interpretatio rituum, qui a Graecis ultimis tribus saeculis subintroducti sunt ex. gr. prostratio cleri et populi dum consecratio clericorum (i. e. diaconi, sacerdotis et episcopi) peragitur aliaque plura. Generatim quidem auctor nimis in ritibus Russorum describendis sistit, pluribus Graecis neglectis. Cum ritus ecclesiae Russicae meridionalis cum ecclesia Ruthenorum (Galiciae) comparat omnia per transennam indicat neque graviora ritualia unitorum (saeculi praesertim XVII.) considerat.

Licet huiusmodi argumentum iam clarus ille prof. Dmitrievskij more solito luculenter pertractaverit, (Ставленникъ — Ordinandus) tamen opus prof. Neselóvskij haud parvam utilitatem eruditis viris confert, neque eruditionis copia, neque methodo critica caret. Valde gratulamur huic scriptori ac desideramus, ne a laboribus et studiis susceptis recedat.

Dr. *Leonini.*

Ioann Baranóvskij: **Верховная власть въ церкви Христовой.** (Verȟovnaja vlasť v cerkvi Ȟristovoj). **De potestate suprema in ecclesia Christi**, an. 1908, pp. 72..

Libellus hic in memoriam iubilaei sacerdotalis summi Pontificis papae Pii X. exaratus doctrinam catholicam de beati apostoli Petri primatu et de successorum eius, Romanorum Pontificum, in ecclesia potestate variis argumentis vindicat. Argumenta ex sacris litteris, ex traditione, tandem ex libris liturgicis ecclesiae orthodoxae colliguntur (pp. 5—52). Dein exponitur doctrina catholica de Romani Pontificis infallibilitate et obiectiones principales, quae contra illam fieri solent, diluuntur. Opus non ita doctis viris destinatum, sed ad vulgarem sensum magis accommodatum est. *B.* loquitur clare et concinne atque per summa capita graviora argumenta proponit. Optima sunt, quae de argumentis liturgicis ecclesiae orthodoxae profert, quibus primatus Petri et Romanorum Pontificum vindicatur. Idem dicendum est de cap. 7 et 8., ubi de infallibilitate Summi Pontificis agitur. Debilior est ea pars, qua argumenta ex s. scriptura exponit (cap. I. pp. 7—14), quippe quae quibusdam gravioribus difficultatibus non faciat satis. In cap. 4 (pp. 28—34) non satis ordinate testimonia patrum Graecorum exponuntur, neque erat praetermittendus Ioannes Damascenus.

Dr. *Leonini.*

Богословскій Вѣстникъ. (Bogoslovskij Věstnik) 1907.

A. Lebedev: Začem by nam nužen patriarh? (Quasnam ob causas patriarchatus institutio necessaria est) I, 1—60. Secundum Lebedev ut historia ecclesiastica rite excoli atque doctrinarum ordini annumerari possit, omnino requiritur, ut ecclesiae organismus evolvatur, progressus faciat perfectiorque in dies evadere nitatur. Quamobrem historicus et protestans ob notum protestantismi — licet fucosum tantum — progressum, et catholicus ob primatus Romani Pontificis evolutionem suae ecclesiae fata ac sortem, prout doctrinae ratio exigit, enarrare valet; id quod historicus ecclesiae orthodoxae adhaerens, cum orthodoxorum ecclesia ne speciem quidem progressus aut vitae interioris, quae in dies perfectior evadere studeat, indicia ostendere possit, sequi nequit. In multis quidem ecclesia Graeca usque ad Constantinopolis interitum laborabat, verum subsequenti tempore status hic peior effectus est nec ulla spes affulget res in melius mutatum iri (p. 9 sqq.: „těh, kto pesimističeski smotrit na položenie grečeskoj cerkvi, obyknovenno utěšajut soobraščeniem, čto greko-vostočnaja cerkov' možet iměť svoe značenie, i požaluj bol'šoe, v buduščem; no podobnago roda utěšenija odnakož ničego ne dajut dlja istorika v nastojaščem. Cerkovnaja Vizantija stoit pred nami kak zaměčatel'nyj oblomok zaměčatel'nago prošlago v oblasti cerkovno-istoričeskoj" p. 11). Russica ecclesia vero, licet aliis ecclesiis orthodoxis praecellat, eis in vita religiosa quam simillima est. Etenim cum aliis ecclesiis non conectitur nisi externis vinculis, intestina autem eius vita nihil proficit nec ullo modo incrementa capit (Russkaja cerkov' ne nosit nikakih jarkih priznakov procvětanija v nej cerkovnoj žizni. Bogoslovskaja nauka v nej slaba, bezcvětna p. 11 sq.) Verbo nulla ex orthodoxis ecclesiis antiquioris Graecae ecclesiae vitam vivere pergit nullaque in rebus ecclesiasticis verum progressum facit.

Verum desperare minime licet. Nam ecclesia Russica, dummodo vincula et impedimenta, quae eius progressui Petrus M. opposuit, removeat, prosperrime florere potest. Vinculorum et impedimentorum nomine *L.* patriarchatus abolitionem intelligit. Etenim ecclesiam, cui patriarcha praesit, omnia quae opus sunt, ut perficiatur, habere existimat. Quae, ecclesia Russorum inspecta, ex iis, quae patriarchae Russici peregerunt, comprobat (p. 13 sqq). Quem patriarchatum Petrus M. sine ulla ratione solo arbitrio pro legibus stante sustulit (p. 25 sqq et 43 sq). Patriarchatus institutum et canones ecclesiastici et ecclesiae veteris exemplar exigunt: „Poka cerkov' ostanetsja cerkoviju v točnom smyslě slova, ona ne možet byt' akefal'noju. Tak bylo s samyh vremen apostol'skih" (Ecclesia, ut possit esse vera ecclesia, sine capite esse nequit. Hic mos ab apostolorum temporibus observabatur) (p. 56 sqq).

Praeclara sunt, quae Lebedev de recentioris ecclesiae orthodoxae, vel Russicae statu, ac de ‚sanctae synodi' institutione deque Oberprocuratoris munere exponit.

Qua tamen ratione primatum R. Pontificis pro re ecclesiae catholicae externa — etsi res historice tantum consideretur — habeat, manifestum non est.

S. Znamenskij: K voprosu ob otdělenii cerkvi ot gosudarstva vo Francii (Quaedam de ecclesiae ab imperio separatione in Gallia) I, 93—118, 332—370.

Z. primae partis libri: „Henri Charriant, Après la séparation. Enquête sur l'avenir des églies." Paris 1905 argumentum fuse exponit, variorumque hominum de ecclesiae a gubernio separatione opiniones affert.

Th. Rossejkin: Kak Francija prišla k otdělenij u cerkvi ot gosudarstva? (Qua ratione in Gallia ecclesiae a gubernio separatio adducta sit) I, 535—572; II, 168—188. *R.*, qui I. L. de Lannesau (L'Etat et les Églises en France depuis les origines jusqu' à la separation. Paris. 1906) sequitur, quattuor causas ecclesiae a gubernio separationem in Gallia adduxisse existimat: primum quod ecclesia rebus civilibus se immiscebat, deinde hominum, qui res civiles administrabant, liberalismum, tum populi

maxime saec. XVIII. et XIX., religionis levis aestimatio, denique ecclesiae et gubernii continuae pugnae. Verum *R.* nonnumquam, licet rem historice consideret, facta non attente considerat et ideo de ecclesia vel catholicorum conaminibus perperam iudicat.

I. Gromoglasov: Kanoničeskija opredělenija braka i značenie iḫ pri izslědovanii voprosa o formě ḫristianskago brakozaključenija I, 60—92, 275—301; II, 696–717; III, 89—121, 437—448.

Gromoglasov ex iuris canonici de vinculo matrimoniali praescriptis diiudicare intendit, quid ecclesia hac de quaestione sentiat. Secundum eius opinionem dispositio Pedalion c. 48 tum quoad rem tum quoad sensum desumpta est ex libro iuris consulti Romani Modestini (cf. I, p. 72), qui haec de vinculo matrimoniali habet: „Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium vitae, divini et humani iuris communicatio."

Iuxta ecclesiae mentem ad verum matrimonium non solum carnalis, verum etiam spiritualis (amor) coniunctio requiritur. Contractus autem, qui in consensu matrimoniali habetur, sui generis est et in multis a communibus contractibus diversus. In ecclesia orientali vinculum matrimoniale non sola externa et carnalis, verum et spiritualis alteri viro adhaesio dissolvere potest. Qua in re ecclesia orthodoxa et iuris civilis dispositionibus et vitae necessitatibus sese accommodavit (cf. III, 89 sqq.)

Res nondum finita est. Verum in genere sicut huius scriptoris commentatio solida est, ita quae ipse de matrimonii dissolubilitate nec non de ecclesiae ad vitae necessitates accommodatione exponit, omnino mira videntur esse.

P. Florenskij: Antonij romana i Antonij predanija (s. Antonius in fabula romanensi et in traditione) I, 119—159.

Gustave Flaubert sicut in aliis suis operibus ita etiam in fabula romanensi: „La Tentation de Saint Antoine", Paris 1898. praeprimis formam tantum externam quaerit. Singulae quidem res et circumstantiae ex saec. IV. desumptae sunt, at generalis imago, quae ex his partibus, si componantur, exsurgit, tantummodo saeculi XIX[i] indoli congruit. Dein sicuti alias, ita etiam in hoc opere subiectivismo atque indifferentismo latus campus aperitur. Verbo Antonius a Flaubert descriptus Antonio historico quam dissimillimus est.

A. Lebedev: Něskol'ko svěděnij iz istorii nravov grečeskago vysšago duḫovenstva v tureckij period (Qaedam ex historia morum praelatorum Graecorum tempore Turcicae periodi) I, 223–252.

L. episcoporum Graecorum, qui tempore Turcicae, quae vocatur, aetatis ecclesiam Graecam gubernabant, vitam ac mores nigris coloribus depingit. Episcopus non is, qui dignior fuit, creabatur, sed qui plus solvebat vel quadam ratione eius episcopo coniunctus erat (224—225). Episcopus erga subditum sibi clerum pro arbitrio se gerebat eiusque ad ipsum relatio eo finiebatur, quod pecuniam ab ipso exquirebat: immo clericus licet pessimus quodlibet crimen patrare potuit, dummodo talis fuerit, ut episcopali capsae pecuniam adderet (p. 230 sq.). Quod vero ad alios episcopos attinebat etiam terrena tantum spectabat Graecus praelatus; ideo, si poterat, suae dioeceseos fines proferebat cum alterius dioeceseos detrimento; ut autem rem ad intentum effectum perduceret, ad Turcicum gubernium — ecclesiastica potestate praetermissa — confugiebat. Immo cum episcopus ad desideratum finem pervenire non posset, interdum fiebat, ut cathedram relinqueret et Mahometanus fieret (p. 228). Si autem alia ratione suis desideriis satisfacere non poterat, nonnumquam ad pugnam, vel ad alterius episcopi necem confugiebat (p. 229 sq.) („но нѣкоторые изъ первопредстоятелей греческой церкви обваживались на тайное и даже явное убійство своихъ собратій-архіереевъ p. 229). In domibus suis feminas, quae ipsorum rem domesticam administrabant, cum populi scandalo tenebant (p. 237 sqq.) Pecuniam ad vitae commoda necessariam episcopus requirebat et pro ordinatione et pro matrimonii — etiam validi — solutione tum pro peccatorum sine paenitentia remissione; patriarcha vero, cum episcopos ad alias cathedras transferebat vel remotos restituebat, idem intendebat.

Maxime vero pauper populus, ad quem episcopus emissarios suos mittebat, ob episcopi avaritiam et exactiones patiebatur.

A. Selitrennikov: Opravdanie nauki. Teorija poznanija V. Vundta. I, 253—274; 513—534; II, 31—56; 321—342. Opinio de cognitione a Wundt proposita describitur ac iudicio subicitur.

N. Bogoljubskij: Ob administrativno-vospitatelnom stroě v duh̯ovnyh̯ seminarijah̯, I, 315—331. *B.* seminariorum quae nunc est condicionem describens educationis spiritualis defectus inspectoris muneri adscribit; ideo inspectorem, cum ipse cum rectoratu dualismum inducat, abolendum esse iudicat eiusque loco prorectorem, qui rectoris oculus dexter atque adiutor sit, creandum.

P. Tih̯omirov: Naučnyja zadači i metody istorii filosofii (De munere ac methodo historiae philosophiae) I, 302—314; III, 1—34.

Tih̯omirov philosophos Hegelium et C. Fischerum sequens eorumque defectus corrigens historiae philosophiae finem in eo ponit, ut philosophus-historicus, singula systemata percurrens, inquirat atque indicet, qua ratione unumquodque systema ut propius ad veritatem absolutam accederet enixum sit. Ut autem philosophiae historia modo doctrinae proprio tractari possit, evolutionis principium in philosophia omnino admittendum est. Ea autem, quibus historia philosophiae ad finem intentum possit pervenire, triplici ratione continentur: a) psychologica, qua de singulorum philosophorum vita et indole quaeritur; b) historica, qua varius in philosophum influxus indicatur; c) logica, qua de philosophi propriis operibus anquiritur et systema eius construitur atque componitur.

L. Raič: Rukopołoženie kak prepjatstvie k braku. Episkopa Nikodima. (Ordo ut impedimentum ad matrimonium. Ep. Nicodemi) I, 371—385; 429—459. Raič dissertationem ep. Milaš ex Serbico transtulit. De ipsa dissertatione cf. Sl. Litt. 1908, I. p. 37 sqq.

A. Lebedev: Po voprosu o proish̯oždenii pervoh̯ristianskoj ierarh̯ii (De origine hierarchiae primitivae), I, 460—474.

Lebedev theorias ab A. Ritschl, J. Köstlin, Hatch, Harnack de origine hierarchiae propositas — licet eorum nomina non annotet — rocoquit et in nonnullis immutat. At saltem sincere fatetur: „K sožalěniju my ne obladaem nikakimi faktičeskimi dannymi dlja razjasnenija voprosa o proish̯oždenii episkopata. Prih̯oditsja priběžit′ k predpoloženijam" (p. 462). — Cum nulla adsint documenta originem episcopatus illustrantia confugiendum est ad opiniones. Res autem hac ratione peracta est: cum primus fidelium coetus conformatus esset, indigebat administratore. Tum apostolus vel alius Christi discipulus proponebat fidelibus, ut sibi unum e conversis in praefectum eligerent. „At ut neoelectus verum caput et praeses esse posset, multa defuerunt" (no ego položenie zastavljat ešče želat′ mnogago, čtoby stojat′ vo glavě obščiny (p. 463). Id solum tempore procedente peractum est. Sensim prior christianorum enthusiasmus exstinguebatur, doctoresque charismatici evanescebant; quid cum ita res essent magis fieri poterat, quam ut illi, qui iam aliis muneribus fungebantur, officium praedicandi quoque assumerent? Ita illi praefecti facti sunt doctores, charisma — naturali rerum successu ‚quasi ex hereditate' (p. 463), non despoticis episcoporum conatibus (p. 463 sqq.) — excepit munus publica auctoritate collatum; cum vero prophetae et didascali non locales, sed universales praedicatores fuissent ideo, episcopi, qui illis successerant, complures gubernabant ecclesias (p. 465). Hac igitur via evaserant circa medium saeculum secundum vero sensu episcopi (Process etot pokazyvaet, kakim obrazom episkopskij institut, obladaja snačala vtorostepennym i daže pervostepennym značeniem v cerkovnoj obščině, nakonec stal v glavě etoj poslědnej (p. 467.)

Simili modo de diaconis et presbyteris disputat.

M. Hatuščyńskyj.

V. Rodnikov, **Первая книга Маккавеевъ.** (Pervaja kniga Makkaveev). **Primus liber Macchabaeorum.** Исагогическое изслѣдованіе. Kioviae 1907. XI. + 257. Pret. 1 r. 50 kop.

Exceptis nonnullis parvi momenti adnotationibus in periodicis libellis et in Introductionibus in Sacram Scripturam, habemus primum opus lingua Russica conscriptum, in quo cum magno doctrinae apparatu ea, quae ad specialem introductionem in I. librum Macchabaeorum pertinent, pertractantur. Exposito argumento Rodnikov suam pertractat sententiam de Iudaeis gradatim liberatis a religioso et politico iugo alienigenarum. Cum sectae Pharisaeorum et Sadducaeorum aetate Machabaeorum ortae sint, describitur earum origo atque progressus: eas initio solum in rebus politicis inter se discrepasse demum tempore procedente novas doctrinas et institutiones religiosas a canonicis V. T. libris alienas excoluisse.

Quaerens auctorem libri ostendit *R.* eum non esse fautorem Pharisaeorum (Chassidim I. Mac. 7, 5. 12. 13), res gestas non tam divino numini quam humanis viribus adscribere, rerum novissimarum nimis parce, quamquam plurimae occasiones essent, commonefacere, omnem nimietatem in natione et religione aestimanda evitare, opera Macchabaeorum laudibus efferre, de familia sacerdotali tacere, a cultu hellenistico non esse alienum, spem messianicam parvi et una tantum e parte aestimare: quae omnia testantur eum ad sectam Sadducaeorum pertinuisse. Controversiae Ioannis Hyrcani cum Pharisaeis Sadducaeo auctori dederunt ansam ad componendum librum, in quo apologetice merita et dignitates familiae regnantis ante oculos aequalium repraesentaret sequentibusque generationibus conservaret. Liber, cui nomen Macchabaeorum probabiliter ipse scriptor imposuit, est conscriptus vel ultimis annis Ioannis Hyrcani vel brevi post eius mortem, idque in Palaestina, prout ex topographia, lingua, chronologia, scriptore ipso apparet. Quamvis auctor scriptis fontibus usus sit, tamen non est admittenda opinio eorum, qui eos ad maximam partem libri extendere volunt, cum nonnulla e S. Scriptura, multa e traditione assumpta sint. Originalis lingua erat Hebraica verosimiliter aramaismis permixta. Hebraica fragmenta a Chwolson reperta et nuper a Schweizer edita non sunt nisi libera Hebraica Latini textus et additamentorum ex variis antiquis scriptoribus desumptorum versio. Versio Graeca (verbalis) accurate confecta est in Aegypto non multo post exarationem libri. Varii textus codicum Graecorum et Latinorum comparantur.

Controversa est quaestio, utrum veteroslavica versio a s. Methodio exarata etiam libros Macchabaeorum continuerit necne. Non est admittenda opinio *R.* qui tenet s. Methodium propterea libros Mac. non transtulisse, bibliis non adiecisse, quod libri isti ad „non canonicos" pertinerent. Antiquissima versio veteroslavica nobis asservata I. l. Mac. continetur in bibliis Gennadii, probabiliter a monacho Benjamin, Gennadii aequali, e Vulgata facta. Delineatur historia veteroslavicorum et Russicorum textuum typis editorum. In linguam Russicam liber ter e textu Graeco est versus*).

---

*) Ab A. A. Sergiev in Православ Обозрѣнiе 1868, ab. ep. Porphirio in Труды Кiевск. Дух. Акад. 1873 et in editione bibliorum a s. synodo.

Defendens historicum characterem libri refutat eam, quae videtur, repugnantiam inter primum et secundum librum Mach. et Iosephum Flavium. Pro veracitate libri loquitur simplicitas narrationis, frequens descriptio historica et geographica rerum gestarum, allata historica documenta, ad quorum authenticitatem defendendam magna diligentia adhibetur.

Cogitationes eschatologicae, quamvis eiusdem temporis litteratura Iudaeorum iis abundet, prorsus in libro desunt, messianicae non declinantes a prophetiis V. T. respondent expectationi Sadducaeorum. Futurus propheta (I. Mac. 4, 46) aut Messias aut eius praecursor Elias exspectatur.

Inspirationem ideoque etiam canonicitatem libri *R.* negat adnumeratque eum secundum doctrinam Russorum theologorum ad libros non canonicos. Argumentatio, quam affert, parvi est. Canonem V. T. aetate Esdrae prorsus conclusum esse paucissimi theologorum nostrae aetatis admittunt, prophetiam in sensu latiore et inspirationem post Malachiam exstinctam esse reicitur testimoniis ipsius libri (I. Mac. 4. 46), Philonis, J. Flavii., N. T. Sed in hoc laudandus est *R.*, quod non polemice, sed prudenter et secundum doctrinae regulam catholicam — pro cuius veritate, inquantum eam admittit, maior pars traditionis ecclesiasticae testatur — protestanticam et Russicam doctrinam de canonicitate libri evolvit.

Tres appendices concludunt opus: I. Graeci et Latini textus, quos scriptores usque ad IV. saec. ad verbum e I. l. Mac. excerpserunt, II. variae lectiones libri in codicibus Alexandrino, Sinaitico, Venetiano et versione Latina, III. variae lectiones textus in bibliis Gennadii, Ostrogii, Elisabethinae earumque relatio ad versionem Graecam et Latinam.

Grati sumus huic scriptori pro eius eruditione, qua totam fere materiam tractavit atque praecipue characterem historicum libri defendit, nec dubitamus, quin omnes opere laudato commode uti possint, qui aetati Macchabaeorum eorumque libris student. *Ad. Jašek.*

BULGARICA.

Prěgled 1908, n. 4. 5.

G. Cěnev: Sedmičnitě dni kato bělěg na staro hristianstvo u slavjanitě (Dierum hebdomadis numerus antiquitatem fidei christianae in Slavis testatur). IV. 194—201; V. 255—60.

Lepide quidem sed minus critice hic scriptor modo historicae argumentationis fontibus quoque pro sua sententia in medium prolatis s. Paulum ipsum primum Slavorum apostolum fuisse ostendere conatur. Responsa Nicolai papae anno 866 ad consulta Bulgarorum negat esse data Boris regi sed ss. Cyrillo et Methodio eorumque sociis, qui hoc tempore Romae fuerint.

Al. Karagjulev: Hristianskata literatura prěz prvitě četiri věka (Quae fuerit litteratura christiana primis quattuor saeculis). IV. 205—13; V. 260—67.

Res sociales et morales, Romae, quae tunc erant, paganismum in ruinam vocabant, quae per Constantinum et Theodosium imperatores facta

est. Novam vitam litteratura ex Christi doctrina accepit. Mentione facta poësis et lyricae et epicae eius temporis optime brevi conspectu, quid apologetae egerint, tradit.

A. P. Stoilov: Hrisovul ot car Ivan Šišman daden na monastirja sv. Bogorodica pri s. Dragalevci v Vitoša.

Monasterium b. Virginis in Vitoša condidit Ioannes Alexander (1331—1365), et Ioan. Šišman filius privilegia ei data decreto confirmavit, quod in monasterio Zografensi in monte Athos conservatur. Monumentum caret anno subscripto et sigillo imposito.

D. A. Ihčiev: Edin turski dokument otnosno Ohridskata patriaršija. IV. 202—04.

In bibliotheca nationali Sophiae servatur decretum (ferman) quoddam a sultano Mustapha III. a. 1757 editum, qui Methodio Ohridae patriarchae omnia debita ab antecessore eius Dionysio contracta quidem dimittit, sed ut tributa vetera solvat eum hortatur.

D. Mišev de opere *I. Trifonov:* „Uništožavaneto na Trnovskata patriaršija i zaměstvaneto ji s autonomno mitropolitstvo-arhiepiskopstvo“ (Quomodo patriarcha Ternovensis metropolita factus sit?), quod opus in „Sbornik za narodni umotvorenija“ in libris XXII. et XXIII. in lucem prodierat, iudicans bonam sententiam de eius scriptore fert, qui fontibus ad historiam ecclesiae Bulgaricae spectantibus novum eumque optimum addidit. (V 267—71.)

Cъrkoven Věstnik 1908, nr. 4.

D. Mišev: Grčkata patriaršija i cъrkovnitě kanoni (Patriarchae Graeci contra ecclesiasticos canones egerunt et agunt).

Patriarchas Constantinopolitanos contra omnes ecclesiasticos canones egisse *M.* conqueritur, quod Graeci Turcis adiuvantibus ecclesias in Bulgaria maxime insignes: Trnovo, Ochrida, Ipek aliasque multas dicionis suae fecerint. Contra Graecos esse traditionem et can. 8. conc. Ephesini, quod episcopis potestatem in alias eparchias extendere prohibeat. Anno 1870 Bulgaris ecclesiam independentem redditam esse; quapropter ut metropolitis canonice institutis Graeci in ecclesiis Bulgaricis cedant, synodo curae esse debere.

SERBICA.

Bogoslovski Glasnik. 1906 (IX.) n. 4—6; (X.) n. 1—6; 1907 (XI.) n. 1—6; (XII.) n. 1—6; 1908 (XIII.) n. 1—2.

Rad. M. Grujič: Gradja za istoríju Pakračkog Vladičanstva (Materia pro sede episcopali Pakrac in Slavonia) IX. 233—81; X. 3—24, 137—53, 286—99, 395—409; XI. 57—67.

In archivo metropolitae Karloviciensis multa acta reperiuntur, quae ad episcopatum supra nominatum pertinent, quorum illa, quae sunt gravioris momenti, partim in originali, partim in accurata translatione prolata typis exscribenda mandavit ordine chronologico. Haec acta res annis 1721—1764 gestas complectuntur. Nostra aliquatenus potest interesse cognoscere decretum Mariae Theresiae ex a. 1747. (nr. XXIV), quo praecipitur, ne Serbi orthodoxi ad celebranda festa catholica cogantur. Acta sub II, XV, XVI, XXII, XXXII, XXXIV et XXXV historiam monasteriorum Orahovicae et s. Annae respiciunt. Acta sub V—XI, XIV, XVII—XX agunt de acerrimis controversiis propter exarcham Sophronium Iovanovič, quem episcopus Nicephorus Stefanovič titularem episcopum Pakraci a synodo sibi consecrari voluit. Maximi momenti sunt ultima acta XXXVII—XXXIX, ex quorum duobus prioribus ambitus et magnitudo eparchiae Pakraci perspicue colligi potest. Ultimum continet quae Croatiae et Hungariae optimates in conventu Posoniensi a. 1764 respectu ecclesiae orthodoxae postulabant

D. I. Izveštaj o bogosloviji sv. Save za škol. god. 1905—6. (Annales instituti theol. s. Savae pro a. 1905—6.). Belgrad 1906. (114 pag.) X. 208—9.

Primo loco sunt tres dissertationes: 1. S. M. Veselinovič agit de Hermae Pastore Hermamque s. Pauli discipulum fuisse affirmat; 2. I. Bojovič tractat de notione et scopo in historia prosequendo; 3. Vl. Stojanovič de non vero disserit. – Collegium docentium duodecim personas complectitur. Tempus studiorum durat novem annos. Usque ad hunc annum apertae erant demum sex classes, quas 263 discipuli frequentabant, qui omnes in internatu partim publicis partim propriis sumptibus commorantur.

I. D. Izveštaj o učeničkom vladanju i uspehu u srpskoj pravoslavnoj prizrenskoj bogosloviji za šk. g. 1905—6. (Annales instituti theologici in Prizren pro a. 1905—6) Kruševac 1906. (90 pag.) X. 346—8.

Initium faciunt tres orationes ab instituti rectore et una a V. Katič prolatae: Hriščanstvo i fizička borba sa zlom (Christianismi pugna physica cum malo). Professores erant 13. Praeter ea, quae immediate ad theologiam spectant, tradebantur etiam linguae (Rus., Turc., Gal.), historia generalis, agricultura, cantus. Summa auditorum in convictu degentium erat 97.

N. Gjurič, Iz uvoda u osnovno bogoslovlje ili hriščansku apologetiku. (De theologia fundamentali seu de apologetica christiana). X. 64—75, 168—80, 300—17.

Auctoribus praesertim Russicis et protestantibus adhibitis primum notio huius doctrinae et definitio traditur, cui omni ex parte maxime nomen in capite tractatus positum respondet. Discrimen inter apologeticam et theologiam fundamentalem solum externum et formale esse auctor asserit. Hanc doctrinam totam ex se ipsa aptam esse et vere constituere scientiam propriam, eamque certe primum locum in doctrine ad theologiam spectantibus occupare. — Finem conspectus litteraturae orthodoxae, catholicae, protestanticae huc pertinentis constituit.

Dr. *Vl. Dimitrijevič,* Verski pravci, u kojima je koren sekti nazarenskoj (Quae est radix sectae Nazarenorum?) X. 250—76; 370—86.

In locis circa Sirmium, Bačka, Banat sitis satis multi reperiuntur asseclae sectae, quae cognominatur Nazarenorum. Unde nomen suum ducant, non est certum. Qui nec ecclesias habent nec sacerdotes nec sacramenta; instar protestantium unicum fontem revelationis s. Scripturas agnoscentes eas ipsi in domibus suis inclusi interpretantur.

Vita, gestis, doctrina Lutheri et Zwinglii et Calvini descriptis, quae mala ex his protestantismi ideis secuta sint, breviter exponit. In ipsa commentatione non agitur de Nazarenis, solum nominatur Samuel Fröhlich, auctor huius sectae (p. 380). — Odio „papismi" ductus *Dim.* non omnino obiective rem tractare videtur. Secundum doctrinam catholicam sacramenta gratiam producunt ex opere operato, quod *D.* ita intellegit, quasi ad producendam gratiam in suscipiente nulla dispositio, ne fides quidem requiratur.

V. Mirosavljevič. Srpske veroučevne knjige u Austro-Ugarskoj u vremenu od 1690 1902 god. (Libri scholares religiosi in Austr. Hung. usitati annis 1690—1902). X. 37–52, 154—67, 332—6.

Hoc loco solum illi libri huc pertinentes enumerantur, addita critica brevi et argumento, qui annis 1874–87 in usum scholarem editi sunt. Maiorem partem occupant libri, qui de carminibus religiosis et maioribus minoribusve catechesibus agunt. His accedunt libri historici, liturgici, primae institutioni religiosae destinati etc.

I. Zeremski critice opus ep. Nicodemi Milaš diiudicans, ab argumentis eius pro secundis sacerdotum nuptiis allatis plene dissentit et opus praemature in lucem editum esse asserit. (XI. 121—31.). —

I. Zeremski: Genealogija Gospoda našega Isusa Hrista (Genealogia D. N. I. Chr.) Exegesis in Mt. 1, 1—17. – X. 76—89, 277—85; XI. 31—40, 224–30.

Nota iam est scientifica auctoris explicatio s. Scripturae, quae hic eadem redit. Praeter Muretov etiam alios magni nominis exegetas: Schegg, Schanz etc. partim sequitur, partim critice recenset. Nonnulla tamen notare iuvat. V. 1. Verba: „βίβλος γενέσεως" significare dicit historiam, quae totum

Mt[i] euangelium complectatur. In eodem versu affirmat in verbis „I. Chr. filii David, filii Abraham“ referri haec „filii Abraham“ immediate ad Iesum. V. 4 Inter Phares et Naassonem nonnullas generationes praetermissas esse putat *Z.*, cum 4 generationes ad explendos 430 annos in Aegypto non sufficiant. V. 5. Verisimiliter quoque inter Obed et Jesse aliquas personas excidisse. V. 12. Quaestionem, utrum Salathiel Iechoniae filius naturalis an legalis fuerit, cum Ieremias XXII, 30 de illo tamquam viro sterili loquatur, ita solvit, ut Iechoniam etsi in servitute degentem vere filios genuisse dicat, ut I. Par. 3, 17 sq. legimus; nam apud Ieremiam ex contextu id solum dici, Iechoniam nullum regni heredem habiturum esse.

M. Protić: Srpske prav. crkve u Vršcu (De eccl. orthodoxis in Vršac). 1907, XI, 349—53, 420—5; XII, 239—42, 381—3.

P. refert omnia, quae historiae quattuor orthodoxorum in Vršac ecclesiarum inservire possunt, praesertim inscriptiones.

L. Bogdanović: Zapisi u knjigama crkve budimačke (De libris ecclesiae in Budimci). 1907, XI, 414—20; XII, 117—23.

Ex libris memoratae ecclesiae maximi momenti sunt manuscriptum evangelium Slavicum ex 15. saec. et psalterium ex a. 1638.

D. Vitković, Zapisi iz knjiga monastira Lepavine (Excerpta ex libris monasterii Lepavina). 1907, XI, 343-8, 398—404; XII. 112—6.

Nonnulli loci gravioris momenti pro historia monasterii Lepavina iam a Vlad. Krašič a. 1889 editi sunt; quibus auctor reliquos adiungit e saec. XVII. et iam editos corrigit.

Alex. Živanović, O reformi verske nastave u osnovnim školama (Scholae fundamentales quoad institutionem religiosam melius componendae sunt) 1907, XII, 33—82.

Orthodoxorum et catholicorum scriptis utitur *Ž.* tractans principia, obiectum, methodum, libros novae scholae.

Dr. *Emil Vojucki,* Ponavljanje braka kod svěstenika u pravoslavnoj crkvi (De secundis nuptiis sacerdotum). 1907, XII (345—81) [Translatum ex lingua Romana (Rumanica)].

V. pedetentim sequitur episcopum Milaš, eiusque argumenta, quibus sententiam suam tuetur optime evertit. In fine omnem litteraturam profert: Serbicam (9 auctores), Rumanicam (2), Russicam et Bulgaricam (5) brevemque criticam adiungit.

I. Ćirić, Psalmi iz časlovca (Psalmi e breviario [Graeco-slavico]) XI (1907) 170—77, 289—98, 369-75; XII (1907) 3—23, 145—64, 273—318; XIII (1908) 3—19.

Omnes psalmi, qui in Graeco-slavico „časoslov“ continentur, erudite ac perspicue e textu originali vertuntur et explicantur; i. e. psalmi 3—6, 12, (13), 16 (17), 19 (20), 20, 24, 30, 33, 37, 50, 53, 54, 62, 69, 83—85, 87, 89—92, 100—103, 116, 120-122, 129, 133, 140—142, 144, 145, 148—150. Tamen *Ć.* protestanticos tantum auctores adhibuit (Fr. Delitzsch, Baethgen, Kessler, Duhm, Ch. A. Briges.)

Гласник православне далматинске цркве. Glasnik pravoslavne dalmatinske crkve. **(Praeco orthodoxae ecclesiae Dalmatinae)** 1908 Annus XVI.

Anon., Methodium orthodoxum fuisse. p. 41—44.

De quaestione, quo sensu Methodius Slavorum apostolus orthodoxus declaratus sit, in qua summa studiorum meorum, quibus vires meas licet exiles vovi, consistit, iam anno 1881 tractavi[1]). De eadem in Studiis Cyrillo-Methodianis annis 1905 et 1906[2]) et novissime in opusculo adversus doctorem Alexandrum Brücknerum Berolinensem apologetico[3]) uberius

---

[1]) Nauka církve a učení sv. Cyrilla a Methoděje. Sborník velehradský. Ročník II. str. 86—140.

[2]) Hlídka. Brno 1905. 1906. Editio separata Brunae. 1906 pag. 57—166.

[3]) Konstantin-Cyrill a Methoděj, slovanští apoštolé. Slovo na obranu historické pravdy jejím přátelům. V Olomouci 1908.

et fusius disputavi. Denique anno praeterito (1907) in I. conventu theologorum commercii studiorum inter occidentem et orientem cupidorum Velehradensi praelectionem de eadem materia habui, quae hoc anno incohante (1908) in ipsius conventus actis typis impressa est[4]).

Auctor iam a plurimis annis ex sua scribendi ratione notissimus mihi suo nomine suppresso bellum mihi indixit, non solum Methodium, sed etiam Ioannem VIII. papam saltem usque ad Iunium mensem anni 880 ipsius sensu orthodoxum fuisse demonstraturus.

In tractatibus meis doctrinam de Spiritus sancti a Patre Filioque processione usque ad Photii tempora revera catholicam fuisse, in eaque confitenda ecclesiam Graecam cum Romana consensisse probare studui.

Prima parte quidem dissertationis Latinae ommissis prorsus patribus Latinis solos pontifices Romanos de nostro dogmate testantes produxi, quorum primus Leo Magnus (440—461) est. Illustrissimus auctor notat: старије свједочве није могао наћи, »antiquius testimonium invenire non potuit«. Ne, quaeso, hac re offendatur; viris enim doctis, qui dogmatici vocantur, Christum Dominum doctrinam suam totam apostolis eorumque successoribus, ecclesiae docenti tradidisse fideliter custodiendam, notissimum est, item Petro apostolo, ut fratres suos in fide confirmaret, serio iniunxisse (Luc. 22, 32.) omnibus nobis constat.

Altera in parte dissertationis patres Graecos, qui Spiritum a Patre Filioque, ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ sive ab utroque ἐξ ἀμφοῖν, παρ' ἀμφοτέρων procedere aperte confessi sunt, Didymum († 395), Epiphanium († 403), Cyrillum Alexandrinum († 444) aliosque, qui suis testimoniis ad illos proxime accedunt, Athanasium († 373), Basilium († 379) citans breviter exposui, quos adversarius meus repudiare non potuit, neque tamen ullum Graecorum patrum dogma Photianum defendisse probavit.

Deinde ad patres scholae Antiochenae, qui loquendi usu iam apud Originem († circa 252) et Gregorium Thaumaturgum († circa 270) nec non apud Tertullianum († 220) et Hilarium († 368) occurrente adoptato, Spiritum a Patre per Filium (ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ procedere docuerunt, animum adverti. Verum neque eos, qui Spiritum a Filio procedere (utique non negata eiusdem Spiritus a Patre processione), neque eos, qui Filium unum ex uno Patre et unum modo ūnigeniti e Patre esse (Gregorium Thaumaturgum, Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum † circa 395) vel Filium immediate ἀμέσως (Cyrillum Alexandrinum, Anastasium Sinaitam) et ἀμεσιτεύτως absque ullo intermedio (Athanasium eundemque Cyrillum) e Patre esse dicunt silentio praetereundos putavi. Spiritum a Patre per Filium procedere etiam ultimus patrum Graecorum, Ioannes Damascenus († forsitan ante 754) docuit, qui loquendi modus teste Dionysio Petavio S. I. catholico dogmati melius ac nostrum Filioque respondet. Adversarius meus ne unicum quidem patrem Graecum, qui Photianis partibus faveret, adducere potuit, ego Photiani dogmatis inimicos, quos ipse olim Photius legerat, nonnullos nominavi: Epiphanium (Ancorat. Advers. haereses)[5]) Maximum (ad Marinum epistol.),[6]) Gregorium Nyssenum (advers. Eunomium.[7])

[4]) Acta I. conventus Velehradensis theologorum commercii studiorum inter occidentem et orientem cupidorum. Pragae Bohemorum 1908. pag. 80—107.

[5]) Photii Myriobyblion sive bibliotheca cod. 122—124. Migne Patrologia Graeca 103. 404.

[6]) l. c. cod. 192. edit. cit. 645.

[7]) l. c. cod. 6. 7. edit. cit. 52.

Litteras Hormisdae papae Iustino I. imperatori 25. (26.) Martii anno 521 missas inspiciamus. Magnum est sanctae et incomprehensibile mysterium Trinitatis . . .: et tamen notum est, quia proprium est Patris, ut generaret Filium, proprium Filii, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis, proprium Spiritus sancti ut de Patre et Filio procederet sub una substantia deitatis[8]. Non dicit Hormisdas, Romanam tantum ecclesiam ita sentire, neque Latinos tantum ita credere, sed omnem ecclesiam catholicam ita tenere talemque persuasionem habere affirmat. »Notum est«, ait, »proprium esse Spiritus sancti, ut de Patre et Filio procederet sub una substantia deitatis. »Quomodo »notum est« imperatori scribere potuisset, si hac in re totus oriens cum occidente plane non consensisset? Sed quamvis hic de symbolo ageretur, in quo Graeci nimis scrupulosi erant, tamen ne unus quidem eorum surrexit, qui papae aperte lucideque loquenti obstitisset. Saeculo sexto Graeci in profitendo dogmate de sancti Spiritus processione ab ecclesia Romana non dissentiebant.

E saeculo septimo testem indubium habemus Maximum confessorem, qui in sua ad Marinum presbyterum epistula de Martini I. papae (649—655) litteris encyclicis, quibus etiam e Filio procedere Spiritum sanctum iuxta patres Latinos Cyrillumque Alexandrinum docuit, loquens, cives Constantinopolitanos, quomodo haec doctrina cum eorum theoria de unica in Trinitate causa concordet ignorantes eam reprehendisse dicit, respondens; »Ecclesia Romana nulla iusta ratione in crimen vocata erat, illi vero (cives Constantinopolitani) nec ob ea, quorum nomine iuste admodum vituperantur, ullam hactenus satisfactionem fecerunt, quando neque perperam a se inductas voces eiecerunt. Rogavi autem Romanos secundum iussionem vestram, ut ad cavendas sic ex cuniculis obrepentium fraudes dolosque sua ipsi redderent ac interpretarentur«[9]. Romanos item a priori excusatos esse vult, »quod non ita possint alia lingua ac idiomate mentem suam exacte exprimere, sicut in sua nativa, uti etiam nos in nostra«[10].

Saeculo ergo septimo Graecorum aliqui haeresin adhuc sapientes ecclesiae Romanae, imo, ut accuratius dicam, ecclesiae universalis fidem, Spiritum sanctum e Filio quoque procedere, vituperant, meliores vero eorum »velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam Romanam ecclesiam eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, ex ipsa effulgurans exspectantes iubar«[11] ab ipsa interpretationem dogmatum postulantes. Utrique tamen doctrinam a patribus scholae Alexandrinae, Spiritum a Patre per Filium procedere tenuerunt. Quem loquendi modum etiam ultimus patrum Graecorum Ioannes Damascenus adhibuit.[12] Patres scholae Antiochenae, quos etiam in brevi dissertatione Latina lingua prolata respexi, auctor anonymus ne levi quidem sermone tetigit.

---

8) Migne Patrologia Latina 63. col. 514. Mansi Conciliorum amplissima collectio 8 col. 520.

9) Migne Patrol. Graeca 91. 133 sequ.

10) l. c. Ἄλλως τε καὶ τὸ μὴ οὕτως δύνασθαι διακριβοῦν ἐν ἄλλῃ λέξει σε καὶ φωνῇ τὸν ἑαυτῶν νοῦν ὥσπερ ἐν τῇ ἰδίᾳ καὶ θρεφαμένῃ, καθάπερ οὖν καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς τὸν ἡμέτερον.

11) l. cit. 137. ὥσπερ εἰς ἥλιον φωτὸς ἀϊδίου εἰς τὴν Ῥωμαίων ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν καὶ τὴν αὐτῆς ὁμολογίαν καὶ πίστιν ἰθυτενῶς ἀποβλέπουσιν, ἐξ αὐτῆς τὴν ἀπαστράπτουσαν αἴγλην προσδεχόμενοι τῶν πατρικῶν καὶ ἁγίων δογμάτων, καθὼς αἱ θεόληπτοι καὶ θεσπέσιοι εἰλικρινῶς καὶ πανευσεβῶς ἐξέθεντο ἅγιαι ἓξ σύνοδοι, ἐκφαντορικώτατα φάσκοντες τὸ σύμβολον τῆς πίστεως κ. τ. ἑ.

12) De fide orthodoxa I. cap. 12. Migne tom. 94. 850.

Sed adversarium meum erga eos, qui lecturi erant tractatum eius in Гласник (Praecone) publicatum, minus, quam oportuit, sincerum fuisse deprehendi; tabularum enim argentearum quibus Leo III. papa symbolum fidei voce Filioque non addita incidi curaverat, mentionem facit et in sui operis mox citandi pag. 67 sequ. permagni momenti esse dicit, eum vero quoad dogma ipsum cum Karoli Magni legatis omnino consensisse non commemorat, ne subditi eius totam veritatem agnoscant. Eadem de causa neque verba symboli affert, quibus citatus supra pontifex Spiritum sanctum a Patre et Filio aequaliter procedere docet, neque quae in fine eiusdem symboli scribit: Qui secundum hanc fidem rectam non crediderit, hunc damnat, sancta catholica et apostolica ecclesia, quae fundata est ab ipso Iesu Christo Domino nostro[13]), sed neque mitiorem quam cum Karoli legatis loquens protulit sententiam: Quisquis ad hoc sensu subtiliore pertingere potest et id scire aut credere noluerit, salvus esse non poterit[14]). Cui Nicolai I. (858—872) epistulam ad Hincmarum Rhemensem adversus Graecorum (scilicet Photii) incriminationes reclamantem addendam censui[15]).

Quoniam omnes patres Latini una cum pontificibus Romanis (Ioannem VIII. in sequentibus respiciam) in profitenda Spiritus e Filio quoque processione. nec non omnes patres Graeci in confitendo Spiritum sanctum a Patre Filioque, ab utroque procedere vel denique a Patre per Filium consenserunt, optimo iure conclusi: tota ecclesia Graeca, patres omnes non excluso ultimo eorum Ioanne Damasceno cum ecclesia Romana unius erat mentis nec quoad ipsum dogma ulla inter occidentem et orientem fuit dissensio.

Omnis ergo orbis christianus doctrinam catholicam vel, si auctori anonymo magis placet, doctrinam Romanam catholicam, Spiritum sanctum a Patre Filioque vel ab utroque vel a Patre per Filium procedere ab initio usque ad saeculi noni dimidium confessus est. Recte ergo catholici sive iuxta scribendi modum alias usitatum Romani catholici orthodoxos se appellant atque etiam orthodoxi sunt.

Pro doctrina catholica e patribus Graecis, quos concilium Constantinopolitanum II. (oecumenicum quintum) expresse agnovit, Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, ut de Latinis Hilario, Ambrosio, Augustino, Leone Magno sileam, unanimiter pugnant. Neque illustrissimus adversarius meus ullum patrem vel scriptorem ecclesiasticum dogmatis Photiani testem citare valet, nisi Theodoretum illum episcopum Cyrensem, cuius tamen doctrinam εἰ δ' ὡς ἐξ υἱοῦ . . . ὕπαρξιν ἔχον (τὸ πνεῦμα ἔφη) ὡς βλάσφημον καὶ δυσσεβὲς ἀποῤῥίψομεν, et alio loco: »Blasphemat vero et sanctum Spiritum, non ex Patre eum procedere docens secundum Domini vocem, sed ex Filio esse«,[16]) quae in haeresi Ariana, Macedoniana et Eunomiana radices suas habet, laudare voluisset. Verum neque ad hunc provocare potest, quoniam ipsius archimagister Photius in sui Syntagmatis canonum tituli I. capite I una cum concilio oecumenico sexto (Constantinopolitano tertio) quae a Theodoreto scripta sunt adversus rectam fidem et

---

13) Migne Patrol. Lat. 102. 1030 sequ. Mansi 13, 978.
14) Mansi, l. c. 14, 23. sequ.
15) Mansi 15, 358. Migne 119. 157.
16) Concilii Constantinopol. II (oecumenic. V.) anni 553 collatio III. Mansi 9. 201 sequ.
17) l. c. collatio III. Mansi 9. 292.

duodecim beati Cyrilli capita et eam quae dicitur Ibae epistula, expresse anathematizavit et exsecravit.[18])

Per tota igitur octo saecula, imo etiam dimidiante saeculo nono totus orbis christianus doctrinam de Spiritus sancti e Patre Filioque vel per Filium (cuius dicendi modi adversarius meus nullam mentionem facere dignatus est) procedente illabatam servavit, quam auctor anonymus quamvis per totum orbem praedicata, ergo catholica fuerit, orthodoxam agnoscere non vult, reservata hac appellatione suae Photianae, cuius initia ostendere possumus.

Adversarius meus me exiguum vel multum laborem in hac vel illa re dilucidanda habuisse commemorat; tantum laborem uni cuique rei impendi, quantus ad positiones meas breviter solideque demonstrandas necessarius opportunusque fuit. Ipsum vero permultis occupatum, quod parum laboris impenderit suo tractatui, lubenter excusatum esse volo.

Sententiam meam »Ioannes VIII. Methodium orthodoxum eiusque doctrinam cum fide ecclesiae Romanae ad amussim consentientem probavit« quam maioribus typis imprimi curavi, valde laudat: »Valde bene fecit, nam haec est luciflua veritas, sic enim ecclesia orthodoxa hodie et omni tempore docet docuitque et quoad omnia alia dogmata fidei, et quoad dogma de sancti Spiritus processione. De hoc dogmate solo d. Snopek in sua dissertatione loquitur, et quoad hoc dogma ille papa sanctum Methodium orthodoxum agnovit. Sed his verbis d. Snopek aliud dicere voluit, videlicet, papam istum sanctum Methodium orthodoxum declarasse, quoniam Filioque, sicut papa, confitebatur. Haec d. Snopek cogitavit dixitque, sed non probavit, nec probare potuit, quoniam scriptum documentum illius papae Ioannis VIII. adest, iuxta quod et d. Snopek et toti mundo hoc demonstrare absolute impossibile est.« Tum modo rhetorico adicit: Non sunt hic legendae alias vitae sanctorum gentis Slavicae apostolorum, quae de illa re loquuntur, quasque legendas d. Snopek prorsus reicit, quod quidem authenticum esse complures auctores catholici Romani infirmare et refellere voluerunt, sed alii auctores catholici Romani luculente probaverunt. Documentum hoc Ioannis VIII. papae anni 878 epistula est, per quam quaestionem de Filioque pertractans Ioannes VIII. papa insertionem symboli acriter condemnat: De articulo illo (Filioque) ex quo exorta sunt scandala inter Dei ecclesias, papa in istis litteris suis scribit, non solum hoc non dicimus, sed etiam eos, qui insania sua principio hoc facere ausi sunt, ut divini verbi transgressores condemnamus, et theologiae Christi Domini eversores et apostolorum et reliquorum patrum, qui synodice convenientes sanctum symbolum tradiderunt, et una cum Iuda illos collocamus, quod eadem quae ille patrare ausi sunt. — Praemissa hac talique condemnatione eorum, qui symbolum fidei per insertionem Filioque vitiare decreverunt, papa hanc talemque doctrinam blasphemiam appellat.[19])

Quid est, quod illustrissimus auctor et in Гласник (Praecone) citato, et iam prius in suo ante septendecim annos edito opere Славенски апостоли Кирил и Методије и истина православља (Slavorum apostoli Cyrillus et Methodius et orthodoxiae veritas) Latinam tantum versionem documenti huius citat, quamvis probe sciat, epistulam Graece sriptam nobis traditam esse? Nonne, ut lectores suos clericos Graecoorientales Dalmatiae Istriaeque epistulam authenticam, non vero

---

[18]) Migne Patrologia Graeca 104, 445. τά τε γραφέντα παρὰ Θεοδορήτου κατὰ τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ τῶν ιβ' κεφαλαίων τοῦ μακαρίου Κυρίλλου καὶ τὴν λεγομένην Ἴβα ἐπιστολὴν συνοδικῶς ἀνεθεμάτισάν τε καὶ ἐβδελύξαντο.

[19]) Гласник православне далматинске цркве. Година XVI. У Задру 1908 стр. 43 сљед.

versionem ipsius ex idiomate Graeco se prae manibus habere credere faciat?

Insuper alios auctores catholicos Romanos luculente probasse dicit. In prolixiori opere suo anno 1881 edito, quod supra citavi, nonnisi duos nominat, Claudium Fleury abbatem Gallicanum atque doctorem Aloisium Pichlerum presbyterum.[20]) Quales sint ipsorum probationes videamus.

Claudii Fleury abbatis Historiae ecclesiasticae libri quingentesimi capita 12—23 citat, qui in capite 12. de epistulis Ioannis VIII. corruptis vel vitiatis a Photio in ipsius concilii sessione secunda productis agit, in capite vero 24. de nostra epistula. Quam quidem authenticam esse agnoscit, nulla vero authentiae argumenta omnino afferens sic de illa loquitur. »Observavimus in collatione legatorum Caroli Magni et Leonis III. papae additionem Filioque in symbolo Nicaeno Romae non fuisse receptam et displicuisse papae, quod eam Franci recepissent, quamvis de veritate doctrinae, quam continet, videlicet sanctum Spiritum a Patre Filioque procedere non dubitaret. Unde Ioannes papa, cum sciret, hanc additionem Graecis scandalo esse, salva veritate dicere poterat, eam ab ecclesia Romana non esse receptam eosque vituperare, qui additionis auctores erant. Si vero in reprehendendo nimius est, illud adscribendum est vehementissimo Photio et imperatori placendi desiderio, quo in plures errores peretrahi se passus est. Sed doctrinae substantiam in hac epistola non delibat.[21]) Sententiam ultimam etiam in originali Gallico citare placet: Mais il ne touche point en cette lettre au fonds de la doctrine.[22])

Abbas noster gallicanismi sectator Ioannem papam VIII. byzantinismi accusat, cum dicit, ipsum vehementissimo Photio et imperatori placendi desiderio ductum in reprehendendis additionis auctoribus nimium fuisse. Sed verbis textus epistulae »res adeo gravis tam cito commutari non possit tot annorum spatio confirmata« adnotans editor Latinus: in ipsa epistola contrarius est sensus: licet brevi tempore ortum habuerit (quae tamen auctor Gallus suppresserat), nec multorum annorum spatio confirmata fuerit — ex altera vero parte »Non satis sibi constare videtur Ioannes papa. Si enim addentes Filioque cum Iuda collocandi fuissent, homines blasphemiae rei, nec uno momento tolerari debuissent« plus contra authentiam documenti, quam pro illa hic certari manifestissimum est illi, qui rem adeo gravem serio apud semetipsum considerat.

Neque vero, quisquis epistulae auctor est, doctrinam Spiritum sanctum e Filio quoque procedere, blasphemiam simpliciter vocat, prout noster auctor anonymus affirmare ausus est, sed addentes symbolo vocem Filioque blasphemiae accusans cum Iuda collocat. Non ergo adversus catholicum dogma ipsum, sed adversus inserentes symbolo vocem Filioque vehementer accenditur. Si Ioannes VIII. auctor esset huius epistulae taliterque de inserentibus symbolo vocem, per quam non nisi veritas catholica declaratur, cogitasset, tunc tanti criminis reos pro sua, qua fuit, energia ex ecclesia eiecisset. Quoniam vero maxima occidentis christiani pars vocem Filioque symbolo inserere consuevit, ab ecclesiae atque sacramentorum communione separanda fuisset. Si Ioannes VIII. inserentes symbolo vocem Filioque talibus verbis, qualia in

---

[20]) Славенски апостоли Кирил и Методије и истина православља. У Задру 1881 стр. 72.

[21]) Historia ecclesiastica Latine reddita et notis illustrata a R. P. Brunone Parode ord. s. Benedicti. Tom. XII. Augustae Vindelicorum et Oeniponti 1760 pag. 723.

[22]) Histoire ecclesiastique par M. l'Abbé Fleury. Tome onzième. A Paris 1720 pag. 494 sequ.

epistula Οὐκ ἀγνοεῖν inveniuntur, condemnasset, etiamsi eam omnes occidentales celare voluisset, tamen hac agendi ratione nihil profecisset: apud occidentis hierarchas et clerum omni auctoritate exutus maximoque despectui et ludibrio obnoxius fuisset; nam legati, qui suo munere Constantinopoli non exacte expleto Romam reversi graves poenas pendere debuerunt, omnia evulgassent.

Auctor noster ad doctorem Aloisium Pichlerum, qui in scientiarum universitate Monachiensi theologiam docuerat, deinde imperialis bibliothecae Petropoliensis praefecti munere functus est, provocat. Qui in suae Historiae schismatis ecclesiarum orientalis et occidentalis tomo I. pag. 200 quaedam affert authentiae epistulae, de qua agimus, argumenta,[23]) quae tamen non sunt momenti talis, ut mihi authenticam esse persuadeant. »Papae propter Bulgaros nimium interfuit, ut omnia impedimenta pacis cum Photio ineundae amoveantur ipsiusque obiectiones futiles inanesque declarentur. Hunc ergo articulum causam schismatis exorti agnovit (»ob quem suborta sunt scandala inter ecclesias Dei«) — Ast Ioannem VIII. vocem Filioque nunquam schismatis inter ecclesias Dei exorti causam declarasse, sed in suis genuinis litteris scandalum a factionibus Ignatianorum et Photianorum ortum esse iuxta cardinalem Hergenrötherum etiam in mea dissertatione pag. 14 Actorum vero I. conventus Velehradensis pag. 93 commemoravi.

Dr. Pichler praecipue ad cap. 89 Photii Mystagogiae sancti Spiritus provocat, ubi Ioannem VIII. prae ceteris ardentius suas partes sustinuisse atque in ipsius synodo symbolum fidei per suos legatos subscripsisse dicit. Sed si epistulam hanc prae manibus habuisset, Photius certissime ipsam vel Ioannem VIII. immediate produxisset, neque vero eum »per suos religiosissimos et illustres legatos Paulum, Eugenium et Petrum praesules et sacerdotes Dei . . . symbolum fidei recipientem mente et lingua sacrisque manibus praedictorum illustrissimorum et admirandorum hominum in sua synodo ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς συνόδῳ subscripsisse et obsignavisse« narrasset.[24]) Similiter etiam in capite 25. suae ad Walpertum patriarcham Aquilegiensem epistulae, quae sicut liber de mystagogia non ante annum 883 scripta esse dignoscitur, Ioannis tantum legatos laudat, »qui tertia iam vice Roma venientes clare cum eo citraque omnem dubitationem Spiritum sanctum e Patre procedentem praedicaverunt, imo coacta synodo iidem papae vicarii tamquam illo praesente, ὡς αὐτοῦ παρόντος ἐκείνου et una secum de Trinitate sententiam edente fidei symbolum voce pariter et lingua propriaeque manus subscriptione firmaverunt.[25]) Quod testimonium clarissimum, scriptum a Photio bene sciente, legatos pontificios ob transgressas suas facultates damnatos graviterque punitos esse, adhuc apertius ipsum epistulam Οὐκ ἀγνοεῖν in manibus non habuisse demonstrat, nam maioris utique auctoritatis certissime illi fuisset Ioannis papae epistula, quam legatorum eam ob rem damnatorum subscriptio.

Talia sunt argumenta duorum, quos auctor noster citat, scriptorum catholicorum, quosque epistulam authenticam esse irrefutabiliter probasse affirmat. Acute dictum est: Qui nimium probat, nihil probat.

Ad investigandum, qualis Ioannis VIII. de Spiritus sancti processione doctrina fuerit, ad Hadrianum I. animum advertere oportet. Qui in sua epistula Elipando archiepiscopo Toletano et Felici episcopo Urgelitano missa beati Petri ecclesiaeque Romanae dogmaticae auctoritati insistens, Cur beati Petri parvipenditis gloriosae confessionis inviolabilem fidem? interrogans.

---

[23]) Geschichte der kirchlichen Trennung zwischen Orient und Occident. München 1864. S. 200.
[24]) Migne 102. 380.
[25]) Migne 102. 820.

deinde Patris ipsius testimonium perhibentis afferens Christum verum Dei hominisque filium atque Spiritum sanctum, cum sit inseparabiliter amborum, Patris videlicet et Filii et ex Patre Filioque procedat, super Deum hominem factum descendisse docet.[26]) Quibus verbis Hadrianus I. plane aperteque Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere ex apostolica Petri traditione derivat.

Ad eandem sanctae Romanae ecclesiae traditionem, ad doctrinam, quam ab ipso apostolorum principe didicit et quotidie praedicat, vel uti in epistula ad Svatopluk principem scriptum est, quam ab ipso apostolorum principe didicit, tenuit et usque in finem saeculi tenebit atque per totum mundum quotidie sanctae fidei verba rectaeque praedicationis semina mittit, Ioannes VIII. provocavit, quum Methodium Moravorum archiepiscopum ab Hadriano papa ordinatum aliter, quam coram sede apostolica se credere verbis et litteris professus est, docere audiisset. Quam fidem ne Svatopuk Moravorum princeps unquam deserat, etiam si quis episcopus vel sacerdos aliter praedicare praesumpserit, serio a papa admonetur.

Talia sunt argumenta quae auctorem anonymum moverunt ut non dubitaret de authentia epistulae Οὐκ ἀγνοεῖν, cardinalem vero Hergenroetherum, qui in sui operis tomi II pag. 541—551 fusius eam impugnavit, ne respexit quidem Dr. Pichlerus a Baronii temporibus de authentia fere communiter dubitari ait, noster vero auctor re accuratius(?) cognita scribit: eiusdem authentiam diversi (supra verti: complures) auctores catholici Romani in discrimen vocare volunt.

Omnibus, qui hac de re egerunt, catholicis aeque ac protestantibus, qui dicuntur, atque orthodoxis Ioannem VIII. in utraque anni 879. epistula dogma de sancto Spiritu a Patre Filioque procedente tetigisse luce clarius est. Verbis talibus Ioannes VIII. traditionem quam ecclesia Romana ab apostolorum principe receperat, quaeque in ea semper viguit, non deficere unquam docet, et catholici, quin deficere possit, non dubitant. Romana ecclesia sancti Petri doctrinam omni tempore inconcussam illibatamque servavit, neque ab ea unquam desciscet.

Ad hanc Petri traditionem, ad hanc, ut Hadriani I. verba repetam, Petri inviolabilem fidem etiam dogma de sancti Spiritus ab utroque, vel quod idem esse dignoscitur, e Patre per Filium processione pertinuisse nobis evictum est. Doctrinam hanc temporibus antephotianis revera catholicam fuisse, nemo, qui oculos veritati non occludit, ambigere potest.

Dogma de sancto Spiritu a Patre Filioque procedente Ioannes VIII. papa omni ambiguitate exclusa in mente habuit, cum Moravorum principi, ut doctrinam, quam ecclesia Romana ab ipso apostolorum principe didicit, inculcavit. Doctrinam vero contrariam, scilicet doctrinam Spiritum sanctum procedere e solo Patre, ἐκ μόνου τοῦ πατρός, doctrinam Photianam expresse *doctrinam falsam* nominavit atque condemnavit.

Dogma de sancto Spiritu a Patre Filioque procedente Ioannes VIII. etiam in altera epistula indubie respexit, cum Methodium Moravorum archiepiscopum, se eum non ea, quae Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit et quotidie praedicat, docere audivisse certiorem facit. Doctrinamque huic oppositam, videlicet doctrinam, Spiritum sanctum procedere e solo Patre, ἐκ μόνου τοῦ πατρός, doctrinam Photianam appellat erroneam, dicens: et populum *in errorem mittas.*[27])

---

[26]) Mansi 13, 871 sequ.

[27]) Conf. Konstantin-Cyrill a Methoděj. V Olomouci 1908 str. 99 sled.

Hanc ergo Romanae ecclesiae fidem, hanc beati Petri traditionem omnem, nulla exceptione admissa, Methodius antequam episcopus consecraretur, se recipere iuramento firmare debuit idque voce sua subscriptoque documento, prout Ioannes VIII aperte scribit: quam coram sede apostolica se credere verbis et litteris professus est. Graecorum patrum e schola Antiochena prodeuntium docendi modum, Spiritum sanctum e Patre per Filium procedere ecclesia Romana nunquam reiecisse sed approbasse notandum est.

Hanc apostolorum principis traditionem, hanc ecclesiae Romanae doctrinam Methodius anno 880 coram synodo ad hoc convocata se tenuisse et secundum eiusdem ecclesiae consuetudinem vocem Filioque nequaquam symbolo se inseruisse professus est, quamobrem a papa et in omnibus doctrinis orthodoxus et in omnibus utilitatibus ecclesiasticis proficuus solemniter declaratus est. Litteris deinde Ioannis papae anno 881 scriptis non tantum symbolum Romae hucusque usitatum, sed etiam prolixiorem fidei formulam, seu, ut apertius dicam, symbolum cum quadam additione processionem sancti Spiritus ab utroque continente atque verisimile Photii dogma de eiusdem Spiritus e solo Patre ἐκ μόνου τοῦ πατρός processione damnante proposuisse probatur, quam ob rem eum competens in rebus fidei iudex orthodoxae fidei sensu utique suae ecclesiae cultorem strenuum existere iure iterum agnovit.

Denique posito non concesso Methodium Photii dogma confitentem a Latinis accusatum et eandem ob causam a Ioanne VIII. orthodoxum declaratum esse. Quaenam quaeso ratio fuit ipsius e regione distante Romam citandi? Quoniam vero sancti Cyrilli nec non sancti Methodii vitae, quae legendae Pannonicae audiunt, utrumque sanctum quoad fidem Photianum fuisse asserunt, hac etiam ex causa legendas illas, si barbare loqui fas est, tendentiosas esse dixi atque non legendas, sed documenta premenda esse clamavi atque iterum iterumque clamandum puto.

Si Photii sui ingenuus discipulus in verba sui magistri iurans dogma catholicum de Spiritu sancto etiam a Filio procedente doctrinam novam (ново ученье), vocat [28]) (forsitan quoniam iam sanctus Epiphanius ex una et, sanctus Leo Magnus altera ex parte, vel si alterum loquendi modum idem significantem διὰ τοῦ υἱοῦ, per Filium respicere iuvat, Tertullianus ex una, Origenes altera ex parte testes eius sunt neque habemus testem auctoribus his aetate priorem), certe adgratulandum est ei, quoniam iuxta eius verba doctrinam de Spiritu sancto a solo Patre procedente et nunc et a suo initio, a Photii nempe tempore, ipsius »orthodoxa catholica ecclesia« tenuit.

Sed talis indolis vir, qualis est noster auctor anonymus, etiam si rem tuam optimis argumentis fulcias, nullo huius respectu habito in sua opinione praeconcepta, quae dicitur, sibi constans easdem semper obiectiones licet centies milliesque confutatas tibi offeret iterum iterumque refutandas.

Auctor noster denique cardinalem Hergenroetherum defunctum documentum istud (Ioannis VIII. bullam Industriae tuae) quoad authentiam in dubium vocare dicit, quia scribit: non est dubium, quin Methodius symbolum sine Filioque recitaverit; hac in re non tantum ecclesia Graeca, sed etiam Romana illi assensit. [29]) Nec ego de hoc facto dubitavi, imo ipse pronuntiavi et documentis probavi.

---

[28]) Non Ioannes VIII. sed Photius eam in capite 6. suae Walperto missae epistulae blaspheme καινὴ βλασφημία vocavit.

[29]) Photius Patriarch von Constantinopel. Sein Leben, seine Schriften und das griechische Schisma. Regensburg 1867. II. Band. S. 621.

Saepe legi saepiusque audivi sententiam: Qui bene distinguit, bene docet. Verum distinguere auctoris nostri non esse videtur. Ipse enim inter cantum symboli non inserta voce Filioque et inter ecclesiae Romanae, potius dicam catholicae fidem, Spiritum sanctum procedere ab utroque nullam prorsus distinctionem facit. Cardinalis Hergenroether loco citato ita prosequitur: Verum praeterea quaeritur, an (Methodius) quoad ipsam doctrinam e partibus Photii steterit, et an papa nullo huius rei respectu habito eum ab omni haereseos suspicione absolverit? Si licet auctorem nostrum ad effatum eiusdem viri doctissimi attentum facere, in eadem pagina paulo superius haec legi possunt: In se possibile, imo etiam verisimile est, Methodio in imperio Byzantino nato educatoque secundum institutionem, qua fruitus est, Latinorum Filioque mirandum insolitumque accidisse, imo ipsum ante expressam definitionem etiam in oriente promulgatam a Photii errore captum hanc doctrinam patrum bona fide habuisse. — Non omnis omnem scientiam comprehendere valet. Cardinalis Hergenroether hac in re erravit, vitae Methodii et Clementis atque epistulae Stephani VI. (V.) papae, quam Wattenbach ediderat, nimiam tribuens auctoritatem. Obicienti mihi opus cardinalis Hergenroetheri non esse legendam, cui nullatenus fides habenda est, respondeo: in scientia praecipue historica nullum »αὐτὸς ἔφα«, nulla valet auctoritas nisi documentorum.

Ceterum qualis sit doctissimi cardinalis supra memorati apud auctorem nostrum auctoritas, qui ipsius textum in suam linguam patriam vertens alienum adulterinumque illi sensum subiecit, falsarii munere functus, iam iterata vice luculente probavi.[30]).

Si apud nostrum auctorem anonymum supra dicti purpurati patris auctoritas quidquam valeret, certo certius eius verborum optimis argumentis fulcitorum, quae protulit de epistula Οὐκ ἀγνοεῖν »Contra epistulae authentiam gravissimi momenti argumenta externa et interna certant« rationem habuisset, ea citasset, confutasset atque epistulam spuriam (das unechte Schreiben) a nostro cardinali[31]) minus recte vocari probasset. Sed ipse — commodiorem partem elegit: neque totius dissertationis meae dispositionem dedit, sed singulas tantum sententias selegit, impugnavit, quaeque voluit se probasse gloriosius de se praedicavit.

Persuasum igitur habens, ipsum mihi fidem denegaturum, etiamsi linguis hominum loquar et angelorum, pagellis istis iam coronidem imponendam puto. Iactanti se demonstrasse, non tantum sanctum Methodium, sed etiam Ioannem VIII. papam ipsius sensu orthodoxos sive Photianos fuisse, illud Iuvenalis »Difficile est satiram non scribere« atque sententiam opponam: Ex litteris suppositis nihil probari potest, nisi forte — dicerem: mala voluntas, nisi clarissimi viri et scientiam et dignitatem praestantem revererer. *Fr. Snopek.*

PARS DISSENSIONIBUS INTER ECCLESIAM OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM COMPONENDIS DESTINATA.

XVII.

De indulgentiis.

Quisquis doctrinae de indulgentiis, prout ab Ecclesia catholica ex fontibus revelationis proponitur, nullo impeditus praeiudicio studuerit.

[30]) List Hadriana II. v pannonské legendě. Sborník velehradský VI. str. 32. sled. Studie cyrillomethodějské str. 98.
[31]) Photius II. 622.

videbit eam non esse nisi legitimam, et necessario cohaerere cum dogmatibus in traditione aperte et explicite contentis, quae fere omnia etiam ad fidem Ecclesiae orientalis pertinent, hodiernamque indulgentiarum praxim non esse nisi terminum organicae et necessariae evolutionis, quae Ecclesiae ut societati vivae divino-humanae est propria. Quae Deo favente in sequenti tractatu breviter ostendemus, primo doctrinam catholicam paucis proponendo, deinde adiungendo uberiore calamo demonstrationem historico-dogmaticam. [1])

I.

Peccatum non esse solum actum transeuntem, sed verum culpae reatum in peccante causare iam ex principiis sanae ethicae probatur, aperto naturae humanae universae consensu confirmatur, ab Ecclesia catholica autem ut dogma proponitur in Scriptura et traditione fundatum (cf. e. gr. solum Euli. 21, 1. — Aug, De Nupt. et Con. I. 26.) Non minore claritate doctrina Ecclesiae catholicae de duplici poenae reatu, aeternae et temporalis, de potestate et facto remissionis ex parte Dei, de remanenti poena temporali post remissum poenae aeternae reatum in fontibus traditionis continetur (ad ex. sint: Apoc. 18, 2 — Num. 14, 20—23— II Reg. 12, 13—15— Aug., Euarr. in Ps. 50, 11— Greg. Moral 9, 27—) et a scholis catholicis longe ante Tridentinum manifesta claritate proponebatur. [2]) Immo cum hac doctrina tota N. T. oeconomia et doctrina de peccato originali stat vel cadit.

Posse hominem per opera bona Deo satisfacere, pluribus locis SS. Scripturae invenitur (cf. Luc. 3, 8; 13, 5.), item valorem operis satis-

---

[1]) Prae oculis habeantur oportet doctrina theologorum ecclesiae Orientalis eorumque argumenta. Quae Philaretus (Pravoslavnoe dogmatičeskoe bogoslovie[3] II. Spb. 1882, str. 187–8) his comprehendit: 1. Bezzakonie — mysl', budto udovletvorjat' pravdě Božiej možet čelověk, a ne udovletvoril Syn Božij § 195—205. [Cf. Sl. l. th. II, 160]. 2. Nespravedliva i mysl', budto u svjatyḫ est' zapas děl sverḫdolžnyḫ, togda kak nravstvennoe soveršestvovanie bezgranično (Mt 5, 45. Lk 17, 10. 1 Cor 4, 4). [cf. Sl. l. th. III, 276—7. 322]. 3. Nečestie — derzost' – proščat' grěḫi buduščie ili prošedšie, ne iměja v vidu raskajanija. 4. Bez osnovanija i mysl' budto odin papa iměet pravo na proiznesenie izvěstnyḫ razrěšenij. — E. Uspenskij (Obličitel'noe bogoslovie. Ufa 1891, p. 118—122) affert (p. 119) etiam hoc: „Ne stranno li predstavljat', čto vremennoe nakazanie ne uničtožaetsja v to vremja, kogda uničtožaetsja věčnoe nakazanie?" (contra Trid. S. XIV. c. 1); A. Světlakov (Izloženie učenija pravoslavnoj cerkvi..., Nižnij-Novgor. 1879, p. 57—8) docet epitimias differre omnino a materia indulgentiarum. Epitimii položeno nalagat' ne za vsě, a tol'ko za tjažkie grěḫi, togda kak spravedlivost' trebuet, čtoby vsjakoe narušenie polučalo dostojnoe vozmezdie; M. Jastrebov (Iz lekcij po dogmatič. bogosloviju, Trudy 1908, I, 367) hoc quidem negat, sed epitimiarum vim medicinalem tantum esse, non satisfactoriam statuit. Cf. plura ap. Seredinskij, Ob indul'gencijaḫ. Spb. 1860; Makarij arḫ. litovskij in Ḫrist. Čtenie 1852, I, 406; Makarij, Pravoslav. dogm. bogoslovie[3] II, 459—467; Innokentij, obličitelnoe bogoslovie. Kar. 1859, II, 305—332; N. Běljaev, Rimsko-katol. učenie ob udovletvorenii Bogu so storony čelověka. Kaz. 1878.

[2]) S. Thomas 1^{a} 2^{ae} qu 85. 86; 3^{a} p. qu 76. a. 3.

factorium in alios saltem in genere transferri posse; utrumque autem non solum in natura humana fundatur, basim omnis ordinis socialis efficit, sed dogma est universae traditioni valde familiare, cum morte satisfactoria Christi et communione Sanctorum intime cohaerens. — Obiectio de insufficientia satisfactionis humanae valde futilis est, cum ea admissa omnis cultus omnisque religio impossibilis evadit. Quae autem de superabundanti Christi in cruce satisfactione dicuntur, nullo modo propriam hominis cooperationem excludunt, nisi consequenter liberum arbitrium et omnium operum bonorum necessitatem et meritum reclamante universa humana natura negare velimus. Nimis pretiosus videtur nobis esse sanguis Christi, quam ut eum omnibus, bonae et perversae voluntatis, aequaliter prodesse affirmemus!

Possibilitate satisfactionis admissa tres casus fingi licet. Vel enim datur ab aliquo pro poena temporali peccato debita (remissione poenae aeternae supposita) satisfactio aliqua, sed insufficiens, vel satisfactio aequalis, (ut doctrina catholica de baptismo, martyrio, professione religiosa tenet), vel satisfactio pro propriis peccatis superabundans est, ut in sanctis, e. gr. primorum saeculorum eremitis, qui vitam innocentissimam post innummeras easque gravissimas poenitentias finiverunt, absque ulla exageratione assumere licet. Quid in hoc casu caritati, quae iuxta Paulum diffusa est in cordibus omnium, maxime sanctorum, magis proprium quam applicare id, quod superabundat, ad praeservandos alios a poenis debitis? Quod ipsum cor humanum exigit, id doctrina Ecclesiae confirmat, eiusque historia innumeris illustrat exemplis sanctorum martyrum et confessorum, qui propria satisfactione ad salutem aliorum usi sunt [3]) —

Possibilitas huiusmodi translationis ex dogmate de communione sanctorum consequitur, factum privatae translationis satisfactorii operum valoris exemplis innumeris comprobatur; quaestio ergo exsurgit, num ipsa Ecclesia vi potestatis sibi traditae huiusmodi applicationem superabundantis Christi et Sanctorum satisfactionis publice facere possit? — Supponimus hic Ecclesiam veram esse societatem et auctoritate pollere. Si cui quacunque ex ratione distincta SS. Scripturae testimonia parum clara videantur, is evolutionem Ecclesiae etiam mere historice spectans hoc unum concedere debebit Ecclesiam inde ab antiquis temporibus ut veram societatem semper se gessisse. Nisi ergo velimus dicere Christi Ecclesiam statim in primis temporibus in re tam principali a Christi institutione penitus defecisse, concedere tenemur Ecclesiam secundum voluntatem Christi veram esse societatem, vera et propria societas, cui amplissima et mira in Christi corpus mysticum et reale concredita est potestas, (cf. Mt. 28, 17 ss. — Mt. 16, 18 — Luc. 22, 19 — Io. 20, 23 — Mt. 18, 18.), hancce minimam, ut ita dicam, particulam huius potestatis non habebit relaxandi scilicet poenas temporales propter suberabundantem Christi et sanctorum satisfactionem? Nullo vel tenuiter probabili argumento evinces hanc potestatem in generalibus affirmationibus in superiore textuum serie adductis excludi.

[3]) Cf. e. gr. S. Thom. Suppl. XIV. a. 2. — Eus., H. E. III. 23.

eamque Ecclesiae competere in sequentibus positive uberius probatur. Interim factum ineluctabile supponimus: Ecclesiam hanc sibi potestatem attribuere eamque proprie esse potestatem indulgentias impertiendi. Est ergo indulgentia remissio poenae temporalis peccato quoad culpam remisso debitae, auctoritate ecclesiastica ex thesauro superabundantium Christi et sanctorum satisfactionum extra sacramentum vel sacrificium concessa.

Secundum communem doctrinam ad indulgentiam impertiendam ex parte Ecclesiae requiritur ratio sufficiens, cum Ecclesia in omni potestatis suae usu dispensatrix sit, non domina independens: haec autem ratio sufficiens probabiliter in omni opere bono ad gloriam Dei conducente habetur; [4]) ad indulgentias lucrandas autem praeter intentionem, ut in quovis usu fontium gratiae in adultis, requiritur etiam status gratiae sanctificantis, ut ex definitione indulgentiae patet. Valorem indulgentiae ex sola Ecclesiae determinatione, minime ex devotione, intensitate etc. operis pendere sec. s. Thomam [5]) omnino tenendum nobis videtur. Requiritur etiam, ut patet, impletio operis boni ut condicionis praescriptae et in indulgentia plenaria [6]) etiam exclusio omnis voluntarii ad quodvis peccatum affectus, saltem ut tota poena remittatur.

Ex his consequitur indulgentiam non esse meram poenitentiae canonicae, de qua infra, remissionem, [7]) et Ecclesiam nec docere nec unquam absque aperta et inexplicabili contradictione cum aliis dogmatibus in explicita fide semper contentis docere potuisse per indulgentiam reatum culpae et poenae aeternae absque contritione vel poenitentiae sacramento remitti. Verbis quorundam indultorum remissionem fieri „a poenis iniunctis et iniungendis vel alias quomodolibet debitis“ comprehendi poenas canonicas et alias poenas temporales clare ex contextu demonstratur; sub remissione „peccati“ vel poenae remissionem intelligi, vel (item si dicitur remitti „culpam et poenam«) sermonem esse de culpae remissione in sensu cemposito cum sacramento poenitentiae, nunc a plerisque adversariis conceditur. [8]) Qui modus loquendi in ipsa Scriptura fundatur (cf. II. Macc. 12. 46 — II Cor. 5, 21 — insuper: Aug., contra duas epist. Pelag, l. III. —) His fabula de remittendis „peccatis futuris“ evertitur. [9])

Quod vocabulum ipsum attinet, eius origo ex ipsa s. Scriptura (adducunt o. gr. Is. 61, 1 — I Cor. 7, 6) non est nimis urgenda. Potius verbum hoc, sicut plura alia (e. gr. parochus, vigiliae, sacramentum, statio) ex usu profano, legislatione civili ad ecclesiasticum usum translatum esse videtur.

---

[4]) Non requiri strictam proportionem inter opus praestitum et poenam remissam ex notione indulgentiae patet.

[5]) S. Thomas, Suppl. qu. 25. a. 2.

[6]) Beringer, Die Ablässe, ihr Wesen u. Gebrauch, [13] Paderborn 1900, p. 55 ss

[7]) Beringer, o. c., p. 13 ss.

[8]) Pascal, Les Indulgences, Paris 1907, p. 29. — Beringer, o. c., p. 10 ss.

[9]) Beringer, o. c., p. 803 ss.

Ut completa sit doctrina Ecclesiae catholicae de indulgentiis, aliquid de indulgentiis pro defunctis addendum est. Animas plurium fidelium non statim post mortem ineffabili visione Dei immensae maiestatis esse dignas et capaces nec altera ex parte propter statum gratiae, in quo decesserunt damnari posse, ipsasque suffragiis viventium adiuvari posse, dogma est naturali inclinationi hominis valde correspondens et claris Scripturae et traditionis innixum testimoniis (cf. v. gr. Iob 19, 21. — II. Macc. 12, 46. — Prov. 24, 6. — Apoc. 21, 27. — Aug., De Civ. Dei l. XX. c. 9. — Tert., De coron. c. 6.), cum dogmate de communione sanctorum inseparabiliter coniunctum, ita ut perpetuam Ecclesiae doctrinam et praxim, etiam sollemni iudicio confirmatam (Trident. sess. 25.) non sit necesse multis probare.

Inter modos animas defunctorum adiuvandi per Ecclesiae praxim indulgentia pro defunctis applicata eminet, ita ut S. Thomas hanc Ecclesiae praxim ut communem supponat [10]). Ex dictis superius satis elucet potestatem Ecclesiae indulgentias impertiendi esse partem iurisdictionis, quae nonnisi in membra Ecclesiae proprie dictae exerceri potest, ideoque indulgentias pro defunctis non applicari nisi per modum suffragii, quod et Ecclesiae praxis et eius declarationes confirmant [11]). Cum autem ex alia parte omnis indulgentia nonnisi ex thesauro Christi sanctorumque satisfactionum, qui Ecclesiae concreditus est, impertiatur, requiritur permissio Ecclesiae pro lucrante indulgentias, et hac ex parte utique etiam indulgentiae pro defunctis ad Ecclesiae iurisdictionem pertinent.

Quoad modum indulgentias defunctis applicandi pauca sunt dicenda. Contra quosdam theologos (Caiet., Navarr.) qui, provocantes ad aliquos SS. Patrum textus (Aug., de cura pro mort. ger., cap. ult. — Greg., Dial. l. IV) putabant suffragia et indulgentias mortuis non prodesse nisi iis, qui per opera sua hoc in vita meriti essent, contrarium omnino tenendum est. Textus allati sec. s. Thomam facile de necessitate status gratiae explicantur. — Immo infallibilitas effectus in genere est tuenda, cum Ecclesia in declarationibus suis hanc unicam differentiam inter indulgentias pro vivis et defunctis agnoscat, quod indulgentiae pro defunctis per modum suffragii, indulgentiae pro vivis per modum directae absolutionis applicantur, ceterum effectus utriusque est aequalis [12]). Nihilominus quantitas poenae remissae non ab intentione suffragantis, sed a sola Dei misericordia repetenda est; quapropter ab Ecclesia inscriptiones, quibus in certis locis indulgentiae pro defunctis remissione poenae determinatae durationis annuntiabantur, prohibitae sunt. [13])

Ex parte lucrantis indulgentiam pro defunctis certe intentio requiritur,

---

[10]) S. Thom. Suppl. qu 71., a. 10. — Cf. Baronius, ad a. 878. a. 34.

[11]) Bulla Jubilaei Alexandri VI „Inter curas“ apud Amort, de Indulgentiis, Aug. Vind. 1735. T. I. sect III, n. 20. — Declaratio Sixti IV.i ibidem, T. II. sect. V. n. 3.

[12]) ep. Leonis Xi. ad Card. Cai. apud Lépicier, Les Indulgences, t. I. p. 116. — Cf. Pesch, Prael. dogm. T. III., p. 219. S. Thom., Suppl. qu. 25. a. 2.

[13]) S. Off. 9. Sept. 1603. — S. C. Indulg. 13 Febr. 1745. — S. C. Ind 28 Iul. 1840.

praeterea ut indulgentia re vera ex Ecclesiae voluntate pro defunctis sit applicabilis; quo sensu permissio Ecclesiae, de qua supra, est intelligenda. De necessitate status gratiae controvertitur.[14]) In animis defunctorum sufficere generalem voluntatem sese a poenis liberandi et cum Deo coniungendi ab omnibus conceditur. — Alias quaestiones, e. gr. an certae animae indulgentia applicatur ex intentione lucrantis. nunc omittimus.

Doctrina hic breviter proposita etiam solemniter definita est in Conc. Trid., sess. XXII.

Iam ex dictis elucet, doctrinam catholicam de indulgentiis, dummodo recte intelligatur, sanae rationi nullatenus adversari, per eam Dei iustitiam, sanctitatem, providentiam mire illustrari, caritatem inter membra Ecclesiae valde foveri; eam autem non esse aliquid novi et inusitati, a traditione antiquitatis et ab Ecclesiae perpetua praxi alieni, in sequente tractatione, ubi etiam principalibus difficultatibus satisfiet, magis patebit.

II.

Antequam ad scientificam demonstrationem indulgentiarum accedamus, ante omnia notandum est, principale Protestantium dogma de Scriptura ut solo et sufficiente omnium dogmatum fonte absque contradictione nullatenus admitti posse.

Nihilominus dico potestatem indulgendi, quam Ecclesia sibi attribuit, Scripturae non solum convenire, sed in ea contentam esse, licet modus ipse ex praxi Ecclesiae sit determinandus. Possibilitas satisfactiones cuiusdam ex parte hominis supra iam asserta et demonstrata breviter est; possibilem et Deo acceptabilem esse satisfactionis translationem et oblationem pro alio multis exemplis, velut Abrahae, Moysis, s. Pauli (cf. II. Cor. 12, 15. — Coloss. I,, 24.) edocemur. Potestatem huiusmodi applicationem propter merita superabundantia quorundam Ecclesiae membrorum auctoritative faciendi contentam esse affirmamus in omnibus textibus supra allatis, quibus secundum sensum obvium Ecclesiae vera potestas in membra est tradita. Hancce enim partem potestatis verbis adductis esse exclusam nullatenus probatur, eam esse inclusam ex sensu obvio intelligitur, et si quod dubium occurrerit, per praxim Ecclesiae declaratur. — Quae omnia negare nemo potest nisi qui Christi ecclesiam nullam propriam et veram auctoritatem, nulla externa media habere affirmet, eamque in „regno interno“ reponat. Sed hoc, ut omittam nunc omnia alia, idem est ac vanitatem totius operis Christi affirmare, cum „regnum internum“ in quacunque oeconomia, tum ante, tum post Christum, sine dubio exstiterit. — Ecclesiam autem sibi hanc potestatem, poenas cilicet imponendi delinquentibus et eas remittendi, statim tempore apostolico attribuisse, negari non potest[15]). Non agi autem his locis de remissione totius poenae ecclesiasticae, iam inde colligitur, quod potestas non fuisset ad

---

[14]) Cf. Dr. V. Gröne, Der Ablaß, seine Geschichte und Bedeutung, Regensburg 1863, p. 82.

[15]) I Cor. 5, 1 ss. — II Cor. 2, 6—8.

aedificationem, sed ad destructionem, cum poena temporalis pro solo externo foro Ecclesiae remissa severius post mortem esset luenda.

Clarius autem est traditionis argumentum, quo simul usus, qui nunc est in ecclesia, evolutio historica plastice adumbratur. — Protestantes duce Chemnitzio [16]) contendunt saeculo XII° praxim indulgentiarum in Ecclesia primo obtinuisse. Admisso etiam hoc, undenam probatur Ecclesiam potestatem, qua usa non est, non habuisse? Nos contra affirmamus potestatem indulgentias impertiendi, prout supra definita est, in Ecclesia semper fuisse, modum autem paulatim legitima et organica evolutione Ecclesiae, quae vivus est organismus [17]), determinatum esse. Mirum adversarios, qui semper de evolutione et progressu loquuntur, hic nec in accidentalibus progressum admittere velle! Et quia evolutio Ecclesiae organica est, etiam in hac re, similiter atque in aliis, non potest, ut ita dicam mensis et dies primae indulgentiae adduci. Valor praescriptionis, ad quem Patres uno ore provocant [18]), signum est vitae cuiuslibet societatis.

Duplex via in demostratione traditionis servari potest. Prima adducendo Ss. Patrum scripta et aliorum librorum documenta; quae via paulo longior est et propter indolem ipsorum librorum, disciplinam arcani obscuritatem difficilior, alia via est consideratio Ecclesiae praxis, quae via in rebus practicis, ad quas indulgentiae pertinent, facilior et brevior est. Quam et nos in sequentibus insistemus.

Licet indulgentia, ut supra diximus, non in remissione solius poenae ecclesiasticae consistat, tamen eius praxis cum disciplina canonica christianae antiquitatis intime cohaeret.

Fuisse in Ecclesia tam orientali quam occidentali praxim poenis ecclesiasticis puniendi delicta publica, hic notum supponimus et lectorem ad alios libros de hac re tractantes remittimus. [19]) Praxim Ecclesiae orientalis ad amussim praeter alios S. Gregorius Thaumaturgus in suo canone poenitentiali ex anno 263 describit [20]), ubi edocemur quattuor fuisse gradus poenitentium: Flentium (*πρόσκλαυσις*), qui induti habitu poenitentiali (sacco) in narthice exteriore ecclesiae stabant praetereuntes flagitantes, a sacro et communione exclusi: audientium (*ἀκρόασις*), qui in narthice interiore simul cum catechumenis catechesi assistebant, a sacro tamen exclusi; substratorum (*ὑπόπτωσις*), qui in ecclesia post preces Episcopi, quas flexis genibus excipiebant, dimittebantur; consistentium (*σύστασις*), qui stantes toti aderant sacro

---

16) In p. 4. Exam. Conc. Trid. E recentioribus operibus acatholicis maximi momenti est Ch. Lea, A. History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church. Philadelphia (Lea Brothers and Co.) III. t. 1896 (VIII + 629).

17) Mt 13, 31 ss. — Coloss. 2, 19.

18) Cf. praeter alia: Aug., De bapt. c. Donat. l. V., n. 31., l. IV. n. 9. — Tert., de praescr. haer., passim; — contra Marc. l. 4. c. 5.

19) Cf. e. gr. Iac. Sirmond, Historia poen. publ. t. IV. (Venetiis 1728). Duchesne, Origines du culte chrétien (Paris 1889) ch. XV. p. 420 ss. — Frank, Die Bußdisziplin der Kirche, Mainz 1867, p. 914—953. Schmitz, Die Bußbücher u. die Bußdisciplin der Kirche, Mainz 1853.

20) v. apud Lépicier, o. c., t. I. p. 184 ss.

absque oblatione et communione propria. Effectus et signa externa poenitentium erant: renuntiare functionibus publicis, sive militaribus sive civilibus[21]), caput radere, velari, abstinere a ludis et delectationibus. — Similis erat praxis ecclesiarum occidentalium, ubi praecipue contra haereses Novati et Novatiani regulae poenitentiae publicae accuratius determinatae sunt. — Poenitentiae initium generatim fer. IV[a]. Cinerum erat, eius duratio a gravitate criminum et a diversa Ecclesiarum praxi dependebat; solemni dein reconciliatione poenitentes iterum ad communem cum aliis vivendi modum admittebantur.

Poenitentia haec canonica primo nullo modo identica est cum exomologesi vel confessione privata. Hoc primo effatis SS. Patrum[22]), qui de necessitate privatae confessionis distincte loquuntur, deducitur: secundo ex eo probatur, quod a canonica poenitentia delicta non publica, licet gravissima, omnino excludebantur[23]), quidam, e. g. clerici vel coniugati vel omnino non admittebantur vel non nisi condicionate[24]); tertio consequitur ex pluribus Conciliorum et Pontificum decretis (e. gr. conc. Agathense a. 506, epistolae Innocentii I.), quae poenitentes ad annuam communionem, a qua poenitentes publici per plures saepe annos erant exclusi, admittentes et admonentes, certe poenitentes privatos intelligunt. — Ex quo facile intelleges longe diversam esse reconciliationem, de qua supra, ab absolutione sacramentali. Ut enim alia praetermittam, reconciliatio illa sollemnis fuit cum pulcherrimis caerimoniis coniuncta et Episcopo soli reservata[25]). — Insuper scimus reconciliationem relapsis denegatam esse, excepto articulo mortis, numquam autem eis poenitentiam sacramentalem denegatam esse[26]).

Ex alia autem parte paenitentiae canonicae non pro solo externo Ecclesiae foro imponebantur, sed „in conspectu Dei", h. e. Ecclesia eas ut satisfactionem vel recompensationem temporalium poenarum, quae secus hic vel in alia vita a Deo essent infligendae, considerabat, id quod ex claris SS. Patrum testimoniis[27]) edocemur et ex communi hominum persuasione qua poenitentiam canonicam magnum esse beneficium eamque viam ad coelum sternere existimabant. Propterea etiam remissio, si quae obtinebat erat remissio poenae „in conspectu Dei", poenae a Deo infligendae, cum secus, ut iam supra innuimus, huius-

---

21) De poen. dist. V. c. 3.
22) Origenes, Hom. II. in Ps. 37. — Tertullianus, de Poen. c. VIII. — Paulinus, Vita s. Ambrosii. — Minut. Felix Octavius (paulo post initium) etc.
23) August., Sermo 351. c. 4. n. 10.
24) Conc. Arelat. II. c. 22. — Siricii epist. I., n. 14.
25) Cf. Amort, op. c., P. I. s. 3. n. 2.
26) Ep. Innoc. I. ad Exsuperium. — Coel. I. ad episc. Vienn. et Narb. — Leo M., Ep. 41. — Mansi, Conc., t. II. p. 674 ss. — Cf. Lépicier, o. c., t, I, p. 205 ss. — Pesch, Praelectiones dogmaticae, T. VII., p. 18 ss. — Palmieri, De poenitentia, Append. de indulgent. — Pascal, Les Indulgences, p. 39.
27) Cf. e. gr. Cypr., ep. XIII. — Ambr., De poenit., l. II. c. 7. 8. — Aug., Contra Cresc., l. II., c. 11, 12. Cf. Pesch, o. c., t. VII,, p. 213 ss.

modi remissio magis nociva esset, quam prodesset paenitenti, qui gravius post mortem esset puniendus.

Remissionem autem re vera aliquando factam esse ex historia scimus. Aliquos a poenitentia publica exemptos fuisse, supra diximus, ceteris autem poterant Episcopi tempus poenitentiae abbreviare, immo licebat Episcopo eximere poenitentem non solum ab uno gradu poenitentiae, etiam longissimo, qualis erat gradus genuflectentium, sed etiam a poenitentia tota, ut passim in haereticis conversis factum est[28]. Quo casu gaudium Ecclesiae de conversione et humiliatio conversi ut sufficiens ratio remissionis habebatur, aliae autem rationes censebantur: persecutio appropinquans[29], mortis articulus[30], in quo casu tamen onus remanebat sistendi se poenitentiae canonicae, omissis tamen tribus gradibus inferioribus[31].

Ex iis, quae supra de natura poenitentiae canonicae eiusque remissionis dicta sunt, sequitur relaxationem et exemptionem a poenitentia canonica sensu vero et proprio fuisse indulgentiam. Quod etiam modus loquendi, quem Ecclesia hodie in impertiendis indulgentiis plerumque adhibet, confirmat. Si Ecclesia e. gr. indulgentiam unius anni, 40 dierum etc. impertit, nullatenus intendit remittere quantitatem correspondentem poenae post mortem luendae, sed solum significare vult se eam quantitatem poenae temporalis remittere velle, quae respondeat poenae per antiquam canonicam poenitentiam eodem tempore sustinendae.

Unum solum elementum indulgentiae in hac poenae temporalis remissione desiderari videtur, declaratio scilicet remissionem factam esse ex thesauro Ecclesiae, propter merita iustorum. Hanc autem notam characteristicam indulgentiae explicite etiam invenimus in reconciliatione lapsorum. Praeter innumeros martyres, quos Ecclesia in persecutionibus „in omni loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, permittebat ad Deum“ (Irenaeus), non defuerunt in ea etiam, qui poenis et minis perterriti Christum in persecutione negarent. Quorum numerus praecipue in persecutione Decii (249—251), omnium gravissima, maior evasit[32]; cum enim ante hanc persecutionem Ecclesia longa pace frueretur, zelus nonnullorum deferbuerat. Itaque factum est ut in persecutione haud pauci christiani deficerent, vel idolis paganis sacrificando (thurificati), vel de immolatis comedendo (sacrificati), vel sive per servos sive per magistratuum corruptionem testimonia de peracto sacrificio idololatrico sibi comparando (libellatici), vel nomen in tabulas publicas inserendo (acta facientes). Qui omnes, ut ab iis, qui tempore pacis sponte deficiebant (apostatae) distinguerentur, lapsi nominati sunt.

Disciplina ecclesiastica erga apostatas severissima fuit: a communione fidelium per poenitentiam gravem excludebantur nec admit-

[28]) Eus. H, E. l. V. n. 32. — Conc. Ancyr., can. 2, can. 5. — Mansi, l. c. p. 514, 515. — Nic., can. 12. — Ambros., De poen., l. II. c. 7 ss. — Cf. Pesch, o. c., T, VII., p. 215 ss.

[29]) Cypr., Ep. 57.

[30]) Conc. Carth. IV., can. 76.

[31]) Inn. I. ep. ad Dec. — Pascal, o. c., p. 39.

[32]) Cypr., Ep. XI. — Hieron., vita Paulin. — Cypr., de lapsis.

tebantur ad reconciliationem praeterquam in mortis articulo. Licet peccatum lapsorum genere suo peccato apostatarum aequipararetur, tamen misericors caritas Ecclesiae suadebat, ut non eadem severitate animadverteretur in eos, quibus gravitas persecutionis excusatio quaedam erat. Quae praxis re vera celeriter obtinuit. Lapsi de peccato suo poenitentes sese ad pedes martyrum provolvebant, enixe deprecantes, ut propter merita sua apud Christum pro se supplicarent, et libellum a martyribus acceptum Episcopo proponebant, quo facto vel statim vel post breve tempus ad fidelium communionem admittebantur, poenitentia debita remissa. — Certe Ecclesia, cum in exigenda poenitentia, (quae, ut dictum est „in conspectu Dei“ imponebatur[33])). tam severa esset, hoc facere non poterat sine ratione sufficiente; fuerunt autem sufficiens ratio merita sanctorum martyrum. — Habemus ergo exemplum indulgentiae verae et propriae cum omnibus notis essentialibus et characteristicis.

A tempore Decii praxis haec Ecclesiae universalis evasit et etiam contra traditores in persecutione Diocletiani (288—305) adhibebatur. Inter nimiam quorundam severitatem et facilitatem aliorum in admittendis lapsis, ecclesia catholica mediam semper viam tenuit, ex una parte veram conversionem et internam poenitentiam exigens, ex altera parte propter sanctorum merita condignam satisfactionem remittens, ut praecipue ex scriptis S. Cypriani et ex modo agendi s. Marcellini (296 - 304), s. Marcelli (307—309), s. Cypriani edocemur[34]).

Ex eadem periodo indubia habemus testimonia de suffragiis pro mortuis. Dogma ipsum de poenis temporalibus post mortem luendis, quod in fontibus revelationis contineri supra breviter ostendimus, ad explicitam Ecclesiae fidem pertinuisse ex symbolicis sepulturae caerimoniis[35]), inscriptionibus in catacumbis, expressis testimoniis[36]) evincitur. — Pro defunctis non solum sacrificium offerebatur[37]), sed in utilitatem eorum ἀγάπαι celebrabantur[38]), libertas servis concedebatur[39]); quae non explicantur nisi ex persuasione, posse propriis operibus pro poenis eorum satisfieri; quod fundamentum est indulgentiae pro defunctis.

Indubia ergo testimonia indulgentiae pro vivis et initium indulgentiae pro defunctis iam in antiquitate Christiana habemus. —

---

33) Cypr., Ep. XIII. — Cf. Pesch, o. c., T. VII., p. 213 ss.
34) Cypr., Dp. XI., Ep. XXIII ad martyres. — Ep. XXX inter ep. Cypr. — Baronius, Annal. Eccl., t. II., a. 254., n. 105. — Duchesne, Lib. Pont., t. I., p. 74. — Lepicier, o. c., t. I. p. 560 ss.
35) Const. Ap., VI., 17. — Pitra, Iur. Eccl. Graec., t. I. p. 344.
36) Cf. passio s. Perpetuae apud Lépicier, o. c., t. I. p. 266.
37) Tert., de corona milit., c. III. — Cypr., Ep. LXVI. — Epiph., Haeres. 75. — Ambr., De obitu Theodosii, n. III. — Cf. Kirsch, Die Lehre von der Gemeinschaft der Heiligen im christl. Altertum. Mainz 1900.
38) S. Paulin., Ep. XIII, 11.
39) Armellini, Gli antichi cimiteri romani, Rome 1892, p. 24 ss.

III.

Edicto Mediolanensi a. 313 universae Ecclesiae pax restituta est. Hoc tempore rigor poenitentiarum canonicarum paulum diminutus est, non tamen cessaverunt, ut praeter alia ex instituto munere sacerdotis Poenitentiarii (πρεσβύτερος ἐπὶ τῆς μετανοίας), ex libris poenitentialibus, ex nomine diei indulgentiae (generatim Dominica Palmarum) edocemur. Fervore refrigescente multa concilia usum poenitentiarum inculcant; ita concilium Catalaunense 813, Parisiense 829, Triburense 894[40]), item Gregorius VII. Papa contra insufficientes et nimis leves poenitentias protestatus (1075—1085) est. Ex alia parte documenta adsunt (e. gr. litterae Alexandri II., capitularium Atonis Vercellensis), ius Episcoporum partem poenitentiae remittendi[41]), quae ostendunt exempla pristinae severitatis hoc etiam tempore non omnino desiderari[42]).

Hac aetate commutatio poenitentiae in opus simile frequenter invenitur. Exemplum commutationis poenitentiae pro diaconis iam in concilio Ancyrensi 314 habemus, commutationem poenitentiae pro eleemosyna concilium Cloveshoense 747 commemorat, non tamen approbat. Nihilominus usus hic mox communiter obtinuit, ut Poenitentiales libri Theodori Cantuariensis, Bedae Venerabilis etc. testantur[43]). Commutatio poenitentiae pro infirmis saeculo X⁰. ad finem vergente communis apparet. Fiebat autem mutatio praesertim in prostrationes (μετάνοιαι, στρωταὶ μετάνοιαι, γονυκλισίαι) i. e. orationes prolixiores bracchiis extensis cum genuflexionibus, quibus flagellatio passim adiungebatur.

Cum de commutatione in opus facilius agatur, favor hic ab Ecclesia ex iusta causa concessus merito, ut nova indulgentiae verae praxis apparet.

Mox etiam peregrinationes in loca pia, quae ab antiquo tempore in Ecclesia in usu erant, poenitentiis substituebantur[44]). Ita, ut unum saltem exemplum adducamus, Eriartus quidam Anglus, occisionis sacerdotis regularis reus, Romam ad Nicolaum I^um proficiscitur a. 867, a quo respectu peregrinationis suae ad SS. Apostolorum limina reductionem poenitentiae perpetuae in poenitentiam duodecim annorum obtinet[45]). Si peregrinatio fieri non poterat, indulgentia simpliciter impertiebatur[46]).

Indulgentiae peregrinationi ad certum locum pium adiunctae merito ut initium indulgentiae localis possunt considerari. Primum autem exemplum sunt saec. XI⁰. indulgentiae ad stationes applicatae. Statio, de qua iam saec. II⁰. Tertullianus loquitur[47]), primo

40) Fleury, Hist. eccl., l. XLVII., n. 24.
41) Fleury, o. c., l. LXI, n. 76.
42) Lépicier, o. c., t. I., p. 284 ss.
43) Lépicier, o. c., t. I., p. 292 ss.
44) Amort, o. c., P. II. sect. IV. n. 70. — Morin., de Poenit., l. VII. c. 15.
45) Fleury, o. cit., l. I., n. 8.
46) Alia exempla utriusque praxis habes apud Lépicier, o. c., t. I. p. 297 ss.
47) Tert., Ad uxor., l. II. c. IV.

idem ac conventus vel synaxis significat. A tempore Gregorii M. (590—604) usus vocabuli communiter pro sollemnibus ad sacra celebranda in ecclesiis conventibus, obtinuit, quos teste Ioanne Diacono hic Pontifex „constituit ordinavitque per basilicas vel beatorum martyrum coemeteria“ [48]). — Verum autem exemplum indulgentiae realis iure in cereis „Agnus Dei“ dictis vides, quorum usus medio aevo exeunte communis fuit [49]).

Testimonia suffragiorum pro defunctis exinde multo frequentiora sunt. Associationes „ad mutuum animarum adiutorium post mortem“ primo Romae ad ecclesiam SS. Cosmae et Damiani, deinde aliis in locis erectae sunt. Multi fideles instituta pia ad adiuvandos pauperes et infirmos erigebant „in remedium animae suae“, persuasione ducti, se precibus eorum, qui ibi alerentur post mortem adiutum iri.

In hac periodo origo altaris s. Gregorii et initia altaris privilegiati quaerenda est. Cum in his casibus cum determinato loco vel ad certum missarum numerum (missae Gregorianae) determinata promissio remissionis poenarum in purgatorio ab animabus luendarum iungatur, praxis haec, utique decursu temporis accuratius determinata, indulgentiae pro defunctis exemplum praebet [50]).

Medio aevo progrediente multiplicantur semper rationes et occasiones indulgentiarum impertiendarum. Opportuna occasio erat consecratio ecclesiarum, quae symbolum est internae animae consecrationis Christo sponso per caritatem factae. Iuxta Benedictum XIV. (Bulla „Iam inde a primis annis“ ex 12 Maii 1756) mos ecclesias consecrandi perantiquus est et iam saeculo V° commemoratur; inde a saeculo X° passim occasione consecrationis indulgentiae conceduntur. Licet non omnia huius aevi documenta aequalem fidem mereantur et multae indulgentiae saec. XIⁱ et XIIⁱ praesertim ut falsae merito reiciantur, non pauca, tamen exempla habemus ex hoc tempore genuinarum iudulgentiarum, quae in consecratione ecclesiarum concessae sunt. Ita a Benedicto IX° indulgentia in consecratione ecclesiae S. Victoris Massiliae a. 1040 concessa est, ab Alexandro II. pro ecclesia Montis Cassini; anno 1098 Urbanus II. consecrando ecclesiam S. Nicolai Andegavi septimam partem poenitentiae remisit iis, qui annuum sancti huius festum peculiari devotione celebraverint. Indulgentia 40 dierum concessa est occasione dedicationis ecclesiae s. Ioannis ante Portam Latinam a Coelestino III (1191—98). Similia exempla saeculo XIII° occurrunt. [51])

Quo tempore etiam usus indulgentiam occasione sollemnis sanctorum canonizationis impertiendi invaluit. — Ecclesiam

---

[48]) In vita b. Gregorii, l. III. c. XVIII.

[49]) De origine et usu cf. Lépicier, o. c., t. I., p. 313 ss. — Beringer, o. c., p. 412 ss., etc.

[50]) Lépicier, o. c., t. I. p. 316 ss. — Cf. tamen Beringer, o. c., p. 426, 437.

[51]) Cf. Lépicier, o. c., t. II., p. 10 ss. — Raynaldi, t. II., a. 1244. n. 48 ss.

inde a primis saeculis sanctos martyres speciali honore prosecutam esse, iam supra dixtum est et ex historia ecclesiastica satis constat. Licet ad hoc, ut quis martyr ab Ecclesia coleretur, sollemni iudicio opus non esset, sed simplex in „diptychis" martyrum adnotatio sufficeret, non licuit tamen fidelibus quemcunque ad libitum sanctum venerari, ut praeter alia ex casu Lucillae matronae[52]) notum est. Iam saeculo IV° idem honor etiam confessoribus tribuitur per vocem populi confirmatus vel erectione „martyrii" stabilitus. Primum sollemnis canonizationis documentum habes ex a. 993, quo a Ioanne XV. Udalricus episcopus Augustanus in sanctorum album relatus est. Munus hoc primo etiam ab episcopis exercitum inde a tempore Alexandri III[i] (1159—1181) Summo Pontifici reservatur. Inde a saeculo XIII° tum Episcopi in canonizationibus particularibus, tum Romani Pontifices in sollemni canonizatione indulgentias concedunt. Velut Honorius III (1225) in canonizatione s. Laurentii, archiepiscopi Dublinensis, Gregorius IX (1232) in canonizatione s. Antonii de Padua, et s. Elisabeth Hungaricae etc.[53]) Translatio reliquiarum alicuius sancti, qua aliquando ipsa sollemnitas canonizationis quasi supplebatur et convalidabatur, item indulgentiis ditabatur. E. g. a. 1283 episcopi Eboraci in sollemnitate translationis corporis S. Guilielmi congregati indulgentiam concedunt iis „qui contriti et confessi" corpus sancti in ecclesia Eboracensi certo die visitarent.[54])

Cum omnibus his casibus indulgentia semper cum sanctorum cultu intime iungatur, alioquin autem indulgentia propter iustorum merita iam in antiquitate christiana sit impertita, facile nobis persuademus, venerationem sanctorum non solummodo fuisse conditionem lucrandae indulgentiae, sed Ecclesiam indulgentias propter sanctorum merita impertiisse.

Hucusque certae et determinatae preces ad indulgentias lucrandas non praescribebantur. Ut condicio vel oratio generatim praescribebatur vel oratio pro certa persona aut negotio fundenda, ut in indulgentia quae a. 1255 ab Alexandro IV° iis, qui pro rege Ludovico IV orarent, et in illa quae a. 1289 a Nicolao IV° orantibus pro Carolo, rege Siciliae, est impertita.[55]) Primo Clemens IV. anno 1268 indulgentiam trium annorum determinatae orationi („Benedictum sit dulce nomen etc.") adiunxit.[56]) Recitationi „Angelus Domini", qui usus secundum plures a S. Francisco introductus est, a. 1318 a Ioanne XXII. indulgentia 10 dierum est adnexa. —

Neque solum orationibus, sed et aliis operibus bonis, quae in bonum religionis et salutem animarum spectant, indulgentiae adiunguntur. Innocentius IV. exstructionem ecclesiae cathedralis Lugdunensis promoturus a. 1247 indulgentiam unius anni omnibus impertit, qui

[52]) Opt. Milev., Lib. I. adv. Parmen.
[53]) Cf. Lépicier, o. c., t. II., p. 17.
[54]) Acta SS., Iunii die 8, t. II. p. 144, col. 2. — Alia exempla apud Lépicier, o. c., t. II., p. 42 ss.
[55]) Amort, o. c., P. I., sect. VII., p. 194.
[56]) Lépicier, o. c., t. II., p. 28.

„eidem fabricae manum porrexerint adiutricem". [57]) Simili modo alii Pontifices indulgentias ad monumenta publica construenda contribuentibus impertiendo simul animarum saluti prospiciebant et artes liberales promovebant, ita ut merito scriptor recens plurima aevi medii artis christianae monumenta indulgentiis tribuat. [58])

Aucto numero indulgentiarum brevi necessitas eas in certum aliquem ordinem redigendi apparuit. Initium factum est in „libris indulgentiarum", in quibus indulgentiae peregrinationibus ad Apostolorum limina concessae continebantur. Ne autem Ecclesiae thesaurus nimia quorundam ecclesiarum particularium praesulum prodigalitate dissipetur, visum est Ecclesiae, facultatem Episcoporum hac in re limitare in concilio Lateranensi IV (1215), in quo Episcopis potestas solum 40 dierum indulgentiam impertiendi relicta est et simul declaratum sacerdotibus nullo modo, Abbatibus nonnisi vi indulti specialis potestatem poenas temporales per indulgentias remittendi competere.

Consideratis omnibus, quae de modo, quo medio aevo indulgentiae concedebantur, dicta sunt, verus Ecclesiae progressus, praxim indulgentiarum hodiernam praeparans, apparet. Occasiones indulgentiarum multiplicantur, indulgentiae orationibus determinatis et aliis operibus bonis adiunguntur, eas propter merita sanctorum dari clarius enuntiatur, potestatis subiectum in particulari accuratius determinatur, indulgentiae in ordinem rediguntur. Quae omnia indigentiis temporum apprime respondent et in legitima et organica evolutione fundantur. Indigentiis temporum, inquam, respondent; quibus severa illa antiqua poenitentiae ecclesiasticae praxis amplius sustineri non potuit et caritas Ecclesiae mitiorem modum cum filiis debilioribus agendi inspirabat. Legitimum autem fuisse modum procedendi Ecclesiae negare non poterit nisi qui vel Ecclesiam omnis potestatis expertem esse affirmet vel eam contra omnia Scripturae et traditionis testimonia non ut corpus vivum et admirabilem organismum sed ut mortuum quid et immobile consideret. Ecclesia autem inter contradictorias adversariorum exaggerationes qui ei modo „stagnationem" et immobilitatem obiciunt, modo novitatis eam accusant, mediam veritatis viam tenet, immutabilitatem dogmatis contra omnes impugnationes defendendo, dogmata in explicita fide contenta clarius definiendo, dogmata implicita etiam explicite occasione data proponendo, res autem disciplinares secundum temporum et personarum necessitates determinando. Cuius rei clarissimum exemplum in indulgentiis habes, ubi firma stante semper veritate dogmatis praxis secundum tempora variatur. Unde nil mirum, si contra novam indulgentiarum praxim non solum nemo ex magnis huius temporis sanctis insurrexerit, sed praesertim sancti et optimi quique ex fonte indulgentiarum saepe hauserint, ut in vitis ss. Ludovici, Ioannis Cantii, Clarae Assisiensis, Gertrudis, Birgittae legere poteris. —

---

57) Raynaldi, t. II., a. 1247, n. 85.

58) „Il nous sera facile de constater que nous leur (aus indulgences) sommes redevables de la plupart des beaux monuments que nous a légués le moyen âge. Ces merveilles d' architecture furent le plus souvent inspirées par le pouvoir magique des saints Pardons." Lépicier, o. c., t. II., p. 44.

IV.

Omnes supradictae indulgentiarum concessiones, licet tam frequenter et large ab Ecclesia factae sint, tamen, cum natura sua essent magis particulares, ex toto et universim praxim poenitentiae canonicae supprimere non poterant. Haec essentialis mutatio praxis poenitentialis potius maximo illi et celeberrimo medii aevi facto, expeditionibus cruciatis, attribuenda est. — Historia earum nota est. Post irritos conatus Sylvestris II. (999—1003) et S. Gregorii VII (1073—1085) christianis Orientalibus succurrendi et terram sanctam a iugo infidelium liberandi, tandem Urbanus II (1088—99), precibus Petri Amiensis motus a. 1095 in concilio Claromontensi expeditionem cruciatam contra Palaestinae infideles proclamavit, indulgentiam plenariam promittens omnibus, „quicunque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniae adeptione Ierusalem profecti fuerint." [59]) Haec summae ecclesiasticae auctoritatis promissio et declaratio non solum nullam excitavit novitatis admirationem, sed ab omnibus magno cum gaudio excepta est et plurimos ad iter suscipiendum instigavit. Simili modo Innocentius III. anno 1146 iis, qui secundae expeditioni interessent, indulgentiam tribuit omnium, „de quibus corde contrito confessionem fecissent". Ad quam indulgentiam „largissimam" provocat S. Bernardus, certe Ecclesiae fidei custos fidelissimus, in litteris suis ad episcopum, clerum, populum Spirensem, [60]) nec non in operibus suis passim.

Expeditiones cruciatae duplicem effectum habebant, qui pro praxi indulgentiarum magni erat momenti. —

Primum facile erat iam universalem indulgentiam pro expeditionibus concessam ad alios casus similes extendere, quo indulgentiarum usus multo fieret frequentior. Ita Gelasius II. (1118—1119) Alphonso, regi Aragoniae, et toti exercitui adversus Mauros debellanti, a. 1118 indulgentias „sanctorum meritis et totius ecclesiae precibus" concedit, [61]) Alexander III. a. 1179 ad expeditionem contra Albigenses perturbatores et haereticos excitat indulgentias adiungendo, ut „fideles viriliter tantis cladibus se opponant": [62]) anno 1213 Innocentius III., anno 1443. Eugenius IV. ex eadem ratione belli contra infideles gerendi thesaurum Ecclesiae aperiunt. — Secundo expeditiones cruciatae, ut diximus, rapidam diminutionem ac deinde totalem poenitentiarum canonicarum cessationem produxerunt. [63]) Non desunt quidem exempla severae disciplinae, ut in vitis S. Berchtholdi, s. Hannonis, Henrici II. legimus, modus tamen valde mitigabatur [64]), donec praxis antiqua ex toto cessaret.

---

[59]) Mansi, Conc. Clarom. apud Lépicier, o. c., t. II. p. 72.
[60]) Ep. 322 (edit. Paris.)
[61]) Epist. Gelasii II. Pp. ad exercitum christianum Caesaraugustam obsidentem v. apud Mansi, o. c., T. XXI., Col. 169, 170.
[62]) Amort, o. c., P. I., s. II., pp. 54 ss.
[63]) „Il est incontestable que les croisades ont donné le coup de grâce aux pénitences canoniques." Lépicier, o. c., T. II., p. 88.
[64]) Cf. Poenitentialem librum Roberti de S. Victore, v. apud Amort, o, c., P. II., sect. II, n. 4.

Non solum belli tempore, sed etiam in pace Ecclesia thesaurum suum liberalius aperiebat, annis iubilaei universalem et plenariam impertiendo indulgentiam Romam visitantibus. Post ea, quae de extensione indulgentiarum dicta sunt, nil mirum esset, si Ecclesia, in usu potestatis suae a Spiritu Sancto ducta, etiam nulla speciali occasione externa ad id impellente hunc modum indulgendi introduxisset. Freta est tamen Ecclesia in hac institutione, sicuti in pluribus aliis, traditione populi christiani. Rumor in pluribus orbis catholici regionibus percrebrescebat, thesaurum indulgentiarum, quae peregrinationibus ad Apostolorum limina adiungebantur, largiore et speciali modo centesimo quoque anno aperiri, qui rumor anno 1300 p. Chr. innumeros undique peregrinantes Romam alliciebat. Qua persuasione populi christiani, quem universim Spiritus Sanctus „non sinit aliter intelligere“ (Tertullianus) ac doctrinae respondet catholicae, et cuius „consensus non parva est veritatis assertio“ (Augustinus), fretus Bonifatius VIII (1294—1303) anno 1300 celebrem bullam edidit „Antiquorum habet fida relatio“, in qua pro anno 1300 thesauros Ecclesiae aperuit, omnibusque basilicas Romae visitantibus plenariam indulgentiam promisit[65]) Non erat igitur ne quoad modum quidem propria renovatio, sed vetus observabatur traditio.[66]) Rationem anni iubilaei et totam doctrinam de indulgentiis et praesertim de thesauro Ecclesiae dilucide et clare proponit Clemens VI. (1342—1352) anno 1343° in celeberrima bulla „Unigenitus“. Idem Pontifex destinavit, ut annus iubilaei quinquagesimo quoque anno celebraretur, quo plures magni huius beneficii participes fierent, ipseque anno 1350 iubilaeum aperuit speciali bulla in qua nomen „iubilaei“ primo hoc sensu occurrit.[67]) Iterum ingens plebis christianae multitudo Romam accurrit, ita ut a festo Nativitatis usque ad Pascha 1,120.000 peregrinorum numerarentur. — Ab Urbano VI. (1378—1379) anno 1389 trigesimus tertius quisque annus iubilaris est constitutus, sed sub Nicolao V (1447—145) antiqua Clementis VI. praxis est restituta. Paulus II (1464—71) decrevit, ut iubilaeum post 25 annos semper celebraretur, quod a Sixto IV (1471—84) confirmatum est, qui etiam simul pro anno iubilaei particulares indulgentias sive singulis ecclesiis sive universim concessas suspensas esse voluit. Anno iubilaei 1500 prima vice introducta et deinde semper repetita est pulchra caerimonia „apertionis portae“ basilicae s. Petri, quae symbolum est apertionis Ecclesiae thesauri.[68])

Praeter haec iubilaea ordinaria, quae abhinc excepto uno alterove casu regulariter celebrabantur, peculiarem mentionem iubilaea extraordinaria merentur, sive ex speciali ratione extra tempus consuetum pro universa Ecclesia concessa, sive pro certo loco semel vel saepius impertita. Exemplum primi habes in iubilaeo extraordinario, quod Sixtus V. (1585—90) concessit occasione suae electionis et deinde frequentius usque ad ultima iubilaea extraordinaria Leonis XIII°, exempla

---

[65]) Amort. o. c., P. I., sect. III. — Pascal, o. c., p. 56.
[66]) Cf. Civiltà catholica: Roma nell' anno giubilare 1300 (17. martii 1900).
[67]) De origine et usu vocabuli cf. Lépicier, o. c., T. II., p. 167 ss.
[68]) Cf. Civiltà cattolica: La tradizione delle Porte sante (17. Febr. 1900)

secundi in iubilaeo Ecclesiae Lugdunensi concesso quotiescunque festum Corporis Domini cum festo coincidit s. Ioannis Baptistae et in illo, quod Compostellae celebratur, si festum s. Iacobi in Dominicam inciderit.

Cum plurimi Romam peregrinari legitime prohiberentur, iam a Clemente VI° et deinde saepius beneficia iubilaei etiam absentibus et impeditis concedebantur. Ut condicio generatim praeter orationem ea pecuniae summa in pios Ecclesiae usus expendenda praescribebatur, quam secus quis pro itinere Romam impenderet. Eadem conditione Alexander VI. anno 1500 iubilaeum in Urbe celebratum pro anno sequenti in universam Ecclesiam extendit, qui usus abhinc singulis annis iubilaei observabatur. Eleemosynam ut conditionem indulgentiae lucrandae imponere iam prius, ut supra dictum est, in usu fuit,[69]) nec quid miri habet, cum omne opus bonum, ideoque etiam eleemosyna ratio sufficiens Ecclesiae sit poenas temporales ex thesauro suo remittendi. Ecclesiam pecuniam ut compensationem indulgentiae exegisse ideoque proprie indulgentias vendidisse, quae calumnia in ore est fere omnium adversariorum, ne unico quidem exemplo ex historia ab iis probatur et indulgentiarum notioni et naturae, prout nunc exposita et ab Ecclesia nullo reclamante proponebatur, e diametro opponitur. Non infitiemur posse in dispensatione indulgentiarum accidere et re vera accidisse abusus, qui tamen ipsi Ecclesiae non sunt imputandi nec propter eos ipsa est institutio reprobanda.

Hoc praetextu adversarii utuntur, ad hos abusus quos aiunt esse innumeros, provocant, cum pugnant contra indulgentias. Nisi autem saluberrima etiam cuiusque societatis instituta reicere velimus, apprime nobis, puto, inter institutionem legitimam et eius abusum est distinguendum. Legitimam esse indulgentiarum institutionem ex omnibus dictis satis elucet. Non solum in natura humana fundatur, sed cum principalibus dogmatibus Ecclesiae, ut cum veritate de peccati malitia eiusque poenis, cum doctrina de operibus meritoriis et satisfactione, cum dogmate de communione sanctorum et de purgatorio, de sacramento poenitentiae, ita necessario cohaeret, ut fidenter dicam, sine hoc dogmate in mirifico catholicae veritatis aedificio lapidem quendam necessarium desiderari. Potestas indulgendi ex sacris paginis deducitur, perpetua traditione sancitur, modus ipse legitima et successiva evolutione determinatur. Quid ergo ad rem abusus, si qui acciderint? Ecclesiam pro pecunia indulgentias vendidisse, assertio est, ut supra diximus, nullo testimonio fulta: nec unquam id Ecclesia facere potuisset absque contradictione cum perpetua indulgentiae et poenitentiae praxi et absque insigni admiratione et reclamatione iustorum Ecclesiae, qui in ea numquam defuerunt.

Sed dices, nonne historia docet, occasione iubilaeorum multos se ex pecunia peregrinorum ditasse? Sed aliud, puto, est, occasione indulgentiae divitem fieri, aliud indulgentiam vendere. Gravius utique est, si, quod re vera accidit, pecunia ad indulgentiam lucrandam pro elee-

[69]) V. pag. 21.

mosyna data, sive a quaestoribus (collectoribus)[70]) sive a Praelatis in proprium usum, etiam superfluum et iniustum impendebatur. In utroque casu magna habetur inordinatio, essentia tamen indulgentiae, dummodo ipsa re vera ab Ecclesia concessa sit et intentio lucrandi eam adsit, servatur, nec in hoc casu de venditione sermo esse potest. Innumeros autem fuisse huiusmodi casus, certe exaggeratio est nec ex historia, quae probare, non fingere debet facta, ostenditur. Ecclesia saepe contra abusus reclamavit, ita ut merito auctor quidam dicat,[72]) nos omnes fere abusus ex condemnatione Ecclesiae et reclamatione theologorum catholicorum scire. — Abusus quosdam in Ecclesia, cum ex hominibus constet, circa rem, cuius praxis non erat in omnibus universim determinata, sed paulatim evolvebatur, accidere potuisse, mirum esse non debet et ex facto, indulgentias saepe per quaestores intermedios propagatas esse, facilius explicatur. — Cuicunque abusui Ecclesia se fortiter opposuit. Ita Ioannes XXII. anno 1330 in Fratres Ordinis hospitalis propter abusum litterarum indulgentiarum graviter animadvertit: idem praetensas Angeli Spoletani haeretici indulgentias reprobavit.[73]) Quaestores indulgentiarum potestate sua abutentes occasione anni iubilaei 1396 a Bonifatio IX carcere puniti sunt.[74]) Iam Concilium Viennense anno 1311 de iis conqueritur et in eos animadvertit qui „non sine multa temeritatis audacia et deceptione multiplici“ animarum, indulgentias populo motu suo proprio de facto concedant .... animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferunt, de purgatorio extrahant et ad gaudia Paradisi perducant“ etc. Ad tollendas omnes aequivocationes iam concilium Constantiense 1418 et deinde synodus Magdeburgensis 1450 indulgentias sub formula remissionis „a culpa et poena“ dare prohibuit.[75]) Contra quaestorum excessus iam concilium Basileense insurrexit; a concilio Tridentino munus quaestorum omnino abolitum idque per bullam Pii IV[i] „Decet Romanum Pontificem“ confirmatum est. Pius V. (1566—72) anno 1567 bulla „Etsi Dominici gregis“ omnes quascunque taxas pro indulgentiis severe prohibuit. — Itaque quicunque abusus, qui insanis surculis firmae arboris ex vita superabundanti et florenti organismo procedenti comparari possunt, ab Ecclesia non solum non fovebantur, sed severe coërcebantur.

Adducunt, etiam adversarii contra doctrinam nostram exempla indulgentiarum exaggeratarum plurium saeculorum et mille annorum. Licet nobis in hoc nulla appareat difficultas, cum tempus poenarum temporalium ignotum nobis sit et Ecclesia etiam plenariam indulgentiam legitime impertiat, tamen historia teste dicendum huiusmodi indulgentias fere omnes ad apocryphas[76]) pertinere, quorum numerus praecipue ex

---

[70]) Cf. de ipsis Gröne, o. c., p. 84 ss.
[71]) Lépicier, o. c., t. II., p. 161.
[72]) Raynaldi Annal, A. D. 1331, n. 6.
[73]) Fleury, Hist. Eccl., l. X, c. VIII, n. 54.
[74]) Rayn., o. c., A. D. 1450, n. 10.
[75]) Beringer, o. c., p. 58.
[76]) Cf. Denifle, Luther u. Luthertum. Mainz 1904.

saeculo XIII°, ubi rarus adhuc fuit indulgentiarum usus, sat magnus habetur. Ceterum si quoad aliquas indulgentias apocryphas prius dubium aliquod habebatur, hoc post decretum Leonis XIII[i] ex 26. Maii 1898 et post authenticam editionem collectionis indulgentiarum („Raccolta") omnino evanescit.

V.

Iubilaeis ordinariis introductis praxis indulgentiae universalis et communis est facta et per ultima huius temporis Pontificum decreta, praesertim per Clementis VI[i] bullam „Unigenitus" doctrina ad ultima usque delineamenta est determinata. Nil mirum igitur, si contra Lutherum, cum anno 1517 affixis suis 95 thesibus Wittenbergae contra indulgentias insurrexisset statim theologi catholici reclamarunt. Erraret tamen profecto, qui putaret doctrinam de indulgentiis vel abusus irrepentes rationem fuisse causae Lutheri. Rationes potius profundius quaerendae sunt imprimis in vita ipsius et recessu a schola theologica. [77] Sicut doctrina catholica de indulgentiis cum fundamentalibus Ecclesiae dogmatibus necessario cohaeret, ita indulgentiarum contemptus non est nisi consequentia aliorum errorum de sola fide iustificante, de modo satisfactionis, de operibus bonis, de libertate voluntatis, quae omnia iterum in Lutheri systemate subsistere non potuerunt nisi vi traditionis negata et auctoritate ecclesiastica postposita. Non esse quaestionem de legitimate vel illegitimitate indulgentiae, sed de auctoritate Ecclesiae neganda vel admittenda, totus modus agendi Lutheri ostendebat, effectus operis eius aperte demonstravit. Iam ipsae theses Lutheri de indulgentiis agentes (th. 17—22) contradicunt inter se, cum indulgentiae modo licitae, aliquibus utiles et necessariae, modo fraudulentae, non expedientes et sine ullo effectu esse dicantur. In disputatione sua cum Eckio 11. Iulii 1519 Lutherus testimoniis et argumentis coactus indulgentias legitimas esse concessit, solummodo de abusibus et potestatis Pontificis „excessu" conquestus, postea autem totam doctrinam reiecit. Interrogatus a legato Caietano,n um auctoritatem Papae agnosceret, Lutherus respondit, se Papam ut Ecclesiae caput agnoscere, simul tamen distinxit inter Papam „male informatum et melius informandum" et mira inconsequentia bullas Pontificias, inter alias etiam Clementis VI[i] bullam „Unigenitus" reiecit, Pontifici primo ficte se subiecit, paulo post sine tergiversatione aperteque auctoritati ecclesiasticae se opposuit et veram defectionis suae causam patefecit.

Interim Ecclesia cum sit in secura veritatis et iuris possessione, non disputat, non concessiones facit, sed doctrinam suam eodem modo per magisterium suum ordinarium proponit, eandem praxim indulgentiarum prosequitur, immo novas indulgentias, inter quas illa „pro lectione librorum bonorum" memoratu digna est, impertit. Lutherus autem, irritis omnibus conatibus reconciliationis, primo condemnatur (15. Iunii 1520), deinde excommunicatur (3. Ian 1521).

Tristes operis Lutheri effectus ex historia sat noti sunt. Ecclesia Mater defectionem plurimorum filiorum deploravit, integras gentes a

---

[77]) **Amort**, P. I., sect. II., p. 44, n. 19. — **Döllinger**, Beiträge zur politischen, kirchlichen u. Kulturgeschichte, III. 250.

Christi corpore mystico separari vidit, ex vulneribus per „Reformatores" inflictis longo tempore dolebat. — Nihilominus voluit Providentia Dei, „qui melius iudicavit de malis bene facere quam mala nulla esse permittere" (Aug.) etiam hoc malum occasionem multiplicis boni facere. Dogmata Ecclesiae accuratius definita, disciplina reformata, praxis diversarum institutionum est determinata, ubique nova et vegetior refloruit vita. — Hoc imprimis de indulgentiis valet. Iam per bullas Leonis X[i] „Cum postquam" (9. Nov. 1518) et „Exsurge Domine" (15. Iunii 1520) tota doctrina de indulgentiis de novo et accurate proposita est, inde a tempore reformationis quae dicitur usque ad praesens tempus usus indulgentiarum frequentior factus, a sanctissimis et Ecclesiae addictissimis viris ut s. Ignatio, b. Petro Canisio etc. valde commendatus (et adhibitus), praxi indulgentiae specialis cura est ab Ecclesia tributa. Anni iubilaei ordinarie celebrantur, plurimae orationes et pii usus necnon res sacrae indulgentiis ditantur, abusus fortiter reprimuntur.[78]) Ad hos praecipue abusus tollendos iam a Clemente VIII° (1692—1605) specialis commissio constituta est, a Clemente IX (1667—69) „Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum"[79]) condita, cuius est indulgentias examinare, falsas a genuinis discernere, abusus tollere, collectiones indulgentiarnm conficere, decreta et praescriptiones edere. Huius congregationis auctoritate multae indulgentiae invalidae declaratae sunt[80]) necnon collectio authentica indulgentiarum sub nomine „Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze". Ult. edit. Roma 1898. et „Decreta authentica sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae"[81]) edita sunt.

Veritati igitur consonum non est, Ecclesiam a tempore Lutheri minus largam esse in concedendis indulgentiis. Immo si numerum orationum indulgentiis ditatarum et indulgentiarum conditiones spectaveris, facilior nunc via ad lucrandas indulgentias et maior Ecclesiae liberalitas apparet, ita ut potius quaestio exsurgat, unde tanta Ecclesiae largitudo et quomodo discrimen inter antiquam Ecclesiae praxim poenitentialem et hodiernum indulgendi modum explicetur? Ad quod aliqui respondent dicendo multiplicatas esse quidem indulgentias, non tamen facile esse lucrandas propter condiciones appositas, puta statum gratiae et, ut in indulgentia plenaria, omnis ad veniale peccatum affectus voluntarii exclusionem. — Sed hoc, salvo meliore iudicio, verum nobis esse non videtur. Primo id modo, quo doctrina de indulgentiis per ordinarium magisterium proponitur, non respondet, cum Ecclesia ad frequentem indulgentiarum usum excitandum facilitatem potius quam difficultatem lucrandi ostendat, quae persuasio etiam apud populum christianum habetur; secundo singulis indulgentiae condicionibus consideratis nulla peculiaris difficultas invenitur pro iis, qui secus christiane vivere consueverunt, ex eo quod status gratiae et libertas ab affectu peccati

---

78) Beringer, o. c., p. 86 ss.
79) Cf. e. gr. Analecta eccles. Ann. III. (1899) pp. 112, 116, 117 ss.
80) Ratisbone, Pustet 1883.
81) Cf. Bellarm.. De Indulg., l. I., c. I.

venialis requiritur (aliud certe est in peccata venialia non labi, aliud affectum ad ipsa fovere); postremo etiam conditiones poenitentiae antiquae, nedum graviores, certe aequales erant. Respondendum ergo, ut supra, praxim indulgendi re vera esse in Ecclesia hodie mitiorem, viam poenas temporales luendi faciliorem. — Quamvis admirabiles vias oeconomiae Spiritus Sancti in gratiis distribuendis, prout in pulcherrima parabola de vineae operariis adumbrantur, investigare non possimus, licebit tamen aliquas rationes mutatae in Ecclesia praxis suspicari. Ecclesia in suo modo agendi bonam matrem imitatur, quae filiis iunioribus et debilioribus quibus genus humanum hodie comparari potest, maiorem caritatem et sollicitudinem ostendit. Eo facilius hoc fit, cum ex una parte meritis superabundantibus iustorum thesaurus Ecclesiae augeatur, ex altera parte pericula fidei christianae in dies crescant. Nec analogia in aliis institutionibus, puta in ieiunio, excommunicatione etc., deest, quorum praxis decursu temporis mitigata est.

In fine satisfaciendum esset quibusdam difficultatibus, quorum tamen praecipuae iam decursu tractatus praeoccupatae sunt. Iis enim, qui Ecclesiam propter indulgentiarum praxim novitatis accusant vel de abusibus conqueruntur, iam supra respondimus. Sunt inter adversarios, qui per indulgentias satisfactionem et mortem Iesu Christi vilipendi dicant. Sed nisi quis contra naturae humanae vocem et Scripturae traditionisque testimonia mortem Christi omnes aequaliter, Sanctos et obstinatos, ad salutem perducere et omnem satisfactionem propriam vel meritum personale impossibilia reddere affirmare velit, facile videbit per indulgentias, per quas merita Christi singulis applicantur, mortem et satisfactionem Christi non vilipendi, sed magis aestimari. Cum enim indulgentias lucrantes persuasum habeant, poenas temporales sibi nonnisi propter Christi et iustorum merita condonari, de novo semper mortem Christi meditari infinitumque pretium sanguinis eius iterum iterumque considerare adiguntur. — Simili modo alteri difficultati, quasi per indulgentias fideles ad hoc inducerentur, ut peccatum eiusque poenas parvi facerent, est respondendum. Per indulgentias vice versa peccati gravitas et poenae severitas, magis cognoscitur. Ratio enim indulgentiis utendi praecise est peccatorum poenae gravitas et severitas, quae nonnisi per merita Christi et sanctorum remittitur, inter condiciones autem, quae licet non tam difficiles, ut aliqui putant, tamen sat graves sunt, praesertim sincera de peccatis poenitentia et libertas ab affectu ad peccatum numerantur.

Si adversariis credere velis, indulgentiae non solum essent plane inutiles, sed valde nocivae, immo omnium in Ecclesia malorum fons et fundamentum. Undenam tamen hoc probatur? Omnes, quibus in Ecclesia cura animarum commissa est, uno ore testantur, ibi fidem magis vigere, peccata vitari, virtutes coli, verbo vitam christianam florere, ubi usus indulgentiarum frequens est. Et re vera indulgentiarum nocumentum non solum nullum probatur, sed e contrario vix aliqua institutio est, quae tales tantasque utilitates afferat. Nonne iam ipsa poenae peccati remissio magna est utilitas et fidelium ingens solatium? Per indulgentias fidem foveri ex earum nexu cum pluribus dogmatibus saepius allato patet. Sincera

poenitentia, sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae susceptio, quae ad indulgentias lucrandas requiruntur, non possunt non conferre valde ad internam vitae mutationem et vitae christianae fomentum. Cum ordinarie indulgentiae condicio oratio sit plurimaeque orationes indulgentiis ditentur, usus orationis per eas valde promovetur. Neve dicas orationem ex tali motivo factam non esse magni valoris: nam vix ullum fidelium invenies, qui non pro necessitatibus suis oret, nec aliunde motivum hoc malum est, nisi positive ulterior finis excludatur. — Per indulgentias admirabile caritatis vinculum inter ecclesiam in terris militantem et animas in purgatorio patientes fovetur, stabilitur, sustinetur. — Per indulgentias auctoritas Ecclesiae agnoscitur, Matris caritas et sollicitudo a filiis cognoscitur et honoratur, Ecclesiae unitas firmatur. — Neque pro bono temporali indulgentias sine utilitate esse, immo ad felicitatem temporalem valde conferre, ex iis, quae de exstructione monumentorum ecclesiasticorum ope indulgentiarum dicta sunt, ex multis institutis, quae indulgentiis debentur, ex iubilaeis facile colliges. Non mirum igitur, si optimi quique et gravissimi Ecclesiae viri indulgentiarum fructus et utilitates disertissimis verbis praedicent.[82]) Quam pulchra sunt verba quibus cardinalis Wisemann a. 1825 vel Leo XIII. in bulla sua a 1900 multiplices et vere mirabiles iubilaeorum utilitates describunt![83]) Hae utilitates tam evidentes sunt, ut ne ab adversariis quidem ex toto negari possint, ut ex testimoniis d'Alemberti, Voltairii etc.[84]) patet.

Tota adversariorum pugna non in quibuscunque difficultatibus originem habet, sed ex negatione auctoritatis ecclesiasticae procedit; hac concessa nulla difficultas. Haec autem pugna praecise maxima nobis est ratio legitimatem et utilitatem indulgentiarum asserendi: ea enim ab adversariis omni conatu negantur, quae Ecclesiae maximum robur et summam vim afferunt. —

Hisce tractatui nostro finem imponimus lectorem, qui uberiorem rerum propositarum expositionem optat, ad maiora opera, quae passim in textu allegavimus, remittentes. Hoc unum tamen etiam paucis illis, quae proposuimus, nos demonstrasse persuasum habemus: indulgentiam nil novi esse et inusitati; sed cum fundamentalibus dogmatibus necessario cohaerere, praxim legitime sese evolvisse, magnumque esse indulgentiarum beneficium. Quae omnia utinam in nobis magnam indulgentiarum aestimationem excitent et ad orationem ferventem moveant, ut etiam fratres errantes veritatem integram cognoscant, ut huius beneficii participes fiant, neve circumferantur vento diversae doctrinae, sed omnes nobiscum unum sint!

Dr. *Boh. Spáčil*

---

[82]) Lépicier, o. c., t. II., p. 273.
[83]) Lépicier, o. c., t. II., p. 276. — Beringer, o. c., p. 51., 52.

XVIII.

De sensu epicleseos iuxta Germanum Constantinopolitanum.

Habetur sub nomine Germani archiepiscopi Constantinopolitani quaedam commentatio liturgica, quae inscribitur: „Ἱστορία ἐκκλησιαστικὴ καὶ μυστικὴ θεωρία“, quam Romae typis primum mandavit Demetrius Doukas, cretensis, anno 1526; deinceps plures editiones prodiere [1]). Sunt codices, qui hanc commentationem non Germano Constantinopolitano sed divo Basilio tribuant, alii sancto Cyrillo hierosolymitano, alii aliis [2]). Quisnam sit genuinus operis auctor, non est una omnium criticorum sententia. Nemo quidem opus cuiquam ex Patribus, qui ante saeculum quintum post Christum floruerunt adsignat, sed, cum duo fuerint Germani, Ecclesiae Constantinopolitanae patriarchae, videlicet sanctus Germanus primus (715—719) et Germanus secundus (1222—1240) quaeritur uter Mysticam Contemplationem scripserit. Fronto Ducaeus, Allatius, Gretser, Oudinus, alii Germano secundo favent; quorum sententiam omnino falsam esse evincunt alii, non solum ex hoc, quod auctor finem mundi 992 eventurum dicit, sed etiam testimonio duorum codicum latinam interpretationem huius operis referentium, quos saeculo decimo antiquiores esse constat [3]). Restat igitur ut hanc commentationem, sive sancto Germano, sive alii auctori byzantino, qui tamen ante saeculum decimum vixerit, adscribamus.

Sed aliquod negotium facessit memorata interpretatio latina, cuius auctor fuit Anastasius bibliothecarius. Hanc enim si cum textu graeco conferas, multa in illâ deesse invenies quae praefert iste. Si certo constaret Anastasium textum primigenium ex integro transtulisse, concludendum utique foret omnia, quae versio latina non habet, spuria additamenta esse; sed legenti hanc versionem suspicio ingeritur Anastasium multa omisisse, sive consulto, sive quia codex quem prae oculis habebat, non erat nisi quaedam epitome genuini operis [4]). Ceterum dubium non est quin textus graecus plures interpolationes contineat, id quod lectori, parumper liturgiae graecae perito, facile patet. Sed criticae satis.

---

[1]) Editio sexta fuit Gallandi, Bibliotheca veterum patrum, Venet. 1765, t. XIII, p. 203; hanc nos adhibemus, prout a Migne, P. G., t. XCVIII, col. 384—454, refertur. Anno 1885, N. Krasnosel'cev septimam editionem una cum vetere quâdam interpretatione russica publicavit, Svědenija o někotoryh liturgičeskih rukopisjah Vatikanskoj biblioteki, Kazan, p. 323.

[2]) Vide *S. Petrides,* A. ab As., Traités liturgiques de saint Maxime et de saint Germain traduits par Anastase le bibliothécaire, in folio periodico: Revue de l'Orient Chrétien, t. X (1905) p. 289—313, 350—364. Nuperrime F. E. Brigtman varios codices Mysticam Contemplationem continentes sollicite contulit, sed exinde non erintur certa conclusio circa auctorem, immo hanc quaestionem implicatissimam esse manifestius evadit. Notes and studies the historia mystagogica and other greek commentaries on the byzantine Liturgy, in the Journal of theological studies, January and April 1908, vol. IX, p. 248—267, 387—397.

[3]) Ibid. p. 290.

[4]) Il est possible que, si saint Germain a vraiment composé un commentaire liturgique, et ceci me paraît très probable, il est possible qu' Anastase n'en ait pas connu le texte authentique, mais seulement un résumé, analogue au résumé de saint Maxime qu' il avait aussi entre les mains. S. Petrides, ibid., p. 295.

Iam inquiramus num in Mysticâ Contemplatione aliquid inveniatur quod lucem afferat pro solvendâ quaestione illâ intricatissimâ de sensû epicleseos in liturgiâ graecâ.

Interpretatio latina Anastasii de verbis consecrationis et de epiclesi omnino silet, sed non ita textus graecus. Hic enim conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi verbis dominicis fieri satis expresse declarat, antequam epiclesis a sacerdote dicatur. Postquam auctor hymnum seraphicum seu „Sanctus“ explicavit et mysticam significationem flabellorum (*τῶν ῥιπιδίων*) dedit, sic prosequitur:[5])

„Deinde rursus sacerdos recitat Deo et Patri incarnationis Christi mysteria, ex sanctâ Virgine et Deipara ineffabilem generationem, conversationem et habitationem in mundo, crucem, mortem, eius ad inferos descensum, vinctorum illic liberationem ab illo factam, triduanam et sanctam a mortuis resurrectionem, in caelos ascensionem, a dextris Dei et Patris sessionem, secundum et futurum eius reditum ad nos. Et rursus alloquitur Deum ingenitum, hoc est Deum et Patrem, et uterum ante luciferum et ante saecula Filium gignentem, sicut ait: »Ex utero ante luciferum genui te.« Et rursus obsecrat ut conficiatur mysterium Filii eius et generetur, hoc est ut panis et vinum in corpus et sanguinem Christi et Dei transmutentur, ita ut impleatur illud: »Ego hodie genui te«. Unde et sanctus Spiritus, beneplacito Patris

---

[5]) Migne, P. G., t. XCVIII, col. 436—437: Εἶτα πάλιν ὁ ἱερεὺς ἐπαγγέλει τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ τὰ τῆς Χριστοῦ ἐνανθρωπήσεως μυστήρια, τὴν ἐξ ἁγίας παρθένου καὶ θεοτόκου ἀνέκφραστον γέννησιν, τὴν ἀναστροφὴν καὶ ἐμπολίτευσιν τὴν ἐν τῷ κόσμῳ, τὸν σταυρὸν, τὸν θάνατον, τὴν ἐν τῷ ᾅδῃ αὐτοῦ κατάβασιν, τὴν τῶν δεσμίων δι' αὐτοῦ ἐλευθερίαν, τὴν ἐκ νεκρῶν τριήμερον καὶ ἁγίαν ἀνάστασιν, τὴν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀνάληψιν, τὴν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς καθέδραν, τὴν δευτέραν καὶ μέλλουσαν αὐτοῦ ἔνδοξον παρουσίαν πάλιν, τὴν πρὸς ἡμᾶς. Καὶ πάλιν μυσταγωγεῖται Θεὸν ἀγέννητον, τουτέστι Θεὸν καὶ Πατέρα, καὶ γαστέρα πρὸ ἑωσφόρου καὶ πρὸ αἰώνων τὸν Υἱὸν γεννῶσαν, καθὼς λέγει· „Ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου γεγέννηκά σε·“ Καὶ παρακαλεῖ πάλιν τελειῶσαι τὸ μυστήριον τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ γεννηθῆναι, ἤτοι μεταποιηθῆναι αὐτὸν τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ, καὶ πληρωθήσεται τό· „Ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.“ Ὅθεν καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, τῇ εὐδοκίᾳ τοῦ Πατρὸς καὶ βουλήσει τοῦ Υἱοῦ, ἀοράτως παρόν, ὑποδεικνύει τὴν θείαν ἐνέργειαν, καὶ τῇ χειρὶ τοῦ ἱερέως ἐπισφραγίζει καὶ μεταβάλλει καὶ τελειοῖ τὰ προκείμενα ἅγια δῶρα εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ εἰπόντος, ὅτι „Ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, ἵνα ὦσι καὶ αὐτοὶ ἡγιασμένοι.“ Ὅπως; „Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει κἀγὼ ἐν αὐτῷ.“

Ὅθεν γενόμενοι θείων μυστηρίων αὐτόπται, καὶ μέτοχοι ζωῆς ἀθανάτου, καὶ κοινωνοὶ θείας φύσεως, δοξάζομεν τὸ μέγα καὶ ἀκατάληπτον καὶ ἀνεξιχνίαστον μυστήριον τῆς οἰκονομίας τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ· δοξάζοντες δὲ βοῶμεν· „Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέροντες·“ ἐκ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ εἰπόντος· „Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν·“ ὅ ἐστιν· Ἃ ἡμῖν διὰ τῶν ἁγίων σου ἀποστόλων παρέδωκας, ταῦτά σοι προσφέρομεν διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν. Ὁ λαός· „Σὲ ὑμνοῦμεν, τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα· Σὲ εὐλογοῦμεν, τὸν Υἱὸν καὶ Λόγον· Σοὶ εὐχαριστοῦμεν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· Κύριε, ὁ Θεὸς ἡμῶν“ Τριὰς ἐν μονάδι, καὶ μόνας ἐν τριάδι, ὁμοούσιε καὶ ἀδιαίρετε, παράδοξον ἔχουσα καὶ τὴν διαίρεσιν τῶν προσώπων, καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς μιᾶς φύσεως καὶ θεότητος.

Καὶ γὰρ τὸ ἐπικεκυφότως ποιεῖν τὸν ἱερέα τὴν θείαν μυσταγωγίαν, ἐμφαίνει τὸ συλλαλεῖν ἀοράτως τῷ μόνῳ Θεῷ. Ὅθεν καὶ τὴν θείαν φωτοφάνειαν ὁρᾷ, καὶ τῇ λαμπρότητι τῆς δόξης τοῦ προσώπου τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐμφαιδρύνεται, καὶ ὑποστέλλει ἑαυτὸν τῷ φόβῳ καὶ τῇ αἰδοῖ· καθὼς Μωσῆς, ὅτε εἶδε τὸν Θεὸν ἐν εἴδει πυρὸς ἐν τῷ ὄρει, ἔντρομος γενόμενος, ἀνέστρεψε καὶ ἐκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ.

et voluntate Filii invisibiliter praesens, submonstrat divinam operationem et manu sacerdotis obsignat et transmutat et perficit proposita sancta dona in corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi qui dicit: »Pro ipsis ego sanctifico meipsum, ut sint ipsi sanctificati«. Quo pacto? »Qui manducat meam carnem et bibimeum sanguinem, in me manet et ego in eo«.

„Unde divinorum mysteriorum spectatores facti, et immortalis vitae participes et divinae naturae consortes, glorificamus magnum, incomprehensibile et investigabile mysterium dispensationis Filii Dei: glorificantes autem clamamus: »Tua de tuis tibi offerentes« de tuo corpore et sanguine qui dixisti: »Hoc facite in meam commemorationem«; hoc est: »Quae nobis per sanctos apostolos tuos tradidisti, ea tibi offerimus propter nostram salutem.« *Populus*: »Te hymnis celebramus, Deum et Patrem, tibi benedicimus, Filio et Verbo; tibi gratias agimus, sancto Spiritui, Domine, Deus noster, trinitas in unitate et unitas in trinitate, consubstantialis et indivisibilis, miram habens et personarum distinctionem et unius naturae deitatis unionem.«

„Et quod pronus sacerdos divinam mystagogiam facit, id declarat eum invisibiliter cum solo Deo colloqui. Unde et divinam lucis apparitionem cernit, et ad splendorem gloriae vultus Filii Dei exhilarescit, et se subtrahit timore et verecundia, quemadmodum Moyses, cum Deum vidit in monte ignis specie, perterrefactus recessit et occultavit faciem suam“.

Ut locus iste bene intellegatur, prae oculis habenda est liturgia sancti Basilii; nam auctor noster in suâ commentatione pedetemptim verba liturgica sequitur.

Primo quidem alludit ad orationem satis longam liturgiae basilianae quae immediate praecedit verba institutionis Eucharistiae et quae sic incipit: „*Μετὰ τούτων τῶν μακαρίων δυνάμεων, Δέσποτα φιλάνθρωπε . . .* “ Illa enim oratio sola est, quae omnia Christi mysteria recenseat ab auctore memorata.

Secundo mysticum alloquium sacerdotis ad Deum Patrem (*μυσταγωγεῖται Θεὸν ἀγέννητον*), quo postulat, ut perficiatur mysterium Christi, ut Filius quodammodo de novo generetur, intellegi debet de ipsâ narratione eorum, quae in ultimâ cenâ Christus gessit, et quae non solum narrative, sed etiam effective et in persona Christi ab ipso sacerdote proferuntur. Cum autem transsubstantiatio sit opus ad extra, tres personae trinitatis ad eam efficiendam concurrunt, ita tamen ut Spiritui sancto „*δι᾽ οὗ ἅπαντα τὰ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς ἁγιάζεται*“ [6]), specialiter tribuatur: quod volens exprimere auctor noster dicit: „*Τὸ ἅγιον Πνεῦμα, τῇ εὐδοκίᾳ τοῦ Πατρὸς, καὶ βουλήσει τοῦ Υἱοῦ, ἀοράτως παρὸν, ὑποδεικνύει τὴν θείαν ἐνέργειαν, καὶ τῇ χειρὶ τοῦ ἱερέως ἐπισφραγίζει, καὶ μεταβάλλει καὶ τελειοῖ τὰ προκείμενα ἅγια δῶρα εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ*“. Nemo autem objiciat his verbis sanctum Germanum non ad verba dominica sed ad epiclesim

---

[6]) Ibid., col. 432, versus finem.

alludere: nam post hanc miram conversionem panis et vini a Spiritu sancto „per manum et linguam sacerdotis confectam“ [7]) celebrans clamat: „*Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέροντες*“ cui populus respondet: „*Σὲ ὑμνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν, σοὶ εὐχαριστοῦμεν, Κύριε, ὁ Θεὸς ἡμῶν*“; quae *ἐκφώνησις*, tam in liturgiâ sancti Ioannis Chrysostomi quam in basilianâ, ut omnibus notum est, venit post prolationem verborum Domini sed ante epiclesim. Ergo ante epiclesim, transsubstantiatio iam facta est; sacerdos iam fuit „*αὐτόπτης θείων μυστηρίων*“; iam offert Christo Deo pro salute mundi ea, quae ipse Christus nobis per sanctos apostolos tradidit, hoc est, corpus et sanguinem dominicum. (*Ἃ ἡμῖν διὰ τῶν ἁγίων σου ἀποστόλων παρέδωκας, ταῦτα σοὶ προσφέρομεν*).

Tertio iuxta sanctum Germanum, sacerdos pronus (*ἐπικεκυφότως*) facit divinam mystagogiam, hoc est, divinum sacrificium, divinam Eucharistiam. Haec autem inclinatio ipsissima est illa quam rubricae praescribunt a sacerdote fieri, cum dicit: „*Λάβετε, φάγετε . . .*“. Cum autem proferuntur verba epicleseos, eaedem rubricae, etiam hodiernae, etiam illae quae in euchologiis ad usum separatorum leguntur sic se habent: „*Ὁ Ἱερεὺς ἀνιστάμενος, σφραγίζει τοὶς τὰ ἅγια δῶρα, λέγων· Ποίησον τὸν μὲν ἄρτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου* (liturgia sancti I. Chrysostomi) vel: „*Τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ Κυρίου*“ (liturgia sancti Basilii). Et quid videt sacerdos, cum pronus verba dominica pronuntiat? „Videt *τὴν θείαν φωτοφάνειαν*, et ad splendorem gloriae vultûs Filii Dei exhilarescit“ qui vere et realiter sub speciebus panis et vini fit praesens [8]).

Quarto explanatio nostra novum accipit robur ex his quae subsequuntur. Nam sanctus Germanus, postquam aliam explicationem exclamationis „*Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν*“ proposuit, et orationem liturgiae basilianae memoravit, in cuius fine venit epiclesis, et in quâ invenitur vocabulum „*τὰ ἀντίτυπα*“ [9]) tandem de ipsa epiclesi expresse loquitur his verbis:

„Signantur autem divina dona, ut adventû et gloriosâ sancti Spiritûs praesentiâ transmutet [Deus] et faciat panem quidem, ipsum pretiosum corpus Domini nostri Iesu Christi, quod autem est in calice, ipsum pretiosum sanguinem magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita et salute; et ut participantibus ex eo fiat in remissionem peccatorum et vitam aeternam [10]).

---

7) Τοῦτο [τὸ ἅγιον Πνεῦμα] διὰ τῆς χειρὸς τῶν ἱερέων καὶ τῆς γλώττης τὰ μυστήρια τελεσιουργεῖ, Ibid., col. 433.

8) Circa caerimonias, quae totam illam liturgiae partem exornant, in quâ verba Domini recitantur, nec non illarum significationem, vide *D. M. Haluščyńskyj*, De nova illustratione epicleseos ex liturgiâ Ecclesiae orientalis, praecipue graecae ac russicae petita, in Actibus I. conventus Velehradensis, p. 56 – 73.

9) De sensu vocis „ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος“ in missâ sancti Basilii, dixi in Echos D'Orient, Iul. 1906, p. 192–198.

10) Τὸ δὲ σφραγίσαι τὰ θεῖα δῶρα, ἵνα τῇ ἐπιφοιτήσει καὶ ἐνδόξῳ παρουσίᾳ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος, μεταβάλλῃ καὶ ποιήσῃ, τὸν μὲν ἄρτον, αὐτὸ τὸ τίμιον

Hic agi de epiclesi aperte demonstrant et contextus et textus et ipsum verbum „σφραγίζειν“, quod adhibetur in rubricâ supra relatâ. Quis autem sit sensus epicleseos, sanctus Germanus expresse non declarat, sed facile colligi potest ex omnibus, quae iam dicta sunt. Si enim post verborum dominicorum prolationem, transsubstantiatio iam facta est, epiclesis eo spectare non potest, nisi ut cooperationem Patris et Spiritus sancti diserte indicet. Dico: Patris et Spiritus sancti et non solum Spiritus sancti, quia epiclesi sacerdos obsecrat Patrem, vel ut ipse transmutet dona Spiritu suo sancto (Liturgia Chrysostomiana), vel ut mittat Spiritum sanctum ad benedicenda et sanctificanda et demonstranda dona (Liturgia basiliana).

Adest alius locus Mysticae contemplationis ad elucidandam praesentem quaestionem non parum conferens, quam Nicolaus Cabasilas in liturgiae expositione, capite XXVIII⁰, ad verbum exscripsit [11]), quasi cum sententiâ istius de formâ Eucharistiae non aperte pugnaret. En verba [12]).

„Ipse dicit: »Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.« Ipse et apostolis iussit, et per illos universae Ecclesiae, haec facere: »Hoc enim, ait, facite in meam commemorationem« Non sane id facere iussisset, nisi virtutem inditurus fuisset ut id facere liceret. Et quae est virtus? Spiritus sanctus, virtus quae ex alto apostolos armavit, ut eis a Domino dictum fuerat: »Sedete in urbe Ierusalem, quoadusque induamini virtute ex alto.« Hoc opus est huius descensus; non enim postquam semel descendit, in posterum dereliquit nos, sed est nobiscum et erit in perpetuum et in aevum. Hoc per manum sacerdotum et linguam mysteria conficit. Et non

---

σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ, αὐτὸ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ ἐκχυθὲν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς καὶ σωτηρίας· καὶ ἵνα τοῖς μεταλαμβάνουσι ἐξ αὐτοῦ, γένηται εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον, P. G., t. XCVIII. col. 440.

[11]) Migne, P. G., t. CL, col. 426—427.

[12]) Αὐτὸς εἶπε: „Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τοῦτο τὸ αἷμά μου.“ Αὐτὸς καὶ τοῖς ἀποστόλοις ἐκέλευσε, καὶ δι' ἐκείνων, ἁπάσῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ, τοῦτο ποιεῖν· „Τοῦτο γάρ, φησι, ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.“ Οὐκ ἂν ἐκέλευσε τοῦτο ποιεῖν, εἰ μὴ δύναμιν ἐνθῆσαι ἔμελλεν, ὥστε δύνασθαι τοῦτο ποιεῖν. Καὶ τίς ἡ δύναμις; Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἡ ἐξ ὕψους τοὺς ἀποστόλους ὁπλίσασα, κατὰ τὸ εἰρημένον πρὸς αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ Κυρίου· „Καθίσατε ἐν τῇ πόλει Ἰερουσαλὴμ ἕως ἂν ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους.“ Τοῦτο τὸ ἔργον ἐκείνης τῆς καθόδου· οὐ γὰρ κατελθὸν ἅπαξ, εἶτα ἀπολέλοιπεν ἡμᾶς, ἀλλὰ μεθ' ἡμῶν ἐστι, καὶ ἔσται μέχρι παντὸς εἰς τὸν αἰῶνα. Τοῦτο διὰ τῆς χειρὸς τῶν ἱερέων καὶ τῆς γλώττης τὰ μυστήρια τελεσιουργεῖ· καὶ οὐ τὸ ἅγιον Πνεῦμα μόνον ἔπεμψεν ὁ Κύριος ἡμῶν, ὥστε μένειν μεθ' ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐπηγγείλατο μένειν μεθ' ἡμῶν, „ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.“ Ἀλλ' ὁ μὲν παράκλητος ἀόρατος πάρεστιν, ὅτι σῶμα αὐτὸς οὐκ ἐφόρεσεν. Ὁ δὲ Κύριος καὶ ὁρᾶται, καὶ ἁφῆς ἀνέχεται διὰ τῶν φρικτῶν καὶ ἱερῶν μυστηρίων, ὡς ἂν τὴν ἡμετέραν φύσιν δεξάμενος, καὶ φέρων εἰς τοὺς αἰῶνας Αὕτη ἡ τῆς ἱερωσύνης δύναμις· οὗτος ὁ ἱερεύς· οὐ γὰρ ἅπαξ ἑαυτὸν προσαγαγὼν καὶ θύσας, ἐπαύσατο τῆς ἱερωσύνης, ἀλλὰ διηνεκεῖ ταύτῃ λειτουργεῖ τὴν λειτουργίαν ἡμῶν, καθ' ἣν καὶ παράκλητός ἐστιν πρὸς τὸν Θεὸν δι' αἰῶνος, οὗ χάριν εἴρηται πρὸς αὐτὸν „Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα.“ Διὰ τοῦτο οὐδεμία τοῖς πιστοῖς περὶ τοῦ ἁγιασμοῦ τῶν δώρων ἀμφιβολλία, οὐδὲ περὶ τῶν ἄλλων τελετῶν, εἰ κατὰ τὴν πρόθεσιν καὶ τὰς εὐχὰς τῶν ἱερέων ἀποπληροῦνται. Migne, P. G., t. XCVIII, col. 435.

sanctum Spiritum dumtaxat misit Dominus noster, ut maneat nobiscum, sed et ipse pollicitus est se mansurum nobiscum usque ad consummationem saeculi." At Paraclitus invisibilis adest, quia ipse corpus non gestavit. Dominus vero et conspicitur et tangi se patitur per tremenda et sancta mysteria, ut qui nostram naturam acceperit, eamque gestet in saecula. Haec sacerdotii virtus; hic sacerdos: non enim semel cum se obtulerit et sacrificarit, sacerdotio valedixit, sed sacerdos perpetuus peragit liturgiam nostram, quâ et advocatus est pro nobis apud Deum per aevum, cuius gratiâ dictum est ad eum: »Tu es sacerdos in aeternum.« Propterea nulla fidelibus de sanctificatione donorum dubitatio superest, neque de aliis sacramentis, quando secundum propositum et preces sacerdotum complentur."

Potestne clarius doctrina catholica de formâ Eucharistiae proponi? Christus dixit: „Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus" et iussit Ecclesiam hoc idem facere. Quid est hoc idem, nisi eadem verba proferre? Sed quomodo haec verba, ab homine impotenti prolata, efficient quod significant? Respondet sanctus Germanus impotentiam hominis duplici modo suppleri: primo quidem per Spiritum sanctum, qui per manum sacerdotis dona benedicentem et illius linguam verba dominica proferentem mysteria conficit; secundo per Christum ipsum, cuius sacerdos terrestris non est nisi instrumentum animatum. Christus vero ipse est sacerdos principalis, qui *„λειτουργεῖ τὴν λειτουργίαν ἡμῶν"*; ipse est qui verba „Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus" denuo pronuntiat, et quomodo verba haec efficacia non sint, quemadmodum in ultimâ cenâ fuerunt? Unde, quoniam Filius et Spiritus sanctus una cum sacerdote agunt, „nulla fidelibus de sanctificatione donorum dubitatio superesse potest." Sed quid Pater? Num manet otiosus? Minime, nam: *„Σὺ εἶ ὁ παντοκράτωρ, ὁ σφραγίζων τὰ ἅγια δῶρα."* [13]) Ipse etiam obsignat sancta dona: Ipse „per Filium in Spiritu sancto" sicut alia opera ad extra, ita etiam transsubstantiationem operatur.

Theologi graeci et russici in verbis dominicis, prout a sacerdote intra sacram liturgiam referuntur, nonnisi colorem historicum et narrativum agnoscunt, et nomen orationis (*προσευχῆς*) illis omnino denegant. At non ita sanctus Germanus, ut ex verbis sequentibus videre est: „Quid autem dicendum de divinis flabellis, quae diaconi manu tenent et supra res sanctas derepente commovent, quasi attoniti, usque ad finem orationis a Deo dictae? [14])

Quaenam est haec *„θεόλεκτος προσευχή"*? Numquid illa, quae vocatur oratio dominica, seu „Pater Noster"? Respondent rubricae liturgicae: diaconi flabella prehendunt ad hymnum seraphicum, et deponunt statim ac sacerdos dixit: „Emitte Spiritum sanctum tuum in nos et in haec proposita dona" [15]) (Liturgia Chryso-

---

[13]) Ibid., col. 432.

[14]) Τί δ' ἄν τις εἴποι περὶ τῶν θείων ῥιπιδίων ἐγκεχειρισμένων τοῖς διακόνοις, καὶ ὑπ' αὐτῶν στρεφομένων αἰφνιδίως, ὡς ἐν ἐκπλήξει, ἄχρι τῆς θεολέκτου προσευχῆς; Ibid., col. 436.

[15]) *Goar,* Euchologium, Lut. Paris., 1647, p. 76, 77, 136.

stomiana) aut: „Rogamus, ut Spiritus sanctus tuus ad nos veniat et ad haec proposita dona, et benedicat, et sanctificet et demonstret" (Liturgia basiliana). Ergo *θεόλεκτος προσευχὴ* sunt verba institutionis, prout a sacerdote intra missam proferuntur. Eodem modo ac nos Theodorus Andidensis, qui circa finem saeculi undecimi florebat, hunc locum sancti Germani interpretatus est. Cum enim verba: „*ἄχρι τῆς θεολέκτου προσευχῆς*" aliquam ambiguitatem involverent, Theodorus ita ea explanavit: „Quid autem dicendum de flabellis, quae diaconi interim manû tenent, et quasi attoniti supra res sanctas commovent, usquedum compleatur a Deo dicta oratio, ad illud: „*Κατάπεμψον τὸ Πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα*"? [16])

Ceterum, ea quae de flabellis auctor dicere pergit eamdem suadent interpretationem. Nam flabella angelicas turmas significant, quae, praesertim passionis eius tempore, Christo astiterunt, „in singulis quae fiebant admirantes, et patientiae magnitudine obstupescentes, nunc quidem velatâ facie sese avertentes, nunc vero redeuntes et iterum Domini sui maiestatem reverentes, usque ad eius elationem in crucem" [17]). Ex quo apparet sacrificium eucharisticum, quod est mystica repraesentatio sacrificii crucis, esse peractum, iuxta sanctum Germanum, quando diaconi flabella deponunt, hoc est post verborum dominicorum prolationem et ante epiclesim proprie dictam.

M. Jugie, A. ab As.

MISCELLANEA.

Vita defuncti.

Die 17/30 Martii huius anni repentina morte occubuit Excell. **Demetrius** (Sambikin), archiepiscopus Kazanensis et Sviajensis, doctrinae fama perillustris in Russia. Ortum duxit die 3. Octobris anni 1839 in pago Karajachnik, eparchiae Voroneženensis. Studiorum curriculum perfecit in seminario Voroneženensi et in academia ecclesiastica Petropolitana (1861—1865). Magister humaniorum litterarum in seminario Kišinev, praefectus bibliothecae publicae in urbe Voronež, ac deinde magister in seminario huius urbis, rector seminarii in urbe Tambovio, habitum monasticum sumpsit anno 1877, et nominatus est episcopus urbis Balaknae anno 1886. Iuxta morem Russicum complures eparchias peragravit (Balta, Kamenec-Podolsk, Tver) et denique cum titulo archiepiscopi translatus est in urbem Kazanium die 26. Martii 1905.

Archaeologiae praesertim atque hagiographiae defunctus praesul sedulam navavit operam. Inter eius scripta memoratu digna: 1. Exa-

---

[16]) Ibid., p. 166.

[17]) Ἄχρι τῆς συμπληρώσεως, εἰς τὸ „Κατάπεμψον κτλ," τῆς θεολέκτου προσευχῆς, Commentatio liturgica, cap. 23, Migne, P. G., t. CXL, col. 448. De Theodoro Andidensi et de eius explicatione epicleseos alias dicam.

[18]) Τοῦτο δὲ ἐποίουν ἄχρι τῆς ἐπὶ σταυροῦ ἀνυψώσεως. Integrum hunc locum Theodorus a Germano mutuat, nisi contrarium dicendum sit, scilicet, hunc locum esse in commentatione germanica quandam interpolationem, quae quaestio ex solis codicibus solvi potest.

men comparativum doctrinae de peccato originali apud varias confessiones christianas, dissertatio magistralis. Tambovii, 1878; 2. Kalendarium sanctorum a tota ecclesia Russica cultu vel generali vel locali in veneratione habitorum, dierumque festorum Beatae Mariae Virginis sanctorumque virorum patriae nostrae. (Мѣсяцесловъ святыхъ, всею русскою Церковію или мѣстно чтимыхъ и указатель празднествъ въ честь иконъ Божіей Матери и св. угодниковъ Божіихъ въ нашемъ отечествѣ, prior editio (1878—1883) quattuor voluminibus contenta; posterior (Kamenec-Podolsk et Tver, 1893—1903), duodecim tomis. Licet ad methodum criticam non semper hoc opus redactum sit ac magis ad fovendam pietatem populi videatur conscriptum, magni tamen pretii a Russis aestimatur. Narrat enim res gestas sanctorum, ubinam sint reliquiae eorum docet, quonam die festum celebretur, quonam eius offiicium etc. Pro Russica igitur hagiographia necessarium est hoc opus cuilibet, qui hanc studiorum provinciam aggreditur; 3. Festum septuaginta sanctorum apostolorum (Соборъ святыхъ седмидесяти апостоловъ), opus in tria volumina distributum, Tver, 1900—1902. Hoc festum celebratur in ecclesia orthodoxa die 4. Ianuarii. In illo opere collegit Demetrius, quidquid reperire potuit ad vitam septuaginta discipulorum Christi illustrandam qua de re eius lectio utilissima est inquirentibus in hagiographiam aevi apostolici. Scripta, quae ab eo exarata, historiam Russicae Ecclesiae, praesertim eparchiarum Tver et Tambovii, illustrant, recensent Rodosskij, Біографическій Словарь студентовъ С.-Петербургской духовной Академіи, Petropoli, 1907, p. 237—239, et I. Pokrovskij in fusiore eius vita, Православный Собесѣдникъ, 1908, t. I, p. 609—642. *P.*

RESPONSUM.

De **concilio Hierosolymitano** a. 1672, de quo nuper in Νέα Σιών (1907, t. V, p. 115–120) scripsit archim. Chrys. Papadopulos (Ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις σύνοδος) in Occidente haec praecipue invenimus scripta: De actis synodi Hierosolymitanae anno 1672 sub patriarcha Hierosolymitano Dositheo adversus Calvinianos habitae, apud Thomam *Ittig,* Heptas dissertationum selecta quaedam historiae ecclesiasticae veteris et novae capita illustrantium. Lipsiae 1696, p. 412—425; Observations sur ce qui regarde le synode de Jérusalem tenu en 1672 in Perpétuité de la foi, t. IV, Paris 1841, col. 71—134; Monuments authentiques de la religion des Grecs, par. J. Aymon, A. la Haye, 1708 pp. 260—451 (Concile de Jérusalem). — Notanda est etiam Russica commentatio *A. Gorskij,* O soborě ierusalimskom 1672 goda, in Pribavlenija k tvorenijam sv. otcev, t. XXIV, M. 1871, p. 568—620.

P.

A) Index nominum.

Abraham W. 330.
Adamski 7.
Akvilonov E. 14.
Aleksandrov D. 105.
Aleksandrov diak. 100.
Aleksij ep. 233.
Almazov A. 344.
Andreev I. 31.
Antonij archiep. 105.
d'Arcy M. 312.

Babunović S. 239.
Barac F. 34.
Baranowski T. 329
Baranovskij I. 346.
Barsov T. 268. 273, 287.
Baženov I. 100, 233, 331.
Běleckij A. 100.
Běljaev A 223.
Běljaev N 137, 364.
Běljavskij F. 100.
Bělodĕd P 219
Beluhan M 244.
Berdnikov I. 224, 231.
Bieliński 6.
Bilczewski aep 331.
Bočkaiev V. 24. 105.
Bogdanović L. 354.
Bogdaševskij D. 221, 224, 225, 226, 340.
Bogoljubov N. 94.
Bogorodskij Ja. 28, 105, 344.
Bok I. 245.
Bolotov V. 100.
Božkov D. 34.
Brjancev D. 94.
Bronzov A 222
Brückner A. 78, 80, 329.
Bukowski A. 309, 342
Bulgakov 260.
Bulgakov A. 105
Bystrickij V 236

Cankov S. 32, 237, 238.
Caro L. 80.
Cěnev G. 351.
Cenkič J. 242, 243.
Ciemniewski M. 217.
Cvětaev D 235.
Czaykowski 330.
Czerkawski W. 6.

Čefranov M. 236, 237.
Čirić I. 354.

Davydenko B. 93.
Dimitrij archiep. 83.
Dimitrijevič V. 110, 353.
Dmitrievskij A. 227, 346.
Dočkal K. 37, 241, 243, 244, 245, 248
Dolivo-Dobrovolskij A. 226.
Dohnal F. 4.
Džavahov I. 219.

Ekzempljarskij V. 341.
El'čjukov A. 93.
Eleonskij N. 224.

Faminskij V. 21.
Feliś K. 4, 330.
Fevralev E. 335.
Fijalek J. 330.
Filaret 253, 279, 364.
Finkel L. 212.
Florenskij P. 348.
Franko 78.
Fridrich A. 331.

Gaja F. 15.
Gabryl 330.
Georgij ep. 100.
Ger'e V. 26.
Gerstmann A. 218.
Gjurič N. 353.
Gladkov B. 100.
Glagolev A. 223.
Glagolev S. 96, 225, 231.
Glinskij B. 27.
Glubokovskij N. 15, 81, 266, 279, 280.
Golubcov A. 101.

Golubev M. 86.
Golubev S. 231.
Golubinskij Th. 106.
Górka J. 6, 331.
Gorodskij B. 19.
Gorskij A. 86, 392.
Govjadovskij I. 236.
Grabowski T. 217.
Grigorevskij M. 288.
Grivec F. 112, 344.
Gromoglasov I. 222, 348.
Gromnicki T. 330.
Grudgev A. 223.
Grujić R. 352.
Gumplowicz M. 329.
Gusev 253.

Hałuščyńskyj M. 12, 26, 31, 72, 349.
Hobza A. 73.
Honorat 217.
Hortyński 7.
Hortyński F. 329.
Hozakowski W. 79.
Hudec T. 324.

Ḫabanov A. 220, 222.
Ḫarlampovič K. 225.
Charszewski I. 217.
Ḫomjakov A. 137.

Ihčiev D. 352.
Innokentij 364.
Ioann ep. 106.
Ivanov Th. 106.
Izvěkov P. 106.

Jablonović I. 244.
Jacimirskij A. 83, 235.
Jakšić D. 225.
Janyšev I. 106.
Jaroszyński E. 218.
Jastrebov M. 364.
Jašek Ad. 29, 234, 326, 351.
Javorskij 236.
Javorskij B. 223.
Jugie M. 391.
Jungerov P. 83, 101, 224, 233.

Kagarov B. 106.
Kakš J. 2.
Kalenov P. 208.
Kallay 218.
Kallistov I. 102.
Kantak K. 81.
Kapterev N. 29.
Karagjulev A. 351.
Karling A. 330.
Kasatkin V. 106.
Kaškin N. 236.
Kašpar J. 2.
Karašev A. 106.
Kirion ep. 221.
Klimke F. 217, 329.
Kocylovskyj I. 218.
Kochowski W. 5.
Kolankowski 80.
Kolosov N. 237.
Konopka K. 80.
Kopera 216.
Korallov Th. 344.
Korzonkiewicz J. 331.
Krasin P. 231.
Krasnožen M. 101, 106, 224, 235
Kratirov 96.
Kratochvil J. 205.
Krocin E. 217,
Kruszyński J. 216.
Krylovskij D. 231.
Krynicki W. 331.
Kulakovskij P. 225.
Kul'man N. 27.
Kupka J. 75.
Kuznecov N. 29, 101, 106.
Kvačala I. 27, 224.

Lang J. 241.
Lankaš V. 2.
Lavrov P. 101.
Latyšev V. 106.
Lavrskij V. 30.
Lebedev A. 27, 86, 101, 106, 224, 225, 236, 237, 347, 348, 349.
Lebedev M. 101.
Leonini Th. 198, 235, 313, 320, 346.
Levitov P. 94, 95.
Levitskij D. 106.
Liḫačov N. 106.
Liḫnickij I. 107.
Lipke L. 329.
Ljutostanskij I. 101.
Lobačevskij S. 107.
Löffler K. 2.
Łukaszkiewicz 218.
Lutostański K. 78.
Lysko V. 218.
Lysogorskij N. 93.

Makarij 250, 257.
Makkavejskij N. 230.
Maksimovič Vl. 110.
Malcev A. 236.
Malinovskij N. 93, 102, 250, 254, 255, 341.
Maljarevskij G. 107.
Marcinkowski F. 218.
Masny M. 331.
Matzel E. 78, 328, 329.
Mel'ganov S. 107.
Melioranskij B. 219.
Mel'nikov N. 102.

Mendík F. 325.
Miḩajlovskij V. 86.
Michalski W. 217.
Milaš N. 37, 268, 298, 300.
Mioduszewski I. 6.
Mirosavljevič V. 353.
Misail arch. 108.
Miščenko Th. 102.
Mišev D. 33, 237, 352.
Mohl A. 214.
Molčanov A. 117.
Moraidłowski 331.
Müller V. 324.
Muretov M. 86, 113, 114, 221.

Namysłowski F. 215.
Nassalski M. 217.
Načov N. 34.
Nečaev A. 102.
Nečaev P. 102.
Neselòvskij A. 345.
Nikitskij S. 125.
Nikolin I. 236.
Nikol'skij A. 94.
Nikol'skij L. 102.
Nikol'skij P. 102.
Norcov A. 107.
Novikov L. 102.
Novoselov M. 102.

Obolewicz K. 331.
Odvalil F. 4.
Okoniewski St. 79.
Opieliński, J. 77.
Orel D. 74.

Palmieri A. 96, 188, 226, 264.
Palmov I. 220.
Pančenko 235.
Paukner P. 74.
Pavelski J. 330.
Pawlikowski J. 330.
Pelczar J. 81.
Peretc V. 105.
Petrov N. 23, 231.
Petrovič 315.
Petrovskij A. 224, 225.
Petrovskij Th. 221.
Petrovyḩ I. 221.
Pěvnickij V. 107.
Pierling P. 185.
Pisarev L. 222, 225.
Pjatnickij I. 29.
Plašoveckyj V. 218.
Platonov S. Th. 27.
Podlaha A. 326.
Pogorělovskij F. 344.
Pogorělovskij T. 95.
Pokrovskij I. 220, 222, 392.
Pokrovskij M. 236.
Pokryškin P. 107.
Ponomarev P. 84.
Popov A. 220, 221, 225.
Popov N. 223, 343.
Popov V. 343.
Pořícký J. 233.
Posnov M. 103, 338.
Pospělov I. 237.
Pozděevskij Th. 220.
Preobraženskij A. 107.
Procházka K. 1.
Proḩorenko Th. 103.
Proḩorov G. 222.
Protić M. 354.
Protopopov V. 221, 344.

Radčenko K. 106.
Raič L. 349.
Rath I. 74.
Rěčmenskij A. 236.
Rejzek A. 324.
Riehm J. 79.
Rodnikov V. 103, 349.
Rodosskij A. 103.
Rossejkin Th. 347.
Rostworowski 330.
Roth J. 326, 328.
Roždestvenskij A. 21, 227, 339.
Roždestvenskij D. 103.
Ruczyński B. 7, 79.
Rudnicki 330.
Rumbold 329.
Runkevič S. 222, 223, 224, 343.
Ruzanov N. 23.
Rybinskij V. 220.
Rzymski T. 7.

Sahula J. 4.
Saḩarov N. 31.
Salis-Seewis F. 242.
Samarin Th. 107.
Samsour J. 3, 77, 208, 324.
Sarna W. 216.
Savin A. 107.
Savinskij S. 107.
Schmit Th. 107.
Schneider S. 217.
Sedlák J. 2.
Selitrennikov A. 349.
Seredinskij 364.
Sergievskij S. 225.
Sil'vestr ep. 250, 253.
Simeon D. 107.
Sinthern P. 183.
Sitkevič A. 225.
Smirnov P. 225.
Smirnov S. 107.
Snopek Fr. 2, 205, 363.
Sobolevskij A. 219.
Sofronij 32.

Sokolov I. 14, 31, 103, 220, 221, 223.
Sokolov P. 108.
Sokolov V. 237.
Solov'ev N. 108.
Solov'ev V. 96.
Soukup J. 74.
Spáčil B. 74, 315, 384.
Spasskij A. 30, 30, 108.
Starickij I. 333.
Stark T. 81.
Stefan ep. 103.
Stefanovič K. 108.
Stegenšek 235.
Stěhule J. 74.
Stepanov N. 103.
Stoilov A. 238, 352.
Storoženko A. 106.
Straszewski M. 330.
Struve H. 214.
Suvorov N. 27, 31.
Světlov P. 104.
Svoboda J. 326.
Sydański J. 216.
Sýkora J. 205, 211, 321.
Szczeklik 5.
Szczepański L. 328, 330.
Szlagowski A. 6, 330.

Šahmatov A. 108.
Ščedrov I. 222.
Ščerbov I. 14.
Šil'tov A. 104.
Šimrak J. 92, 309.
Šost'in A. 126, 261, 262.
Špaldák A. 71, 137, 207, 208, 209, 333.

Tadra F. 74, 75.
Talija U. 243.
Tarěev M. 104, 236.
Tarnavskyj J. 218
Teige J. 75,
Temnikovskij E. 224.
Tenora J. 2.
Tenora R. 4.
Teodorowicz archiep. 218.
Thivejskij M. 84, 104.
Tihomirov D. 81.
Tihomirov P. 349.
Tischer F. 75.
Titlinov B. 104.
Titov A. 236, 237.
Titov Th. 104, 108, 220, 221, 335.
Trenev D. 104.
Trifonov I. 34, 352.
Troickij I. 104, 222.
Troickij N. 108.
Troickij S. 220.
Trzciński 331.
Trzeciak S. 217.
Trubeckoj G. 238.
Turenskij I. 104.

Urban J. 7, 217, 310.
Uspenskij V. 13, 108.
Uspenskij Th. 235.
Ušakov N. 108.
Ušeničnik A. 111, 112.

Wadowski A. 81.
Vahroměev I. 108.
Wais K. 330.
Vajs J. 207.
Vančyk 218.
Velinov 33.
Velíšek B. 74.
Vertelovskij A. 108.
Věružskij V. 219.
Veselinović S. 37, 353.
Wiecki 6.
Vilinskij S. 27.
Vinogradov V. 236.
Vitković D. 354.
Witkowski S. 217.
Vojucki E. 354.
Voljanskyj O. 219.
Volf J. 74.
Voroncov B. 225.
Voroncov E. 92.
Voronec E. 344.
Voskresenskij G. 30.
Vostorgov I. 108.
Votka J. 4.
Voznesenskij P. 222.
Vučkovič I. 110, 111.
Vvedenskij A. 104, 208, 237.
Vvedenskij D. 109, 237.

Zachariewicz J. 329.
Zalęski St. 6, 330.
Zaozerskij N. 109.
Zarin S. 7, 224.
Zavitnevič V. 221, 231, 333, 338.
Zdziechowski M. 329.
Zeremski I. 109, 353.
Zháněl R. 2, 72, 325.
Zieliński I. 213.
Zlatarski V. 237.
Znamenskij D. 341.
Znamenskij S. 30, 347.
Zvěrinskij S. 344.

Žáček F. 205.
Žák F. 4, 19.
Žakov K. 104.
Żarnowiecki L. 79.
Žídek O. 23, 48, 100, 125, 188, 202, 204, 231, 316, 341.
Žjanašvili M. 219.
Žmakin V. 221.
Žukovič P. 13, 109.
Żukowski 330.
Žuzé P. 222.

B) Index rerum.

Abercii epitaphium 243—4.
Absolutionis forma deprecatoria 199.
Absolutionis formulae 119—200.
Absolutionis sacram. significatio 132—133.
Acoemeti 200.
Acominatos 200.
Acropolita Const. 200.
Act 18: 340.
Actuum intensio 61, 62.
Adami peccatum 28, 210.
Aegypti (ant.) religio 106.
Agapae 108.
Agnosticismus 329.
Alacoque 240.
Alexandrina schola catech. 324.
Altare privilegiatum 242.
Americanismus 246.
Amor Dei 11.
Amoris Dei appretiative summi vis 49—53.
Andreev L. 237.
Anglicanorum articuli 21—23; 228—230; 339.
Anima humana 232.
Animarum status post mortem 312.
Antonius s. 107, 348.
Apocrypha 78.
Apocrypha Acta Martyrum 324.
Apologetica 2, 214—5, 237, 353.
Apologeticae bibliogr. 104.
Apologeticae methodus 34—37.
Apologeticae munus 207.
Aquila 340.
Arabia Petraea 325 - 6; 328.
Arbor vitae 210.
Architectura relig. 107, 216.
Ariani in Polonia 80, 217, 329.
Arianorum historia 30.
Ariminense concilium 161.
Aristoteles 205.
Armeni 71.
Artemius monachus 27.
Artis relatio ad religionem 4.
Ascesis (notio) 7—8.
Ascetica 7, 7—12, 81, 236, 246.
Ascetismus 246.
Asterius Amas. 288.
Athanasius 147.
Atheismi origo 343 - 4.
Athenagoras 277, 278.
Athonenses picturae 102.
Athos 227, 312—3.
Atomismus 97—98.
Attritionis vis 129—133.
Augustiniani 74.
Augustini s. philosophia 344.
Augustinus 218; (de ecclesia) 26—27.
Aula Regia 74.
Azyma 72, 226; cf. Christi cena ultima.

Babylonica inventa 247.
Babylonica turris 28.
Balbín B. 324—5.
Basilius M. 286—7.
Benedictini 74.
Biblia 102.
Bibliographia Polon. 212.
Bibliographia Russ. 195.
Bogomili 106,
Bohemorum munus 186.
Bona ecclesiastica 101.
Bona temporalia 7.
Bonum 95.
Boris s. rex. 33, 34, 237, 351.
Bozveli 238.
Bruno Giord. 2.
Brus A. 316.
Brutorum anima 232.
Buharev A. 30.
Bulgarorum independentia a patr. Cp.: v. Constantinop. patr. iura; Eccl. orient. disc.
Bulgarorum patriarchatus 237.

Caelibatus 38, 196; cf. Matrimonium et cael.
Caesaropapismus 6, 14, 26, 29—30; cf. Ecclesia et potestas civilis; Eccl. Russ. administr.

Calabria Byzantina 222, 333—5.
Calicis symbolum 107.
Calix 79.
Callinicus patr. 223.
Callixtus I. 223.
Calvinus 223.
Campanella Th. 27, 224.
Canon (in liturg.) 224.
Canones 224.
Canonicorum institutum 243.
Canonizatio 224.
Canticum Cant. 234, 236.
Cantus eccl. Latinae 74.
Cantus eccl. orthod. 236.
Cantus eccl. Russ. 108.
Capitula 225.
Capuccini 75.
Cardinales 225.
Carolus IV. 4.
Catechetica 81, 218, 353.
Catechismus 6.
Catholicismi defectus 198, 310, 342; cf. Theolog. cath. formal.
Catholicismi proselytismus 239.
Catholicitas 41—48, 112—125.
Catholicorum receptio: v. Rebaptizatio; Receptio in eccl. R.
Censura librorum 194.
Charismata 84—92, 104.
Cherubim 210.
Choniates 200.
Christi cena ultima 226, 333.
Christi Cor 239.
Christi discipuli LXX 83, 392.
Christi fratres 100.
Christi genealogia 322, 353.
Christi idea in Israël 329.
Christi Nativitas repraesentata 1—2.
Christi resurrectio 344.
Christi tentatio 109.
Christi vita 218.
Christianismi origo 243.
Christianismi vis socialis 14, 79—80, 80, 218, 329.
Christus 104.
Chronologia biblica (N. T.) 226; cf. Christi cena ult.
Chronologia biblica (patriarch.) 28, 79.
Clemens XI. 187.
Clemens Alex. 278—9.
Clemens s. 78.
Cleri educatio: v. Scholae eccl.
Cleri negotia saecularia 338.
Clerus Graecus 348.
Clerus Russiae 191—2, 196, 344.
Cognitionis nostrae defectus 208.
Colossensis ecclesia 108.
Colossenses, ep. ad 108.
Communio quotidiana 4, 245.
Communio sub utraque 72.
Concilia Polonica 215.
Conciliorum auctoritas 253.
Conciliorum compositio 29, 106.
Conciliorum oecum. numerus 259.
Concilium Constantiense 235.
Concilium Constantinop. IV. 200.
Concilium Florentinum 71, 220.
Concilium Nicaenum 30.
Concilium Russicum futurum 92, 101, 188, 195, 231, 236, 237.
Concilium Tridentinum: de matrimonio 273, 305—6.
Concordantiae e ss. Patribus 213.
Confessio publica sacramentalis 31.
Confessionis praeceptum 136—7.
Conscientia atomorum 232.
Consilia evangelica 8.
Constantinopolitana ecclesia 31.
Constantinopolitana eccl. s. Mamae 235.
Constantinopolitani patriarchae 103. 198.
Constantinopolitani patriarchae iura 33. 238. 316. 352
Constantius 147.
Constitutiones Apostolicae 105.
Contritionis intensitas 54. 57—66.
Contritionis necessitas 49. 52—53, 70. 134—7.
Contritionis vis 54—71.
Controversae quaestiones 198. 236. 237. 261. 342.
Conversio: cf. Receptio in eccl.
1 Cor. 340—1.
1 Cor 1, 12 : 341.
1 Cor 4, 6 : 341.
1 Cor 5, 9 : 340.
1 Cor 12 : 85. 87—89.
1 Cor 13, 12 : 86.
1 Cor 15, 43 : 207.
1 Cor 16, 15 : 340.
2 Cor 12, 4 : 210.
Corporis notio et natura 231.
Corsunensis legenda 108.
Cosmologia 330.
Creationis ratio 207. 211.
Crucis vis 104.
Cunegundis 216.
Cyrillus et Methodius 78. 205—6. 207—8. 329; cf. Methodii doctr.
Čjaadaev P. 23.

Definitio dogmatica 253. 263.
Dei cognitio in phil. Graeca 205.
Dei notio 330.
Dei natura communicata cum creaturis 10. 11.
Dei sapientia 106.
Demetrius (Sambikin) aep. 391—2.
Deuterocanonici libri 23. 224. 350. 351.
Diaconi 89.

Diaconissae 190.
Dietrichštejn 2.
Diluvium 28. 79.
Discipuli Christi: v. Christi discipuli.
Doctrina XII Apost. 105.
Doctrinarum defectus 227.
Dogmata fundamentalia 257. 262.
Dogmata nova 259—260.
Dogmatica 341.
Dogmatica orthod. 316.
Dogmatis notio 249—253.
Dogmatum obscuratio 262.
Dogmatum progressio 260, 320.
Dolus in matrimonio 73.
Dositheus patr. 14.
Dostoevskij Th. 231.
Duchesne 183—5.
Dvorský 2.

Ecclesia 331.
Ecclesia ac status 102
Ecclesia ac status in Russia 107.
Ecclesia corpus Christi 87.
Ecclesia et potestas civilis 74, 101, 208, 283 - 4.
Ecclesiae ab imperio separatio 347.
Ecclesiae accommodatio 246.
Ecclesiae caput 87, 196.
Ecclesiae catholicae falsitas 23, 339.
Ecclesiae catholicae merita 218; cf. Christianismi vis socialis.
Ecclesiae forma 29, 88, 203—4.
Ecclesiae ius convocandi conc. oec. 259.
Ecclesiae membra 204.
Ecclesiae munus 246.
Ecclesiae munus docendi 252.
Ecclesiae notae 259.
Ecclesiae orientalis defectus 84, 196, 253, 259, 344, 347.
Ecclesiae orientalis discidia 254, 316.
Ecclesiae orientalis praestantia 198.
Ecclesiae Russicae administratio 30, 192.
Ecclesiae Russicae reformatio 85, 92, 101, 106.
Ecclesiae Russicae status 19, 188 198, 329.
Ecclesiae terrestris et caelestis coniunctio 102.
Ecclesiae thesaurus: v. Indulgentiae.
Ecclesiae unitas 87, 88, 204.
Ecclesiae visibilitas 204.
Ecclesiastes 233.
Eloquentia sacra Russica 93.
Epiclesis 71—72, 385 - 391.
Epiphanius: de matrim. 289.
Episcopi Russici 189—190.
Ethica 81, 245, 247, 341.
Ethica et religio 5, 7, 111, 227, 236.
Ethicae fundamentum 5. 112.
Eucharistia 2; v. Azyma; Communio.
Evae formatio e costa 210.
Evangeliorum veritas historica 243.
Evangelium explicatum 100, 218.
Evolutionismus (phil.) 104, 112, 329.
Excommunicatio 255.
Exegesis libri naturae 207.
Exegetica, 28, 34, 96, 100, 102, 108, 209—211, 216, 218, 235.
Exhortatio fidelium 218.
Expeditus s. 19 - 21.

Festa Nativitatis Domini 74. 75,
Fidei relatio ad scientiam 208, 226.
Filiatio adoptiva 10.
Filioque (insertum) 359.
Finlandiae catholicismus 330.
Formationis (organismi) principium. cf. Anima.
Fröhlich S. 353.

Gemmae in s. Script. 224.
Generatio aequivoca 232.
Gen 1 - 3, 209—211.
Gen 1—11, 28, 344.
Georgius Mtazmindeli 220.
Germanus I. Cp. 385.
Γνῶσις 11.
Gnosticismus 324.
Gogockij S. 94.
Gratia actualis 12.
Gratia sanctificans in homine 10.
Gratiae actualis necessitas 342.
Gratitudinis vis 53.
Gregorius V. patr. Cp. 107.
Gregorius Nazianzenus 217.
Gregorius Palamas 233.
Gregorius Sinaiticus 233.
Grigorij archiep. Kalug. 236.
Grigorij (ep. Omskij) 236.
Grigorij Camblak 235—6.
Grusia v. Georgia.

Hadrianus II. 200.
Haeckel E. 104, 329.
Haereses in eccl. ant. 108.
Haereticorum receptio 198—9.
Hagiographia 392.
Hartmann Ed. 237.
Hebraeos epistola ad 85.
Hecker I. 246.
Hegel 237.
Heortologia 392.
Hermas 274—5, 353.
Hexaëmeron 28, 207, 209.
Hierarchiae origo 88, 101, 225, 349.
Historia ecclesiae 331.
Hist. eccl. Angl. 107.
Historia eccl. antiquae 100. 108. 225.

Hist. eccl. Armen. 14.
Hist. eccl. Bohemiae 74. 75, 316, 325, 326.
Hist. eccl. Bulg. 200, 237, 238.
Hist. eccl. cath. in Oriente 316.
Hist. eccl. Caucasi 222.
Hist. eccl. Croat. 352.
Hist. eccl. Galliae 348.
Hist. eccl. Georgianae 220, 221.
Hist. eccl. Graeciae 348.
Hist. eccl. Illyricae 244.
Hist. eccl. insul. Ion. 221.
Hist. eccl. Moldaviae 236.
Hist. eccl. Orient. in Austro-Hung. 109.
Hist. eccl. Orient. in Italia 334—5.
Hist. eccl. Orientalis in Polonia 104.
Hist. eccl. Podlachiae 329, 344.
Hist. eccl. Polon. 80, 212-3, 215, 216, 330.
Hist. eccl. Russ. 24—26, 102, 103, 106, 236.
Hist. eccles. Russ. occid. 13, 104, 109.
Historia vitae christianae in Russ. 335—8.
Holzhauser B. 331.
Homiletica 107, 218.
Hominis inopia ad salutem 228-9, 342.
Hominis praestantia 232, 233.
Hosius 217.
Humanismus 13.
Hume 208.
Huysmans 4.
Hypotheseos vis 112.
Ȟeremetev B. 186.
Ȟomjakov A. 333.

Iacobus 83.
Iconographia 1—2, 102, 104, 106, 107, 108.
Ideae innatae 344.
Ideae rerum creatarum 207, 211, 315.
Idealismus concretus 343.
Idearum vis ad cognitionem 207.
Ieiunium 200.
Ierosolymitanum conc. a. 1672: 392; cf. Dositheus.
Iesuitae cf. Soc. Iesu.
Iesuitae in Bohemia 325.
Iesuitae in Polonia 6.
Iesuitae in Russia 186, 187.
Iesuitarum munus 197.
Iesuitarum scholae 325.
Illuminati 4.
Immortalitas 232.
Individualismus (ethicus) 30.
Indulgentiae 342, 363—384.
Infallibilitas ecclesiae 252.
Infallibilitas papae 26, 204, 342.
Infantium morientium sors 109.
Infernum 2.
Innokentij aep. 103.
Inquisitio 3.
Inspiratio 6, 218.
Interpretationis leges 209, 211.
Introductio in N. T. 74, 211, 321—4; v. Marci evang. etc.
Introductio in s. Scr. 6, 330.
Introductio in V. T. 101—103; v. Iob etc.
Ioann Groznyj 112, 186, 220.
Ioann Počěj 220.
Ioann Sokolov 220.
Ioann Višenskij 220.
Ioannes VIII. 358—9.
Ioannes Caryophyllus 220.
Ioannes Cassianus 220.
Ioannes Chrysostomus 95, 219, 236.
Ioannes Damascenus 219.
Ioannes ep. Gothorum 219.
Ioannes Eugenicus 220.
Ioannes Evangelista 323, 331.
Ioannes exarcha 219.
Ioannes Hierosolym. 219.
Ioannes Ibericus 219.
Ioannes Nepomucenus 220.
Ioannes Ryliensis 219.
Io. 3, 1 ss.: 102.
Io. 7, 53—8, 11: 323.
Io. 13, 1: 226; 3.
Io. 15, 21: 202.
Ioannis evangelium 100, 233—4, 323, 331—3.
Iob 83-84, 220.
Iob 1: 330.
Iona (Glezna) metrop. 105.
Ionas 221.
Iosaphat martyr 221.
Iosephus Brynnius 221.
Iosephus Flavius 221.
Iosephus patriarcha 221.
Iosif Sěmaško 221.
Iosif volockij 221.
Iosif Volokolamskij 237.
Iosseliani P. 221.
Ireland 246.
Isaac II. 14.
Is 2, 2: 44.
Iudaea 221.
Iudaei karaim. 225.
Iudaeorum clerus 217.
Iudaeorum coloniae antiquae 217.
Iudaeorum infidelitas 338.
Iudaeorum regnum 221.
Iudaeorum vita post exil. 103, 350.
Iudaizantes 222.
Iudas ap. 221.
Iudas proditor 225, 226.
Ius ecclesiasticum 242, 243.
Ius eccl. Orient, 101, 105, 224, 326.
Iustinus M. 222, 275-6.

Jansenismus 187.
Japonia orthodoxa 103. 193.
Jaroslaviensis ecclesia 108.
Jubé 187.
Jurkevič P. 95. 97.

Kaaba 222.
Kabbala 222.
Kahrie-Džami 107.
Kalendarium Gregorianum 103. 223. Cf. Paschalis dies.
Kalendarium Iudaicum 223.
Kaliki 223.
Kalugensis dioecesis 223.
Kamen' věry 224.
Kamilaukion 224.
Kant 208. 225. 341.
Karadžič V. 225.
Karinskij M. 225.
Karloviciense seminarium theol. 110.
Karlovicensis dioecesis 225.
Karlsteinensis decanatus 75.
Katyrev I. 27.
Kavelin K. 222.
Kazanensis Academia 222. 225.
Kazanensis dioecesis 222.
Kellioty 227.
Kiovienses ecclesiae catholicae 106.
Kioviensis academia eccl. 23. 231.
Korsak 329.
Kowalski 217.
Krakoviensis episcopatus 329.
Križanič P. 186. 187.
Kronstadtiensis ecclesia 104.
Kucovlasi 33.
Kurbatov A. 186.

Lampadarius 345.
Latomi in Polonia 330.
Latomi in Russia 27.
Łęczycki 325.
Lenormant 209.
Leo XIII 207.
Lepavinense monaster. 354.
Le Roy 330.
Lěskovecense monasterium 238.
Levesi 187.
Lex naturalis 245. 247.
Liberalismus 6.
Liberii causa 137—185.
Libertas conscientiae ; v. Tolerantia.
Libertas voluntatis 208. 228. 232. 236.
Linguarum disturbatio 28.
Linguarum donum 92.
Litterae testimoniales 102.
Liturgia 75; v. Calix. Cantus. Tropi. Ordinat.
Liturgia Orient. 101. 102.
Liturgia Orient. reformanda 93. 192. 343.
Liturgia Slavica 218.
Liturgiae lingua 93. 192.
Liturgiae necessitas 333.
Liturgiae orientalis adversarii 218.
Liturgici libri orient. genuini 32.
Logica 96. 99.
Λόγος 332.
Lourdes 6.
Lublinensis dioecesis 81.
Lublinensis unio 329; cf. Hist. eccl. Podlachiae.
Lucas 83.
Luc 1, 46 : 218.
Luc 2, 1—3 : 322.
Luc 3, 23 - 38 : 322.
Luc 10, 1 : 83.
Luc 21, 5—36 : 107.
Luc 22, 43—44 : 322.
Lutheranismi refutatio 237.
Lutomirski 80.

1 Machab. 103. 349—350.
Magnificat 218.
Makarij (Bulgakov) metrop. 335.
Marc. 13, 1—37 : 107.
Mc 14, 9 20 : 322.
Mc 16, 9 : 345.
Mc 16, 20 : 207.
Marci evangelium 206—7. 216.
Maria Aegyptia 108.
Maria corredemptrix 218.
Maria et apologia christ. 330.
Mariae imagines 331.
Mariae Magdalenae cultus 215.
Mariawitae 6. 217.
Martyrum natalitia 330.
Marxismus 95.
Materia v. Corpus.
Materialismus 218. 231 - 3.
Matrimonia inter Latinos et Orient. 327.
Matrimoniale ius 290—309. 326—8.
Matrimoniales leges immutandae 94.
Matrimonialis contractus 73.
Matrimonii celebratio 77.
Matrimonii civilis praestantia 94.
Matrimonii impedimenta 73, 74.
Matrimonii notio 264—5.
Matrimonii solubilitas 2, 5, 7, 201—2, 265-309, 348.
Matrimonii unitas 40, 272.
Matrimonium consummatum 265.
Matrimonium et caelibatus 40; cf. Caelibatus.
Matrimonium sacerdotum viduorum 37—40; 40—41; 71, 111, 192, 349, 353, 354.
Matrimonium sacramentum 40.
Matrimonium secundum 40, 41, 277—278.

Mt 1, 1—17: 353.
Matth. 4, 1—11: 109.
Matth. 5, 32: 272—3.
Matth. 16, 13—18: 312.
Matth 16, 16—19: 202, 203.
Matth. 19, 4—6: 94.
Matth. 19, 9: 272—3.
Matth. 24, 1—51: 107.
Matth. 26, 17: 226, 333.
Medicina pastoralis 81.
Mendacii malitia 343.
Menini archiep. 32—33, 238.
Menzies 186.
Meritum 10, 12, 229.
Metaphysicae necessifas 111.
Methodii (ap. Slav.) doctrina 3, 355, 358—362.
Militia 106.
Miracula acatholicorum 236, 238.
Missiones christ. 316.
Missiones Russicae 193; cf. Jap. o.
Modernismus 32, 79, 111, 244, 330.
Monachi Russici 25, 189.
Monachorum Aegypti historia 104.
Monasteria Basil. in Russia 81.
Monasteria Bohem. et Mor. 74, 75.
Monasteria Bulg. 238, 352.
Monasteria Croatiae 244, 354.
Monasteria Orient. 107, 108.
Monasteria Polon. 216.
Monasteria Russica 106, 221, 237.
Monophagia 200.
Montenigr. ecclesiae constitutio 30.
Moralis 103, 106, 236.
Moralis Latinorum 198, 222.
Moralitatis norma 247.
Mors, status viae terminus 312.
Mortis notio 242.
Mortis poena 341.
Mortuis quando sacramenta administranda 242.
Moscovienses ecclesiae aulicae 106.
Moscovienses synodi 29.
Moscoviensis synodus a. 1551 : 24—26; 105.
Moyses 34.
Moyses ep. 27.
Muhamedanismus 222.
Mundi corp. extensio 330.
Mundi initium 330.
Muretov M. 113.
Muromskij Konstantin 108.
Musica sacra Russ. 236.
Musil A. 325.
Mysticismus Byzant. 233.
Mythorum origo 243.

Nathan 92.
Naturae corporeae defectus 211.
Naum s. 101.
Nazarenorum secta 353.
Nazianzenum templum 217.
Nicephorus Theotokis 235.
Nicolaus I. 237. 351.
Nicolaus Kabasilas 233.
Nicolaus s. 74.
Nietzsche 30.
Noëtica 97. 98. 225. 343 349.
Nomocanon Photii 298—301.

Obligatio 236.
Officia erga potestatem civilem 81.
Ochridenses patriarchae 352.
ὁμοούσιος 30.
Ordinationes Anglicanae 105.
Ordinationis ritus 345—6.
Origenes 279—281.
Ortynskyj S. 218.
Ostroviense monasterium 75.

Paedagogica 93. 104. 230. 238. 354.
Paedagica sexualis 5.
Pakracensis episcopatus 352.
Palaeoslavica versio libr. liturg. 3.
Palaeoslavicae litterae 236. 328—9. 354.
Papae subsidia e Polonia 330.
Paparum commercium cum Russia 185—188.
Paradisus 28. 209—211.
Paroeciae notio 242.
Paroeciae Russicae 105. 190.
Pascha 226.
Paschalis dies 103. 330.
Passiones 11. 12. 81.
Pastoralis 81, 217, 331.
Patriae amor 81, 246.
Patriarcharum longa vita 28.
Patriarchatus institutio 29.
Patriarchatus Russ. restit. 29, 109, 189, 347.
Patrologia 324, 351—2.
Pauli epistulae 86; v. Hebr. epist.
Pauli psychologia 96.
Paulus s., Slavorum apostolus 351.
Peccata venialia 125—137.
Peccatorum appretiatio 70-71,
Peccatorum remissio 314.
Peccatum originale 12, 392.
Pedalion 224.
Pentateuchus 34.
Peregrinatio in Terram Sanctam 223.
Peregrinationes in eccl. ant. 330.
Perfectio christiana 198.
Perseverantiae donum 241.
1 Petr 4, 40: 88.
Petri M. reformatio eccl. 344; cf. Patriarchatus Russ. restit.
Petri primatus 202, 203, 312.
Petri sermones 102.

Petropolitana academia ecclesiastica 103
Petrus M. 186, 236.
Pharisaei 350.
Philosophia 330.
Philosophia huius temp. 329.
Philosophia in Polonia 214.
Philosophia in Russia 94—95, 96—97,
Philosophiae historia 349.
Photius 200, 298, 300—301, 316.
Pii X epistula 316—8.
Pius X. 331.
Plato 205.
Platon metrop. M. 236.
Plocensis episcopatus 80.
Pobědonoscev K. 27.
Poenitentiae sacramentum 31, 49-71, 125—137.
Poenitentiae sacramenti minister 107.
Poenitentiae virtus 11.
Polemica cum haereticis 27.
Polemici orientales 200.
Polonorum munus 197.
Polytheismus 96.
Positivismus 96—7.
Possevinus 112, 186.
Potestatis civilis munus 238.
Praedestinationis causa 10.
Praesaepe Domini repraesentatum 1—2. 75-6.
Pragmatismus 2.
Preces (tract.) 333.
Preces pro heterodoxis 93.
Preces pro defunctis 93. 310—312. 315.
Premislienses episcopi 216.
Primatus Rom. Pont. 26. 33. 202. 204. 319. 342—346.
Prophetae falsi 93—94.
Prophetae V. T. 329.
Prophetae in eccl. ant. 92.
Protestantes in Bohemia 326.
Protestantes in Polonia 80. 217.
Protestantes liberales et orthod. 31.
Protestantismi influxus 84. 264. 310. 354.
Proverbiorum liber 233.
Psalmi explicati 354.
Ps 2 : 92.
Psalterium 233.
Pseudoprophetae v. Prophetae f.
Pskovienses possessiones eccl. 27.
Purgatorium 72, 313—5.

Rafail metrop. 329.
Rebaptizatio Latinorum 198.
Receptio in eccl. Russ. 198—9; II., 278—9.
Redemptio 9, 104, 309—310.
Reformatio catholica 326.
Regeneratio 102.
Regnum caelorum 26, 95.
Religio naturalis 21.
Religionis christianae aemulae 247.
Religionis motivi vis 53.
Religionis verae criteria 37.
Renan 94.
Restrictio mentalis 343.
Revelationes privatae 240.
Rituale eccl. cathedralium 101.
Ritus v. Liturgia.
Ritus mutatio 328.
Romani pontificis patriarchatus 244.
Romanos, ep. ad 338.
Rosarium 218.
Roseae Crucis fratres 74.
Rusanov 93.
Ruthenorum Americae episcopus 218.
Ruthenorum munus 197.
Rutskij 13.

Sacerdotes vidui 105. Cf. Matrimonium sac. vid.
Sacramentorum causalitas 353.
Sadducaei 350.
Saecularizatio in Anglia 107.
Sancti Chersonesi 106.
Sancti Russorum 236, 392.
Sanctorum cultus in Pol. 216.
Sanctorum munera 74.
Sardicenses canones 26.
Schismaticorum receptio 198—9.
Schismatis historia 71, 200. 316.
Schismatis origo 112, 208—9.
Scholae Austriacae sub Ios. II. 4.
Scholae Bulgaricae eccles. 32.
Scholae Russicae ecclesiasticae 15, 19, 81-83, 92, 100. 107, 108, 191, 194, 231. 236, 349.
Scholastica 248.
Scripturae s. veritas historica 247.
Scripturae s. vis 102.
Scripturam s. interpretandi libertas 211, 264.
Sculptura relig. 216.
Sectae: cf Iudaizantes.
Sectae Russicae 193.
Seminaria 217.
Seneca 21.
Sentimentalismus 343.
Septuagesima 74.
Serafim Sarovskij 236, 237, 238.
Serpentis idea 211.
Serpentis vis 209, 211.
Sinai 328.
Slavjanophili 94, 101.
Slowacki 330.
Societatis Iesu institutum 325.
Socialismus 108.
Sociologia 95, 217, 218, 236.
Sofronij ep. Irk. 236.

Solov'ev V. 96, 209.
Sozomenus 161.
Spatii notio 231.
Spencer 230.
Spiritismus 96. 246.
Spiritus s. dona: v. Charismata.
Spiritus s. processio 200, 341, 355—358, 361.
Sponsalia 77, 78. 326—7.
Stanislaus Znojmensis 2.
Stefan Javorskij 224.
Stoglav 24, 105.
Stranniki 29.
Streba J. 330.
Stwosz W. 216.
Supererogatoria opera 12.
Syllogismi vis 248.
Syllogismus 96.
Symbola 210, 211.
Synodus s. 30, 225, 347.
Synoptici 211 2.

Talmud 101.
Temperantia 200.
Temporis notio 341.
Ternovensis patriarcha 352.
Tetín 75.
Theocratia in Israël 329.
Theodorus Andidensis 391.
Theodorus archim. 30.
Theologia Russorum 102.
Theologiae cathol. formalismus 263, 342.
Theologiae fundamentalis ratio 94; Cf. Apologetica.
Theologiae studia 195.
Theologiae studia augenda 243.
Theophanes patr. 13.
Theophanes Prokopovič 108.
Theophylactus aep. (Rusanov) 93.
Theophylactus ep. (Lopatinskij) 343.
Theosophia 99.
Thessalonicenses, ep. ad 108.
Thessalonicensis ecclesia 108.
Thessalonicensis vicariatus 244.
Threcius 80.
Timor servilis 10.
1 Tim. 3, 2: 38, 41.
Tit. 1, 6: 38, 40.
Tolerantia 6, 106, 196, 217, 235.
Tolstoj 104, 236.
Tondini C. 318.
Tonsura 345.
Traditio ecclesiastica 84.
Transformismus 7, 207.
Transsubstantiatio 2.
Tropi 74.
Trubeckoj S. 342-3.
Trullanum concilium 39, 40, 41.

Unio 7, 33, 71, 72, 112, 195, 196, 197, 238, 320.
Unionis tentamina 33, 71, 185, 186, 187.
Unitorum historia 13, 109, 221.
Universalia 207.

Varasdinense monasterium 244.
Varsaviensis facultas theol. 6,
Velehradensis conventus 239, 316-8.
Veteroritualistae 100, 105, 107.
Vincentius a Paulo 331.
Vincentius Lirinensis 84, 320.
Virtus christianorum 108.
Visionis theoria 209, 210.
Vita aeterna 12.
Vitiorum causae 81; cf. Passiones
Vladimirensis dioecesis ecclesiae 106.
Vladimiri baptisma 108.
Volokamsk 221.
Voskresenskij G. 95.
Vršacenses ecclesiae 354.
Wundt 349.

Xerophagia 200.

Žabynskij M. 236.